




CAELI DAVIDICI VARIAE VERSIONES, PSALMORVM COMMENTARIIS, ET MORALIBVS CONCEPTIBVS STELLATÆ.

VBI STELLIFERA RESPLENDET CORONA, seu Aurea Catena, ex omnium ferè Doctorum expositionibus artificiosè contexta, abundè collecta, & peregrinis eruditionibus, quasi luminibus illustrata.

PER VINCENTIVM GILIBERTVM CLERICVM REGVLAREM.

Cum sex Indicibus, Versionum, Sacræ Scripturæ, Materiarum, Adagiorum, Similitudinum, & totius Anni Concionum.



NEAPOLI,
Ex Typographia Viduæ Lazari Scorigij. M.DC. XXXIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

Tempore Guardia.^{us} fratris Gregorij Neapol. 1634.

SERENISSIMO PRINCIPI
MAVRITIO
SABAVDIAE
CARDINALI.



Vincentius Gilibertus Clericus Regularis.



ELEBERRIMVS ille, Orbis Terrarum Monarcha, Alexander, Magnus imperio, maior animo, cum de oblato ei scriniolo, quo nihil inter deuicti Darij opes pretiosius, pulchriusque repertum fuerat; quæreretur, cuinam illud vsui addicendum foret: aliud alijs opinantibus, respondisse fertur, Huic optime seruandus tradetur Homerus, nullum thesaurum putans eo pretiosiorem. Id mihi viam profecto aperuit, SERENISSIME PRINCEPS, rationemque docuit, qua DAVIDICO HVIC CAELO, honorifice alicubi collocando, non Darij scriniolum, aut quid eius generis aliud, sed multo pretiosius, vel in terris, quærerem Cælum. Neque sanè diu, aut nimium in tali mihi inquisitione elaborandum fuit, statim enim in radiante per Orbem CELSITVDINE TVA mentis meæ oculis stelliferum, in quo collocaretur, se obtulit Cęlum, viuam mihi suggerens memoriam, claramque imaginem eorum, quæ in Sacrarum dedicatione Coronarum de SABAVDIAE gloria nuper decantaueram, quęque instar Cæli tot Stellis scintillat, tot Syderibus micat, tot luminibus splendet, quot PROCERES, quot HEROES, quot DVCES, stupenda quadam, ac vetustissima tot sæculorum serie mirificè enumerantur, ac Reges. Cum ergo locato, vt docet Philosophus, locus respodere debeat: quis locus aptior, quis amplior, quis TVA CELSITVDINE dignior, qui CAELVM HOC DAVIDICVM vel ambitu suo caperet, vel sinu contineret, aut excogitari, aut inueniri, in terris vsquam omnino poterat? Si CAELVM, Domini sedes, Regis regum Thronus, Solium denique Dei dicitur in scripturis. In te, qui & naturali propagatione, & purpurali electione, & PRESTANTISSIMVS PRINCEPS ES, & AVGVSTISSIMVS HEROS, inter Thronum Ecclesiasticum, & Regalem noua societas constituitur. Tu enim, SERENISSIME PRINCEPS,

 alter

alter ferè Alexander, spes altera Romæ, è Regia simul, & Dauidica stirpe oriundus, Regio sanguine, & Ecclesiasticis infulis decoraris. Quare gemino hoc & hereditatis iure, & Ecclesiasticæ dignitatis titulo, DAVIDICVM CAELVM TVAE CELSITVDINI & iure debetur, & merito consecratur, vt dum Psalmos legis, Sol Patris rutilet in regio vultu: dum Hymnos canis, aureo in ore resonent Parentis encomia: & dũ Odas meditaris, ad triũphalia maiorũ decora imitanda exciteris. Sic gesta regij Patris, & regij Proaui, in regijs Nepotibus, regijsque Filijs diuisa spectantur. Nam si Dauid, & Manu Fortis dicitur, & Sanctus colitur: Quis sanctior AMODEO? Quis fortior CAROLO? Quis VICTORIO magis inuictus? Quis PRINCIPE THOMA generosior, cuius fulgens & terrificus ensis fulmen est, hæreticos sternens: cuius clara, nobilesque victoriæ omnium ore tolluntur in cęlum; cuius excelsa trophæa, in omnium animis erecta cernũtur: de cuius deniq. triumphis, læta pręsens ętas exultat, futura mirabitur. Sicut ergo superstes hic HEROS Manu Fortis ad bella natus, & enutritus in bello, belli fulmen, belligerum Manu Fortem, fortis imitatur in bello: ita & tu CLEMENTISSIME PRINCEPS CARDINALIS, pacifica purpura ornatus, pacifici Dauidis æmulus, in pace, sed tamen operosa, degis, Psalmos canis, & dulce melos, cęlestesque modularis modos, non quidem illos, quos Cælo tribuunt Pythagoras, & Plato, sed qui hic resonant, vbi Cęlum, quasi liber, plicatur. Audi ergo, RELIGIOSISSIME PRINCEPS, doctrinam Patris, vt addatur gratia capiti tuo, CORONAM enim gratiarum suscipies tuo vertici: vt CORONIS virtutum, quibus in terris ornaris, addatur & CORONA gloriæ, qua in Cælis CORONERIS, quod ardenter expeto, & à CORONARVM Largitore instanter peto. Interim, & opto & obsecro, vt hilari cernas, serenoque vultu, hoc opus, quod pro mea seruitutis vel tributo, vel obsequio, REGIAE CELSITVDINI TVAE dico: CAELVM enim est, quod & offert deuota mens, & profert sincera manus, nec munera sic oblata vmquam despexit CAELVM. Vale interim GLORIOSISSIME PRINCEPS, & ad quę fortunatissimè natus es, gloriosissimè viue. Vale fama, Vale palmis, Vale triumphis, Vale imperijs, immortalitati Vale. Viue gloria, Viue Sceptris, Viue Diadematibus, Viue Põtificio, æternitati Viue. Vale tandem & Viue, AMPLISSIME HEROS, & Tibi & mihi, & Vrbi & Orbi, & Regnis & Coronis. Ter felix in æuum Vale, & terque quaterque beatus in æternum Viue. Neap. 4. Idus Nouembris. Anno 1638.

PIIS LECTORIBVS.



Rior hic CÆLI DAVIDICI in Pſalmos Liber, ſicuti non lubenter è cellæ gremio eductus eſt, vt & daretur typis, & veſtris vſibus deſeruiret:ita nec libenter ex Typographiæ prælo extractus eſt, vt & lucis vſura frui,& Solis huius oculis poſſet exponi:veritus nimiū veteris Adagij dedecus, ***Parturient montes.*** Si enim hoc in glorioſos iactatur oſtentatores, non tamen obſeruatores, qui magnificis promiſſionibus magnam concitant expectationem: vbi verò ad rem, promiſſa deſtruunt operibus, & verba factis: meritò timebat ex eo, quòd cum promiſiſſet grandia,parua ſoluebat. Promiſerat tunc VERSIONES PSALMORVM, qui numerum ferè complent quindecim Decadarum: nunc autem debito ſe exſoluēs, exponit vix vnum: vnus enim à pluribus exiſtimatur primus, ac ſecundus Pſalmus,qui ſucceſſiuè mox in lucem prodeunt,quē, ego ſæplus confirmaui, Præſenti animo eſto,inquiens,nam etſi vnus es,Leo tamen es, & primus es, Pſalmorum Pſalmus,Princeps Odarum,& ſumma, & Caput Hymnorum: & qui cùm à cælo cæperis,bene cæpiſti, iam dimidium facti habes, & etiam penè dimidium opus præfers. Cum autem adhuc timidum, trepidantemque viderem, ex Chryſologi, vel florido prato,vel aureo flumine,& aquas hauſi, & flores fructuſque collegi, ad eum fulciendum,languentemque fouēdum. Et quidem,illo in ſermone quinquageſimoquarto dicente, & his aureis verbis vera docente, ***Singula Scripturæ verba, ſi in libris ſingulis mandarentur, nec ſic myſteria, quæ in ipſis ſunt, audientibus perluxerent:*** iam hoc primum volumen debitum ſoluit, abſoluitque cum fænore, dum Pſalmum vnu m,qui ex elementis verborum fermè Septuaginta componitur,vno tantum concludit libro. Ex quo, non de prolixitate operis excuſatio eſt adhibenda,ſed potius mutanda eſt clauis, mutandus eſt ſtylus, & venia eſt de breuitate petenda: cùm intra anguſtos hoſce fines,breueſque terminos,tot auguſta ſacramenta claudere,tot obſcura lucidare,tot clauſa reſerare, tot firmare dubia,tot profunda contingere, tot ſæculorum ineffabilia arcana per omnem modum & aperire, & eloqui auſus eſt, omittens hæc omnia,ac multò maiora,quæ profunditas Hymnorum,& dignitas requirebat Pſalmorum. Hinc ad illum conuerſus,eique animos faciens,repetebam,Egredere ergo, Liber mi, quid times? egredere quid dubitas,cum liber ſis, & CÆLVM ſis? Et verè, ſi de cæleſtibus, vt bene noſtis,ò Docti,& ex Ariſtotelicis fontibus hauſiſtis,etſi parua notitia vehatur mortalibus,attamen ob dignitatem & præſtantiam ſubiecti, pretioſior exiſtimatur qualibet magna ſcientia vel quæſita ab elementis,vel à terrenis rebus comparata: cur ego idem non repetam de paruo hoc DAVIDICO,vel libro,vel CÆLO? Paucos quidem,quaſi in vtre congregat verſus,pauca profert verba: ſed in his paucis verſibus & verbis,locupletiora mercimonia offert, ſuperbioreſque opes affert, quàm ingentia volumina vel Poetarum, vel Philoſophorum, vel attulerint vmquam, vel vſquam obtulerint. Præparant iſti Cælos, ſed mendaciter: dant ſphæris harmoniam,ſed non veraciter:imponunt nomina Syrenibus, & Muſis, ſed fallaciter:at in laudem CÆLI DAVIDICI dicitur Cælorum Creatori, ***Præparabitur veritas tua in eis.*** Auditur hic cælicum melos, ſed verum:reſonant harmonicæ voces,ſed diuinæ:& ducunt in eo Cæleſtes Choros,non Muſæ nouem, ſed nouem Tranſlatores. Finguntur ab Aſtrologis in Stellifera Sphæra & imagines variæ, & variæ Coronæ;cernuntur autem hic Stelliferæ Coronæ à Doctoribus collectæ, qui ad iuſtitiam erudiunt multos, ſplendent quaſi Stellæ in perpetuas æternitates:adduntur & lumina,dum eruditionibus illuſtrantur. Ibi ſplendet in Oriēte auricomus Lucifer matutinus, Orientis Solis afferens conuerſionē: hic verſio Orientalis,Beatū Virum profert, qui & noctem eliminat vitiorum, qui non abijt in conſilio impiorum,qui non ſtetit in via peccatorum, & qui in cathedra peſtilentiū non ſedit:& auricomus ipſe refulget radijs, & radijs qualibet luce Stellarum clario

ribus,

ribus, dum in lege Domini firmatur voluntas eius, in eã personat, ornatur illius folijs, fructibus Coronatur, & in omnibus prosperatur. Mutatur Cæli facies in Occidente, dum pallens conspicitur ibi Hesperus tristis, & cæcæ noctis nuncius: & hic Occidentalis succedit Versio, in qua impij oppositũ terentes iter, oppositũ terminum infausto præscribunt itineri, nam iter impiorum peribit. Apparent demum ibi motus contrarij: & contrarij hic manant ex contrarijs Cæli plagis influxus: nam si ab Aquilone panditur omne malum, dum inde fremunt Gentes, meditantur inania populi, Reges assistunt, Principesque conueniunt in vnum aduersus Dominũ: irridentur a Cælo, subsannantur à Cæli habitatore, & in ira eo loquente, in furore conturbantur, ac disperguntur: ab Austro, ex opposito, Deus venit, secum afferens Currus bonorum, secumque Patrem luminum trahens, qui suauiter spirat, loquitur blandè, dulciter intonat, & lætabundus dicit, Filius meus es tu: & opere id complens illi demonstrat, quod, si Filius, & heres: vnde & dat ei Gentes in hereditatem, vt eas regat, corrigat, dirigat, reformet, & sic, cõfirmet, vt audiant, obaudiant, cũ timore seruiãt, cũ tremore exultẽt, disciplinam apprehendãt, spiritu vitali repleãtur, atque in æternum viuant. Hæc omnia cùm explicentur in primo, ac secundo libris, qui aptius dicendi sunt liber vnus, in quo vel vnus, vel duo iuxta varias sententias expenduntur Psalmi, quæ vnum compleant DAVIDICVM CÆLVM, etsi videantur modica, de CÆLO tamen cũ sermonẽ contineant, verè sunt magna, & tot voluminibus digna, quot in ijs legũtur verba. Cum autẽ ars longa sit, & vita breuis, operã deinceps dabimus, fauente Deo, Virgine adiuuante, vt reliquos Psalmos, breuiùs digeramus. Adiunximus autem de more, Elenchos varios. Prior in fronte operis, omnes continet Psalmi Translationes. Reliqui in Coronide notantur, vbi, secundum locum tenet sacræ Scripturæ Index: Tertium, Rerum notabilium Elenchus: Quartum, Adagia: Quintum, Similitudines; & denique sextum, materia sparsim in opere diffusa, in vnum collecta, & aptata Concionibus Aduentus, Quadragesimæ, Dominicarum, ac denique Sanctorum; vt pro qualibet Concione promptuarium inueniri possit abundè paratum. Hæc omnia, vt vobis cum paruo labore præstò sint, magno studio a me parata sunt, & remanent etiam paranda maiori cum labore. Sed licet hic magnus, ac difficilis sit, spei tamen solatium est, quia sermo Dei talis est, qui secundum similitudinem Viri, qui luctabatur cum Iacob, possit vinci, si colluctator, id est, inquisitor eius, legitimè luctari nouerit. Nec aliud est legitimè luctari, nisi fortitudine vti veræ, & sanctæ humilitatis in precibus, & lacrymis: sic enim Iacob in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, fleuit, & rogauit eum. Igitur vos deuoti Lectores, oro, atque obtestor, huiusmodi fortitudinem, ac virtutem à forti Domino virtutum mihi vestris orationibus impetretis, vt qui hactenus dedit hæc velle, & complete: det etiam reliqua deinceps posse, & perficere. Ceterùm, quod in vobis est, virium imbecillitatem excusate si fortè, in ijs, quæ, vel Typographorum incuria, vel scriptoris inaduertentia, errata subrepserint, maiorem diligentiam desiderabitis. Caligat oculus, manus languet. Vestra præstet humanitas, quæ nostra nequit infirmitas. Valete.

SVMMARIVM BREVE VARIARVM Translationum Psalmi Primi, quæ in hoc primo Tomo diffusè expenduntur.

In Psalmi Primi, Versus primi, Partem primam. fol. 153.



1 EX Vulgata. Beatus Vir.
2 Ex Scholio Græco, Irreprehensibilis ille vir.
3 Ex Theodotione, & Quinta, & Sexta Editione, Perfectus ille iunior.
4 Ex Hebræo, Felicitates, vel felicia illi viro.
5 Ex Caietano, Beatitudines viri.
6 Ex Thargum apud Pagninum, Bonum viri.
7 Ex Felice, & Vatablo, Laudes viri.
8 Ex Chaldæo apud Eugubinum, Bonitates illius viri.

In partem secundam eiusdem ver. primi. fol. 189.

1 EX Vulgata. Qui non abijt in consilio impiorum.
2 Ex Theodotione, Qui non abijt in consilio alienorum.
3 Ex Pagnino, Qui non ambulauit in consiliũ impiorum.
4 Ex Brandamachio, Qui non ingressus est in consilio impiorum.
5 Ex Arabico, Qui non sectatus est sententiam inobedientium.
6 Ex Seholio *Græeo*, Qui non abiit in via prçuaricatorum, vel iniquorum.
7 Ex R. Dauid Kimchi, Qui non abijt in via anxiè studentium aggregandis opibus.

In partem tertiam eiusd. ver. primi. fol. 221.

1 EX Vulgata. Et in via peccatorũ non stetit.
2 Ex Chaldæo, Et in via sceleratorum nõ moratur.
3 Ex Eugubio. In via peccatorum non permãsit.
4 Ex Scholio Hebraico, In instituto peccatorum perfrictæ frontis non consistit.
5 Ex Arias Montano, In via trita errorum non stetit cum pertinacia.

In partem quartam eiusdem ver. primi. fol. 239.

1 EX Vulgata, Et in Cathedra pestilentiæ non sedit.
2 Ex Aquila, & Hieronymo, In Cathedra derisorum.
3 Ex Symmacho, *In* Cathedra insidiatorum, & impostorum non communicauit.
4 Ex Tertuliano, In Cathedra pestium, vel pestilentium non sedit.
5 Ex Hebræo, In Cathedra reuelantium secreta non stetit.
6 Ex Vatablo, Iu Cathedra elatorum non stetit.
7 Ex Quinta editione, In Cathedra iniquorum non est inuentus.

In Vers. Secundi, Part. Primam. fol. 288.

1 EX Vulgata, sed in lege Domini voluntas eius.
2 Ex Chaldço, Ad institutum Domini voluntas eius.
4 Ex Suadeno, In lege Domini beneplacitum eius.
5 Ex Caietano, In doctrina Domini voluntas eius.
6 Ex Vatablo, In doctrina Domini propositum eius.
7 Ex Guidacerio, In lege Domini affectus eius.
8 Ex Hebræo, In lege Domini delectatur.

In eiusdem, Versus secundi, Partem secundam. fol. 331.

1 EX Vulgata. Et in lege eius meditabitur die, ac nocte.
2 Ex Aquila, In lege eius resonabit die.
3 Ex Hebræo, In lege eius commentatur die ac nocte.
4 Ex Ambrosio, In iuribus eius meditabitur die ac nocte.

In Psal. primi, Versus Tertij, Partem Primam, sic enim corrigi debet Versiculus iste, in quo errauit Typographus, Pro parte prima, imprimens tertiam in tota hac versione fol. 361.

1 EX Vulgata, Et erit tamquam lignũ, quod plantatum est secus decursus aquarum.
2 Ex Aquila, & Hieronymo, Quod transplantatum est iuxta riuos aquarum.
3 Ex Pagnino, Erit sicut arbor plantatus secus riuos aquarum.
4 Ex Oct. Chaldæo, Erit sicut lignum plãtatum iuxta fonticulos aquarum.
5 Ex Felice, Secus diuisiones, et decursus aquarũ.
6 Ex Glosa, Erit tamquam lignum, quod plantatum est ad exitus aquarum.
7 Ex Paraphraste Chaldæo, Et erit sicut arbor, cuius fructus maturascit.
8 Ex Eugubino, Et erit sicut arbor vitalis secus scissiones & scaturigines resonantes.

In eiusdem, Versus Tertij, Partem secundam, fol. 404.

1 EX Vulgata, Quod fructum suum dabit in tempore suo.
2 Ex Chaldæo, Cuius fructus, maturescit in tempore suo.
3 Ex Vatablo, Quod fructum suum reddet in tempore suo.

In eiusdem, Versus Tertij, Partem tertiam. fol. 444.

1 EX Vulgata, Et folium eius non defluet.
2 Ex Chaldæo, Et folia eius non defluēt.
3 Ex Arabico, Et folia eius non labentur.
4 Ex Rabbi Dauid, & Felice, Et Folia eius non cadent.
5 Ex Suadeno, Et folium eius non marcescet.
6 Ex Caietano, Et folium eius non arescet.
7 Ex Pagnino & Tertulliano, Et folium eius nō decidet.
8 Ex Rodulpho, Verbum eius non erit instabile & irritum, sed immutabile & firmum.

In eiusdem, Versus Tertij, Partem Quartam. fol. 471.

1 EX Vulgata, Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.
2 Ex Hieronymo, Omne, quodcumque faciet, prosperabitur.
3 Ex Chaldæo, Et omne germen eius, quod germinat, granescit, & proficit.
4 Ex Vatablo, Quodcumque ediderit, prospere cadet
5 Ex Manuscripto, Omnia, quæ egerit, prospera erunt.
6 Ex Glosa, Omnia quæcumque faciet, successum habebunt.
7 Ex Aquila, Omnia, quæcumque faciet, dirigentur.
8 Ex Pagnino, Omne, quod faciet, prosperari faciet.
9 Ex Felice, Omnia quę faciet, ad prosperitatem producet.
10 Ex Suadeno, Omne, quodcumque faciet, fortunabitur.
11 Ex Annotationibus Vatabli, Quidquid faciet, successus prosperos habet.
12 Ex Arabico, Omnia quæcumque faciet, explebit.
13 Ex Symmacho, Omnia, quæcumque faciet, beneplacent.
14 Ex Hilario, Omnia, quæcumque faciet, bene dirigentur.

In Versum quartum, fol. 533.

1 EX Vulgata, Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.
2 Ex Pagnino, Non sic impij, sed tamquam gluma, quam proiicit ventus.
3 Ex Chaldæo, Non sic impij, sed sicut stipula, quam proiicit ventus.
4 Ex Hebręo, Non sic impij sed tamquā festuca.
5 Ex Vatablo, Non sic impij sed tamquam quisquilię, quas dispellit ventus.
6 Ex Felice, Tamquam puluis, quem agitabit, propulsabit ventus.
7 Ex Arabico, Tāquā lanugo, vel tenuis palea.

In Versum quintum. fol. 584.

1 EX Vulgata, Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in in consilio iustorum.
2 Ex Ambrosio, Quoniam non resurgunt impij in iudicio, nec peccatores resurgunt in consilio iustorum.
3 Ex Hebræo, Non surgunt impij in iudicio: neque peccatores in coetu Iustorum.
4 Ex Pagnino, Ideo non stabūt impij in iudicio, neque impij in congregatione iustorum.
5 Ex Chaldæo, Non consistent impij in die magna, vel in die iudicij magni in societate iustorum.
6 Ex Isidoro Clario, Non erigent se se impij in iudicio, nec peccatores inuenientur in coetu iustorum.
7 Ex Caietano, Nō permanebūt impij ī iudicio.
8 Ex Aquila, In synagoga Iustorum.
9 Ex Symacho, In conuentu: ex Hieronymo, In congregatione iustorum.
10 Ex Theodotione, in collectione iustorum.

In Psalmi Primi, Versiculum vltimum. fol. 924.

1 EX Vulgata, Quoniam nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.
2 Ex Pagnino, Hebręo, Græco, & Hilario, Quoniam scit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.
3 Ex Chaldæo, apud Eugubinum, Quoniam clara est Deo via iustorum.
4 Etiam Chaldæi, Quoniam manifesta est ante Dominum via iustorum, & via peccatorum perdetur.
5 Ex Caietano, Quoniā noscens Dominus viam iustorum.

FINIS.

IN CAELI DAVIDICI VARIAS VERSIONES.



Præfatio ad Lectorem.

1 Iraberis, prudentissime Lector, me cernēs adeò mutatum ab illo, qui quōdam Hetrusca modulatus auena refertas multiplici varietate conciones, atque egressus in agros, flores inde frondesque collegi, Anno Ecclesiastico intexturus Coronas: modo sic pennas eleuem, vt à terrenis pratis ad cælestia, ab infimis campis ad superos, à folijs ad astra, à plantis ad planetas, à floribus ad stellas, à floridis Coronis ad Stellantes recurram Coronas, & ab humili humo, sublime Cælum ascendam. Cęlum enim est Dauidicum Psalteriū, cuius vel conuersiones, vel versiones explicandas aggredior. Vbi tot Orbes splendent, quot Psalmi: tot Circuli mouentur, quot Versus: tot Angeli adsunt motores, quot Expositores: tot Sphæræ voluuntur, quot Versiones: tot Astra micant, quot monita: tot splendent Stellæ, quot sensus: & tot varij resonant concentus, quot varii pullulant conceptus.

2 At cesset admiratio, nam, si omnia tempus habent, si suis spatijs transeunt vniuersa sub Sole: &, si, varietate, magistra materque natura ornatur & gaudet: gaudendi opportunitas tribuenda quoque est calamo illi, qui peculiari diuinæ benignitatis dono, vt mihi fas est credere, tum Hetruscorum verborum coloribus, tum sacræ doctrinæ lineamentis, tum terrenis floribus hactenus orationem aspersit: si deinceps varietatis cupidus, impulitus licet ac rudis, sensus Psalmorum stylo exaret latino, atque cælestium carminum, non Syrenum blanda voce seu lenocinijs, sed cantu Dauidico, ac modulatione superna, harmoniā intonet, vocem musicam, ac melodicum sonūm reddat, & cæleste, diuinumque concentum edat.

3 Et certè, si candida atque canora illa auis, vt senectutis mærores & mortis amarores soletur ac tēperet, dulci vtitur harmonia, lætoque defatigata cantu expirat. Et si Socrates mira illa virtutum Idea, iam senex instrui Lyra non erubuit, sciēs musicam omnium artium veluti præstantissimam, diuinis se inserere rebus: quid mihi iucundius, quidue vtilius poterat euenire, iam septuagenium emenso, atque adeo canitie asperso, quàm musicæ operam nauare, & cantus modulatione suauiter defatigari eo modo, quo Sancti in Cælo apprimè delectantur & gaudent? Sic enim & ipse hac gratia, ne dicam hac arte præstantissima, diuino ductu diuinis me inseram rebus. Rhodiginus l. 9. lection antiq. cap. 1

Chrysost. in hom super Psalm. 1.

4 Neque mihi, vt verum fatear, ignota est aurei oris doctrina, *Nihil animam aquè erigit, & alatam quoddammodo efficit, & à terra liberat, & exoluit à vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit, & vt res omnes ad hāc vitam pertinentes irrideat, vt versus modulatus, & diuinum canticum numero compositum.* Neque etiam me latent ea, quæ cum ingenti animi voluptate, & nouerat, & degustauerat, & nobis noscenda atque gustanda eructabat Augustinus, sic dulciter cum Deo loquens, sic suauiter dicens, *Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suauè sonantis Ecclesiæ cōmotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum: & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Et sanè conscius sum diuinorum effectuum, quos è cantu Regium Psaltem hausisse, Ambrosius narrat, dicens, *Sanctus enim Dauid ille, & diuinæ organum vocis, & dominici sermonis interpres, cithara cecinit spirituali. His modis gratiæ sublimē illum animum mentemque mulcebat: hoc cantu, mundi istius aspera mitigauit: hoc sonitu, sæculi dura molliuit: hoc Psalterio, terrorem mortis infregit: hac suauitate chordarum, inferna calcauit.*

Augu. lib. 9. Confess. c. 6.

Ambros. l. 2. de Iacob, & vita beata cap. 9.

5 Et quis virtutes Psalmi ignorat, quas Proclus enarrat? Ipse enim his floribus, hisque gemmis Psalmorū Coronas texit, Hymnorūque diademata contexit, *Psalmorum lyra cithara Spiritus est diuinitus inspirata. Iucundum pariter ac terribile est prophetiæ cāticum, salubre semper Psalmorum melos, quod mellifluo suo vocum concentu perturbatos sedat affectus, Psalmus namque canore modulatus, socordiam excæcat, mœrores radicitus exscindit, perturbationes quasi spongia sistit & eluit, luctus alleuat, curas medica veluti manu adimit, ingenti dolore fatigatos recreat ad compunctionem peccatores exstimulat, ad pietatem excitat, deserta velut vrbes colere facit, vrbes ipsas temperat, componit monasteria, Virginitatem dictat, mansuetudinem edocet Caritatem sancit, paupertates studiis laudibus excitat, ad patientiam exacuit, in cœlum attollit, Ecclesiam frequenti hominum conuentu opplet, Sacerdotes reddit Sanctos, dæmones fugat, futura prænuntiat, mysteria præcinit.*

Proclus orat. 2.

6 Quamuis ergo, & ipse Delphici præcepti non immemor, & meipsum ad tale onus ferendum imparem cognoscam, planeque sentiam mearum virium imbecillitatem, & sciam me perspicacis ingenij pennis non eleuari, immo plumbeo obtusæ mentis onere sic prægrauari, vt omnino mihi desint alæ columbæ ad tam altè volandum requisitæ: attamen in Domino spem reponens, & in eo fidei anchoram figens, qui linguas infantium facit esse disertas, *sunt enim bis pueri senes:* firmiter spero fore, vt his Hymnorum vocibus, his psalmodiæ modulis, hisque soliloquiorum concentibus mens mea adiuta, & penè in alteram mutata, possit de terra erigi, & alata effici, atque à peregrinatione liberata, à vinculis corporis solui, & per vim amoris resolui, præsentia item irridere, pietatisque affectu æstuans, dulces lacrymas fundere, mentem mulcendo, aspera mitigando, dura emolliendo, mortem infringendo, & inferna ipsa calcando, & ita inter Cæli arcana transferri, vt cum Apostolo digna reddatur Deo laus, & tanto dignior, quanto non dignis dare res magis digna Deo est, & cum illo repetatur, *Nostra autem conuersatio in cælis est. In terra enim ambulātes ius morisque Ciuitatis in Cælis habemus siquidem nostra Ciuitas in Cælis est.* Si enim ex Gregorio Magno, hoc totum tūc adimpletur, & tunc verificatur, cùm moramur in terris, sed corde habitamus in Cælis: non ne eorum tantùm corda in cælo morantur, qui Doctoris Gentium præcepti non immemores, illud obseruant, seruantque, *Loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes ac psallentes in cordibus vestris Domino?* Id autem ea lege implent, quam Anselmus describit, *Vt simus cantantes, id est, Deum laudantes, & de æternis exultantes, sicut Hymni & Cantici docent: & psallentes opere, sicut Psalmi suadent: & hoc in cordibus, vt sicut in*

Ad Philip. 3. 20.

Athan. in illud Profecti in Pagum.

Greg. lib. 8. mor. c. 31.

Ad Ephes. 5. 19.

Ansel. hic.

ore laudes resonant Domino, sit resonet & in cordibus. Ex hoc enim fiet, vt nostra conuersatio in cælis sit corde, dum corpore in terra peregrinamur a Domino.

7 Cum ergo tanta sit musicæ vis, vt in terra adhuc viuentes eleuet in Cælum, & mortem fortem frangat, durumque infringat infernũ: quid timebit qui musicæ instrumentis armatus mortem ipse potius aggreditur, quam ab ea ipse adoriatur? *Laconis cuiusdam non minor cura fuit de genere musices modulorum & cantionum, quàm de victu & cultu. Hae enim talis erat, vt animi vim ac spiritus excitaret, & impetum diuino afflatui similem, ad res optimè gerendas ac commodum induceret. Si quidem Lycurgus rei bellicæ studium cum musices studio copulauit, quo nimirum nimius bellandi ardor, modulatione temperatus, consonum aptumque concentum haberet* Sed quis inficiabitur pacificum Regem, pacificam harmoniã cum armorum inimico strepitu miscuisse, cùm mirabundus cecinit, *Quid videbis in Sulamite, nisi choros Castrorum?* Vel cum Aquila, *Quid videbitis in pacifica, quæ venit sicut chori castrorum?* Ambiges fortè quomodo pax bellumque conueniant? Quæ cõiunctio gladij & oleæ? Quæ vnio chori & castri? Sed dubium soluit Rupertus, simulque docet animam Hymnos canẽtem, nedum pacificam, sed belligeram esse, eamque tum ex armis, tũ ex oliuis adeo speciosam euadere, vt ex eius sẽsu, *Nihil possimus pulchrius videre, nihil possimus suauius audire, nisi choros Castrorum, id est, laudes siuè cantiones præltantium, ac prælia laudantium & cantantium, quod suauissimum, quod verè est pulcherrimum, laudando enim chori, præliantur; præliando castra, laudant.*

Ex lib. 2. Apopht. Laconum nu. 13. & 15.

Cant. 7. 1.

Aquila.

Rupert. Abbas lib. 6. in Cant.

8 Sic ergo anima & caro mea requiescet in spe, quod dum adhuc viuẽs laudat, choros ducit, Psalmos canit, Hymnos intonat, & Cantica modulatur: appropinquans ad portas mortis, & moriens, arma sumet, castra mouebit, ad prælia surget, & sonante Psalterio, immo tonante Dauidico iam cantico incepto, dæmones sit impugnatura nõ secus, ac Dauid solebat Saulis vesaniam lenire. Nec solùm, si Augustino, vt par est, præstetur fides, dæmones impugnat, & infernales hostes profligat: sed cælites spiritus inuitat, & adiutores prælij Angelos pacis vocat, *Psalmus enim dæmones fugat, & Angelos in adiutorium inuitat*. His ergo choris inhærens, his hærens castris, totius vitæ stadium à vitæ Auctore decretum, totius vitę cursum a Deo Coronatore statutum, transigam hilariter, & trãsgrediar aliger, atque meliore iam voto, & verbis lętioribus, dilatato corde, hos canẽs Hymnos, Cæli sublimia scandam, reperẽs cum Propheta, *Super excelsa mea deducet me victor, in Psalmis canentem.*

Chrysost. in Proœmio Psalmorum

Augustinus in Prologo Psalmorum.

Habacuc. 3. 19.

9 Idque, vt verum fatear, non temere sperare potest, qui Psalmos interpretatur, & qui Hymnos cantat, in quibus sæpe sæpius tituli triũphales prænotantur, *Victori*, &, *In finem*: qui enim ita victoriæ canit Hymnos, non canit ante triumphũ, sed vincens canit, & canendo triumphat, dum etiam viuens in fine victor existit. Et ecce, iam iš ipse, post tot discrimina rerum, & post tot in prolixa nauigatione exantlatos labores, fide vobis seruata, & Anno Ecclesiastico Coronato, non reperã cum Diogene, *Bono animo estote, viri Terram video*: sed, bono animo estote Lectores, Cælum video, Cæli fastigia quæro, in Cælum alas expãdo, Cælique Dauidici Versiones expendo. Sicut vir ille illustris pariter, & fidelis, cùm varias in vno corpore contexuisset Coronas, his aureis litteris emblema coronauit, *Manet vltima cælo*. Eodem fere modo, post varias à me Coronas variis ex agris collectas, & in floridum caput Anni Ecclesiastici congestas, Remanet vltima pro Dauidico Cęlo. Ad hoc ergo maximum opus, ad hunc eximium laborem, qui est ante me, nunc admoueo manus, fauẽte Deo. Ex quo, nisi spes fallat, facilis erit trãsitus in Empyreũ: de Cælo enim loquenti fas est dicere, cælites es, Nam, & loquela tua manifestum te facit. Idem, o pie Lector, vt præsaga tui boni mens prædiuinat, de te eue-

Ex lib. 3. Apopht. vbi de Diogene num. 48.

Emblema.

niet, Domino iuuante, nam si cælestia hæc audias, cælestia ista legas, & de hoc Cælo loquaris, Cæli incolam te patefacies, cælitem te pandes, Cælique portam Dauidica tibi claue aperies, quod vt tibi cælitus detur à Patre luminum, qui est in Cælis, & efficaciter peto, & ardenter desidero, & enixè expostulo. Vale.

In varias Cæli Dauidici Versiones. Preparatio I.

1 DE Cæli Dauidici conuersionibus loquuturo, & de Psalmorum versionibus verba facturo, ampla materia calamo patabatur circa translationum varietates, & earumdem Auctores: sed animus ad vtiliora intentus, quæ curiosa potius essent, quàm proficua præteribit. Religio tamen esset si id silentio obuolueremus, quod Euthymius de variis Translatoribus, & Psalmorum præcipuè memoriæ prodidit. Ait ergo, *Translatio illa facta est, tempore, quo Ptolemaus Philadelphus Regnum Aegypti administrabat. Septē enim fuere translationes veteris testamenti. Prima à Lxx. viris facta, qui Hebræi erant, & electi fuerunt, iuxta numerum Septuaginta seniorum quos elegit Moyses. Hi igitur, commemorati Regis hortatu ad hanc prouinciam designati, in vnam per omnia interpretationem conuenere. Secunda Aquila Synopensis. Hic Græcus fuit, atque è Ponto, & Ierosolymis baptizatus. Deinde cùm offensus inimicusque effectus esset quibusdam Christianis, spreto baptismate, Iudæis se adiunxit, & Scripturam transtulit sub Hadriano Imperatore, eo qui lepram passus est c.c c. & xxx. annis post translationem Lxx. Hic itaque iratus Christianis, multa peruertit. Tertiam fecit Symmachus, patria Samaritanus: qui cùm apud suos, quantum honoris optabat, non assequeretur, Iudæos adijt, & rursum circumcisus in Samaritanorum offensam, sacram interpretatus est Scripturam, sub Seuero Imperatore. Qui etiam, vt Iudæis placeret, quæcunque ad Christum pertinebant, non sanè transtulit: annis sex & quinquaginta post editionem Aquilæ. Quarta fuit Theodotionis Ephesij: qui cùm ex Marcionis hæresi esset, aliquando offensus, suis cohæreticis, propriam interpretationem edidit, sub Imperatore Commodo. Quinta certum non habet Authorem, inuenta est autem in Hierico, dolio operta, sub Caracalla Imperatore. Sexta sine authoris nomine reperta est Nicopoli, apud Actium, sub Alexandro Mammæa Imperatore. Septima prodijt à Luciano magno eremita, & martyre: qui omnibus his editionibus visis, & cum Hebraica veritate diligentissime, & magno cum labore collatis, propriam editionem nihil mancum, & nihil habentem superfluū Christianis tradidit, quæ apud Nicomediam, manu eius conscripta, reperta est in turre quadam apud Iudæos calce illita, post ipsius Luciani certamen, & post persecutionem, qua à Diocletiano, & Maximino facta est sub magno Imperatore Constantino: hac cum Lxx interpretum editione consensit, & quæ ab alijs deprauata fuerant reprobauit.*

Euthymius in Præfatio ne Psalmorum.

Si autem tacitus præteream, ac libenter, Chaldæos, Campenses, Felices, Isidoros, Pagninos, Suadenos, Tigurinos, & Vatablos, & alios multos, ac varios Translatores: præterire tamen quis poterit Hieronymi versiones? De ipso quasi de nouo Cherub Ezechielis dici potest, & iure, Quattuor facies vni, & quattuor pennæ vni. Is enim Psalmorum cælicos sonos in quattuor Psalmodiæ edidit tonos. Primo corrigēdo trāslationem Septuaginta ab alijs malè confectam: Secundò ab Hebraico fonte illos traducendo, orante Sophronio: Tertiò miscendo editionē sextam editioni Theodotionis, Paula & Eustochio flagitante: Ac demū adnotando discrepantias inter Psalterium Græcum, atque Latinum. Nonum tenet locum, sed dignitate primum, Vulgata trāslatio, quæ pro auctoritate habetur, &, si detur calamo venia, Calliopæ posset meritò comparari, nam resultat ex omnibus translationum, vel translatorū vocibus. Quod Marsilius Ficinus de Poesi in communi, sed singulari stylo philosophatur, liceat & nobis de hac Dauidica ac sacra Poesi philosophari. Is ergo sic fatur, *Cùm non*

sit

Marsilius Ficinus in argum. Io. vel de Furore Poetico.

sit à fortuna, nec ab arte poesis, à Deo, & a Musis tribuitur. Quæ nouē animæ nouem Musæ vocantur, quia dum Cælos harmonicè mouent, musicam pariunt melodiam: quæ in nouem distributa sonos, octo scilicet sphærarum tonos, & vnum omnium concentum, nouem Sirenes Deo canentes producit. Gradus autem, quibus furor ille descendit, hi sunt. Iuppiter rapit Apollinem. Apollo illuminat Musas. Musæ suscitant & exagitant lenes & insuperabiles Vatum animas. Vates inspirati, interpretes suos inspirant. Interpretes auditores mouent. Calliope Musa vox est, ex omnibus resultans sphærarum vocibus. Vrania Cæli stelliferi, per dignitatem sic dicta. Polymnia, Saturni: Terpsichore, Iouis: Clio, Martis: Melpomene, Solis: Erato Veneris: Euterpe, Mercurij: Thalia, Lunæ. Tali ergo sacro spiritu afflatus Propheta sacer, sacram hãc poesim intonuit de Cælo. Is autē sic inspiratus, interpretes suos diuersis modis inspirat: licet .n nō omnes iusti sint, possunt tamen ex hoc dicere Deo,

Matthæi 2. 22.

Nonne in nomine tuo prophetauimus? Sic ergo Thaliæ locū tenēt Septuaginta: Euterpe, Aquila: Erato, Symmachus: Melpomenæ, Theodotion: Clio, & Terpsichore incerti Authores: Polymniæ, Lucianus: Vraniæ, Hieronymus: Calliope verò ex omnibus resultans sphærarū vocibus, Vulgata, vt diximus, est editio. Ergo nouem animæ, nouem musæ dū Psalmos, quasi Cælos harmonicè mouēt, musicã pariunt melodiã, quæ in nouē distributa sonos, octò .s. sphærarū tonos, & vnū omnium concentum, nouē Syrenes Deo canentes producunt. Vnus aūt omniū concentus est Vulgata editio, de qua Conciliū Tridentinū statuit, & declarat, *Vt hæc ipsa vetus, & Vulgata editio, quę longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, pro authentica habeatur.* Reliquæ verò versiones, ceu inferiores sphærę, dū à vulgata rapiuntur, mouentur quidem ipsæ, & intonant cælicas voces, redduntque sonos, diuersos, sed nō oppositos: varios, sed non contrarios: differentes, sed non discrepantes, & tales, vt dum eorum, *Quasi in*

Cōcil. Trid. sess. 4. in Decreto de edit, & vsu Sacr. lib.

Sapien. 19 17.

organo qualitatis sonus immutatur, omnes suum sonum custodiant, & celestem, sed multis ignotam intonent harmoniam. Hanc igitur nos, non sine Deo Duce, omnium patentem oculis, & omnium auribus claram, humili nostro calamo omni conatu tentabimus exponere, totisquè viribus tradere cōtendemus.

2 In hoc ergo Dauidico Cœlo, quod fortè insinuabat Isaias dicens, *Complicabitur cælum sicut liber*: sicut loco primi motoris admirandus est Dauid: ita primi mobilis conuersio, Vulgatæ editionis versio æstimanda est. Aliorum autem versiones æstimandæ sunt vt sphæræ inferiores: Vbi quot sunt Translatores, tot adsunt intelligentiæ motrices: quot versiculi, tot circuli: quot explanationes, tot constellationes: quot sensus diuersi, tot radij diuisi: quot Patres tot Planetæ: quot Doctores, tot Stellæ: quot sententiæ, tot astra: quot affectus, tot motus: & vt breuibus dicam verbis, quot quis leget conceptus, tot audiet Cæli concentus. Nouum opus, sed difficile: difficile, sed pulchrum: pulchrum sed non inutile, Adagium enim est, Difficilia quæ pulchra. Pulchrum autem, & bonum est & vtile. Difficilis quidem æstimabitur melodia, & senili voci, & spiritui deficienti, ac dexteræ trementi, & calamo rudi. At si harmoniæ sacræ principiū ex Rhodigino, *Numinis est afflatus*: omnia quidem ille facilia redderet, *Qui scientiam habet vocis*: vel, vt Ceruantes legit, & explicat, *Scientiam habet vocalem, Quia illo magistro ducimur, illo Duce docemur, ad laudes Dei concinnandas ad Hymnos Domini concinendos.* Tanto igitur fretus Doctore, tali adiutus Ductore, in tali gymnasio instructus, & à tali Legifero edoctus, opus aggrediar. Omnia enim possū in eo, qui me confortat, meque firma spe munit, quòd idem Spiritus, qui ornauit cœlos, docens quid postulandum, dicens quid loquendū, dictabit etiam quid sit vtiliter scribendum. A tali ergo Præceptore doctus, lubens ingredior viam: à tali auspice instructus, libens aggredior opus: à tali Ductore adductus, & le-

Isa. 33. 4. ex Septuaginta

Adagium.

Rhodiginus antiq. lect. lib. 9. circa med.

Sap. 1. 7. Ceruantes hic.

ue torram,& suaue sentiam onus:& à tam liberali Principe confortatus, fiducialiter agam, & non timebo, immo firmiter sperabo præbiturũ mihi auxilium eum, qui præbuit & consilium: largiturum gloriam, qui elargitur gratiam: & benedictionem daturum legenti, qui scribenti legẽ dedit, dedit & verba, carmina, normam, & formam.

In Cęli Dauidici varias Versiones.

Pręparatio II.

Liber Psalmorum, Hebraicè תהלים *Tehillim.*

1 DE Psalmorum versionibus loquuturus, & vtilitates eorum, & commoda descripturus, vnde potius incipiam, quàm ex Chrysologi verbis ignoro. Cum ipso ergo asseram, *Populis populariter est loquendum, communio compellenda est sermone communi: omnibus necessaria dicenda sunt, more omnium: naturalis lingua, cara simplicibus, doctis dulcis, docens loquatur omnibus profutura: ergo imperito verbo veniam dent periti*. Sicut ergo artifex mater natura, quasi ex lilijs mixtis rosis, ex varietate speciosior fit, & ex varia concinnitate pulchrior euadit: & sicut ars illius æmula, vel si musica sit, vnisonas voces semper eodem ductas tenore, nec numeris distinctas, aut sonis variatas auersatur: & si oratoria sit, coloribus minimè variegatas locutiones, nec discretas luminibus, aut figuris refertas, refugit & execratur: miscet autẽ in musica varias voces, & in oratoria per varietatis gratiam, per colorum diuersitatem, per imparia lumina, per non pares figuras, perquè oppositas tropos, orationem maiori varietate exornat: sicque magis magisque delectabilẽ intonat harmoniã: ita Auctor naturæ, artisque inuentor, Qui dedit carmina in nocte; Scripturas tradens, in quibus ipse laudatur, non oratoriam tantùm artem Prophetis inspirare dignatus est, sed & harmonicã: nec solùm soluta, sed ligata etiã numeris oratione voluit diuinas laudes concinnari. Sed prosa communis est reliquis, In harmonico verò cantu, Hymnorumque concentu præcipuus est Rex Prophetarum, qui ad delicias cordis sui pulcherrimam edit Psalmorum symphoniam, in qua per organi plãctũ, clamorem efficit, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam, sumit Psalmum, Tympanum tangit, pulsat Psalterium, sicque facit placitura Deo Cymbala personare. Hinc iure optime de eius gloria singulari testatus est Augustinus, *Amauit ille vir sanctus musicam piam & in ea studia nos magis ipse, quàm alius Auctor accendit*.

Chrysologus serm. 43 de orat. ieiu. & eleemosyna.

Augustinus epist. 231.

2 Id autem cælitus ita dispositũ ordinatumque videtur, vt vbi antiquitus dicebatur, *Amor musicam docet*: nunc nouiter dicatur, Musica amorem docet, Docet enim scientiam, acuitque virtutem. Sic Nyssenus, Athanasius, & sic Chrysostomus tradunt, *Hac arte cælestia nos doceri, vt & nobis met ipsis consoni, à nobis discedentes non simus, optima cogitemus pessima fugiamus, concordemus cum Deo, & plenè ac planè intelligamus quemlibet hominem, tanquam microcosmon, id est, paruum mundum ad magni similitudinem, ex quadam harmonia fuisse compositum*.

Adagium.

Nyss. tract. in psal. c. 3. Athanas. de interp. Psalm. ad Marcellum. Chrysost. hom. 3. de pœniten.

3 Nec tuba Psalmi virtutem tãtùm docet, sed & militantibus virtutem quoque largitur, ostendit & disciplinam. Vnde Chrysologus; *Qui sine tuba dimicat, miles non est, ferit ur furore, non prælio: virtute non agit sed periculo: quærit perire, non vincere. Hæc diximus vt Christi miles intelligat, cælestis quare promissa sit cantilena, constituti in campo sæculi pugnã cum diabolo, & cum vitijs sustinemus. Quoties ergo nobis intonat propheticus clangor, toties nos in pace cautos, & in acie fortes, & in prælio reddit inuictos*. Hæc ille.

Chrysolog. hom. 14. in Psalm. 40.

4 Et verè exitus probauit virtutem, Etenim citharæ cantilena, & diabolum vincit, & canentem reddit inuinctum. Sic, inuinctus Dauid cantu diabolum expulit de gremio

exe-

Saulis, & eiecit de domo, ac patria exemit. Hinc Chrysostomus, vt talē audiamus magistrum, ac talem, vt sequamur ducem, taleque imitemur exemplar, sic nos & docet, & monet. *Opus itaque nobis Dauidica citbara, vt anima diuina carmina, tū à Propheta, tum bonis actionibus desumpta concinamus, horum vtrouis modo egerimus, vel Dauidico Cantico occupato, vel optimis institis facinoribus, non secus dæmonem impugnabimus, ac Dauid solebat Saulis vesaniam lenire, eritque huiusmodi nobis ad iustitiam medela.* Malum enim idem, eadem medicina curabitur. Nam si uerum est, quod idem Patriarcha Constantinopolitanus addit, *Qui vel volens delinquit: vel sponte furit, dæmon est:* quis dissentiet vmquam remedium ad vitium hoc fugiendum, ad dęmonem hunc fugandum, & profligandum, vnicum esse Dauidicum concentum, & Psaltis diuini Canticum? *Concinamus itaque anima sic se habenti, cùm alijs sacrarum litterarum scriptis tum etiam Dauidico cantu. ita vt os canendo mentem erudiat: eritque huiusmodi nobis ad iustitiam medela.* Hac ergo vtamur medicina, hac disponamur disciplina, vt hinc exoneratus animus, possit ad alta prætendere, conscendere ad virtutes atque ad ipsum pietatis Auctorem a corporis concretione penè secretus, & totus aliger effectus euolare.

Chrysost. in sermone super Dauid, Cant.

Idem ibid.

Idem ibidē

5 Ast, verum vt fatear, animus adhuc pēderet, penderet & manus, nec ille definire, nec ista conscribere posset, quidnam prius, quidue posterius in Psalmo sit. Et an dicendus esset incantus, an cantus: An mel, an melos: Et an vas, non amaris, sed amoris succis refertum ad vitiatos ac prauos humores vtiliter purgandos: an vero vas dulci liquore respersum ad pueros, vel peccatores salubriter decipiendos: nisi in Basilij Magni latam sententiam, fortè, incidissem. Tale enim is protulit in dubia lite iudicium, *Modulationem concinnam scripturæ sug logmatis mixtim Dauid inspersit, vt auribus permulctis ac delinitis melico vocum concentu, clam ac veluti aliud gentes, fineremus in animas nostras irrepere eloquiorum vtilitatem, idque pro more sapientis medici.*

Bas. in proœ. super Psal.

6 Vbi, ni fallor, videtur Cappadociæ Antistes arcum intellectus & sagittas verborū, eo direxisse, quod olim Lucretium iam legimus, cecinisse.

Nam veluti pueris absynthio tetra medentes,
Cum dare conantur, prius ora pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Librorum tenus: interea perpotet amarum
Absynthi laticem, deceptaque non capiatur:
Sed potius tali facto recreata valescat.

Lucretius libro 4.

7 Sed quid opus erat ex Lucretij mente Magni Basilij sensum interpretari, si & ipse immediatè, illum aperit luculenter, & sic explicat eleganter? *Is enim pharmacum oblaturus austeriusculū quidem auersanti cibos, nec probè concoquenti subinde oras calicis prælinit melle. In hoc sanè excogitati sunt concinni isti concentus Psalmorum, vt qui per ætatem pueri etiam dum sunt, aut certè morum maturitate nondum inesnuerunt, dum in speciem concinunt, atque modulantur re ipsa animas erudiant suas.* Eodem spiritu, ijsdemque coloribus idipsū asserebat, pingebatque Augustinus dicens, *Quoniam quidem Spiritus sanctus videns obluctantem ac resistentem ad virtutis viam humani generis animum, & ad delectationes vitæ huius magis inclinari quàm ad virtutis rectiter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ, vim sua doctrina permiscuit: vt dum suauitate carminis mulcetur auditus, diuini sermonis pariter vtilitas inseratur. secundum sapientes medicos qui siquando vsus popoicerit, austeriora medicamenta ægris offerunt mortalibus: ne æger vtilitatem præ austeritatis refugiat, & ora ac summitates poculi, quo remedium porrigunt, melle circumliniunt. Propterea ergo Psalmorum nobis per modulos apta sunt carmina, vt vel ætate puerili, vel qui adolescentes sunt moribus, quasi cantilena quadam*

Basil. ibidē.

August. in Prologo Psalmorum.

psal-

tſallentes, delectari vedeantur. Reuera enim animas elluminant ac mentem. Tam efficax eſt modulatio ad animas delectandas, paſſiones frenandas, mores emendandos, ad vitia coercenda, & ad corrigendos errores.

8 Marſilius Ficinus ex Platonis doctrina, harmoniam & nimium valere, & plurimum præualere in animum indicat, idque ſic probat, *Siquidem harmonia quadam diuina ſit animus, cæleſtique harmoniæ aliquando, vt Platonice dixerim, aſſuctus Rurſus harmonia quadam conſiſtit corpus, conflatur & ſpiritus. Præterea conſonantia vocum aerea aereum ſpiritum motu penetrans, affectumque canentis, & animum ſuum transferens, audientis affectum mouet affectu, & animum afficit animo, ſenſimque mores infudit.* Et quamuis in cæteris hominibus verum non ſit, animas aliquando cæleſti harmoniæ fuiſſe aſſuetas: quis abneget id in homine ſecundũ cor Dei nobiliori modo fuiſſe verificatum? En ipſe in Cælis degens, ac beatarum mentium choris ſe ſe immiſcens, ſicut homo inter Angelos, ita Angelus inter homines, ita canebat, *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax*. Quod vtique verum non eſset, ſi id vt homo, & non vt Angelus, immo vt Deus, dixiſſet: Nec vt in ſe, & in terra degens, ſed extra ſe, & vt raptus ad Sidera. Coloret Baſilij penicillus, quod meus adumbrauit ſtylus, meaſque vmbras ſuo lumine illuſtret, doceatque quod Dauid, *In Extaſi canens, verũ dicit, nam hiſce carnis perturbationibus euaſit ſuperior, perque illimem, ac ſinceram mentis perfectionem, ad angelicę puritatis conſcendit culmen, & ibi harmoniæ amator effectus eſt*. Vt autẽ Chryſoſtomus ſubdit, *Per Prophetã Dauid expoſuit voces melis conuenientes, per quas curari poſſint, qui in ea inciderunt, dum medicamento conuenientẽ affectionem, tamquam propriam ſibi vnoquoque aſſumente, & amplectente.*

Marſil Ficinus in argu. in dialog. 3. de Repub.

Pſal. 115. 2.

Baſilius in hom. ſup. Pſal. 115.

Chryſoſt. in altero Proœ. ſuper Pſal.

9 Verùm, vltra Chryſologus progreditur, et huius periti medici, corporis animæque medicinam cælitus prolaturi, artem pandit, ſic inquiens. *Peritus medicus, quoties vario languore defeſſis, plenam deſiderat conferre medicinam, altas aperit morborũ cauſas, latentes peſtilentiæ exponit incurſus, peſtiferas caueri commonet regiones, quamplurima remediorum genera demonſtrat, herbarum vires pandit, medicamentorum loquitur qualitates, obedientibus promittit longiſſimam ſanitatem: ſic ægros arduas, & aſperas ſuadet & perducit ad curas. Hinc eſt quod Propheta ſanctus corporis animæque medicinam cælitus prolaturus, & impietatis profũdos patefacit receſſus, opertos peccatorum nudat morbos, iniquitates oſtentat ſecretum virus, vitiorum naturas, origines delictorum, radices criminum mirabili ratione depromit.*

Petr. Chryſol ſer. 44. in Pſalm. 1.

10 Sed vt alias medicinas ex hac diuite apotheca prolatas taceam, vel omittam: quis illam pro merito extollat, quæ ex tali modulata oratione procedit, memoriæ nempe labilis ſubuentio? Mos fuit apud veteres, leges non ſoluta oratione, ſed metro aſtrictas tradere puerulis, vt & facilius illas apprehenderent, atque altius menti impreſſas, firmius retinerent. Hinc Plato præcipiebat, *Vt Odas pueri perdiſcerent, et cantitarent, quibus laudes, & vituperationes earum rerum continerentur, quas lex laudat, atque vituperat*. Hinc Strabo, & Ælianus de Cretenſibus referunt, *Iuſſiſſe filios ex liberis natos parentibus, diſcere leges cum melodia concentuuè*. Hinc & Philoſophus refert leges olim cantilenas appellatas fuiſſe, quoniam homines priuſquã litteras ſcirent, leges canerent, ne eas obliuioni mandarent, quæ hac etiam de cauſa Vòmos vocatæ ſunt. Hinc ergo & Dauid in Decachordo Pſalterio, vt Rhodiginus docet, *Ob decem legis præcepta, & diſcebat, & docebat cæleſtem hanc legis cantilenam, dicens, Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ*: Vel cum Hieronymo, & Auguſtino, *Carmina erant mihi præcepta tua*: Vel cum Theodoreto, Chryſoſtomo, & Baſilio, *Cantica erant mihi omnia præcepta tua*: Vel cũ Apollinario.

Plato lib. 2. de leg.

Strab. lib 3. pag. 147. Ælian de varia Hiſt. cap. 39.

Cæl. Rhod. lib 9 lect. Antiquar. Pſal. 118. 54. Hier hic. Auguſtin. Theodoret. Chryſoſt. Baſil. hic. Apollinar. hic.

Legum celebraui amicarum tuarum ſæpe cantum.

Le-

11 LEx si non exoleuit caritate pendere pretia rerum, tum Epigrammatario canente,

Lib 4. Epig. 29. vel 22. *Rara iuuãt, primis sic maior gratia pomis.*

Hyberna pretium sic meruere rosa.

Tum Tertulliano attestante, Hæc omnia, de raritate, & peregrinitate sola gratiam possident: tum Bernardo attestante, Rebus pretiũ raritas facit: & tũ communi Adagio testificãte, *Cara quærara*: qs poterit compendio comprehendere, quàm rarum sit Psalterium, quàm Psaltes carus? En instar solis inter planetas, & ad modum Phœnicis inter aues: sic ipse effulsit inter Prophetas, vt à summo Iudice de peregrinitate meruerit sic celebrari, *Oportuit impleri omnia, quæ scripta sũt in lege, & in Prophetis, & Psalmis de me*. Dum enim ab eo ceteris ipse præfertur, à ceteris iure separatur, & super ceteros consequenter exaltatur.

Tertullianus lib. de habit. Mul. cap. 7. Bern. Epist. 248. Adagium. Luc. 24. 46.

12 Hac lege exaltatum, hac forma eum elatum describens Ecclesiasticus, altè dicebat, *Sicut adeps separatus à carne, sic Dauid à filijs Israel*: Vel ex Græco. *Sicut adeps separatus à salutari*: Vel ex Arabico, & Syriaco, *Velut præcellentia adipis super sancto: sic præcelluit Dauid super Israel*. Sicut enim olim eleuabatur adeps ex hostia pacifica & salutari, ea in imo relicta: & sicut reliquæ illius partes, partim Sacerdoti, partim offerenri concedebantur: solus autem adeps totus cremabatur Deo, Deoque cedebat: ita & Dauid super omnes homines eleuatus fuit, totusque ac integer Deo consecratus.

Eccli. 47. 2. Græcus. Arabicus. Syrus.

13 Sed à Chrysostomo, perfectionem & excellentiam huius Dauidicæ separationis à carne, & huius propheticæ eleuationis à corpore audiamus. En ipse talẽ ac tam eximiam illam depingit, *Vt Angelis referat, & illustrem in cælo, & in terra illustrem*. At ipse dixerim nedum figuram illius, Angelorum figuræ fuisse equalem, sed longe maiorem, mirabilioremque illa extitisse. Aduocetur ad hoc Platonis philosophia cælestis, qui de Angelis, seu de Intelligentijs, sub Syrenarum nomine, ita fatur, *Octo sphærarum cœlestium* *animæ, quæ nouem animæ nouem Musæ vocantur, dum Cælos harmonicè mouent, musicam pariunt melodiam, quæ in nouem distributa sonos, octo scilicet sphærarum tonos, & vnum omnium concentum, nouem Syrenes Deo canentes producit*. Hæc quidem ille, non tamen vt eiusce doctrinæ fons & inuentor, sed tantùm, vt aquæductus, & riuulus: a lobo enim tamquam à vena hanc aquam hausit, & ex verbis à Domino è Cælo prolatis, *Cum me laudarent simul astra matutina*. Nec me fallit opinio, Nam Gregorius Venetus hoc, nedum intelligit de harmonia Stellarum, quæ mirabili concentu ex imparibus magnitudinibus, ac inæqualibus interuallis, & disparibus facultatibus, varijsque numeris, tum luminis, tum efficientiæ, quasi ex vocibus inæqualibus, sed ad harmoniam compositis, resonat: sed etiam id de Angelis interpretatur, ita dicens, *Simul enim Angeli, ipsaque cælestia corpora suas laudes vocesque gratulatorias adiungũt pra admiratione Creatoris*.

Chrysost. hom. de Dauid, & Saule. Marf. Fic. in argum. Io. seu de Furore Poet. Iob. 38. 7. Greg. Vene. in harmon. mundi Cãt. 1. Ton. 8. cap. 1.

14 Sed luculẽtius, elegantiusque communis harmoniæ gratiam expressit Ambrosius, *Laudant Angeli Dominum, Psallunt ei potestates cœlorũ, & ante ipsum initium mundi Cherubim & Seraphim cum suauitate canorę vocis suę, dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Innumera Angelorum millia assistunt, Seniores, & turba magna, sicut voces aquarum multarum, concinunt, Alleluia. Ipsum autem cœli fert expressior sermo cum quadam perpetui concentus suauitatẽ versari, vt quædam secreta natura*. Nec id ab vsu naturæ alienum videtur: quandoquidem vox missa gratiore plausu in montibus resonat, & suauiore sono reddunt ipsi, quod accipiunt. In scopulis quoque ipsis, & lapidibus reperijt natura, quod delectaret. Aliorum visus delectat aut gratiæ. Feræ ipsæ, atque aues loci amenioris, aut modulatioris vocis delectatione mulcentur. Lactentibus quoque paruulis aut seueritas terrori est, aut blanditiæ voluptati. Naturalis igitur delectatio est. Vnde & Dauid sanctus, qui aduerterat vnde homo, & qua esset fraude deceptus, Nam si

Ambros. in præf. in Ps. Dauid.

tenuisset infusam sibi a Domino æternæ illius cælestisque delectationis gratiam: nec eam sæcularibus captus amisisset illecebris, numquam tam miserabilis ærumnæ subisset iniurias, reparare eam studens, ac reformare, psallendi munere cælestis nobis instar conuersationis instituit. Etenim licet omnis Scriptura diuina Dei gratiâ spiret, præcipuè tamen dulcis Psalmorum liber.

15 Canunt ergo Stellæ, concinũt Angeli, & possent, vt Plato asserit post Pithagoram, Beatos mortales efficere, si eorum cantiones, carmina, voces, sonos, ac tonos mererentur audire. At cùm sonus & excellens, & cõtinuus, instar tonitrui magni, destruat auditum, quæ nobis vtilitas, quæ iucunditas? En ergo Dauid melior Angelis in se effe-ctus, vtiliorque nobis, *Organa cæli in terram declinauit*: immo, & *Cælum in terram inclinauit.* At Deo rebus nostris fauente, & melior nobis datus est Angelus, nempe Dauid: & meliore firmatus Orbis cælorũ, nempe Psalterium: & melior formatus sonus, qui non aures obtundit, sed acuit: non sensum deprimit, sed erigit: nec fabulosum auditui dat gaudium, sed veram infundit lætitiam, & beatum sic pronuntiat auditorẽ, *BEATVS VIR.* Melior denique nobis datus est Liber, nescio an dicã Cælorum, vel Psalmorum, Scriptũ est enim, *Complicabuntur sicut liber Cæli*: Vel ex Septuaginta, *Complicabitur cælum tamquam liber.* Nam liber iste, de quo, vt Hilarius dicit, *Omnis ad Christum Prophetia est referenda Psalmorum*: complicatus erat, & ita signatus, vt alius aperire, & soluere signacula eius, nemo posset, *Quamdiù enim*, vt Origenes docet, *non venit Deus meus, clausus erat sermo propheticus, velata lectio veteris Testamẽti. Sed nos cõuertamur ad Dominum, vt oblato volumine, dicamus. Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini speculamur.*

Iob. 38. 37. ex August. Septuagita Ad Hebr. 11. 40.

Isa. 34. 4. Septuagita.

Hilar. in claue, vel introitu in Ps.

Orig. hom. 14. in Exec.

De mira Libri Psalmorum excellentia. Preparatio III.

1 Diximus iam, pro viribus, de Psalmorum excellenti concentu, dequè dulcedine ac vtilitate Hymnorum. Reliquum est, vt de Libri huius dignitate dicamus. Multos atque diuersos dari libros, non est qui neget, idque præcipuè docet Episcopus Toletanus, qui sciens, Tria esse omnia, ad tres tantum libros omnes reuocans libros, ait, *Liber igitur alius est naturæ, alius disciplinæ alius gratiæ. Primus docet humanam æquitatem: Secundus, humanam impunitatem: Tertius, humanam & diuinam caritatem. Primus, conscientiæ & morum promittit serenitatem: Secundus, temporalium bonorum fecunditatem: Tertius, regni cælorum felicitatem. Primus, instituta naturæ: Secundus, corporeæ scita disciplinæ: Tertius, monita docuit gratiæ. Primi doctrina, honesta: Secundi, vtilis: Tertij, necessaria. Per primum, amicus honestatur: Per secundum, seruus ligatur: Per tertium, filius in hereditatem vocatur. Amicus, vt respirat gratiam: seruus, ne fugiat ad idolatriam: filius, vt spreto exilio, festinet ad patriam. Primus humanæ societatis docet honorem; Secundus humanæ fragilitatis probat timorem: Tertius, diuinitatis ministrat amorem. Primus igitur est conditionis: Secundus, correptionis. Tertius, dilectionis. Primus, est ratio animi. Secundus, lex Moysi: Tertius, Euangelium Christi. Sic humanum genus prius accipiens naturalis legis honorem, transgressor factus, incidit in timorem: demũ per gratiam, liquescens in amorem: tãdem ad pristinum rediji honorem. Horum vterque potest dici liber visionis, dum & per primum vtsumquè, intelligi diuina felicitas: & per secundum, Deitatis vnitas: & per tertium, æternitatis valet identitas. Per primum, pacis sinceritas: Per secundum, prudentia: Per tertium, pietas. Sinceritas, naturam pacificando: Prudentia, consilium legendo: Pietas, seipsum pro seruis habendo. Sunt etiam alij tres libri, quorum doctrina noscuntur in-*

Iulian. Epis. Tolet. in cõment. super Naum.

uisibilia Dei. Primus est, fabrica mundana: Secundus, conscientia humana: Tertius, prædestinatio diuina. Quis autem vel visu sic tardus est, vel sic surdus auditu, qui in hoc libro Psalmorum, omnium librorum doctrinam non videat relucentem, omnium librorum harmoniam nō audiat sic resonantem, vt omnem scientiam doceat, omnemque conferat salutarē virtutem! Habes porrò in hoc libro quidquid ad ceteros libros, vniuersamque proficuam doctrinam pertinet.

Pf.138.16. 2 Si vis librum naturæ, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Si discipli-
Psal.2.12. næ, *Apprehendite disciplinam.* Et si
Pf.83.12. gratiæ *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Si quæris humanam æquita-
Psal.48.2. tem, *Simul in vnum diues, & pauper:*
Psal.137.8 Si humanam Impunitatem, *Dominus retribuet pro me:* Et si humanā, &
Psal.86.2. diuinā caritatē, *Diligit Dominus portas Sion.* Si optas cōsciētiæ & morū
Psal.31.11 serenitatem, *Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde:* Si temporalium bonorum felicitatem, *Gloria, & diuitię in domo*
Pf.111.3. *eius:* Et si regni cælorum beatitatē,
Psal.149.5. *Exultabunt Sancti in gloria, lętabuntur in cubilibus suis.* Si cupis instituta
Psal.21.11. naturæ, *De ventre matris meæ, Deus meus es tu:* Si corporea scita discipli-
Pf.143.1. næ, *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum:* Et si monita gratię, *Dulcis & rectus Dominus,*
Psal.24.8. *propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Si desideras doctrinam hone-
Pf.36.4. stam, qua amicus honestatur, *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui:* Si vtilem, qua seruus li-
Pf.118.125. gatur, *Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.* Et si necessariam, qua filius in heredita-
Pf.118.111. tem vocatur, *Hereditate acquisiui testimonia sua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt* Si petis, vt humanæ
Psal.54.6. societatis doceat honorem, *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum* Si vt fragilitati humanæ debitum probet
Pf.138.8. timorem, *Timor & tremor venerunt super me.* Et si vis diuinitatis amorē,
Pf.30.24. *Diligite Dominum omnes sancti eius.* Si librum cupis confæderationis, *O Domine fac mecum:* Si correptionis, Psal.108.21
Correxit Orbem terræ: Si dilectionis, Pf.95.10.
Diligam te Domine fortitudo mea. Li- Psal.17.1.
brum petes fabricæ mundanæ? *Cæli* Pf.18.1. ex
enarrant: Vel Cæli scribūt gloriā Dei. Hebræo.
Librum expetes cōsciētiæ humanæ?
Mirabilis facta est scientia tua ex me: Pf.138.6. ex
idest, *ex cognitione mei.* Librū expo- Basilio.
stulas prædestinationis diuinæ? *In* Pf.138.16.
libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur. ex Cassiod.

3 Ea forma, eaque norma, qua omniū Creator formato orbe mundoque maiori exornato, ad mundi minoris fabricam direxit mentem, admouit manum, dans illi virtutem continendi omnia, & arte mirabili coniungens in illo carnem, & animam: mortale, & immortale: corpus, & spiritum: visibile, & inuisibile: eadem, ni fallor, lege, totum Scripturæ sacræ maximum Orbem, in libro Psalmorum, quasi in micro-
cosmo, summauit, *Congregans sicut* Psal.32.5.
in vtre aquas maris. Vbi visibilia inuisibilibus sunt vnita, littera, & mysteria: figuræ, & figurata: vmbræ, & lumina: verba, & sacramenta: illa pro rudibus, pro spiritualibus ista. Vt autem cum Iuliano Episcopo omnia concludam, dicam cum ip-
so, *Quemadmodum si illitteratus quis* Iulian.Epis.
apertum librum videat, figuras aspicit, Tolet.in cō-
litteras autem non cognoscit: ita stultus ment super
& animalis homo qui non percipit ea, c.1. Naum.
quæ Dei sunt, in visibilibus istis creaturis foris videt speciem sed non intelligit rationem. Qui autem spiritalis est, & omnia diiudicare potest, intus conspicit, quàm admiranda sit potētia Creatoris, quàm veneranda sapientia Artificis, quàm diligenda benignitas Præsidentis. Et ideo nemo est, cui opera Dei mirabilia non sint, dum in eis insipiens solam miratur speciem, Sapiens autem per hæc, quę foris videt profundam miratur diuinę sapientiæ rationem, Velut si in vna, eademque scriptura alter colorem, seu formationem commendet, alter vero sensum, & significationem laudet. Bonum est ergo assiduè contemplari diuina opera, & admirari sed ei, qui rerum corporalium pulchritudinem in vsum nouit vertere spiritalem. Nam & ideo Scriptura tantopere nos ad considerãda inuisibilia Dei excitat, *vt per ea, quæ pro*

foris cernimus intus ad agnitionem veritatis veniamus. Vnde Psalmista, quasi pro magno se iam hoc fecisse commemorat, & adhuc se facturum pronunciat, dicens, Memor fui dierum antiquorum, meditatus in omnibus operibus tuis & in factis manuum tuarum exercebor.

4 Hic ergo Psalmorum liber est, in quo omnes sacræ Scripturæ summantur libri, vnde, & de eo canitur,
Psal. 39. 7. *In capite libri scriptum est de me*: Vel
Aquilam — Aquilam sequentes, *In summa libri*:
hoc enim de Psalmis, vel de primo
Augustinus, — Psalmo interpretatur, Augustinus,
Ruffinus, — Ruffinus, Cassiodorus, D. Thomas,
Cassiodorus — Haimo, & alij. Hic ergo est, quem
D. Thomas, — Aquila volans in dextera Dei inspe-
Haimo. — xit, & acuto intuitu, iam vidit illu,
Apocalyps. 5. 1. — *Scriptum intus, & foris*. Quæres quid
in hac duplici scriptura significatur? In diuersis diuersa legi, & debeo
singulorum opiniones ponere. Be-
Beda. — da, & Ansbertus in eo cognoscentes
Ansbertus, — & vetus Testamentum & nouum,
vetus dicunt foris scriptum, nouum
Richardus a S. Victore. — intus per mysteriũ latuisse. Richardus, econtra, putat, intus esse scriptũ propter vetus Testamentum, vbi scientia de mysterio incarnationis occulta latet: foris per nouum, vbi
Rupertus Pannonius — aperta patet. Rupertus, & Pannonius duplicem scripturam ad duplicem sensum, nempe litteralem, &
Ioachimus — mysticum, referũt. Ioachimus æstimat, & foris esse scriptum, vt corpora instituat: & intus exaratum, vt animas informet. Aptior tamen re-
Richardus — dit Richardi interpretatio, & scriptum esse intus ad spiritualium &, perfectorum exercitationem, & foris ad simplicium & imperfectorũ eruditionem: hi enim figuras libri patentes aspiciunt, introspiciunt illi & latentes sensus.

5 At si Pygmeis non denegatur locus inter gigãtes, dicamus & nos, eumdem Dauid in libro figurari, eoque harmonico, & intus scripto, & foris & corde canente, canente simul & ore,
Eccl. 47. 10. — *De omni corde suo laudauit Dominum & dilexit eum qui fecit illum*: Vel ex Vatablo.
Vatablus — *Toto corde decantauit Creatorem suum, & amauit*. Amauit, & decãtauit, & cupidus atque zelotes, vt amaretur ab alijs,
Eccli. 47. 12. — ab alijs laudaretur, *Stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos*: Vel vt legit Vatablus, — Vatablus
Cantores constituit ante arã qui suaues sono suo cãtus redderent, carminibusque suis laudes agerent quotidie. Eodẽ modo eademque figura, qua dum alter circini pes fixus hæret in centro, & alter circumcirca obducitur, circulum format, illumque perfectissimum, & æquè hinc inde distantem: haud aliter amantis Prophetæ cordis pes in Deo fixus, qui Caritas est, alterum pedem mouet, mouet & manus, oculos agit, acuit aures, & linguam propriam, & aliorum ora commouet, mouet ad laudes Dei canẽdas, reddit sonos, intonat hymnos, & omnia ex Dei nutu & motu facillimè, sanctissimè, & felicissimè conficiens, prædicere poterat, quæ Deo, currente temporis rota, Augustinus dixit, *Cùm inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor, & labor, & erit vita mea tota plena te*. — August. lib. 10. confess. cap. 28.

Sic ergo vita Dauidica plena Deo, & cor superplenum caritate Dei, eructabat verbum bonum, cantiones edebat, reddebat sonos, ducebat choros, & ex Crysologo, *Cantu beatus Dauid oblectabat & mulcebat carum pecus in pascuis: cantu dura didicit superare bellorum: cãtu meruit ductare populos ad salutem: cantu valuit vocare gentes, reducere Iudæos. fugare dæmones. Dei filios ad supernum Patris obsequium euocare. Ad concinendos in Templo Psalmos instruxit ille quatuor millia cantorum, exercitum dicares, & vere castrorum chorum*. — Chrysologus serm. 28.

6 Hic vnus Psalmorum liber quiduis ex omnibus in se complectitur, quod vsui sit omnibus, futura certissimis præcinit Oraculis: historicam continet narrationem: leges sancit vitæ sanctius instituendæ: cuique agenda præscribit. Vtque semel omnia dicam, Liber hic omnis doctrinæ vberrimum quoddam & commune est promptuarium, sua vnius prouida ac solers cura, veluti comminiscens & excogitans, quid cuiusque nostrum saluti maximopere conducat. Vlcera etenim animarum personat, quantalibet illa vetustate occalluerint: & vulneri recens inflicto citam adfert curam.

Eius annuru exundantes ac tumultuariæ cogitationes se contrahunt & conquiescunt. Animæ siquidem vim ad iram propendentem edulcat ac præmollit Psalmus. Freno tẽperantiæ coercet eãm, quæ ad effrænem lasciuiam deuergit. Psalmus amicitiæ est conciliator, vnio dissidentium, pacis inter hostes constabiliendæ sequester est Psalmus. Vnius concentu populum cooptãs. Psalmus est profligandis dæmonibus ac depellendis, quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborũ, infantium tutelaris protectio, consistentium in ætatis flore decus & ornamentum, senum solamen, denique mundus est mulieribus exornandis appositissimus. Psalmo sequestri, & velut parario incoluntur solitudines. Forenses strepitus moderatur Psalmus ac temperat. Incipientibus eruditi primum, elementaris est institutio Psalmus, proficientibus augmentum, perfectis denique suffulciendis stabile firmamẽtum. Vox est Ecclesiæ Psalmus. Hic dies festos illustriores reddit ac perfundit gaudio.

7 Laudat Sapiens manum, Laudat & Dauidis vel calamum, vel linguam, de illa enim dicit; *Dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello*: Vel vt Græcus addit, *Dedit in dextera eius robur*: Et idẽ hoc docet, *De omni corde suo laudauit Dominum*. Vnde ex vtroque dubius pendet animus, dexteram ne prius laudet, an linguam. Sed ne alterutram lędat, neuè alterutrã premio priuet, sic linguam coronet, & dexteram circumscribat, Ex vtraque David, Ex vtroque Rex. De hoc autem Rege multo melius dici potest, quod de Stephano Battoræo inuicto Poloniæ rege Rescius scripsit, *Rex omnium sæculorum memoria, & prædicatione dignissimus. Omnium planè Regiarum, & heroicarum virtutum laudibus, & exemplis ad imitandum abundans. In Ecclesia sancta Dei, plusquàm Sacerdos. In Republica, plusquàm Rex. In exercitu plusquàm Imperator. In acie, plusquam miles. In Iudicio, plusquam Iurisconsultus. In dicendis sententijs plusquam Senator. In aduersis ferendis plusquam vir. In publica tuenda libertate, plusquam ciuis. In amicitijs colendis, plusquam amicus. In conuictu, plusquam familiaris. In venatione, plusquã Leo.* Et verè plusquàm Leo, nam & Leones occidit et vrsos necauit, &, *In omni opere dedit confessionem Sancto & Excelso in verbo gloria.* Et verè Leo mortuus mundo, viuens Deo, in cuius ore Apes, immo Rex apum Spiritus, & fauum edidit, & mella sic instillauit, vt ipsemet melliflué percantaret, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel, & fauum ori meo*; & per ea quæ Ambrosius notat, *Bene faucibus dulcia, eò quod intimis infusa visceribus gratia spiritalis fit. Fauus enim mellis sermones boni.* Hos ergo sermones, hæc mella distillans os melliferi Prophetæ, librũ Psalmorum mellifluis repleuit verbis, volumẽ Hymnorum tot melleis repleuit canticis vt qui cũ Ezechiele repetat, *Comedi illud*: Cum Ezechiele glorietur, *Et factum est in ore meo, sicut mel dulce.* Et iure, nam, & ipse hæc canens, hæc scribens, fauos meditabatur, distillabat mella, non in atramento, sed in corde calamum tingens.

Hæc autem mella, tamquam cælestia dona, quæ nõ à Sideribus inanimatis, sed à Patribus spiritu diuino refertis, in varijs eorum libris ceu in aureis fauis reperiuntur dispersa: In vnum ipse multo studio, magno sudore, lassoque labore collegi, & communi studẽs vtilitati, versionibus huius Cæli Dauidici adiũxi, & varijs eruditionibus, quasi luminibus illustraui. Vt autem à Cælo non remouerem stylum, hanc omnium expositionum collectionem, quã ex omnibus ferè Auctoribus, qui vel ex intento, vel obiter Psalmorum versiculos interpretati sunt, in modum STELLIFERÆ CORONÆ CONTEXVI. Auctores ordine Alphabetico sunt dispositi, vt quilibet possit, quemcumque inquiret, facilius reperire.

Eccli. 47. 6.
Græcus.
Ibid. ver. 10.
Rescius in vita Stephani Battoræi Poloniæ Regis.
Eccli. 47. 9.
Psal. 118. 97
Ambrosius serm. 13. in Psalm. 118. ver. 1.
Ezech. 3. 3.
Ibidem.

NOMINA AVCTORVM,
EX QVIBVS HAEC CORONA STELLIFERA EST CONTEXTA.

A

ADamus Sasbout.
Agellius.
Alcuinus.
Ambrosius.
Anglicus.
Anthiochus.
Aponius.
Aretas.
Arias Montanus.
Arnobius,
Asterius.
Athanasius.
Augustin⁹ Episc. Hipp.
Augustinus Eugub.

B

BArnabas Apostolus.
Basilius.
Beda.
Bellarminus.
Bernardus.
Bonauentura.
Brandamachius.

C

CAietanus.
Cassianus.
Casiodorus.
Ceruantes.
Chrysologus.
Chrysostomus.
Clemens Alex.
Cyprianus.
Cyrillus.

D

DAmascenus.
Didymus.
Diodorus.
Dionysius.
Drogo Episc.

E

ELias Cretensis.
Eligius Nouiom.
Ephræm Syrus.
Eusebius Cæsarien.
Eusebius Emissenus.
Euthymius.

F

FVlgentius Episc. Ruspinensis.

G

GEnebrardus
Glosa interlinearis.
Glosa ordinaria.
Gregentius.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Hyssenus.
Gregorius Papa.

H

HAimo.
Hermas.
Hesychius.
Hieronymus.
Hieronymus a S. Fide ex Iud. Christ.
Hilarius.
Hildelphonsus Archiep. Tolet.
Hugo Cardinalis.
Hugo Victorinus.

I

IAnsenius
Incognitus.
Irenæus.
Isidorus Clarius.
Iulianus Archiep. Tolet.
Iustinus Martyr.
Iustus Orgelitanus.

L

LAurentius Iustinianus.
Leo Papa.
Lorinus.
Lugdunensis Ecclesia.
Lyranus.

M

MAgister Sententiarum.

N

NIcephorus.

O

OLeaster.
Olympiodorus.
Optatus Afer Episc. Mileu.
Origenes.

P

PAgninus.
Petrus Damianus.
Philastrius.
Proclus.

R

REmigius.
Robertus de Sorbona
Rodulphus.
Rufinus.
Rupertus Abbas,

S

SCholium Hebraicum.
Serapion Episcopus.

T

TErtullianus.
Theodoretus.
Theodorus Antiochenus.
Thomas Aquinas.
Titelmanus.
Titus Bostr. Episcopus.

V

VAlerianus Monachus.
Varadutus.
Vatablus.

CAELI DAVIDICI STELLIFERA CORONA.



Psalmus Primus.

1 Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentiæ non sedit.
2 Sed in lege Domini volũtas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.
3 Et erit tãquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.
4 Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.
5 Non sic impij, non sic: sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.
6 Ideo non resurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iustorum.
7 Quoniam nouit Dominus viam iustorum: & iter impiorum peribit.

PSALMI PRIMI, VERSICVLVS PRIMVS.

Corona Stellifera in Cæli Dauidici Pſalmum Primum,

Ex varijs expoſitionibus contexta, & ex variorum Patrum, & Doctorum, atque Auctoris luminibus illuſtrata.

VERSVS PRIMVS.

Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Agellius in Pſalmum 1.


Bire in conſilio impiorum eſt, ſequi conſiliũ prauorum hominũ, eorũque monitis obtemperare. Animaduerſum eſt autem ferè ab omnibus, Prophetam illa prius expoſuiſſe, a quibus vir beatus abeſt plurimum. Deinde adiunxiſſe in quibus verſatur, Is enim ordo congruit maximè, vt prius vitia fugiamus, poſtea virtutibus operam demus. Ita prius dixit, Qui non abijt in conſilio impiorum: Deinde illa quæ perfectiora ſunt addidit, Sed in lege Domini voluntas eius: & quæ ſequuntur: iuxta illud, Declina à malo, & fac bonum. Tria porrò verba, abijt, ſtetit, ſedit, ita diſpoſita eſſe plerique volunt, vt quod ſequitur ſit ſemper priore grauius, ac peius. Nam de eo, qui per iter vitiorum ambulat, non ita deſperandum eſt, vt de illo, qui ſtat, atque perſiſtit in via peccatorum. Qui vero non ſtat modò, verùm etiam ſedet, tamquam vitijs oblectatus, is demum peſſimus, & ſpes de eo exigua eſt. Ergo in ambulante, initium praui operis indicatur: in ſtante perſeuerantia, & aſſiduitas: in ſedente, vitioſa in malefactis oblectatio, ac voluptas. Hæc ille. Addamus, & nos, quòd ſicut Bernardus regulam illam ſectatus, Contrariorum eadem eſt diſciplina: ſuperbiæ, & humilitatis duodecim gradus aſcenſus, & totidem deſcenſus præſcribit: ita & Dauid gradus ſuperbiæ omnes, vnde apoſtatandi a Deo omne ſumitur initium, & gradus humilitatis omnes, ex qua Deo adhærendi datur exordium, ad tres tãtummodo reuocauit gradus, immo tribus ſolummodo verbis Beatum a damnato diſcreuit. Nam iſte à Deo abit, & in malo ſtat, & ſedet: ille non abit à Deo, & in malo non ſtat, nec ſedet, Talis erat & ſcala, vbi Iacob vidit Angelos aſcendentes, & deſcendentes, in qua ex Ruperto, *A nobis nil aliud intelligitur per aſcenſum illum, & deſcenſum, niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere*, Per ſuperbiam enim homo deſcendit à Cælo, per humilitatem homo eleuatur in Cælum.

Auctor. Bernardo de gradibus humil.

primo de cælo & nu. t. c. 19.

Rupertus Ab. lib. 7. de oper. Trin. in Geneſ. c. 21.

2 Beatus vir. *Poſſumus dicere tres eſſe ſpecies peccatorum, quas hic putamus expreſſas, cogitationis, operationis, permanſionis. Beatus ergo eſt, qui non cogitauerit, quod fuit erroris: vel in ea cogitatione non ſteterit: vel certè non perſeuerauerit in ijs cogitationibus, quas plenas erroris aduerterit.* Idem enim videre mihi videor ſeruandum eſſe inter mentẽ & cogitationem, quod inter manum & ignitum carbonẽ: vtraque enim in eadem eſt naui, ſi vel carbonem, vel cogitatum tan-

Ambroſius in enarratione ſuper Pſalm.

Auctor.

gat:

gat: ſi vel tactum, repentè excutiat: & ſi vel antequam excutiat, manu vel mente retineat, ſcriptũ eſt enim, *Numquid poteſt homo abſcondere ignẽ in ſinu, vt veſtimenta illius non ardeãt?*

Prou. 6. 27.

Hinc Cyprianus, *Anpuſ inda ſunt omnia nobis quæcumque igniferi fomitis ſulphurantibus flammis ſcatens fornax ebullientis carnis exaſtuat, nè vel tenuis quædam ſcintillæ ſeruata, maiora conficiet incendia.*

Cypria. lib. de ſingular. cleric.

3 Eſt ſciendum, quòd Beatus, ſecũdum Iſidorum, & Remigium, dicitur quaſi bene auctus: qui enim eſt Beatus, iam peruenit ad terminum ſui augmenti. Augentur enim electi de virtute in virtutẽ proficientes continuè, donec ſint in fine & termino quantitatis virtualis ſibi debita: & tunc ſunt Beati ſimpliciter, quaſi ſint benè aucti. Hæc ille.

Anglicus in Pſ. 1. ver. 1.

Auctor.

Nos autem ad hanc doctrinam explicandam, afferamus Philoſophi moralis documentum, qui primum ſic interrogat, *Miraris hominem ad Deum ire? Deus ad hominem venit.* Deinde huius rei ſignum afferens, ſubdit, *Nulla ſine Deõ mens bona eſt.* Vltra etiam procedit, & modum docet, quo poſſit & homo Beatus fieri, id eſt, bene auctus, & ita cõcludit, *Semina in corporibus humanis diſperſa ſunt, quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt.* Cùm ergo ſemen ſit diuinum: diuinum autem ſemen beatitudinem germinet, ille Beatus erit, qui vt bonus cultor hoc ſemen auget, & eleuat in ſublimibus.

Seneca in Epiſt. 74.

4 Beatus vir, qui in via peccatorum non ſtetit: Beatus Hebraicè אשרי aſſerim id eſt Beatitudines: peccatores autem Hebraicè, חטאים Hazaim ab errore nominati, id eſt, Errores, ſiue peccatores, quorum, quia frequentiſſima turba eſt, conſuetudinem, viam tritam ſacra diſciplina vocat. Stetit, pro pertinacia ſumitur. Hebraicè לצים Lethſim, detractores, illuſores, maledicos, inuidos, delatores. Id quod non poteſt agi ſine arbitris, & adiutoribus: vel ſaltem ſpectatoribus, ac diſcipulis. Vnde ei dicitur, *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris.*

Arias Montanus in Pſ. 1.

Auctor.

Talis errorum, & ſcandalorum magiſter fuit Balaam, qui Balac docuit, non ferro, ſed forma: non armis, ſed imbellium mulierum ſpecie, vincere armatos: id pro comperto habens, quod Origenes poſtea docturus erat, *Forma vincit armatos: Ferrum pulchritudo captiuat: vincentur ſpecie, qui non vincuntur prælio.*

Orig. hom 10. in Numeros.

Exitus rem probauit, nam, ex Chryſologo, *Scãdalum populo Iſraelitico Balaam diuinator obiecit, quando bellatoribus, non eum ferratis viris, ſed eum puellis toto lenocinio fucatis occurrit, vt arma verteret in luxum, triumphum mutaret in infamiam, & in reatu reatus deuoraret vltores: & ad ſummum prophanaret totam de turpitudine ſanctitatem. Hinc eſt, quòd eum Moyſes tali notæ ſententia, eum puniret, & Balaam, inquit diuinum occidite: quia hic miſit ſcandalum ante filios Iſrael*

Chryſolog. ſerm. 17. de ſcãdolo tollendo.

5 Primus Pſalmus, vnde ſcit beatitudinem periiſſe: inde recuperat. In conſilio impiorum abiit Adam, id eſt, in ſerpentis, & mulieris. Et nunc Adam noſter, id eſt, conſenſus noſter. Beatus erit, ſi non abierit in conſilio ſerpentis, & mulieris, id eſt, diaboli, & carnis. Aut ſi abierit, non ibi ſtet: Et ſi ſteterit, non ſedeat, id eſt non permaneat ſed memor legis Dei ibi occupet ſuam voluntatem, vt inueniat, quod perdidit Adam. iuxta fluenta legis, vt lignum vitæ immortalitatem capiens. Ita demum quæcumque facit proſperabuntur. Contra vero, iter impiorum peribit. Hæc ille.

Arnobius in Pſalm. 1.

Et ſic medicinæ regula ſeruatur, *Contraria contrariis curantur*: ſeruatur, & conſtitutio diuina, Et ſicut tunc contra virum iuſtum peccator, id eſt, ſerpens fuit, ac Satan: ita, & modo contra mortem ab eo allatã, vita eſt à ſecundo Adam illata: & contra illius malum, huius opponitur ſummum bonum Vnde adimpletur ſapientis oraculum, *Contra bonum malum eſt, contra mortem vita, contra virum iuſtum peccator. Duo, & duo, vnum contra vnum.*

Auctor.

Eccli. 33. 15

Hac ergo varietate gaudet natura, hac contrarietate congaudet & gratia, dum ex Pontificio decreto. *Quod cecidit in Adam primo, erigitur in ſecundo.*

Leo Papa.

6 Dauid tamquam Chriſti diſcipulus, & qui Chriſti typum gerit, à beatitudine doctrinæ ſumpſit exordium. Angelos autem non vocat beatos, quia

Aſterius in catena aurea

militia cælestis Dominum adorantes, impiorum consilijs non adhærent. Sed neque mulieres seorsum, neque infantes, hi enim ratione carent, mulieres vero non nominauit, quia Beatitudo non a figura, sed a sensu denominatur. Vti etiam virum non in specie, sed in sensu generoso contemplamur, nec ætate, sed pietate metimur.

Auctor.

Aduocanda est hic doctrina Philonis, qui explicans

Ierem. 3. 4. Philo Heb. lib. 2. de Cherub.

primùm verba Ieremiæ, *Amodo voca me, Pater meus, Dux virginitatis meæ tu es:* Vel, vt ipse legit, *Nonne tamquam Dominum me nominasti, & Patrem, & virum virginitatis tuæ?* ita deinde philosophatur, *Manifestissimè docens, quòd Deus est domus incorporearum idearum incorporeus locus, & vniuersarum Pater, vt qui ea genuit: & sapientia vir, semen felicitatis in vsum mortalium iacens. Ideo firmum certumque manet virginitatis, scilicet idea, quæ semper est sui similis.* Hinc est quod Dauid non Feminam mutabilem, sed Virum, beatum describit, qui stabilitate sua statum omnium bonorum congregatione perfectũ, clarius explicat, ac demõstrat apertius.

Aug. Episc. Hippon. in enarr. super Psal. 1.

7 *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum. Abijt ille, cùm recessit à Deo. Stetit, cùm delectatus est peccato. Sedit, cùm in superbia confirmatus, redire non potuit, nisi per eum liberatus, qui neque abijt in consilio impiorum, nec in via peccatorum stetit, nec in cathedra pestilentiæ sedit.*

Auctor.

Nam ex Paciani decreto,

Pacianus Episc. Barc. serm. de Baptismo.

Apud inferos vna lex fuit, vt peccatorẽ tenerẽt, Aculeus enim mortis peccatum. Persistit ergo Christus, & peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, nec tunc quidem, cum ad victimam duceretur. Hoc ergo fuit vincere, sine peccato condemnari. Diabolus enim in peccatores acceperat potestatem, quam sibi ille super immaculatum vindicauit, ac sic ipse superatus est, id decernens super iustum, quod illi per legem, quam acceperat, non licebat, vnde Propheta ad Dominum, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

August. Eugub. in Enarrat. sup. Ps. 1

8 *Beatus vir. Beatus Hebraicè dicitur* אשר *asher, ducitur à verbo* אשר *asher, direxit, ambulauit: vt designet & Græcè dicitur* ἐυδ'ιετες κατογδύντσε *Bene incedentes, feliciter tendentes. Est numerus multus semper, vera fortasse sentientibus nonnullis Hebræis, quod Felicitas, ac Beatitudo, non sit solitaria, nec vna ex re, aut virtute vna efficiatur.*

Auctor.

Non est quidem beatitas solitaria, & solitaria est. Solitaria est, quia sola est virtute contenta: & solitaria non est, quia omnes requirit, complectiturque virtutes. Hinc Philosophus moralis felicitatem reponens in virtute, & virtutem Soli cõparans, in sola virtute collocat beatitatem. Sic ergo fatur,

Seneca in Epist. 92.

Sicuti Solis vis & lux integra est, etiam inter opposita: & quamuis aliquid interiaceat, quod nos prohibeat eius aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget: vobis forsitan non æquè apparet, nec nitet: sibi eadem est, & more Solis obscuri, in occulto vim suã exercet. Ob hoc de iustis dicitur,

Matt. 13. 43.

Fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum. Vbi Remigius,

Remig. hic.

Tunc fulgebunt, & nunc fulgent: nunc ad exemplum aliorum, tunc ad laudandũ Deum, Cur autem sicut Sol in regno Patris eorum? Quia etsi exterius obducantur nubibus calamitatum, in regno tamen, de quo dicitur, Regnum Dei intra vos est: continua fulgent luce felicitatis. Omnis enim gloria eius ab intus. Vnde subdit Seneca, *Commoda sunt in vita, & incommoda, vtraque extra nos: & tam sine commodis beatissimus est, quàm non est incommodis miser.* Si hæc Seneca docet, quid Basilius dicet?

Basil. in homil. super Psal. 1.

Ipsum audite, *Rudes & amantiores mundi, dum boni eius ignorant naturam, sæpe quæ nullius sunt momẽti admirantur, & beatitudinis habent loco, vt diuitias, sanitatem, vitæ splendorem, quorum nullum ipsa sui natura æstimãdum est bonum, non solum quod facilem habeant ad res contrarias conuersionem, sed & quod possessores suos nihilo meliores reddere valeant. Quis enim ob pecuniam iustus? quis ob corporis prosperam valitudinem prudens? Contra, hæc aspicimus, nec raro, abutentibus cedere in fomitem & ministerium peccati. Beatus igitur ille, qui quæ plurimi sunt habenda, possidet, quiud eorũ particepes est, quæ nullis queunt modis conuelli, & auferri.* In hoc ergo capite,

pite, & in hac summa libri, principium, med·um, & finem felicitatis Propheta describens, pro principio statuit, Separari à commercio improborum. Pro medio, Non stare in via scelestorum. Et pro fine, Non interesse colloquijs, & factis improborum.

Barnabas Apostolus apud Clem. Alex. 2. stromatum c. 6.

9 *Beatus vir, qui non ambulauit in via impiorum, sicut pisces ambulant in tenebris in profundo. Qui enim squamas non habent, quos prohibet Moses tangere, pascuntur in profundo maris. Neque in via peccatorum stetit, sicut ij, cum Dominum videantur timere, peccant, vt porcus, esuriens enim clamat, repletus autem non agnoscit Dominum. Neque sedit super cathedram pestilentia, sicut volucres parata ad rapinam, Suasit autem Moses non vesci porco, nec Aquila, neque accipitre, neque coruo, neque quouis pisce, qui nõ habet squamas.*

Auctor.

Alludit Barnabas ad legis Mosaicæ præceptum, *Quidquid pinnulas & squamas non habet eorum quæ in aquis mouentur, & viuunt, abominabile vobis.*

Leuit. 11. 10

Sed si Legifer noster, iàm decreuit, *Non quod intrat per os coinquinat hominem*: qui poterat esus piscium animas inquinare? Sed mystica lex est, & morale præceptum, à morali Doctore sic explicatum, *Quia pisces, qui pinnulas habent, & squamas, dare saltus super aquas solent. In pinnatis ergo piscibus, electæ animæ figurantur, quæ sola in cælestis Ecclesiæ corpus trãseunt, quæ pinnulis virtutum fultæ, per cæleste desiderium saltant ad contemplationem, quamuis in se relabantur per carnis fragilitatem. Soli ergo in electorum corpus, quasi cibus electus transeunt, qui dum imis seruiunt, mentis saltibus suprema conscendunt, ne semper in profundis curarum lateant, vbi nullum amoris summi, quasi liberi aeris curam habent.* Hanc veritatis lucẽ etiam in tenebris Philosophus moralis agnouit, sic enim philosophatur, *Quid est ergo, in quo erratur, cùm omnes beatam vitam optent? Quod instrumenta eius pro ipsa habent, & illam dum petunt, fugiunt. Nam cùm summa beata vita sit solida tranquillitas, & eius inconcussa fiducia, solicitudinis colligunt causas, & per insidiosum iter vitæ non tantum ferunt sarcinas, sed trahunt. Ita longius ab effectu eius quod petunt, semper abscedunt, & quo plus operæ impendunt, feruntur retro. Quod euenit in labyrintho properantibus: ipsa illos velocitas implicat.* Sic, qui pennulis intellectus & voluntatis, & squamis fidei & caritatis, quæ instrumẽta sunt, & fido filo, vt ex cænoso, & cæco labyrintho egrediantur, & ad cælestem beatitudinem euolent, non vtuntur, immundi æstimantur: vbi & mundi, & beati sunt, qui talibus instrumentis adiuti, non abeũt in via, non stant in consilio, nec in cathedra derisorum sedent.

Matt. 15. 11.

Greg. Papa relatus a glossa ord. in c. 11. Leuitici.

Senec. epist. 44.

Basil. in ho. super Ps. 1.

10 *Beatus vir, Beatitudinis est, nihil cogitasse, aut proposito destinasse exequi, quod sit malum. Si autem per inimici insidias, impietatis consilia inieris, in peccatis noli consistere. Id autem si accidit, caue ne insideas malo.*

Auctor.

Sicut quod in profundum centrum mergitur, vltra non emergitur à centro: ita & impius cùm venerit in centrũ malorum, cõtemnit pœnitentiam, pudorem exuit, & frontem induit meretricis.

Beda in cõmentarijs Psalmorũ.

11 Beatus vir. *Praecessit quidem olim in humano genere, quidam miser & infelix, nulli imitandus tradux scilicet peccati, Adam, qui abijt in regionẽ dissimilitudinis à suo Creatore, in peccatis pluribus delectando: Et stetit, consentiendo delectationi: Et sedit, peccata sua peragendo, & exemplum posteris existendo. Affuturus est autem quidam beatus, id est, omni bono auctus, cui data est gratia Spiritus sancti sine mensura, & ideo verè imitandus Christus, sic existens vir, id est, fortis, nulli succumbens tentationi: qui* Non abijt *à Deo, sub voluntate peccati, aberrando:* Nec *stabit, consentiendo:* Nec *sedebit, alios suo exemplo peccare docendo.* Subdit autem post multa. *Regia quoque potestas, pestilentia cathedra dici potest, per quam dominatio accipitur, atque mala doctrina, quoniam vtrumque multos inuoluit. Inuoluit homines ambitiosa pestis, Quis enim est homo, qui viuat, & amore dominãdi careat? Inuoluit &* Doctorem *malum doctrina mala, cuius vt* Cancer *serpit.*

Auctor.

Malus sermo, quẽ Beda Cancro æquat, & mala doctrina, quam Augustinus

lepræ cõparat. cõmunem producũt dãnabilẽ effectum, inficiũt pariter, pariterque corrumpunt: ſed tanto damnabilior eſt quàm cancer, & lepra, quanto non corpus contaminant, ſed ſpiritum maculant: neque carnem afficiunt, ſed mentem inficiũt. Auguſtini enim decretum eſt. *Falſa doctrina eſt lepra mentis*: Et Boetij affatum eſt, *Nulla res diſcipulis tam perniciosa, quàm vita magiſtri contumelioſa*. Poterat dicere, Quàm doctrina Magiſtri cõtumelioſa: ſed quia vita eſt viua doctrina, meritò vitam dixit, & non doctrinam: Nam malus homo de malo theſauro cordis ſui profert duplex malum.

Aug. ſer. 10. de ſverbis Apoſtoli. Boet. de diſcip. ſchol.

12 *In via peccatorum non ſtetit. Stare in via, hoc loco, non eſt quieſcere, & non ambulare: ſed ambulando, non recedere a via inchoata. Itaque, idem eſt non abire in conſilio impiorum, & non ſtare in via peccatorum. Sedere autem in cathedra peſtilentiæ, eſt, eſſe in conſpectu hominum peſtilentium, ſiue aſſidere peſtilentibus, & cum iis legem Domini deſpicere, quaſi nihil conducat ad beatè viuendum, ac proinde, vitijs vacare, & carnis deſideria perficere. Vox eorum deſcribitur à Malachia, vanus eſt, qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius?* Sic impij tamquam oculis intellectus orbati, pietatis emolumenta, quæ in præceptorum Dei cuſtodia reperiuntur, dum a Deo abeunt, ignorant, & perdunt.

Bellarm. in Pſal. 1.

Auctor.

Si noſſe exoptas huiuſmodi emolumenta, audi Philonem, qui explicans verba Moyſis, *Dominum Deum tuum timebis, & eum ſolum coles & adglutinaberis ad eum: petens quid ſit gluten, atque demonſtrans, illud in pietate conſiſtere, ita quærit, Quo glutine? quo? nimirum pietate ac fiducia, nam his virtutibus mortalis natura cum immortali vnitur, & coaptatur: nam & Abraham poſtquam credidit, Propinquus Deo dicitur. Sed in hoc itinere ſi quis nec laſſetur genibus, nec per ſocordiam ad vtrumuis latus aberret, incedens per viam mediam, & bonos curſores imitans, inoffensè decurret per vitæ ſtadium, moxque ad finem delatus, Coronas accipiet, ac dignæ præmia, niſi fortè non ſunt Coronæ ac præmia, non laboraſſe fruſtra ſed pertigiſſe ad prudentiæ finem arduum.* Non ergo vanus eſt, qui ſeruit Deo, nec fruſtra laborat, ſed & Coronas obtinet, ac præmia refert.

Philo Hebræus in lib. de migratione Abrahami.

13 *Beatus vir. Homo quando cognitionem ſuam ad terrena flectit, à patria in exilium vadit. Primùm per vanitatem abijt: Deinde per delectationem, ſtat: Per conſenſum ſedet: Per opus ædificat: Per ſeparationem inhabitat. Acceſſus datur ad Deum, & receſſus. Accedendi iter eſt per diem, recedendi per noctem: vnde dicitur, Ibimus in itinere trium dierum.* Recedendi *prima noctis iter, eſt per ſuperbiam: ſecunda noctis, eſt per concupiſcentiam: tertia noctis, per obſtinationem. In ſuperbia, eſt vanitas: in concupiſcentia, delectatio: in obſtinatione, conſenſus. Per vanitatem abijt. Per delectationem ſtat. Per cõſenſum ſedet. Per ſuperbiam recedens a Deo, vadit ad ſe, vt requieſcat in ſe. Per concupiſcentiam, deſcendit ſub ſe, vt requieſcat in carne. Per obſtinationẽ trahitur extra ſe.* Redeundi *ad Deum, primum eſt, ab alienis ad propria: ſecundum, à malis ad bona: tertium, à ſtudio virtutis, ad perceptionem interna & externa dulcedinis. Hi ſunt tres dies accedendi ad Deum. Tres leguntur Dei poſitiones.* Nam *dicitur requieſcere, ad iuſtificandum: ſedere, ad iudicandum: ſtare, ad adiuuãdum. De primo. Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem? De ſecundo, Cùm ſederit Filius hominis. De tertio, Stephanus vidit cælos apertos, & Filium hominis ſtantem a dextris virtutis Dei.* Beatus ergo vir, qui ſequitur Deum, ſiue quieſcentem, ſiue ſedentem, ſiue ſtantem, ſic enim finem beatitatis obtinet. Nam vt Philo philoſophatur, *Finis legis eſt, iuxta Moſem ſacratiſſimum, Sequi Deum: ſicut & alibi, dicit, Poſt Dominum Deum tuum ambulabis, ſed non motis pedibus, homini enim terra eſt pro vehiculo: Deo verò ne mundus quidem vniuerſus. Proinde per allegoriam docere videtur animã, vt ſe quatur diuina placita, quæ referuntur ad ſummi Auctoris honorem. Neuè hoc contentus, quò magis accedat*

Bona. ſuper Pſal. 1.

Auctor.

Philo Hebr. libro de migratione Abrahami.

ad

ad honestatis desiderium; hortatur vt et agglutinetur. Hæc Philo. Itaque per ea, quæ docet Apostolus, *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est:* & cùm Dominus fons beatitudinis sit: vtique vir Domino sic adhærēs, Beatus dicetur, atque Beatus erit.

1. Cor. 6. 17.

14 *Pij sunt, qui in Deum credunt, & ipsum colunt. Hic autem cultus in tribus consistit; fide, spe, & caritate, quæ sunt inuisibilia. His tribus carent impij, qui Deum non colunt; & quorum consilium est visibilia inuisibilibus, terrena cælestibus præponere. Beatus ergo est, qui non abijt: abire enim pertinet ad illos, qui leuiter possunt impelli. Et qui non stetit: scilicet, vt nec leuis sit, nec obstinatus. Et in cathedra pestilentiæ non sedit. Sedet, qui docet, exemplo suo faciens peccare alios.* Si dicere licuit Philosopho morali. *Plus ex moribus, quam ex verbis trahimur.* Quid decens erit Bernardum nos docere? Audiamus eius sententiam Cedro dignam, *Sermo quidam viuus, & efficax, exemplum est operis, facilè persuadens, quod intendimus, dum factibile probat esse, quod suademus.* E contra, piger dicitur ex effectu, qui ore tantum docet, non manu, quia & pigros, & immotos reddit Auditores. Hinc Salonius explicans verba Salomonis, *Abscondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat eam:* & Vranio quærenti, *Quis enim est tam piger, qui comedendo, vel bibendo manum ad os suum non applicet,* sic ipse respondit, *Qui abscondit manum suam sub ascella, non vult, vtique, ad aliquod opus, vel laborem, extendere illam. Ergo per pigrum designatur vnusquisque segnis & desidiosus Prædicator, qui non vult opere implere, quod dicit. Manum quippe ad os porrigit, qui studet opere implere, quod docet.*

Bern. in Paruis sermonibus ser. 55

Seneca in Epist. 6.

Bern. serm. 3. de Resur. Domini.

Salonius in mystica explicat parabol. Salom.

15 Beatitudines *viri. Non excludit mulierem, sed hominem à perfectiori sexu, in quo rationis mentisque vis præcipue viget, significat. Qui non ambulauit in consilio impiorum. Impij propriè dicuntur omnes, qui affectu, vel opere contrariantur cælesti Patri, vel Patriæ. Nā cùm pietas sit, quæ Patri ac Patriæ cultum officium exhibent, impietas pietati est contraria. Ambulare in consilio impiorum est, adhærere & operari secundum impiorum consilia, abducentia à Cælesti Patre, aut Patria. Et in via peccatorum non stetit. Via itaque peccatorū, mos consuetudinis eorum est, hominē assuescere moribus peccatorum. Et in sede derisorum non sedit. Appellatione derisorum intellige eos, qui irrident bona opera, benè operantes, imitatores Christi, & alia huiusmodi. Sunt & illi, qui post hanc vitam dicēt de sanctis, Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum. Sunt & illi, qui æstimauerunt lusum vitam nostram. Nec longe sunt ij, à quibus deridetur iusti simplicitas. Et quia derisores, despiciendo, & in risum, seù ludum ducendo ea, quæ sunt diuinæ gratiæ, inficiunt humanum genus peste infidelitatis, & auersionis à bono: ideo meritò sedes derisorum appellata est ab effectu, cathedra pestilentiæ.* Vt hanc pestiferam effugias cathedrā, Ecclesiasticus sic te hortatur, *Caue tibi à pestifero, fabricat enim mala.* Talis enim est mali faber, vt nō nisi malum machinetur, & fabricet, vt tibi maculam infamiæ perpetuam imponat.

Caietan. in Psal. 1.

Auctor.

Eccli. 11. 35

16 *Beatus vir, &c. Aliud impij, aliud peccator. Impij infideles & Idolatræ sunt & Apostatæ: peccatores sunt Christiani falsi.* Dilucidemus Cassiani vmbras, addentes illis & colores & lumina Saluiani, quibus Christiani nomen ab opere distinguit, dum ait, *Qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videtur. Nomen enim sine actu atque officio suo, nihil est.* Nam, *sicut ait quidam in scriptis suis, Quid est aliud principatus, sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus, sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque, vt ijsdem verbis etiam nos vtamur, Quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto? Sicut etiam per diuinas litteras sacer sermo testatus est, dicens, Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fatua. In nobis itaque Christianum vocabulum. quasi aureum decus est: quod si indignè vtimur, fit,*

Cassian relatus a Mag. sent. in Ps. 1

Auctor.

Saluianus Massiliensis Episc. lib. 4. de Guberna. Dei.

Prou. 11. 22.

vt sues eum ornamento esse videamur.

Chrysolog. serm. 44. in Psal. 1.

17 *Beatus vir.* Quare? *Sicut dimicaturo cùm bestijs, & grauissimorum certaminum discrimina subituro, pronunciantur antè brauia, pramia, Corona; sic Prophetam premisisse beatitudinem, vt prouocaret hominem, totam, quam post enumerat, criminum vincere feritatem.* Hæc ille,

Auctor.

& quidem bellè. Sicut enim, homo, seu animal, aut planta sine nutrimento proprio, nec augetur, nec viuit: eodem modo virtus & labor, pro cibo premium habet, pro potu mercedem: sine quibus ad labores non mouetur, ad bella non incitatur, à Coronis non allicitur, nec à spe, vt ardua sustineat, nutritur. Nã ex Cassiodoro, *Nutriūt premiorum exempla virtutes. Nec quisquam est, qui non ad morum summum nitatur ascendere, quando irremuneratum nō relinquitur, quod conscientia teste laudatur.*

Cassiod. lib. 2. Epistol.

Chrysost. in hom. super Psalm. 1.

18 *Qui vult in fine esse beatus, impiorum consilia toto animo fugiat, in via peccatorum pedem non figat: & in Cathedra pestilentia numquam sedeat. Consilium enim impiorum cadet. Piorum autem consilium est Christus, quod inuenitur, & via, & Cathedra. Via quidem, vt qua ducit ad Patrem: Cathedra autē, vt qua facit quiescere eos, qui afflicti sunt in via* Sic impletur oraculum Ieremiæ, *Ambulate in via bona, & inuenietis refrigerium animabus vestris.*

[A]uctor.

Ieremi.6.16.

Quasi diceret, vt D. Thomas docet *Inuenietis pracepti fructum* Fructus autem ōmni suauitatis specie insitum, tunc inuenitur, cùm ad Verbum incarnatum venitur, cuius infitiones Clemens Alexandrinus sic extollit, *Verbum est omnia infanti, & Pater, & Mater, & Padagogus, & Altor.* Vt Altor, lac præbet: vt Pædagogus, docet: vt *M*ater consolatur: & vt Pater, sic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, næuum filio ne relinquat: & sic iudicat, sic emēdat, vt peccanti filio det oscula, non flagella. Idem ipse Chrysostomus, ita subdit, *Beatitu do est omnium bonorum basis, & fūdamentum, & necessario in Psalmis proposita est pro Coronis, eius amatores ad victoriam praparans, vt, qui iam cupit demum adipisci, impiorum consilia toto animo fugiat, in via peccatorum pedem non figat, nec vmquam in cathedra pestilentia conquiescat; quia consilium impiorum cadet, vt ait Isaias.*

D. Tho. hic.

Clem. Alex. lib. 1. Pædagogiæ c. 6.

Chrysost. relatus in catena aurea super Ps. 1.

Idem Chrysostomus alibi ita concludit, *Et in cathedra pestilentia non sedit. Vera cathedra pestilentia, qua vendit columbas, vendit gratiam Spiritus sancti.* Multæ Cathedræ sunt vsque hodie, quæ vendūt columbas. Qui vendit columbas, non stat, non sedet: non est erectus, sed contractus est. In eo enim quod vendit gratiam Dei, contractus est, & humilis est. Sed Dominus noster, qui venit, vt saluaret quod perierat, subuertit, non eos, qui vendebant, sed cathedras vendentium: authoritatem subuertit, hominem erigit, perditum saluat. Talis ergo in Cathedra malè sedens, & malè, docens, infidelis dispensatoris pęnas luet. Luet autem eo modo, quo Chrysologus eum damnat, *Dispensator Diuini verbi, & calestis doctrina, qui ante Dominum stat iugiter, versatur inter altaria semper, neque à Dei oculis recedit vmquam, qui peccatorum causas, dolores populi suscipit, offert, ingerit preces, accipit, refert restituit impetrata, ex homine totus in Angelum substitutus, non potest nisi in ipsa Dei facie, inter sanctorum sancta peccare, vt inde sibi sumat crimen, vnde alijs veniam consueuerat reportare. Denique Nadab, & Abiud sacerdotes filij* Aaron *sacerdotis, dum contaminare externo igne altaria prasumunt, ipsius altaris consumuntur incendio: vt sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum.*

Idem Chrysost. hom. 13 in Marcum.

Auctor.

Chrysolog. serm. 26. de fideli dispēsatore.

19 *Audiui ego virum in his rebus doctum, dicentem, Esse quidem Gentes, consilium impiorum: Viam autē peccatorum, Iudaicam opinionem; Et pestilentia Cathedram, accipientem hareses. Alius autem dicebat, magis propriè, positā quidē esse primā beatitudinē in ijs, qui non sunt sceleratas secuti sententias, qua à Deo defecerunt. Secundam autem eorum, qui in lata uia manent vel eorum, qui nu-*

Clem. Alex lib. 2. strom.

triti, sunt in lege: vel etiam eorum, qui ex gentibus non sunt ducti pœnitentia. Cathedra autem pestilentiæ, & theatra fuerit, & iudicia, vbi magis sequuntur improbat, & exitiales potestates, & operum eorum societatē.

[Auctor.]

Notanda verba, quibus theatra, cathedram pestilentiæ nominauit: nec enim pestilentiæ sic corpus maculant, ac theatra spiritum fędant, & animam corrumpunt. Si ergo nemo adeo vilem æstimat corporis vitam, vt sponte locum adeat pestilentiæ morbo contaminatum: nonne fatuum te fateris, ò Christiane, dum ita paruipendis animam tuã, vt in pestifero spectaculi loco, te ingeras, nulla necessitate cogente? Hinc te Chrysostomus monet, atque deterret, *Nullus vitam suam vilem habeat, nullus vanitatibus inhæreat. Non potest duobus Dominis seruiri. Ille seruit duobus Dominis, qui die it ad Ecclesiam, nocte ad spectacula: iste duas tunicas habet, longè est à tunica illa, quæ diuidi non potest: longè est a veste nuptiali, quia illa est vestis nuptialis, quæ non habet maculam. Nam qui die pergit ad Ecclesiam, nocte ad spectacula, maculosam portat tunicam. Nullus seruus cum macula stans ad mensam Domini sui, non proijcitur, & verberibus maceratur.*

[Chrysost. hom. in Ps. 118.]

20 Quærẽs Damascenus cur Psaltes non sectatorem virtutis, sed à vitijs abstinentẽ beatum dicat? Respõdet, *Quia qui à vitijs retrahitur, virtutes amplectitur, extra vitium factus, cum virtute conformatus est. Et hoc credendum est, quod in quibus priuatio locum non habuit à natura, necesse est habitum inesse, vt erat à principio. Praexistunt enim in humana natura virtutum semina, velut quidam habitus: siquidem nihil aliud est peccatum, quàm lapsus, & aberratio a naturalibus bonis: namque à Deo conditi sumus ad bene agendum. Quapropter, quicumque conuersionem ob mala fugit, is in honesto, & bono manet.* Sic ille.

[Damasc. in Catena aurea.]

[Auctor.]

Addamus & nos, quod sicut in motu relinquitur terminus à quo, & tenditur ad terminum ad quem: ita vir, qui beatitatis formam inquirit & relinquere debet vitia, & non abire, nec stare, nec sedere cum malis. Hanc nos docet Ambrosius sanam doctrinam, dicens, *Etenim quia omnes sub peccato sumus, nõ à te exigit, quod vltra naturã est, vt peccatũ nõ facias, Quia nec vnius diei infans sine peccato, sed vt nõ maneas in peccato quadam statione diuturna. Ideo admoneris, vt desinas peccare. Fuerit adolescentioris lapsus ætatis: debet eum maturitatis emẽdare processus. Ergo in grauiora non abeas: in leuioribus non stes. Habes hoc, & in Isaia dictum à Domino, Exi à Babilone fugiens à Chaldæis. Hoc est, Etsi intrasti in confusionem vitiorum, exi, Non oportuit intrare, sed ingressus es carnis lege cogente, & captiuante te in lege peccati: exi, egredere, vt seruus exue te à seruitute graui.*

[Ambrosius in Enarratione super Psal. 1.]

21 *Et verè, quod viam peccatorũ diabolum voces, in qua, qui est, non insistat, iuxta illud, Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Nam in ea, qui non stabit, ad Deum accedet, dicentem, Ego sum via, in qua, qui ad metam currendo peruenerit, premium consequetur.*

[Didymus in Catena aurea.]

[Auctor.]

Notanda verba *Ad metam currendo peruenerit*. Cùm enim Christus sit via, & viæ dux, qui per eam currendo ducit, nam, Exultauit vt Gigas ad currẽdam viam: nisi tu, currendo sequaris, premium, nõ consequeris. Hoc totum Apostolus & concludit, & aperit, *Nescitis quod multi in stadio currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis.*

[1. Cor. 9. 24.]

Vbi Anselmus, nominũ Ethimologiam afferens, Pauli sic sensũ explicat, *Stadium, a stando nomen accipit. Brauium autem genus est palmæ, vel premium, quod currentibus proponitur: omnes currunt, sed vnus, qui currendo cæteros vincit, accipit brauium. Ideo sic currite faciendo, quæ ad cursum pertinent, nempe, credendo, sperando, desiderando, benè operando, corpus affligendo, orando, amando, & quibusque bonis studiis insistendo, vt comprehendatis illud.* Ita fiet, vt qui ad metam currendo peruenerit, premium consequatur.

[Anselm. hic]

22 *Allegoricè autem de Christo intelligitur, qui fuit Vir perfectus à*

[Diony. Carthus. in Ps. 1]

primo instanti suæ conceptionis, non ætate, sed virtute. Et Beatus, quia fuit comprehensor. E viator propter vnionem personalem cum Verbo. Non abiit in consilio impiorum, quia Tentatori non consensit. In via peccatorum non stetit, quia ab omni peccato immunis fuit. Et in cathedra pestilentiæ non sedit, nulli enim malum exẽplum dedit, nec falsa docuit. Immo fuit omnis virtutis exemplar, vt ipse ait, Ego sum lux mundi. Per hæc autem ab Adam primo parente distinguitur, qui abijt in consilio impiorum per suggestionem mulieris.

Auctor.

Sic verificatur Aristotelis effatum, *Vnum vni est contrarium*: & Vallesij commentum, *Duo aut plura non possunt esse contraria, contraria enim sunt quæ sub eodem genere, longissimè distant: non possunt autem in eodem genere plura æqualiter distare: necesse est ergo vt vnum sit, quod distet longissimè.* Talis ergo est secundus Adam longissimè distans à primo, & primi malo & morti, contrario bono ac vita se opponens.

Aristot. apud Vallesium cap. 75 de sacra philosophia

Hanc veneni, & antidoti contrarietatem, sic expressit Ecclesiasticus, *Contra malum bonum est, vnum contra vnum.*

Eccli. 33. 15

Vbi Hugo has explicans contrarietates, ita fatur. *Contra malum culpæ, bonũ est gratia: contra malum pænæ, bonũ est gloria.* Si ergo malum culpæ & pænæ ortum duxit ab Adam primo: & bonum gratiæ & gloriæ a secundo, quid mirum est, quod vnũ sit contra vnum?

Hugo Card. hic.

23 Drogo explicans verba, Acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius: ita ait, *A talibus enim Rectoribus milites eorum potestatem accipiunt nocendi, & deuorãdi pauperes, quod totum redundabit in caput eius, cuius authoritate se tuentur. Nam hæc tertia mors est, quando sedet fætens in cathedra pestilentiæ: & his motibus anima ante externam crucem, morte afficitur. Et quod miserabilius est, talibus opprobrijs, quasi pro magnis honoribus delectatur.*

Drogo Epic. de Sacr. Dom. Passionis.

Depinxit Salomon horum rebellionem, & lacrymabilem inuersionem, dicens, *Qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*: Vel vt verti potest ex Hæbreo, *Rident in re tristi, & cantant ac saltant in peruersitatibus mali.*

Auctor.

Prouer. 2. 14.

Hebræus.

Vnde quilibet eorum posset cum Nazianzeno, vel ita canere, vel sic lugere,

> *Id facio, quod mens mea damnat, & odit:*
> *Oblectorque malis, mortemque in pectore fixam,*
> *Rideo Sardonico risu.*

Gregorius Nazianzen. in Pœmate de virtute humana.

Vbi summus Theologus, vel ad morem Sardonicorum, vel ad effectum herbæ Sardonicæ arcum direxit. De Sardonicis populis hoc refert Zenodotus, *Sardone more comparatum fuisse, vt filij parentes suos, cum septuagesimum annum excesserant, Saturno sacrificarent, ridentes interim, ac mutuo se complexibus stringentes, vt eiulatum eõ pescerent.*

Zenodotus.

Non dissident ab his impij, qui non patres, sed quod est omni parente carius, animas suas dæmoni sacrificant: tamen rident, & in cachinnos soluũtur. De Sardonica herba sic loquitur Dioscorides, *In Sardone Insula nasci herbam apio similem, quæ Sardonæ nomen ab Insula sibi asciuit. Hæc vero pota vel comesta mentem adimit, in vesaniam adigit, deductisque labris in ridentiũ morem, emori tandem cogit. Hinc Risus Sardonicus.*

Dioscorides

Adagium.

Hac profecto herba exaturati videntur homines peruersi, qui cùm venenum iam inde animo conceperunt, morti proximi, rident Sardonico risu. Hinc Eusebius Emissenus expendens hæc ipsissima verba Prouerbiorum, dicebat, *Exultant in rebus pessimis, & sui perditione lætantur. similes illis, qui fortè sumentes exitiales herbarũ succos, cum risu perire dicuntur.*

Eusebius Emiss. hom. de sanctis Epiphoro, & Alexandro.

24 *Cùm Beati omnes esse natura cupiant, multi errore decepti, opes ac dignitates in corporum voluptatibus conquirendam esse arbitrantur. Merito hic Psalmus, qui Primus est, à vera beatitudine insinuata incipit.*

Eusebius Cæsariensis in catena aurea.

A beatitudine quidem incipit, & præcepta tradit ad beatitudinem consequendam, & de his præceptis cælitus datis, verificatur moralis Philosophi sententia, dicentis, *Beata vita constat ex actionibus rectis: ad actiones rectas præcepta perducũt:*

Auctor.

Seneca Epist. 95.

ergo ad beatam vitam praecepta sufficiunt. Nam & hæc ars vitæ est. Atqui ille Gubernatoris munus exercet, qui præcipit, vti mouendum sit gubernaculum, vti vela submittenda, vti secundo vento vtendum, & aduerso resistendum. Eodem modo Psaltes vitam viri instruit, vt ad beatitudinis portum ipse perueniat, docens, & non esse illi abeundum in consilio impiorum; nec in via peccatorum standum; aut in cathedra pestilentiæ sedendum.

Eusebius Emisen. in Psal. 1.

25 *Beatus vir. Singulari numero dictum est, propterea quod superioribus veteris Testamenti saeculis, paucissimi essent, qui virtute perfecta praestarent. Contraque in Euangelio Dominus numero multitudinis vsus est, cùm Beatos pauperes praedicaret, Beatos mites, caterosque similiter.* quod autem Eusebius philosophatur in abstracto, ostendamus & nos in concreto. Nam etsi oculi Domini sint super Iustos, tamen non nisi vnum illis temporibus ipse inuenit, quem Satanæ vel proponeret, vel opponeret, *Numquid considerasti seruum meum Iob?* At Aquila volans oculos in altum tollens, in noua lege & luce cum Agno regnantium, *Vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Vbi Aretas, *Cōsidera, quibus verbis ostendat, quod innumerabilis hac & omnigena magnitudo manifestans Agni eadem, ipsi quoque immolata sit.* Non dixit, *Omnimoda multitudo,* ne multitudinis nomine pretium raritate deficiente minueret: sed sciens Senecæ effatum, *Bonus vir sine Deo non est:* magnitudinem dixit, quemlibet eorum magnum demonstrās, & Synagogam deorum ex illis formatam, & integrā numerum à Deo præscriptum, & implet semen Abrahæ promissum, *Faciam te in Gentem magnam:* nam ex Philone, *Omnes amici carique Deo amantes verum Deum, & redamati ab eo, qui dignatus est, sicut indicant Oracula, propter vitam ipsorum probatissimam, communem cum eis appellationem habere, suum enim coaptauit cum illorum nominibus ex tribus compositum vocabulum sibi vendicans, hoc nomen meum aeternum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.*

Auctor.

Iob. 1. 8.

Apocal. 7. 9.

Aretas cap. 20. in cap. 7. Apocal.

Seneca Epist. 41.

Genes. 12. 2 Philo Hebræus lib. de Abrahā.

26 *Consilium impiorum, pro consilio, vel conuentu intelligendum. Viā vero peccatorum, damonem. Item cathedram pestilentia, pro doctrina non sana.* Si Pharmacopolus vel venenum amarum ęgro præbiturus, dulcibus, vt deciperet, asperGeret aromatibus: vel ita in vasibus commutaret superscriptiones, vt in vase veneni inscriberet nomen antidoti, & in pyxide fellis notaret nomen mellis: quot malorum fons esset? quot venas infirmitatum aperiret? quot pareret exitialia damna? Ita si Pharmacopolus est malus Doctor seducens populum: & si est ductor, immo seductor, qui in cathedra pestilentiæ sub superscriptionibus bonæ doctrinæ, quasi mellis & antidoti, non sanam doctrinam docet, sed fel ac venenum præbet; dum dicit bonum malum, & malum bonum; quot fontes malorum aperit, quot errorū. Hinc Salomon salutari cōsilio monet, *Vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruersè loquitur:* Vel secundum Septuaginta, *Et ab homine loquente nihil fidele:* vel cum Græco πιστὸν μηδὲν, id est, Nihil credibile. Vbi exitiale, sed occultum genus describitur poculi infidelis. Hanc damnabilem Doctorum artē Vincentius Lerinensis obseruat, *Sciunt Haretici fatores suos nulli ferè esse cito placituros, si nudi & simplices exhalentur, atque idcirco eos cœlestis eloquij, velut quodam aromate aspergunt, vt ille qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facile contemnat Oracula. Itaque faciunt, quod hi solent, qui paruulis austera quadam temperaturi pocula, prius oras melle circumliniunt, vt incauta aetas cum dulcedinem praesenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam his cura est, qui malagramina, & noxios succos medicaminum titulis praecolorant, vt nemo ferè, vbi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum.* Est enim, vt notat Hesychius, *Cathedra pestilentia, sedes falsa Doctorum.*

Euthymius in Psal. 1.

Auctor.

Prou. 1. 10. Septuaginta

Græcus.

Vincentius Lerinensis contra Hæreses comment. 1. cap. 35.

Hesychius in Psal. 1.

27 Beatus vir, *Vir ille multis mo-*

Genebra-

dus in Psal. 1.

dis Beatus, nempe in hoc mundo, & in altero: nam duplex est beatitudo, cælestis, & temporanea. Impij autem in Deum dicuntur contemptores Dei & religionis, qui Deum non colunt, vel plures colunt: quales sunt omnes auari, rapaces, & homicidæ, denique scelerati, qui non peccant per imprudentiam, sed spontè, etsi veram religionem ore profiteantur. Nec posset numisma cudi, in quo auersa pars magis à recta appareret diuersa, quàm si hinc Beatus, inde Hypocrita insculperetur. Hypocritam his coloribus dipingit Salonius, *Cuius fallax est gratia humanæ laudis, & pulchritudo vana, vel castitas, vel bona operationis: hanc enim hominibus ostendere cupit, vt laudetur ab eis.* At Beatus & gratiæ veram formam habet interius, & pulchritudinis figuram ostendit exterius. Vnde sponsa duplici titulo dicitur pulchra, & beata, *Quàm pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* Nã, Nysseno teste, *Cùm vita bona partim hominum oculis exposita sit, partim occulta, & nullius oratione explicabilis: idcirco is, qui quod nec dū factum est, videt, & abdita perspicit, testimonium perhibet personæ illi, quæ laudatur, plus esse id, quod reticetur, quàm quod extrinsecus apparet, quasi dicat, Id, quod tacitè in admirationē venit, non continetur in eo, quod hactenus celebratum est.* Sicut columba & est beatitudinis sensibile hierogryphicum, & est contra pestem vtile remedium, Valeriano referente, *Quòd si pestem vnquam debacchari expisset, nihil aliud Regibus in obsonium comparatur, quam ex columba.* Ita etiam Iustus, Beatus erit in futuro, & beatus est in præsenti, atq; contra sedem pestilentiæ est medicina pro Regibus, id est, pro iustis, singularis, & vnica.

Auctor.

Salonius in Explicat. mystica in Salom. Parabolas.

Cant. 4. 1.

Nyssenus hom. 7. in Cant.

Pier. Valerian. lib. 12. cap. de Columba.

28 *Beatus vir, cui succedunt omnia optata. Qui non abijt, contra prospera & aduersa firmus. In consilio impiorum positus, vt Adam, qui vxori consentit à diabolo deceptæ. Et in via peccatorum non stetit: in mundo in praua operatione, quæ est via ad mortem, quia natus inter peccatores, nō tenuit eum illecebra seculi, id est, noluit terrenum regnum. Et in cathedra pestilentiæ non sedit, pestilentia est morbus, qui fere omnes inuadit & amore dominandi vix caret aliquis.* Sicut à pestilentiæ contagio homo à pestifero fugiens, liberari potest: at pestilentia aeris nulla valet vel cautela, vel arte vitari, omnibus enim nocet, necarque omnes: ita dominandi amor pestis est, qua serpens infernalis, deitatem Euæ promittēs, infecit aerem, & cupidinem hanc sic communem fecit mortalibus, vt nedum Aristoteles de illa asserat, *Omnes honorem appetere:* Sed & Augustinus astruat, *Non ferè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Pestilentia enim est morbus latè peruagatus, & omnes, aut penè omnes inuoluens.* Inuoluere sæpe idem sonat ac obscurare, vnde Virgilius, *Obscuris vera inuoluens:* & homo creatus ad veram gloriam, falsa obscuratus ambitione, appetit falsam.

Glosa Interlinearis.

Auctor.

Arist. lib. 6. Topicorū.

Augustinus in Enar. super Psal. 1.

Virgilius Æneid. 6.

29 *Beatus vir. Ostenditur immunis ab omni peccato. Non sic Adam, nā abijt, cum à Deo recessit. Stetit, & cùm delectatus est peccato. Sedit, dum se excusauit, Mulier quam dedisti mihi, me seduxit. Ad similitudinem exulātium, qui dum sunt in via, facilius reuocantur: dum iam stant, difficilius: demum difficillimè, dum ibi magistri & domini effecti sunt.* Descripsit hãc malorum profunditatē mæstus Bernardi calamus, & lugens stylus, *Postquàm terribili Dei iudicio prima flagitia impunitas sequitur, experta voluptas libenter repetitur: repetita blanditur, concupiscentia reuiuiscente, sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundum malorum, trahitur captiuus tyrānidi vitiorum, vt carnalium ita voragine desideriorum absorptus: suæ rationis, diuinique timoris oblitus, Dicat insipiens in corde suo, Non est Deus. Iam indifferenter, libitis pro licitis vtitur: iam ab illicitis cogitandis, patrandis, inuestigandis, animus vel pedes non prohibentur: Sed quidquid in cor, in buccam, ad manum venerit machinatur, gerit, & operatur maleuolus: vaniloquus, & facinorosus.* O facinorū

Glosa ordinaria in Psal. 1.

Auctor.

Bernardus de gradibus humilitatis Gradu. 12.

te-

tenebrosã catenã, qua cæci mortales ad tartara demerguntur!

[Greg. 3. par. post. curæ admonit. 33.]

30 *Rectè, Beati viri expressione per Prophetam dicitur, Et in Cathedra pestilentiæ non sedit. Cathedra quippe Iudicis esse, vel Præsidentis solet. In Cathedra autem pestilentiæ sedere est, & ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in peruersi consilij cathedra sedet, qui tãta iniquitatis elatione attollitur, vt adimplere malum, etiam per consilium conetur. Et sicut assistentibus turbis Prælati sunt, qui cathedræ honore fulciuntur: ita in delicta corrũ, qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt.*

[Auctor.]

Parit autem tam mostruosum malum horribile exemplum maiorum, & malum est adeo contagiosum, vt reliqui hominum se iure facturos putent etiam mala, sequentes illorum doctrinam, vel exempla, Cicerone testante, *Quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant homines.*

[Cicero ad Caium Seu.]

Et ideo per ea, quæ Nicephorus docet, in cathedra sedere dicitur, & pestis dicitur, *Qui non solum ipse peccat, sed qui alios peccare facit.*

[Niceph. in catena aurea sup. Ps. 1.]

Vnde Bernardus gemens, conquerebatur, *Heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum.*

[Bern. ser. 1. de conuers. D. Pauli.]

Et primos eos vocat quia cæci sunt, & duces cæcorum, ac alios malo exemplo post se trahentes ambo in foueã cadunt.

[Haimo in in Ps. 1.]

31 *Reformationem Psalmus iste intendit nostram ad Christum, sicut Propheta ait, vos qui lugetis compressi miseria primi Parentis, deserentes illum veterem, ad istum accedite, qui est Beatus vir, primo contrarius. Ad similitudinem exulantis loquitur, qui à naturali loco abijt, qui cùm inuenerit, quod ei placet, non facile reuocatur, sicut priùs cùm abire incepit. Hic deinde in Cathedra, id est, in magisterio si sublimetur, minus facilè retrahitur. Ita Adã abiit, non localiter ab eo, qui vbique præsens est: sed recessit per dissimilitudinem, ad quem acceditur per similitudinem. Tunc abijt, cùm ratione postposita, Heuæ, & serpenti paruit. Stetit, cùm comedit. In cathedra sedit, cùm se occultando, & excusando de peccato, posteros suos suo exemplo excusare docuit. Cõtra vero illius inclinationem Christus Beatus dicitur, qui non abijt, id est, non recessit à Dei voluntate, cogitatione, vel consensu. Et vt maius eius meritum ostendat, ponit persuasorem impietatis. In cõsilio impiorum, persuasit enim, & diabolus, vt adoraret eum, cui non consensit. Impios vocat infideles. Peccatores vero sunt, qui in turpi vita viuunt. At ipse Christus non stetit in via peccatorum, id est, in malis operibus. In Cathedra pestilentiæ, i. est. nec verbo, nec opere studuit mala facere, nec docuit. Ex eius doctrina nulla pestis successit, ex ipso enim nulla in alios infirmitas transfit.* Hæc ille.

[Auctor.]

Et in hoc lapide lydio probatur secũdi Adã amicitia, ab amicitia hominum longè diuersa, etenim in his Adagiũ impletur, *Felix amicus nullus infelicibus: ille Beatus vir, fidelis amicus, & medicus amator, dum infelici Adam primo ita subuenit, vt abeuntem in consilio impiorum, ad piorum reuocauerit conuentum: stãti in via peccatorum, factus est via veritatis, & iustitiæ: & sedentem in Cathedra pestilentiæ, docuerit disciplinam, & æternæ vitæ viam. Hæc omnia impleuit vt verus amicus, ac medicus fidelis.*

[Adagium.]

Nã ex Chrysologo, *Christus si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nil haberet: & nisi impleslet carnis ordinẽ, carnis in illo esset otiosa susceptio.*

[Chrysolog. serm. 50. de Paralytico.]

Et iurè, nam si ex Bernardi sententia, *Homo ad laborem natus, si refugit laborem, non facit id, ad quod natus est:*

[Bern. in Declamationibus.]

Et si de Christo prædictum est, *Laborabit in æternum*: nam ex Basilij sensu, *Ille qui vera est vita & virtus, nec vllo umquam labore ea fatiscit natura, laborauit in hoc saeculo, quando fessus ex itinere, ad fontem sedebat*: vtique nisi implesset carnis ordinem, carne carnem liberãs: suscipiens infirmitates nostras, & suas nobis conferens virtutes; humana quærens, & diuina præstans: accipiens iniurias, reddens dignitates: & ferens tædia, & referens sanitates: carnis in illo esset otiosa susceptio,

[Psal. 48. 9.]

[Basil. in Ho. sup. Psal. 48]

Non enim fecisset id, ad quod natus erat.

Hesychius in Catena aurea super Psal. 1.

32 *Primum quidem oportet, vt quod attinet ad pietatem, rectè se habeat: & demum ad vitæ institutionem accommodetur. Vnde illud, Non abire, ad hoc, non stare opposuit, vt impietati, ne minimum quidem, vel obiter communicemus, & mentiri caueamus, & in peccato vtcumque per id transire contigerit, non insistamus, hoc est, immorari, aut perseuerare fugiamus. Pestes vero, arbitror, inconstantes homines & peccatores vocari, qui iustitiæ speciem concinnunt, vitium verò factis consectantur, siquidem humanitatem labefactant. Cathedra pestilentiæ est iudicium iustitiæ proditorum, Cathedra pestilentiæ est sedes falsi Doctoris. Cathedra pestilentia est hypocritarum stola, est sacerdotum hypocrisis, in qua iubet non esse sedendum.* Hęc ille, subdam, & ipse, ac tecum, o Hypocrita, sic ratiocinabor, *Si bonum est bonum esse, vt quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est malum esse, vt quid vis esse, quod non vis apparere? Melius est bonũ esse, si malũ est malum apparere: peius, malum esse, & bonum apparere.* Et quidem peius, si Chrysostomo non negatur fides, sic enim statuit, quod, *Nulla res sic exterminat bonum, quemadmodum simulatum bonum. Nam manifestum malum, quasi malum fugitur, & cauetur: malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cauetur, sed quasi bonum suscipitur, & ideo coniunctum bono, exterminat bonum.* Ergo, aut appare quod es, aut esto quod appares. Aperit autem Chrysostomus huius mali venã, quia, *Virtutis via laboriosa est prorsus, ac dura: virtutis verò simulator recusat laborem: & ideo solam sui ostentationem requirit.*

Auctor.

Chrysosto. hom. 19. in imperfecto sup. cap. 7. Matt.

Hieronym. In commẽt. sup. Ps. 1.

Auctor.

33 *Beatus, qui nõ est Iudæus, Gẽtilis, Hæreticus, & cum delusoribus nõ sedit.* Philosophus quidam de numero beatorum se falsò iactabat, ex eo, quod Græcus, non Barbarus natus erat. Fideles autem non ex eo vnde nati, sed vnde renati, beati dicuntur, & sunt. Si natiuitatis mortalium inquires exordium, pares illos inuenies, dicente Seneca, *Omnes si ad primum originem reuocentur, à dijs sunt.* Si vero secundæ natiuitatis quæras principium, illi tantum beati sunt, siue diuites, siue pauperes, siue principes, siue serui sunt, qui ex Deo nati sunt, & quibus Dei Filius dedit potestatem filios Dei fieri. Audiamus Aureum os hanc dignitatem deaurantem, *Siue sint serui, siue liberi, siue Græci, siue Barbari, siue insipientes siue sapientes, siue mulieres, siue viri siue pueri, siue senes, omnes eodem digni facti sunt honore: de quo sequitur. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, Non autem dixit, quoniam fecit eos filios Dei fieri: sed dedit eis potestatem filios Dei fieri: ostendens quoniam multo opus est studio, vt in baptismo adoptionis formatam imaginem incontaminatam semper custodiamus. Simul autem, & ostendens quoniam potestatem hanc nullus nobis auferre poterit: nisi nos ipsi auferamus. Etenim in potestate est liberi arbitrij, & gratia operatione filios Dei fieri.* Sicut de Platone asseruit Seneca, *Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit:* Sic ipse dicam, & de te, O Chrystiane, Te non accepit nobilem Religio, sed in fonte baptismi nobilem fecit, nã ex Hieronymo, *Nescit Religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit.* Quod & moralis Philosophus agnouit, & docuit, *Animus facit nobilem.*

Senec. in epist. 44.

Chrysost. relatus à D. Thoma in catena sup. cap. 1. Ioan.

Seneca in epist. 44.

Hieron. in epist. ad Celant.

Seneca ibid.

34 *Beatus, qui in impiorum consilium cunct non admiserit voluntatem, quia quæ impia sunt, vel cogitasse tam, crimen est. Et qui in via peccatorum non stetit: natura quidem in viã hanc deferente, sed ex via hac fides religione referente. Et in Cathedra pestilentiæ non sedit, non illa Moysi, sed illa cuius contagium Pilatus manus abluendo deuitat. Multos enim etiam in metu Dei constitutos, sæcularium tamen honorum ambitio corrumpit, & volunt Ecclesiæ legibus subditi, fori legibus iudicare.* Ideo Beatus dicitur vir, *Qui desierit extendere digitum*: Vel ex Cyrillo *Si abstulerit à se suffragium.* Quod idem Alexandrinus explicans, subdit,

Hilar. in Enar. sup. Ps. 1.

Auctor.

Isa. 58. 9.

Cyril. Alex. lib. 5. in Isa. Tom. 4.

dit, *Suffragium, dicit, corrumpi muneribus, & turpia lucra expetere. Dicimus enim quandoque de alijs habere manum extensam.* Tales sunt, qui in cathedra sedent, vbi suffragium dare, & digitum ac manum ad munus extendere, idem est.

Hug. Card. in Psal. 1. in morali.

35 *Moraliter hoc exponitur de viro iusto, Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum trium inimicorum nostrorum, mundi, carnis, & dæmonum. Consilium carnis, est quærere voluptates, Si præstes animæ tuæ cõcupiscẽtias suas, faciet te in gaudiũ inimicis tuis. Hoc est consilium senum contra Susannam. Per Susannam, quæ lauabat se in pomario, significatur anima fidelis, quæ in ardore pœnitentiæ se lauat. Et senes sunt caro, sensualitas, quæ dicuntur senes ab effectu. Item consilium mundi est multiplicare diuitias, spoliare innoxios, vindicare iniurias proprias, de quo Iacob, In consilium eorum non veniat anima mea. Item consilium Diaboli est appetere dignitates, A consiliario malo serua animam tuam. Et in via peccatorum non stetit, de qua loquitur, Fiat via illorũ tenebræ, & lubricum: & ex* Gregorio, *Via peccatorum tenebrosa est, & lubrica: vt scilicet per tenebras, quò ire debeant non videant: & si videant, in via, propter lubricum stare non valeant. Et in cathedra pestilentiæ non sedit. Ad litteram, pestilentia est herbarum corruptio, quæ totum gregem pascentem corrumpit, & contaminat, & significat malum exemplum, malam doctrinam, prauum iudicium. In cathedra ergo pestilentiæ sedent Prælati, Doctores falsi, Iudices iniqui, & de his tribus dicitur Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Addamus, & nos, quod armata auro ingreditur auaritia in quolibet tribunali tam fori, quàm poli, vt cum Principibus, cum Iudicibus, cum Confessarijs, & cum Concionatoribus dulce bellum moueat, non armis, sed muneribus munita, munera enim pestifera sunt, & iudicium corrumpunt. Sic corrupti sunt filij Samuelis, quibus hoc solum vitium exitium attulit, vt Damianus statuit his verbis, *Filij Samuelis nullum aliud crimen habuisse leguntur, nisi quia munera dilexerunt: & quia paterna munditiæ non sequebantur exẽplum, irrecuperabiliter amiserunt plebis Israeliticæ principatum. Et notandum, quia dum de illis scriptura dicit,* Declinauerunt *post auaritiam, acceperunt munera: protinus intulit, peruerterunt iudicium. Vicinum quippe est, atque contiguum, vt post munus acceptum, peruertatur etiã, corrupto censore, iudicium.*

Auctor.

Petrus Damianus in opusc. 34. c. 1.

36 *Beatus vir. Per hoc, quod dicit virum beatum esse, qui non abijt, nec stetit, nec sedit cum impijs, simpliciter intelligatur voluisse beatum virum esse, qui penitus ab omni abstinet malorum consortio, eo quòd omnis hominis vita peragitur eundo, stando, & sedendo. Docet ergo nec eundũ cum impijs, nec standũ, nec sedendũ cũ eis, quia nedũ qui sedit, & qui stat, sed si qui vadit cum illis, impietate inquinatur, iuxta* Ecclesiastici *Decretum, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Hæc ille. Sed si aliquis quærat, Cur potius picem afferat maculantem, quàm oleum, atramentum, vel aliud simile inquinamentum? Dicam id iure factum esse, quia pix non solùm inquinat, sed tenaciter hæret inquinato. Sic respõdet Lyranus, *Eo quod pix est magnæ adhærentiæ. Nam homines sunt proni ad appetitum indebitum propriæ excellentiæ, in quo consistit superbia, propter quod de facili adhæret homini.* Nec mirum, quod vel immundi tactus, vel consortia non munda, vel conuentus impiorum ad impietatis totum, totum ducat etiam mundum ad ruinam, nam vt Seneca docet. *Serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* Ideo statutum sic erat in veteri lege, *Anima, quæ tetigerit aliquod immundum, siue quod occisum est à bestia, aut per se mortuũ, aut quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ suæ: rea est, & delinquit.* Sed, bone Deus, quam impietatis maculam, quasque poterunt vmquam animæ, quæ spiritus

Iansen. in Psalm. 1.

Auctor.

Lyran. hic.

Seneca in lib. de Animi tranquillitate c. 7.

Leuit. 5. a.

sunt

sunt ab aliquo corporeo contactu vel defuncti hominis vel animalis, maculas contrahere, ex qua teneantur lege iubente purgari? Respondet Origenes, sub figura tactus mortui nos edoceri fugam à congressu impij, ex hoc enim humanus animus verè foedatur. Audiamus sanã doctrinam illius suis verbis ita dicentis. *Tertia est immunditiæ species, quæ it, qui mundus est, aliquid contingit immundum, qui non tam suo peccato, quàm aliena contagione polluitur, puta, si quis societur amicitijs hominis liuidi, vel iracundi, vel adulteri.* Stoici in ea erant falsa opinione, quod si homines vel pedem in limine eorum scolæ intulissent, statim inuicti laboribus, & victores omnium terrenarum rerum euadebant. At Chrysologus docet, & verum docet, quòd, qui in impiorum Synagoga vel pedem ponunt, illico impietatis reddũtur præceprores, illico malorum magistri efficiuntur, sic enim dicit, *Qui varijs disciplinis dant operam, multum temporis in illis insumunt, & vix tandem aliquando varijs exantlatis laboribus, multis peractis temporis curriculis, post longas lucubrationes, alios docturi in cathedram assurgunt. Neque omnes sine discrimine ad hoc munus assumuntur, sed illis tantum, qui plurimum valent ingenio, & alios longè superant. At verò impius, quem hoc versu depingit Dauid, vix ingressus viam, iam pro suggestu alios erudit.* Quod sic ad rem moralem trahas, & Dauidis sensum exponas, scilicet, Quicumque peccat, alios suo exẽplo in peccatum pertrahit, & statim addiscit peccare, in cathedram assurgit, vt pro suggestu alios crimina doceat. Neque ad hoc lõga temporum interualla, aut mentis acies desideratur: sed quicumque ille est, qui peccat, suo crimine in similia piacula pertrahit, auditores trahit, & spectatores. Ita Chrysologus, *Impietatem probat, qui facit amat, qui amat, non potest non docere. Hinc est, quod docens impietatem pestilentia residet in cathedra: & sermone mellito virus doctrinæ lethalis audientibus sic diffundit.*

Orig. ho. 5. in Exodum.

Auctor nouus

Chrysolog.

Petr. Chrysolog. serm. 44. in Ps. 1.

38 *Iste Psalmus de Christo exponitur. Vbi sciendum quòd mali nomine propriè solum peccatum intelligitur. Hoc autem malum, scilicet peccatum, tribus modis committitur, scilicet, voluntate, opere, & exemplo, siue consuetudine. Christus caruit omni malo. Et isti tres modi peccandi sunt figurati per illos tres mortuos, quos Christus suscitauit. Quia suscitauit vnum in domo, hoc est, peccatum latens in mente. Alium extra portam, hoc est, peccatum iam extra patens per operationem. Tertium in sepulchro, hoc est, peccatum ex consuetudine omnibus foetens per malum exemplum. Cathedra enim propriè est Doctorum, sicut thronus Regum, & tribunal Iudicum. Vocatur ergo exemplum malum cathedra pestilentiæ.* Hæc ille. Vbi aptari potest doctrina Chrysologi. Ipse explanans extrema Prodigi mala, qui patrimonium decoxit, qui lacrymabile munus suscepit, & qui miserabili seruitute, vni ciuium damnatæ regionis se subiecit, in domino diabolum recognoscit, qui impios post se trahit, qui illis præficitur, qui non ouibus, aut agnis, sed porcis, id est, impiis destinatur pascendis, ad illum enim terminum protraxit nequitiam, vt pestifero exemplo alios etiam pertrahat in ruinam. Sic enim fatur, *Quòd autem mercenarios suos mittit ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est homines criminosos fieri, nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & magistros. Et adeo in malum præualent exempla mala, vt quodam modo vim faciant, & cogant etiam bonos peragere mala.* Hoc adeo exitiale est, vt & summum bonum trahat à cælo, vt à tali violentia malorum exactione liberet bonos. Moysi Deus loquens, sic dicebat, *Vidi afflictionem populi mei in Aegipto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus: & descendi, vt liberem eum.* Si autem quæras, quinam per hos figurentur exactores adeo potentes, vt ad prædam ex eorum vngulis eripiendam, & dextera requiratur, & exquiratur præsentia Omnipotentis? In illos inijce oculos, qui pestifero ad peccandum alios pertrahunt exẽplo. Adamantiũ afferã, vt fidũ fideiussorem, ita à

Incognitus in Ps. 1.

Auctor.

Chrysolog. serm. 2. de duob. filijs.

Exod. 3. 7.

Origen. ho. 1. in Exod.

me præmissa, confirmantem, *Igitur conuocata omni gente sua, circumuenire, & circumscribere cupit in hominibus rationabilem suum, qui nunc figuraliter dicitur, Israel: & ideo præficit eis magistros operum, qui eos cogant discere opera carnis, sicut, & in Psalmis dicitur, Et admixti sunt in gentibus, & didicerunt opera eorum*. Dic mihi, Origenes, qui fieri potest, vt homo liber, cogi ad peccandum quæat? Cogi quidem non posse bene is nouerat: sed hoc modo loquendi, vim magnam pandit, qua praua exempla armantur, vt euictum hominẽ trahant sic ad peccatum, vt quodãmodo dici possint etiam natura liberum cogi, & pertrahi ad ruinam.

Isidor. Clarius sup. Ps. 1.

39 Beatus vir. *Hebraismus habet, Felicia illi. Quod vero sequitur, in consilio impiorum, vel improborum, in via peccatorum, in sede versutorum, vel derisorum: schema est, quod Congeries dicitur, dum propè idem significat. Vel certè amplificatio, dum stare plus videtur, quàm ire: & sedere, plus, quàm stare. Obseruant Hebræi omnem hominis vitam, eundo, stando, & sedendo peragi: Nam iacere, sub sessione comprehenditur. Imus, dum alicui murū stamus, dum perseueramus sedemus, dum etiam instituta profitemur, tamquam earumdem rerum magistri.*

Auctor.

Quæres cur non dixit Beatum, qui non fuerit impius, aut peccator: sed qui nõ abiit in consilio impiorum? Fortè, vt demonstraret tunc hominem esse sanctum, quando consortia fugit peccatorum. Ita diuinus Legifer de Leuitis sibi consecrandis, statuebat,

Num. 8. 13.

Leuitas separabis de medio filiorum Israel, vt sint mei Vbi iure ambiges, cùm pro canonizatione Sanctorum tot requirantur virtutes heroicæ, totque processus operum, ac miraculorum: cur hic Leuitæ ita sanctificantur, vt Deus decernat, & dicat, Sunt mei: & ad hoc tantum sufficiat, vt separati sint de medio filiorum Israel, ita vt ex Oleastro,

Oleaster in adno. s. sup. c. 8. Num.

idem sit, *Sanctificaui illos mihi, aut separaui, aut dedicaui?* Iure autẽ id fit, nã qui separatur à malis, in Catalogo scribitur Sãctorũ. Hinc August. Chananæã putabat canonizatã, & à Pontifice æterno in Sanctorũ albo descriptam, quia eã de medio Chananæorũ inuenit auulsã, vnde statuebat,

Aug. Episc. Hippon. in Enarr. sup. Psal. 44.

Euangelium sic loquitur, Ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa, clamabat. Quæ primò Canis erat apud patrem suum, & in populo suo: clamando, & veniendo ad istum Regẽ, decora facta credendo in illum, quid meruit audire? O mulier magna est fides tua: concupiuit Rex decorem tuum. Tantæ molis est separari à malis, & bonorum adhęrere Auctori.

Lorin. sup. Psal 1.

40 *Hæc tria mẽbra coaceruatim, & per cõgeriẽ accipiũt & per maiorẽ Emphasim qua significetur Beatus is, qui pęnitus abstineat ab omni malorũ societate vsuque, nec sequẽdo consilia, nec viuẽdi rõnẽ, nec doctrinã tota vita sua, quæ vita peragi solet, eundo stando sedendo sub quo contineri potest, iacendi positio: quemadmodum per ingredi, & egredi; intrare, & exire omnia humana vitæ negotia designari solent. Quare sensus videtur, Beatum esse qui siue ambulet siue stet, siue sedeat, & quidlibet agat, vitans mala, legem exequatur.*

Auctor.

Hinc est, quod Apostolus appellat Iustos luminaria mundi, quæ etsi diuidantur in stellas manentes in ordine, & in cursu suo, nunquam tamen lucere desinunt, siue mobiles sint, siue fixæ. Depingat hoc totum viuus Augustini Penicillus,

Augustin. in Enar. super Psal. 93.

Quomodo luminaria in Cęlo per diem, & per noctẽ procedunt, peragunt itinera sua, cursus certos habent, & committuntur tanta mala, nec deuiant desuper stellæ fixæ in Cęlo, agentes per tractus cælestes, quę illis pręstituit, & constituit Creator ipsarum: sic debent Sancti, si in Cælo figantur corda eorum, si non frustra audiant, & respondeant, Sursum se habere cor, si imitentur eum, qui ait, Nostra conuersatio in cælis est.

Lyranus in morali sup. Psal. 1.

41 *Beatus vir. Christus huius scripturæ principalis est magister, & sic de ipso potest exponi allegoricè Psalmus iste. Fuit enim Christus ab instanti conceptionis vir perfectus in virtutibus, & scientijs, fuit etiam beatus beatitudine claræ visionis, & perfectæ fruitionis & propterea de ipso bene dicitur, Beatus vir. Similiter, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, ideo benè subditur, Qui non abijt in consilio impiorum, quantum ad malum consen*

sum: Et in via peccatorum non stetit, quantum ad malum actum: Et in cathedra pestilentia non sedit, quia malam doctrinam Pharisaorum non approbauit, sed reprobauit. Ob hoc Gentium Doctor de Christo asserebat, *Talis nobis decebat, vt esset Pontifex, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*, demonstrans illum, nedum à grege peccatorum, nempe hominũ, segregatum: sed etiam excellentiorem candorem puritatis adeptum, quàm cælici spiritus. Vnde Primasius explicans hæc verba sic docet. *Idem ab omni peccato immunis, & à conuersatione peccatorum seperatus. In hoc enim fuit separatus quia alij homines cum peccato concipiuntur, & nascuntur, atque ab hoc sæculo cum peccato transeunt: hic autem sine peccato est conceptus & sine peccato est natus.* Est autem magis separatus ab aliis hominibus, quàm cæli à terra, cùm excelsior cælis factus sit: vnde si cæli communes mundi non sunt: ipse excelsior cælis mundissimus est.

Auctor.
Ad Hebr. 7.
Primasius hic.

42 *Beatus vir, cui omnia optata succedunt. Vir, contra prospera, & aduersa firmus. Non abijt, sicut Adam, qui consensit vxori. In via impiorum, impij sunt dæmones, Scribæ, & Pharisæi. Et in cathedra pestilentia non sedit, id est noluit terrenum Regnum, nam pestilentia dicitur à pastu, quasi pastulentia, quia pascit omnes.* Sicut ergo ex ethimologia Iuliani, *Mors dicta est à morsu, nã cùm primus humani generis parens lignũ vetitum per inobedientiam contigit, per morsum mortem incurrit*; non aliter ambitio omnibus pascitur, deuorat omnes.

Magister sẽtentiarum in Psal. 1.
Auctor.
Iulian. Archiep. Tolet. l. 1. de Orig. anim. mor. 4.

43 *Vir, Hebraicè* האיש *Haise, non est vocabulum sexus, vt femina excludatur, sed significat vtrumque sexum, vt apud Latinos. Qui non abijt, Hebræus* הלך *Halach, id est, non ambulauit, siue ingressus est, vt Heua impij serpentis consilium secuta, se, ac virum suum in extremas adduxit miserias. Impiorum Hebraicè* רשעים *Ressiaghim, quo David Kimhi eos præsertim intelligit, quos amor diuitiarum commouet, conturbatosque agitat per rapinas, furta, latrocinia, & quidquid tandem est flagitiorum.* רשע *Rasciangh enim propriè, inquietum esse significat. Et in via peccatorum non stetit. Peccatorem intelligimus, qui non infirmitate lapsus est, sed qui animo durato, & pestifera fronte pergit ad peccandum.* Cum nauis animæ peccatricis malorum mare pertransiens, à Deo abit, in consilio impiorum tendit, in via peccatorum & fixa est, & mobilis; & stat, & ambulat: si ad pestilentiæ Cathedram peruenit, atque cum animo indurato, & perstricta fronte iam sedet immobilis, columnas erigit, vbi ratio sopitur, & consuetudinis fune nauis ligatur, & ibi scribitur, Non plus vltra. Immo impius: cùm ad hoc cẽtrum peruenit, quasi plumbum: & ad hoc profundum peccatorum descenderit, quasi Lapis, in statuam vertitur, sicut vxor Lot, quæ vix retro conuersa in adamatam Sodomam dirigens oculos, irreparabili casu, in statuam salis cõuersa est. Hoc horrendum iudicium sic Philo extollit, & æquale illi ac reuersis ad vomitũ minatur supplicium, *Multis enim animabus pœnitentiam expectantibus non concessit Deus: sed tamquam ab æstu resluo obreptæ sunt retrorsum. Quemadmodum Lot vxor in saxum versa est propter adamata Sadoma, & quia ad incendium, & ad ea, in qua Deus animaduerterat, reuersa fuit.*

Matthias Farandamanius sup. Psal. 1.
Auctor.
Philo lib. 1. de Allegorijs legis.

44 *Beatus verè Dominus est, indulta est nobis huiusmodi appellatio quemadmodum & Dei nomen, Ego dixi dij estis. Complectitur etiam mulierem, quorum enim natura communis, horum opera, & premia sunt communia. Impius, qui vel Deum non colit, vel alios colit. Pestis, quia non solum ipse peccat, sed alios peccare facit.* Nonne pestilẽtiæ cathedra fuit regia potestas Ieroboam. quæ in pastulentia populi Israel versa, totam Idolatriæ vitio maculauit, totam & deleuit? Narret hoc ferreum malum aureus Chrysologi stylus, *Scandalũ molitus est Ieroboam, qui ex auro vaccas populo in Deos figmento miserabili collocauit, ne Deum viuum, ne verum templum, ne diuinam legem, ne legitimos reges, ne patrios ritus quæreret Sic populus mancipatus errori, scandalum facit iuxta Apostolum: cùm quis idolis immolata, quasi nihil noctura manducat, & in*

Nicephorus in Catena aurea sup. Ps. 1.
Auctor.
Chrysol. ser. 27. de scandalo collendo.

sen-

sentatos lapides, & ligneos Deos, qui neque sacrificare, neque polluere quid possunt, tali facto æstimant debere contemni. Sed quod ille fidei arbitratur exemplum, fit ignorantibus erroris occasio, quia non ad contemptum, sed ad cultum prouocat nescientes, & conuiuium religionis rideri facit ab inscijs, quos sciens studio derisionis absumit. Vnde bene Apostolus concludit, & aperit, & peribit infirmus in sua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.

Orig. in catena aurea.

45 *Consilium est cogitatio, & ratiocinatio malè affecta, qua mentem rebus sensibilibus illigat. Non dixit, Beatus homo, sed vir, quoniam ad prælia, decertationes, & pugnas suscipiendas hortatur. Omnino autem omnis ab actione cessatio, qualibet actione leuior, & tolerabilior est, cuiusmodi illa sunt Nō mœchaberis. Nō occides cū reliquis Illa vero, Proximos dilige: quæ habes, vendito, & da pauperibus: etsi quis ad vnū milliare abducat ad duo cum eo abies: animæ sūt adultæ, & actiones Athletarum viribus conuenientes. Ceterum, & mulieres vult mares & viriles esse*, Dantur metamorphoses veræ, dantur & fictæ: fictæ sunt, quæ à Poetis reperiuntur descriptæ: veræ, quæ à virtute, vel à vitio videntur productæ.

Auctor.

Virtus vertit molles mulieres in fortes viros: vitium conuertit fortes viros, in molles mulieres. De his dicitur, *Et erunt quasi mulieres*: idest ex Glosa ordinaria, *Imbelles, quasi mulieres*. Et iure quia mulieres molles bellum cum vitijs non adoriuntur, sed inimicis dant manus. Non sic, mulieres quæ à Bedę stylo extolluntur, *Cum triumphantibus viris & feminæ veniunt, quæ cum sæculo sexum quoque vicerunt*. Non ergo vir in mulierem imbellem mutatus, beatus dicitur: sed mulier virilis in virū mutata, & belligera simul cum viro belligero, beata prædicatur. Si enim vera est sententia Philonis, *Quod ex virtute percipimus felicitas est*: siue vir, siue mulier virtutis plantam colat, felicitatis fructum inde percipiet. Et si planta sit palmæ non percipiet fructum ex ea, nisi vincat, nec vincet nisi legitimè certauerit. Hinc Deus legē statuit, vt idem sit ministrare ei ac militare. Et vbi de Leuitis Deus præcipiebat per os Mosis, dicens, *A vigintiquinque annis. & supra ingredientur, et ministrent in tabernaculo fœderis*: ibi Oleaster, legēs, *A vigintiquinque annis egredientur ad militandum militiam, in opere tabernaculi*: ita subdit, *Sæpius mecum mirari cæpi, cur Dominus venientes ad seruitutem eius, dicat Venire ad militandum. Iuste valde hoc factum esse credēdum est. Fili, ait Ecclesiasticus, accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quis enim dicere queat, quot appositiones, obiecta, contradictiones, hodie patiantur qui piè in Christo viuere volūt? Armatus videtur orbis omnis aduersus eos, qui se Dei ministerio tradiderunt: ita vt milites, & plusquam milites, immo, & Martyres oporteat esse eos, qui ad ministeria diuina accedunt*. Ideo Beatus vir, dicitur, quia virum, virilem ac ferratum esse oportet eum, qui beatitudinis palmam per arma, & cædes inquirit.

Iere. 50. 37.
Glosa ordinaria.

Beda ser. 18 de Sanctis.

Philo in lib. Quod deterius potiori insidiari soleat.

Num. 8. 24.

Oleaster in prima adu sup. cap. 8. Num.
Oleaster in Adnot. 2. ad mores ibid.

46 *Beatus vir, qui non abijt in cōsilio impiorum, id est, Paganorum: Et in via peccatorum non stetit, id est, Iudaeorum. Et in cathedra pestilentiæ non sedit, vtique Hæreticorum. Atque hinc iam, quasi ex fontibus & materijs copiosis, diuersa semina iniquitatis humano generi affutura doceret, vt his quippe tribus malis Paganitatis, Iudaismi, & omnis Hæresis contemptis, atque dānatis sola fides vera, id est, Patris, & Filij, & Spiritus sancti ab omnibus coleretur*. Hæc ille, Tu autem obserua cælestis Medici prouidentiam singularem, quæ singulis malis, singula adhibeat medicamenta: dum vitijs opponit virtutes, & infidelitati fidē, & tria hominum genera ad mortē procliua, per Trinitatis vnicæ confessionem ad vitam eleuat Hæc mira arte à Chrysologo sunt obseruata, sic enim ait de viro beato, qui nō abijt, non stetit, non sedit, in malo, *Et plane, quia ista tria declinando, ad Trinitatis beatitudinem meruit peruenire*.

Philastrius Episc. Brix. lib. de Hæresibus cap. 78

Auctor.

Pet. Chrysologus ser. 44 in Ps. 1.

47 *Beatus vir. Olim venit quidam in mundum, sed sine viribus, ideo non fuit vir, quia incentiuis vitiorum succubuit: ideo infelix, quia abijt à lege*

Remig. in Psalm. 1.

Domini. Sed veniet quidam vir, & bene vir, quia fortis, quia insuperabilis. Beatus, quasi bene auctus, quia si alijs spiritus ad mensuram datur: in eo habitauit omnis plenitudo. Qui non abijt in consilio impiorum. Consilium omniũ impiorum est sua quęrere. nõ quæ Dei. Et in Cathedra impiorum non sedit. Quisquis ex consuetudine peccat, quasi ex necessitate peccat. & tunc alijs fit causa perditionis exemplo.

Auctor.

Qui autem alijs causa est suo exemplo perditionis, grauioris perditionis pęna mulctatur. Vnde Origenes expendens verba Domini,

Matth. 18. 6.

Qui autem scandalizauerit vnum ex istis minimis, expedit, vt suspẽdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris:

Origenes tract. 5. in Matth.

hoc statuit, *Illi quidem pro peccato suo pertulerunt vindictam: ij vero, qui eis fuerunt caussa peccandi, multo vehemẽtiori subiacent vltioni, vnde edocemur, quod longè sit grauius, alijs causam præbere peccati, quàm ipse vnumquemque peccare.*

Rodulph. in Psalm. 1.

48 *Materia huius Psalmi est bonitas Christi impiorum miseria, & æterna damnatio. Intentio ad bonum hominis allicere, iuxta posse, nos Christo conformare, & à malo per malorum finem retrahere. Adam, impius, quia peccauit in Deum: peccator, quia in se: pestilens, quia in proximum.*

Auctor.

Hoc triplex malum triplicem tramat funiculum, à Salomone contextum,

Eccl. 4. 12.

Funiculus triplex difficile rumpitur. Experientia enim, rerum magistra, nos docet, quod etsi lanea lineauè fyla seorsim sumpta, vel leui contactu disrupta diuidantur: & quòd caprarum pili ab aura vel tenui agitati soluantur: at si illos concinnes, intexas, atque funem intorquendo, connectas, vix rumpi poterit, vel aliqua vi dissolui: eadem vel gratia, vel arte, cùm facilè sit singula peccata pænitentiæ gladio dirumpere, at multa per consuetudinem contexta, difficile. Sed si difficilius esset rumpere decẽ funiculos, quàm tres: cur tres tantum dixit, non autẽ decem vel plures? Nouerat sapiens, Tria esse omnia: nouerat & peccatũ quodlibet, vel in Deum, vel in se, vel in proximum seorsim commissum, non multo labore indigere, sed subito contritionis ictu dirumpi, ac dissolui. At, qui cùm in Deum rebellis, peccat: & in se, fornicando, delinquit: & in proximum delinquendo iniurius est, adeo indissolubilem nectit funem, vt vltra nec dirumpi possit nec solui. Hinc Ioannes statuit, *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis:*

1. Ioan. 5. 16

& Bernardus decernit, non exorandum esse, sed flendum.

Bernard. de gradibus humilitatis gradu 12. de consuet. peccandi.

Sic ergo ipse ab Aquila volante petebat, *Numquid dicis, Apostole, vt quis desperet?* Et statim respondens, subdit, *Immo gemat, qui illum amat. Non præsumat orare, nec desistat plorare.* In aqua, quam ad Deum oculus stillat, funiculus hic maceratur, in lacrymis hic funis dirumpitur, & in fonte fletus vinculũ illud soluitur, quod nec dentibus cõteri, nec manu rũpi, nec põtore dissolui, Fletuque culpa soluitur.

Ruffinus in Psalm. 1.

49 *Posito per Prophetam, Nõ abijt, superfluè non superadditum est, Non stetit, & non sedit. quia ostendere intendit, quomodo primus homo peccauit, sic secundus à peccato fuit liber. Et in via peccatorum non stetit: Venit quidem in viam peccatorum nascendo sicut peccatores: sed non stetit, quia illecebra sæcularis eum non tenuit. In cathedra pestilentiæ non sedit: Noluit terrenum regnum cum superbia. Deinde considerãdus est ordo verborum, Abijt, stetit, sedit. Abijt ille qui recessit à Deo: stetit, cum delectatus est in peccato: sedit, cùm in superbia confirmatus. Redire non potuit, nisi per eum liberatus, qui neque abijt, nec stetit, nec sedit. Quisquis ergo beatè viuere studet, praua consilia summopere cauere debet, scriptum est enim, Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Praua enim opera, & exempla vitãda sunt: quia sicut exemplo bonorum, in bonis proficimus: ita malis deterioramur. Hinc Psaltes ait, Cum Sancto sanctus eris: & paulò post subdit, & cum peruerso peruerteris. Ad beatitudinem ergo scandens, prius mala caueat, postea bona sectetur. Vnde scriptum est, Declina à malo & fac bonum.*

Auctor.

Sicut omne corpus naturale ex materia constat, & forma: & omnis motus progressiuus ex recessu, & accessu: ita opus spirituale, & pœnitentiæ motus, ex recessu à malo componitur, & ac-

cessu

cessū ad bonum. Non est mea doctrina, sed Philippi Solitarij, qui explicans verba Psalmi. *Diuerte à malo, & fac bonum:* ita subnectit, *Ratio pœnitentiæ in eo est, vt à diabolo & à malo auersi, ad Deum & ad bonum conuertamur: à tenebris, ad lucem: ab ijs, quæ præter naturam, ad ea quæ secundum naturam.* Confirmat hoc ipsum Chrysostomus, explanans.n. verba, *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua:* & in lauanda facie recognoscens fugienda peccata: atque in vngendo capite, bona facienda, sic ait, *Quoniā autem omnis iustitia in his duobus cōsistit, primū, vt ne facias malum: secūdū, vt facias bonū: ad id quod pertinet fugienda peccata, dixit, Laua faciem tuam. Ad illud autem, quod pertinet ad facienda opera bona, Vnge caput tuum, & eris amabilis sicut Maria, quæ postquam conscientiam suam lacrymis pœnitentiæ lauit, postea infudit oleum super caput Christi, & impleta est domus odore. Ita & tuorum operum forma, si fuerit talis, totam implebit Ecclesiam.*

Ps. 33. 15.
Philippus Solitarius 1. Dioptre c. 11.
Matth. 6. 17.
Chrysost. in Impert. sup. Matth. hom. 15.

50 *Beatitudines sunt viri illius, qui non ambulat, siue nō sectatur, aut sectari solet consilia impiorum, vel improborum: vox enim hebræa Resaim, significat eos, qui indesinenter, & sine vlla quiete, impiè agunt, aut qui malis animi perturbationibus mouentur ad malè agendum. Via pro instituto & ratione viuendi ponitur. Peccatores hebraice* חטאים *Hattaim significat peccatores perstrictæ frōtis, & quos peccare non pudet. Beatus ergo est, qui non stat, siue consistit, id est, qui viuendi rationem hominum peccatis deditorum, non amplectitur: qui nullum commercium habet cum ijs, qui diuinas leges ridere solent: nec est contubernalis elatorum, vel obloquutorum.* Hinc te admonet Ecclesiasticus, *Ne manseris in operibus peccatorum:* vel cum Vatablo, *Ne mireris facta scelerosorum:* vtrūque autem monitum recidit in idem, cū enim aliquid demiramur, manemus & persistimus, veluti stupefacti, & attoniti. Quærit Philo, cur Deus elatos obloquutores Turris Babel fabros, non fulminum immissione, sed linguarum confusione ab opere deturbauerit. Ad quod respondet, ideo factum esse, ne peccatum in publicum prodiret, neue alios in idem crimen traheret, & noto verborum igne accenderetur. Sic ergo fatur, *Atqui hæc vocis in plurimas diuersas loquelæ species defectio, quæ linguæ confusio vocatur, in remedio peccato adhibita dicitur, ne communicato consilio, fieret publicum: vtque si conferrent in vnum operas, alteri iuncti essent alteri. Attamen in his quantum apparet, profuit.*

Scholium Hebraicum.
Auctor.
Eccli. 11. 22.
Vatablus.
Philo in li. de confusione linguarū

51 *Psalmus iste non habet titulū, sed est, quasi titulus totius operis. Dicit ergo, Beatus vir, qui nō abijt, quia quamdiù homo non deliberat, est in eundo. In via peccatorum, id est, in operatione. Non stetit, scilicet, consentiendo, & operando. Dicit, impiorum, quia impietas, est peccatum contra Deum: & peccatum contra proximum. In cathedra, quasi magister docens alios peccare, quia pestilentia est morbus infectiuus. Qui ergo sic vadit, non est Beatus: sed qui contrario modo, quia beatitudo hominis in Deo est ad quam peruenimus per subiectionem ad Deum.* Sicut planta in altum versa, nisi mittat radices deorsum, non faciet fructum sursum: ita, & inuersa ni insurgentia vitia conuellat, & humilitatis radices mittat, fructum beatitatis frustra expectat. Hanc spiritalis agriculturæ artem te Sapiens docet, *Humiliare Deo, & expecta manus eius:* Vel cùm Vatablo, *Coram Deo submittas te, & manus eius expectes.* Si ergo verum est, quod Bernardus tradit, *Iuxta radicum quantitatem ramos prodire, & quot radicibus arbor innititur, tot ramis decoratur:* mitte humilitatis radices, & animæ, & corporis, vt expectes à Dei manibus, & animę beatitudinem, & corporis. Ideo æstimat Hugo dictum esse non in singulari, Expecta manum: sed in plurali, Expecta manus eius: vt duplicia premia inde reportes, quasi fructus ex duplici subortos radice. Sed eius monita audiamus, *Humiliare Deo, id est, humilitatem exhibe Deo, nihil de te præsumendo.* Hæc prima radix est animæ humilis. Additque & secundam corporis, *Omnibus propter*

D. Thom. in Ps. 1.
Auctor.
Eccl. 13. 9.
Vatablus.
Bern. in ser. de S. Benedicto Abbate.
Hug. Card. c. 13. Ecclesiastici.

Deum te subijciendo. Si autem vis iusta radicum quantitatem ramos, fructusque prodire, en illos profert dum subdit, *Et expecta manus eius, dexteram, qua dabit stolam animæ: & sinistram, qua dabit stolam corporis.*

Theodorus Episc. Cyrenensis in catena aurea.

52 *David Christum filium imitatus est, qui in erudiendis discipulis suis, à beatitudine exortus est, inquiens, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorũ.*

Auctor.

Et merito, cùm enim verum sit Ciceronis effatum,

Cicero lib. 1 officior.

Vix inuenitur, qui laboribus susceptis, ac periculis aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Quis non videt, & quis non admiratur Patris, & Filij artē, dum iusto cum vitijs dimicaturo, mercedem beatitudinis ante proponunt, vt inuictum reddant? Loquatur Chrysologus, & aureo stylo hinc bella depingat, inde palmas describat,

Chrysol. ser. 44. in Psal. 1

Sicut dimicaturo cum bestijs, & grauissimorum certaminũ discrimina subituro, pronunciantur ante brauia, premia, corona: Propheta beatitudinem sic præmisit, vt prouocaret hominem totum, quam post enumerat, criminum vincere feritatem.

Tertullian. lib. de spectaculis c. 3.

53 *Quorumdam fides, aut simplicior, aut scrupulosior ad hanc abdicationem spectaculorum de scripturis auctoritatem exposcit, & se in incertum constituit, quod non significanter, neque nominatim denuncietur seruis Dei abstinentia eiusmodi. Sed inuenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem Dauid, Felix inquit, qui non abijt in cõsilium impiorum, & in via peccatorũ non stetit, & in cathedra pestium nõ sedit.* Nam, *etsi Iustum illum videtur prædicasse quòd in consilio, & in consensu Iudæorum, de Deo necando consulentium non communicauit, latè tamen semper scriptura diuina diuiditur, vbicumque præsentis rei sensum, etiam disciplina munitur, vt hic quoque non sit aliena vox a spectaculorum interdictione. Si enim paruulos tunc Iudæos, impiorum consilium vocauit: quanto magis tantum conuentum ethnici populi, ni pij ethnici, minus peccatores, hostes Christi, quam Iudæi, quo & cetera congruũt. Nam apud spectacula, & in via statur. Vias enim vocant, cardines balteorum per ambitum, & discrimina popularium per procliuum. Cathedra quoque nominatur ipse in confractu ad consessum situs. Itaque contrario infelix, qui in quodcumque consilium impiorum abierit, & in quacumque via peccatorum steterit, & in quacũque cathedra pestium sederit, generaliter dictum intelligamus, cum quid etiam specialiter interpretari capit.*

Auctor.

Comparabat Philo intellectum pastori, sensus autem gregi, asserens, quod sicut pecori plurimorum malorum caussa sit nimia saturitas: ita, & sensus nimia saturitate obiectorum recalcitrant, & præcipitant animum, id autem in spectaculis præcipuè demonstrat euenire, sic enim ait,

Philo Hebræus in lib. de Agricultura.

Pecus sensuum, quando in tellectus supinè segerit, & ignauiter auidè saturatum copia rerum sensibilium ceruicem iactat, & subsultat impingens, in omnia visui patentia, vel quæ videre nefas est: auribus quoque voces recipiens insatiabiliter, sentiendo semper obcuriositatem. interdum delectans se obtrectationibus parum liberalibus. Quid enim aliud credimus quotidie per totum orbem tot millia spectatorum in theatra contrahere? Homines enim victi spectaculorum, & fabularum cupidine infrenes tùm oculis, tùm auribus, consectantur citharistas, citharœdosque præterea saltatoribus ceterisque mimis inhiantes, propter gestus, motusque, ac status effeminatos: atque ita factiones theatricas instaurant, securi ceterarum rerum priuatarum, publicarumque, totam vitam in huiusmodi spectaculis conterentes miseri. Vbi vno verbo omnia mala colligit, miseros appellans theatrorum spectatores. Sicut enim Beatus vir, & dicitur, & est qui in huiusmodi cathedra pestium non sedet, ita qui in ea sedet, miser dicitur, & est. Et iure miser, nam ex proprijs sensibus scandalum sibi generat, & in illud Væ à Christo minatum incurrit, Væ mundo à scandalis, Nam ex Chrysologo, *Genus est scandali, quod nobis nostris generatur ex sensibus cùm fallimur oculis, cùm decipimur*

Chrysol. ser. 27. de scandalo tollẽdo

auditu, capimur odore, & sapore vitiamur. Vnde Heua vetiti & lethalis cibi, sic gustu est sauciata, sic visu, Et vidit, inquit, mulier, quòd bonum est lignum ad manducandum, & quòd gratum oculis ad videndum, & speciosum est ad intuendum. Bene ergo Dominus adiecit scandalizare sensus ipsos dicendo, Si scandalizauerit te oculus tuus, aut manus tua, abscinde, & proiice abs te: Melius est tibi sine oculo, & manu ingredi ad vitam, quã toto corpore ingredi in gehennam. Et quamuis Dominus *lapsus, et vitia iusserit, si ne nos secare, non membra, tamẽ si hoc Heua mater humani generis sic fecisset: melius sine oculo & manu in vitam venisset, quàm totam posteritatem suam lamentabilem misisset in mortem. Cauere ergo oportet nos fratres, ne scandalum faciamus alii, ne vel ipsi alio faciente patiamur.*


Titelmanus in Psal. 1.

54 *Beatus est nunc, in spe: & in futuro, possessione, qui à malo studiosè declinans, in prauis impiorum consiliis non posuit iter suum, eisque non consensit, & iniquas illorum suggestiones non est sectatus, & nõ quieuit in peccatis, & impietatibus hominum peccatorum: immo si aliquando eum in vllam impietatem per humanam fragilitatem incidere contingat, mox ab ea satagit decedere ad vitam iustitia. Qui denique, nec moribus, nec doctrina alios scandalizauerit.* Signa prædestinationis, & beatitatis indicia, ni fallor, hæc duo sunt, nõ quiescere in peccatis, & mox ad viam regredi iustitiæ.

Auctor.

Damnabantur ex Pontificio decreto, nedum opera mala Heli, sed & eius non bona verba, qui corrigens Ophni & Phinees mala, eos bono filiorum nomine honorauit, quos scriptura & filios Belial nominat, & tales esse tali ex effectu demonstrat, quia moniti, vt excitarentur à concupiscentiarum letargo, & surgerent, immo fugerẽt à peccati stratu, desides tamen & otiosi, adhuc quiescebant, & dormiebant in illis. Sic ergo Gregorius Magnus statuebat, *Illos filios appellauit, quos diuinus sermo supra Belial, id est, spiritus nequam filios esse perhibuit, dicens, Porro filii Heli filii Belial. Cum mulieribus quippe dormire est, securè, & sine metu futura vindicta peccare. Mulieres quippe meretrices, sunt concupiscentia saculares. Qua bene ad tabernaculi ostiũ obseruare perhibentur, quia ad introitum regni cælestis tendentibus insidiantur. Qui verò sic mundi concupiscentias sequitur, vt sæpe diuini metus consideratione terreatur, polluitur quidem cum mulieribus, sed non dormit: quia etsi transgrediendo labitur, in perpetratis tamen facinoribus, per securitatem nequaquam requiescit.*

Greg. Papa lib. 2. expo-sit. in cap. 3. lib. 1. Regum.



CORONA STELLIFERA

EX VARIIS EXPOSITIONIBVS CONTEXTA, & variorum Patrum, Doctorum, & Auctoris luminibus illuſtrata.

IN PSALMI PRIMI

VERSICVLVM SECVNDVM.

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.

Agellius in Pſ. 1.

55 *ET quia non ſatis eſt, bonũ aliquod opus facere, niſi volũtate fiat, ideo dixit, in lege* Do*mini voluntas eius. Voluntatem vero, propenſionem animi, & affectum intelligere debemus, quo iuſtus vir legem Dei proſequitur, illam enim, tamquam rem ſibi cariſsimam, adamat: illi totus eſt deditus, quod alibi dixit, In mandatis eius volet nimis.* Non *vllus ſponſus tàm ardenter ſpõſa formam deperit, quàm ille Dei legem. Itaque hoc ipſum verbum verbo amandi reddidit, dicẽs, Amabat enim puellam, nempe* Dinam *valde: quod aptiſsimè Septuaginta, Totus erat deditus filiæ Iacòb. In quo etiam loco manifeſtum eſt, meditare, non ad animam modo, ſed etiam ad linguam pertinere: ita vt in hoc verſu vtrumque complexus ſit, & animi ſtudium, cum dixit, ſed in lege Domini volũtas eius: & iugem de eadem lege ſermonem, cũ ait, in lege eius meditabitur die, ac nocte: nam hoc ſecundum ſine illo primo inutile eſt. Huiuſmodi homines reprehendit Dominus per Eſaiam, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.*

Auctor.

Quæritur a multis cur Deus vnitatis amicus, non vnum, ſed duo in templo, iuſſerit altaria collocari? Reſpõdetque Adamantius id in figura templi viui, quod ſumus nos, fuiſſe diſpoſitũ. In nobis, ergo erigi debent altaria duo, nempe mentis, & linguæ: cordis, & oris: ſpiritus, & vocis, in quibus, & incenſum orationis poſſit offerri, & holocauſta mortificationis paſſionũ immolari. Sic ergo Origenes docet, *Altaria duo, id eſt, interius, & exterius, quoniam altare orationis indicium eſt, illud puto ſignificare, quod dicit Apoſtolus, Orabo & mente: cùm enim corde orauero ad altare interius ingredior.* Et hoc *puto eſſe, quod etiam Dominus in Euangelijs dicit, Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum, & claude oſtium tuum, & ora Patrem tuum in abſcondito. Qui ergo ita orat, vt dixi, ingreditur ad altare incenſi, quod eſt interius. Cũ autẽ quis clara voce, & verbis cum ſono prolatis, quaſi vt ædificet audientes, orationẽ fundit ad Deum, hic ſpiritu orat, et offerre videtur hoſtiam in altari, quod foris eſt ad holocauſtomata populi conſtitutum.*

Orig. hom. 10. in Numeros.

56 *Legitimè docemur à Propheta voluntatem in lege habere, meditationem ſecundum legem. Voluntas in lege, non ſolum in ſtudio ſed etiam in facto eſt. Prior voluntas, ſecũda operatio. Denique lex voluntarios quærit quia lex Domini irreprehenſibilis eſt, conuertens animam: nemo autem conuertitur niſi qui voluntate conuertitur. Ideoque die, & nocte in lege meditatur, qui ipſe ſibi lex eſt, ſcriptũ in corde ſuo opus legis oſtendens.* Hęc ille, qui miro nexu, in meditatio-

Ambroſius in enar. ſup. Pſal. 1.

Auctor.

nis

nis lege, legis ſic copulat operationem, vt ex volunrate, & lege talis oriatur motus, qualis ex intelligentia oritur, & orbe: nam ex Bedæ sẽſu, *Lector ſtrenuus, potius ad implendum, quæ legit, quàm ad ſciendũ, promptiſſimus eſt.* Quis non æſtimet vel incongruam gratiarum actionẽ, vel inconcinnam laudem, dũ celebratur a Pſalte legiferi Dei magiſterium in lege, doctrinam in opere, & cooperatio in actu, cum ſic decãtat, *Qui docet manus meas ad prælium?* Nonne ſciebas tu, o Manu fortis, non manus, ſed intellectum: non dexteram, ſed animam: non corpus ſed ſpiritum, & legis inſtrui magiſterio, & cæleſtis doctrinæ capacem eſſe? cur ergo manus ad hoc prœliũ profiteris edoctas? Sed verè magiſterij diuini perfectam edocet æconomiam: parum enim fuit Chriſto docere verbo, docuit & exemplo: docuit legem tribuens, docuit opere complens, vt inrer hos duos teſtes ſtaret omne verbum. Addat his vmbris Auguſtini penicillus lumina, adijciat & colores, dicatque, *Leuauit pro nobis Dominus Deus noſter manus in Cruce, & extenſæ sunt manus eius pro nobis, vt manus noſtræ extendantur. Cùm enim in Cruce noſtram operatus fuerit ſalutẽ & peccatum ac diabolum deuicerit, id quidem manuũ extenſione fecit, vt noſtras admoneret, atque prouocarit, immo, & doceret manus ad prælium ſpirituale, & nos ſectatores videret bonorum operum.* Sic, & manus docet lege, & prouocat opere.

Beda in Scintillis cap. de lectione.

Pſal. 143. 1.

Auguſtin. in Enarr. ſup. Pſal. 62.

57 *Conuenienter præponitur voluntas meditationi, quia adhuc perficiendus, & exercendus eſt intellectus per aſſiduam meditationem, vt voluntas perficiatur per delectationem. Ex quo acceſſorio ſequitur perfectio totius hominis per bonam operationem.* Seneca de legibus docet, *Non vt cætera, memoria ſatis eſt, in opere tenenda ſunt: non enim eſt beatus, qui ſcit iſta, ſed qui facit.* Id autem præcipuè requiritur à Doctoribus, quæritur à Concionatoribus, qui ad apem imitandam ſic aduocantur, vt rorem veris cælitus inſpirati ex florentibus agris ſcripturarũ colligant, meditantes: collectum vertant in ceram, vt illuminent orbem: in cereo fauo mel componãt, vt ſe nutriant, alios paſcant, verbo paſcant, & opere nutriant, qui enim verbo, non opere paſcit, nõ Doctoris nomen meretur, ſed hyſtrionis: non concionator, ſed hypocrita eſt, teſtante Chryſoſtomo, *Nihil Doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philoſophatur, neque .n. Doctoris eſt ſed hyſtrionis, & hypocritæ.* Hinc ſalubriter nimis, & Ioſue pręcipiebat, *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt cuſtodias, & facias, quæ ſunt præcepta in eis*: & Salomon ad apem imitandam inuitabat, dicens, *Vade ad apem, & diſce quomodo operaria eſt.* Non enim ſatis eſt illam imitari, dum alas intellectus & voluntatis moues, aura ſpiritus ad volandum iuuaris, in floridum regis agrum volarum dirigis, in varijs floribus præceptorum ſedes, & ex illis nunc ſuccum ſciẽtiæ attrahis, nunc meditando eligis, & nunc ore ſugis: ſed fauos operum efficere teneris, vt meritorũ mella colligas, aureos theſauros condas, & gloria diteris. Sicut ergo, & apis ſapientiã, & apis virtutem Ambroſius ſic extollit, *Apis valida eſt vigore ſapientiæ, & amore virtutis*: eadem forma & tu validus eſto amore ſapiẽtiæ, legem meditando: ſed eſto amator virrutis, legem operibus exequendo, Pontificium enim decretum eſt, *Doctor, quod docendo loquitur, hoc vigilando operetur.* Nam ſi monendo tantum docet, dormiendo docet: ſi autem docet operando, vigilat docendo, & eſt vigilans, & confirmat.

Anglicus in Pſal. 1.

Auctor.

Seneca in Epiſt. 13.

Chryſoſt. homil. 1. in Acta Apoſ.

Ioſue 1. 8.

Prou. 6. 9. ex Græcorum additione.

Ambr. lib. 5 Hexæmer. cap. 21.

Greg. Pap. li. 2. in Ezec. hom. 21.

58 *Legem, ſacra Scripta, Thoram, vocant nomine, non præcepta ſolummodo ſignificando, ſed vniuerſam cognoſcendorum, agendorumque doctrinam, quæ ad executionem promiſſorũ Dei continuam, atque perpetuam meditationem poſtulat.* Hinc Idiota explicans verba, *Sanctis, qui ſunt in terra eius, & deſideria eius erga Sanctos, qui sũt in terra hoc eſt in cæleſti patria*: ſalutare hoc addit monitũ, *Hæc autẽ, & ſimilia cũ meditamur, il-*

Arias Mõt. in Pſ. 1.

Auctor.

Idiota in adnotationibus ſup. Pſ. 15.

lud

lud ſemper curare debemus, ne infructuoſæ ſint meditationes noſtræ: ſed ex qualibet meditatione ſemper aliquam virtutem acquirere debemus: vt ex hoc, videlicet, de bonitate illius patriæ ſuperioris debeamus acquirere virtutem hanc, vt mortem non ſolùm fortiter feramus, & patienter, ſed vltrò etiam appetamus cupientes ex hac valle miſeriaru diſcedere, vt in illa felici Patria cum Deo, & Sanctis eius regnemus. Ac demum ſententiam affert Cedro dignam, *Iuſtus deſcripſit ſtatum ſuum, qui totus eſt in affectu erga Deum, & diuina* Statum dixit, quia potius in patria ſtat, quam ambulet in exilio, qui cæleſtem meditatur legem, cæleſtem exercet & operationem, in cælo moratur corde, dum corpore mouetur in terra.

Idem ibid.

Achaoaſ. in Ex ort ad M nachos.

59 *Sine legendi ſtudio, neminem ad Deum intentum: ſine autem legendi ſtudio, nemo ad Dominum eſſe valebit intentus. Sic enim Dauid ait, Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Confirmanda ſunt verba, *Sine legendi ſtudio nemo ad Dominũ eſſe valebit intentus*, & ex his quæ Iſidorus docet, expendenda, *Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare: & frequenter legere. Nã cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur: cum verò legimus, Deus nobiſcum loquitur. Omnis profectus ex lectione, & meditatione procedit. Quæ enim neſcimus, lectione diſcimus: quæ autẽ diſcimus, meditationibus conſeruamus. Geminũ cõfert donũ lectio ſanctarum Scripturarum, ſiue intellectum mentis erudit, ſiue quod à mundi vanitatibus abſtractum hominem ad amorẽ Dei perducit.* Gemini dicũtur pueri vno partu editi, vnde Virgilius, *Geminos huic verba circumtudere pendentes pueros:* & Scripturæ fæcundæ lectio geminos parit in meditãte fructus, nam & mentem erudit, & à vanitatibus abſtrahit, & vnum meditando, alterum operando producit.

Auctor.

Iſidorus relatus a Beda in Scintillis, cap. 80. de lectione.

Virg. lib. 8. Æneid.

Auguſtious

60 *Sed in lege Domini voluntas eius. Sciendũ eſt legem Hebraicè dici Thorah, à verbo* ירה *ſadat docendi, quaſi doctrina, ex qua philoſophia, in qua Vates diuinus doceat nos meditari nocteſque, dieſque. Duos autem habet ſenſus, aut ad contemplandum meditandumque in lege eius, præceptis, libriſque ſacris voluendis, aut potius obſeruandis, vt hic nocteſque dieſque inſiſtat affixus, vt probitas facilis ſibi reddita, tranſeat in naturã.* Vera enim eſt Hieronymi ſentẽtia, *Beatus eſt qui diuinae Scripturae legens, verba vertit in opere, & nudam Crucem nudus ſequitur, puris manibus, & pedibus, & candido pectore pauperem ſe ſpiritu, & operibus gloriatur.* O locupletem paupertatem, qua legens ſcripturas, & præcepta opere complens, in candido pectore theſauros cæleſtes condit, & ſub humilitatis lapide recondit.

Eugubious in enar. ſup. ſup. Pſ. 1.

Auctor. Hieron. relatus a Beda io Scintillis c. 80.

61 *Aliud eſt eſſe in lege, aliud ſub lege: qui eſt in lege, ſecundũ legem agit: qui eſt ſub lege, ſecundum legem agitur: ille verò liber eſt, ille ſeruus. Deinde aliud eſt lex, quæ ſcribitur, & imponitur ſeruienti: aliud lex, quæ mente conſpicitur ab eo, qui non indiget litteris. Meditabitur die ac nocte, aut ſine intermiſſione, intelligendum eſt aut die in lætitia, nocte in tribulationibus.* In quo aſſignatur, ni fallor, celebris, & communis differentia inter legem directiuam, & coercitiuam: amoris, & timoris: filiorum inſuper, & ſeruorum: illi enim voluntariè ſic opera legis agunt, vt de quolibet eorum dicatur *Lex iuſto non eſt poſita.* Iſti autem neceſſitate ducti id agunt, & coercente timore pęnæ. Sicut ergo ex decreto Iuliani imperatoris, *Eſt lex fetus quidem iuſtitiæ*: ita alij vt filij, alij vt ſerui hunc fœtum pariunt, dũ illi parẽt, cum tali diſcrimine, quo filij, vt Iſaac, permanent in domo: ſerui, vt Iſmael, eijciũtur foras: perfecta enim caritas, quæ timoris filialis eſt mater, ſeruilem timorem excludit, filialem firmat, & perficit. Notum hoc erat Iacob, quando, *Iurauit per timorem patris ſui Iſaac.* Quæres, quæ noua iuramenti forma hæc eſt, per alicuius timorem iurare? Reſpondet Rupertus, idem

Auguſtious Hipponis Epiſcop. in Enarr. ſup. Pſal. 1.

Auctor.

1. Tim. 1. 9.

Iulianus Imperator in orat. 2.

Gen. 31. 42.

eſſe

esse per timorem patris iurare, ac per Deum patris iurare. Deus enim à timore nuncupatur. Et sicut nos à Christo dicimur Christiani, ita Isaac à Dei timore, timens dicebatur. Adest Rupertus colorans, quæ ipse adumbraui, sic enim, ait, *Bene ergo dictum est quia iurauit Iacob per timorem, id est, per Deum patris sui Isaac, Deus enim à timore nuncupatur, quod Græcè, θεὸς dicitur.* Et quia Deus & caritas est, & timor dicitur, ideo pꝫ ea, q̃ docet Philo, *Leges omnes referuntur, aut ad dilectionē, aut ad Dei timorem.* O terque, quaterque beati, qui vel Deum, qui timor est, timendo amant: vel Deū, qui carititas est, amando timent: eūque & timent amantes, & amant timentes.

Rupertus Abbas lib. 7 de Trinit. in Genes. c. 47.

Philo in lib. quòd Deus sit immutabilis.

62 *Conuenit non solum vt auersemur prædicta, sed vt diuinæ legi noctes, atque dies mentes nostras adhibeamus, & in illius præceptis meditemur: ac iuxta præscripta illius, instituta vita, dignos fructus, qui ex ea veluti arbore nascuntur, adferamus,* Lex enim in iusti volūtate plantata arbori Paradisi assimilatur, quæ vt fructus vitæ afferat per singulos, nedū mēses, sed dies, necesse est vt meditatione colatur, lacrymis rigetur, a culparum spinis reddatur immunis, à vitiorū tribulis secernatur, & tota, toto cum corde libero custodiatur. Quærebat Philo, cur animalium vel stirpiū nec laudatur vbertas, nec fœcunditas vituperatur, nec monstruosi fœtus eorum damnantur: damnātur autem homines, qui opera bona non pariunt? Respondetque nō fructus damnari animātium, quia illorum effectus necessarij sunt: partus autem damnari hominum, quia ipsorum affectus sunt voluntarii. Sic ergo fatur. *Nam stirpium, animaliumque, nec vbertas laudatur, nec si malè proueniant, vituperantur: quod vterque hic motus, & vtraque mutatio, non est voluntaria: sed sola hominis anima, quæ accipit à Deo motum voluntarium hactenus illi similis, a molestissima, grauissimaque mera necessitate, quantū licuit, manumissa, iure accusari potest si liberatorem suum non coleret, non cusura pœnam, quæ animaduertit in libertorum ingratitudinem.*

Basilius in Scholia sup. Psal. 1.

Auctor.

Philo in li. quod Deus sit immutabilis.

63 *Sed in lege Domini voluntas eius. Quia non sufficit alicui abstinere à malo, vt beatus sit, nisi operetur bonum: ideo subdit, Sed in lege Domini voluntas eius. Quod accipi etiā potest in membris sicut in capite. Et sciendum est, quod esse in lege, est voluntariè secundum legem agere: sub lege verò, est agi, atque premi à lege. Vnde Christus, non veni soluere legē, sed adimplere: &, Meus est cibus, vt faciam voluntatem eius, qui misit me Patris, &, lex non est posita iustis: quod membris applicatur. Per diem autem, & noctem, aut omne tempus accipimus, aut prosperitatem, & aduersitatem. Et vocabimus in Christo totā vitam à natiuitate vsque ad passionē, prosperitatem: & passionem, aduersitatem. In membris, verò, quæ placent, prosperitatem: quæ displicent, aduersitatem.* In vtroque ergo tempore firmanda est in lege voluntas, laudāda dispositio Legislatoris, vt & in die gratias agentes de bonis, reddamus Domino debitum: & in nocte, gratias reddentes de malis, constituamus Dominum debitorem, canentes cum Psalmista *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* Vbi Chrysostomus nunc quærit, *Quid est in toto corde meo?* Et nunc respōdet, *Cum omni alacritate animi, nō pro rerum successu, sed etiam propter contraria: nō solum pro beneficijs, sed etiā pro supplicijs, hoc enim ad maiorem mercedem conciliat. In bonis quidem gratias agens, reddidisti debitum. In malis autem, Deum constituisti debitorem.* O miram dignitatem, o ingens gaudij, & gratiarum actionis in tribulatione lucrum. Quid vtilius? Quidue felicius, quàm summum Numen, quod nemini quidquam debet, sibi sic reddere debitorem, vt dum laudas illum in momentaneis, & leuibus malis ab illo recipias æternum gloriæ pondus, mercedem plenam, & premiorum mensuram omnibus superef fluentem bonis, omnibus refertam donis?

Beda in cōment. sup. Psal. 1.

Auctor.

Psal. 9. 1.

Chrysost. in homil. sup. Psal. 9.

64 *Sed in lege Domini voluntas eius. In hoc secundo versiculo descri-*

Bellarmin in Psal. 1.

bitur iustus per affirmationem, nam voluntas iusti est in lege Dei, & lex Dei in corde ipsius. Lex est in corde, vt in sede: & cor est in lege, vt in re amata, qua semper cogitatur, & appetitur, vt sequitur, & in lege eius meditabitur. Meditabitur Hebraice omn Iegbenne, referri potest ad exercitium siue cogitationis, siue vocis, siue operis, vt prophanus Poeta dixit, Meditabor ordine musam. Nescio, quidem, an aliquis vestrum obseruauerit verba Auctoris legis, ita de Lege loquentis. *Si in vyi meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris.* Si enim obseruauit ea quis, nonne admirari potuit, & quærere, quomodo lex, quæ custodia est, indigeat custode? Respondet autem Glosa, *Huiusmodi custodiam esse præcepta: præcepta ergo legis, & custodia sunt, & custodienda sunt: & viæ Dei, & viæ hominis sunt. Per hase enim immaculatas vias, & Deus venit ad hominem, & homo tendit ad Deum.* Sic, *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi:* nam ex Theodoreto, *Iudæi quidem, & tota hominum natura veritatis cognitionem Deo attulerūt, benignus autem Dominus misericordiam retribuit.* O verè felices, qui veritatem legis verbo, & opere implent, vt sic Deo obuiam illis venienti, illos misericordiæ donis impleat affluenter.

65 *In quocumque statu positus sit homo, numquam recedendum est illi à lege Domini, sed semper in die bonorū, memor sit malorum: & in die bonorū memor sit semper bonorum. Potest etiam per diem, ac noctem contemplatiua, & actiua vita intelligi, quæ amba continentur in lege Domini.* Iure id docet Bernardus, iuxta principia ab ipsomet fundata, qui de nexu cōtemplationis, & actionis asserebat, *Contemplationis, & actionis necessaria vicissitudo est.* Ideo enim Martha, figura actionis, de Maria, symbolo contemplationis, conquerebatur, quòd eam solam reliquisset ministrare. Et felix Religio, vbi Martha conqueritur de Maria, nō enim omnes cognoscunt Mariæ portum appetere, Mariæ partem eligere meliorem, vel si speculatiuè norunt, practicè non approbant, opere non sequuntur.

66 *Meditabitur die ac nocte. Tria sunt in homine, lectio, meditatio, & oratio. Lectione loquitur nobiscum Deus, vnde dicitur, Qui habet aures audiendi, audiat. Meditatione interrogas teipsum. Oratione, rogas, Petitem, & accipietis.* Iter Lectionis, & meditationis terens fontem inuenies diuinæ consolationis, quæ oritur ex sacræ Scripturæ lectione. Hoc iter tibi demōstrat Isaacius Presbyter, eiusque terminum ita colorat, *Continua lectio in Scripturis, Sanctorum replet animā incōprehēsibili admiratione, ac lætificatione diuina.* Si enim cum legente loquitur illud Verbum, de quo dicitur, *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis:* quid mirum, filiis, a quo aqua de excelsis, loquendo trahitur, excelsa felicitate, legendo impleatur?

67 *Sed in doctrina Domini voluntas eius. Vbi sexto, quod dictio Habraica interpretata doctrina, verè significat doctrinam, quia ad docendū spectat. Sed apud Hebræos appropriatur ad significandam diuinam legem, cum dicitur, Doctrina Domini. Ita quod lex, nō ab actu ligādi aut legēdi, sed ab actu docēdi significatur. Et bene ad differentiā humanarū legum, quæ non docent, sed ligant: lex enim diuina, non ad obligandum, sed ad docendum humanum genus à diuino processit lumine. Meminit autem Propheta, nō intellectus, sed voluntatis, eo quod non sumus boni, quia bonum intellectum habemus: sed quia bonam habemus voluntatē. Et quia voluntas nostra, ad hoc vt recta & bona sit, regulanda est à lege Domini, propterea Propheta bonitatem viri ponit in conformitate voluntatis ad legem Domini, & hoc denotat illa propositio, in qua dicitur, In lege Domini voluntas eius, & in doctrina eius meditabitur die ac nocte: sed in lege Domini sit habet voluntatem, quòd die ac nocte meditetur, quæ sunt legis Dei.* Ambiges, forte, & iure, qui fieri potest, vt homo tot subditus necessitatibus, possit, nedum die, sed etiam per totam noctem,

Marginalia: Auctor. — Zach. 3. 7. — Glosa interlin. hic. — Psal 84. 11. — Theodoret. in interpretatione Ps. 84. — Bern. in Paruis sermonibus ser. 35. — Auctor. — Bern. serm. 38. in Cant. — Bonau. sup. Psal. 1. — Auctor. — Isaacius Presbyter de contempt. mundi c. 25. — Eccle 1. 5. — Caietan. in Psal. 1. — Auctor.

ctem, quæ somni partem requirit, legis meditationi vocare? Ast, lex diuina nouas format animas, homines nouos. Hinc de Abraham dicitur, *Tulit Saram vxorem suam, & animas, quas fecerant in Aram.* Sed vbi legisti, ô Moyses, steriles hos in Arã & genuisse, & nõ liberos, sed animas gignisse? Paraphrasis Chaldaica dubium soluit, sic.n. vertit, *Et omnes animas quas subiecerãt legi in Arã.* Quasi idẽ sit animas legi subijcere, easque, ac si nõ essẽt, de nouo formare. Hoc ꝓbari potest ex Basilij doctrina, sic dicẽtis, *Qui in iniquitatibus iacet, nec dũ agnitione illustratus qui est, nõ potest pro seipso testimonij hoc reddere, Ecce ego sum.* Quasi non possit asserere se esse, qui caret legis agnitione: carens enim legis agnitione, gratia caret: & gratia carens, non homo verus est, sed hominis vana repręsentatio, & fabula mẽdax, scriptum est enim, *Homo acharis, quasi fabula vana:* id est, ex Hugone, *Homo sine gratia, fabula intempestiua, Acharis, ingratus, id est, sine gratia Dei, quasi fabula vana, cuius nulla subest veritas, id est, contemptibilis, id est, indignus audiri, & totus in verbis fabula, & nihil in factis.*

Gen. 12. 5.
Paraphrasis Chaldaica.
Basil. in c. 6. Isaiæ.
Eccli. 20. 20.
Hug. Card. hic.

68 *Meditetur ergo in lege Domini, & meditetur die ac nocte, vt quæ sequuntur mereatur videre in futurũ.* Ea autem, quæ sequuntur, præcipuè sunt, quod erit tãquã lignum, quod fructũ suũ dabit in tẽpore suo, id est, in hac vita, & in æstate. Inter varias differẽtias plãtarũ, dãtur & *Arbores Autumnales,* quarũ fructus vsque ad Autũnũ nõ colligitur: & fructus isti, vt Hugo notat, nullius pretij sunt, *Quasi tardi, & hiemales, nõ primitiui, & æstiui: sic isti pigri ad bonũ in æstate vitæ præsẽtis, nõ faciũt fructũ, vnde seruantur ad hiemem gehẽnalis pœnæ.*

Chrysolog. serm. 44. in Psalm. 1.
Auctor.
Iudas, seu Thaddæus Apostol. in can. epist. num. 12.
Hug. Card. hic.

69 *Et quænam est ea lex, nisi Christus, qui inenarrabiliter est à Patre genitus, nec est scriptus in tabulis lapideis, qui Lex quidem dicitur, vt qui in se ferat paterna consilia?* Hinc ipse dicitur, & Legifer noster, & magni consilij Angelus, cõsilium enim dat, vt in lege volũtatẽ habeamus, & in ea die ac nocte meditemur. Idẽ Chrysostomus ita subdit, *Et quænã est lex, nisi Christus? Ex Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem, scriptus non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus.* Nec mirum, quòd Verbum incarnatum viua lex dicatur, & sit, cùm etiam Sancti, qui ante legem vixerunt, hoc titulo à Philone honestentur, *Leges sunt viri, qui rectè ac sine culpa vixerunt, quorum virtutes publicata sunt in sacrarum litterarum tabulis, non tantùm ad laudem illorum, verùm etiam ad lectores in æmulationem prouocandos. Fuerunt enim illi animatæ, rationalesque leges, duabus de causis venerabiles, altera, quoniam ostendunt, quòd præcepta legis à natura non discrepant: altera, quod hinc liquet non esse opus magno labore ad exigendã vitã iuxta legũ regulam, quando illi prisci ante leges sigillatim proditas, non scripto iure vsi, pari facilitate atque felicitate vixerunt: vt meritò quis dicere possit, Leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factaque narrantur.*

Chrysost. in hom. sup. Psal. 1.
Auctor.
Idẽ Chrys. relat. in catena aurea super Psalm.
Auctor.
Philo Hebræus in li. de Abrahamo.

70 *Sed in lege Domini voluntas eius. Petrus in prædicatione, legem, & Verbum appellauit Dominum. Videtur autem aliter quoque Legislator docere tres modos, quibus accipitur peccatum. Eorum quidem, quæ in sermone fiunt, per pisces mutos. Est enim, re vera, vbi silentium est sermone præstantius, est etiam silentij munus expers periculi. Eorum autẽ, quæ sunt in facto, per aues rapaces, & carniuoras. Porcus cœno delectatur, & oportet ne conscientiam quidem habere pollutam.* Cùm ergo Sapientia incarnata lex viua sit cunctis data fidelibus in exemplum, cùmque de Legifero nostro dicatur, quòd peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: ita debes & tu legem hanc viuam æmulari, & ita teneris ad vnguem imitari, vt numquam ab ea amoueas voluntatem, vt numquam à ianuis eius diuertas pedem, vt tota die in corde tuo loquaris de ea, vt tota nocte mediteris in ea, vt in mutum piscem cõuertaris, ne vel leui verbo offendas eã: vt aues rapaces oderis, ne vt immũdus damneris à Decretis eius: vt puritate

Clem. Alexandr. in li. 2. strom.
Auctor.

sis prӕditus ac pietate, si cupis obtinere premia ꝓmissa ab ea: ac insuꝑ vt obaudias ei, si vis ab eo ꝓtegi, qui sanxit eã. Audi hãc salutarẽ Antiochi promissionẽ, *Qui seruat legẽ, vtique ab eo protegitur & seruatur, qui sanaxit legẽ, Christo.* Quid vtili⁹? Quid iucundius? Quid tutius, & quid honorabilius potest excogitari?

Antiochus hom. 41. de Furto.

71 *Sed in lege Domini voluntas eius, id est, non timore seruili, sed filiali, vt Paulus, Non accepistis spiritum seruitutis iterũ in timore: sed adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater. Sed quia voluntas caeca est, nisi ab intellectu & ratione ducatur, ideo subditur, Et in lege eius meditabitur, examinando, scilicet, quid Deo placeat, quid displiceat. Die, ac nocte, id est, semper cùm oportet facere, vt dicere solemus, semper scribit, semper frequentat Ecclesiam, & secundum hunc sensum Apostolus ait, Sine intermissione orate: & Moyses, Erunt verba Domini in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulãs in itinere, & dormiẽs, atque cõsurgens.* Circa verba, *Volũtas caeca est, nisi ab intellectu et ratione ducatur:* si vbi ponitur ratio, supponeretur affectio, magis appositè diceretur, Nisi ab intellectu, & affectu ducatur Dũ.n. volũtas est in illa lege Domini, quӕ lux est: dũ ab illa oculos Linceos recipit, dũ mutuato a lumine ipsius lumine, emittit lumen, dũ canit cum Psalte, *Lucerna pedibus meis verbũ tuum, & lumen semitis meis:* dũ in illius meditatione sic affectũ, vt accendit *In meditatione exardescat ignis,:* dicente Agellio, quòd, *Vapor ille, & halitus, qui ex meditatione procedebat, ignis ardorem aequare, & aestuanti flamma similis esse videbatur:* & dũ illa ardorem concipit, semina lucis tutatur, ignem fouet, flammam parit, & incendia producit, tunc vnio proditur, quӕ a Bernardo describitur, *Est tantum lucere, vanum: tantum ardere, parum: ardere, et lucere perfectum,* & tũ dicitur *In lege Domini voluptas eius:* Voluntas enim cum voluptate, & cum dulcedine affectus coniuncta, perficit opus.

Dionys Carthus in Ps. 1 in explanat. iuxta sẽsum litteralem.

Auctor.

Ps. 119. 105.

Ps. 38. 4.

Agellius hic

Bern. in ser. de Natiu. S. Ioan. Bapt.

Hebrӕus.

72 *In lege Domini meditans die, ac nocte. Quoniam non cessat impugnare die noctuque inimicus, ne fortè mentem tuam à meditatione praeceptorum Dei inueniat otiosam, suaque superseminet zizania, reddatque nouissima peiora primis, ne hic terrenis priueris, & ibi caelestium iacturam facias.* Quod Auicennas docet de lacte matris, dicens, *Iam experimento certificatum esse, quod extremũ mãmilla matris in os infantis ponere, valde confert ad remouendum quicquid ei nocet:* Id multo magis fidelibus conuenit, quos Princeps Apostolorũ ad vbera inuitat, *Sicut modo geniti infantes, lac cõcupiscite.* Sapientia humanata est vera mater: ipsius vbera sũt vetus & noua Scriptura, quӕ cum in ore nostro sic imponit, vt in lege eius die ac nocte meditemur, omnẽ a nobis propellit timorem, omne pellit & malũ. Hinc Philo Carpathius interpretans verba, *Ibi dabo tibi vbera mea:* hoc totũ, ꝙ adumbrauimus, clarè sic explicat, *Talibus enim bonis, & rectis corde fidelibus, profunda mysteriorum sensa ex spiritualibus vberibus, hoc est, ex duobus testamentis benè cognitis & obseruatis, reuelantur. Et veluti vbera sugenda praebentur. Incredibile est carnalibus, quam suauis sit Scriptura sacra bene cognita, quamque mira & caelestia arcana pandat pijs scrutatoribus, ac iustis.* Ergo si arcana pandit, viles insultus hostium nihili pendit.

Ephrӕm. Syrus in admonitoria oratione.

Auctor.

Auicennas li. 2. canon. Fen. 3. doct. 1. cap. 2.

1. Pet. 2. 2.

Cant. 7. 12.

Philo Carpathius in interpret. c. 7. cantici cãticorum.

73 *Quoniam multum interest inter eos, qui pana formidine benè viuere compelluntur, & eos, qui mentis proposito, quae honesta sunt eligunt: idcirco dixit, Sed in lege Domini voluntas eius. Legem dicit, non vmbratilem & figuratam, sed spiritalem, & eum, qui in ea antea latebat, spiritalis sermo. Potest etiam esse lex, quae cunctis hominibus indita est, cuius praescripto Sancti, qui Moysen praecessere, vixisse dicuntur, vt ait Apostolus, Gentes, quae sine lege sunt, naturaliter, ea quae legis sunt faciunt.* Hinc ortum duxit celebrè Philonis effatum, dum de Patribus, qui in lege naturӕ sanctitate floruerunt, dixit, *Fuerunt illi animata rationalesque leges.* Si Phi-

Eusеb. Cӕsariensis in catena aurea.

Ad Rom. 2. 14.

Auctor.

Philo Hebrӕus li. de

dias,

legibus non scriptis, siue de Abrahã.

dias, qui statuas mobiles & ligatas miro formabat artificio, vt alias diximus, statuam legis efformasset, lex tamquam animata, cum legis norma, nunc ingredi, nunc egredi, videretur: ita Henòc, Noè, Abrahã, Isaac, Iacob, Ioseph, & reliqui Patres antiqui, statuæ legis apparebant, naturaliter facientes, quæ legis sunt, legemque scriptã in corde, demonstrabant in opere: ipsi enim & sibi lex erãt, & itẽ alijs, qui exempla eorum sectantes, cum lege viuebãt. Audiamus Maximum hanc inter naturalem, & viuam legem differentiam statuentem. *Opus legis naturalis est, vnanimem omnium erga omnes volũtatis habitudinem habere. Nã apud quos ratione natura vincit, horũ vnus esse solet affectus. In quibus autem idem est affectus, status morum, ac vitæ cursus vnus procuidubio esse consueuit. Quorum autẽ est idem morum status, & cursus vitæ, vnum & idem in animo mutuæ habitudinis extat vinculum, per vnam voluntatẽ deducens omnes ad vnicam rationem naturæ in qua nulla prorsus est, quæ nũc per philautiam occupat naturam diuisio.*

Maximus in Centuria 5. c. Oeconomicorum c. 16.

Euthymius. in Ps. 1.

74 *Beatus, inquit, ille, qui non modò cõmemoratis vitijs nõ communicauit, sed legi etiam diuinæ suam coniunxit voluntatem, eadẽ volẽs, quæ iubet lex. Hoc vnum perpetuò meditatur, atque meditatione vitam ac conuersationem moderatur, & dirigit.* Vera enim est Pilosophi sententia, Felices, & infelices homines reddi per leges, felices, si pareant: infelices, si eis non parẽdo pereant: pereunt quippe, ab illis recedentes. Vnde Aristoteles, *Sicut optimũ animaliũ homo lege fruẽs: sic pessimum animalium est homo à lege & iustitia separatus.* Hæc bona à fonte legis obseruatæ, hæc mala ab illa non seruata deriuantia, ita describit Theophylus Alexandrinus, *Mali interitus est, mala vltra nõ facere: radix vitiorũ, legis scita contẽnere. Vt peccata germinat negligentia: ita solicitudo virtutes parit. Lex custodita fugat ignominiam, neglecta parturit pœnas: & quantò magis, si despiciatur, seueri Iudicis imitatur truculentiam: tanto magis, si seruatur, clementissimi Patris exhibet mansuetudinem.*

Auctor.

Arist. lib. 10 Polit.

Theophyl. Alex. epist. Paschali 3

75 *In lege Domini voluntas eius. In eius præceptis, malo vt hic notes simplicia mandata Dei, quæ versantur circa credenda, colenda, agenda, vitanda: Voluntas, voluptas, & delectatio, desideriũ, studiũ, negotium* חפץ *Hephetez, hæc omnia significat, et in Ecclesiaste sæpius. Meditabitur, se exercebit, efficaciter cogitabit, solicitus s. de ea cognoscenda, & perspiciẽda: vehementius, quàm contemplari, & speculari*, Drogo comparabat legem Mannæ, quæ omnis saporis suauitatem affert ori meditantis, & in eã voluntatem applicantis, dicens, *Non excidat tibi lex de ore cordis tui: volue, reuolue, versa, reuersa, & tunc intelliges quid sapiat Mãna. Sic faciebat ille qui dicebat, Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel & fauum ori meo! Esto apis virginea, collige de flosculis Manna: habes hortum voluptatis plenum rosis & lilijs, mira varietate depictũ, quidquid illic inuenies serua, & odoriferum, conde abũdanter aluëolo tuo. Et quid amplius dicam? Vnus idẽque cibus, & api mel, & ceruo fons aqua, & panis, qui cor hominis confirmat. Hic est panis oleatus. Sanat ægrotũ, roborat sanatum, faciem exhilarat, omne delectamentum & saporem suauitatis habet.*

Genebr. in Psal. 1.

Auctor.

Drogo in lib. de sacramẽto Dominicę Passionis.

76 *Sed in lege* Domini *volũtas eius: quia in voluntate, nõ sub: quasi ex tristitia, vel timore. Et in lege eius meditabitur, nõ litteris, sed sãctitate propositi. Die ac nocte, prosperis, & aduersis: vel assiduè, non ad horam.* Forte ex hoc celebrantur oculi Sponsæ, dum columbæ comparantur, de quibus dicitur, *Oculi eius sicut columbæ, quæ residens iuxta fluenta plenissima.* Vbi ex Carpathio, in residẽtia, continuatio meditationis: & in fluentis aquarum, legis plenitudo, quæ in caritate reperitur, debet intelligi, sic enim ait, *Plenitudo legis caritas, super qua Spiritus sãctus residet, & super Ecclesiarum fideli multitudine, mãdatorũque flucta, pendès quæ, cùm ea de causa maximè columba residere dicantur, vt superuolantium rapacissimarum auium vmbram in aquis ipsis intuentes, lethales vngues effugiant: superuenientes*

Glosa inter lioearis in Psal. 1.

Auctor.

Cant. 5. 12.

Philo Carpath. Epis. in interpret. cap. 5. Cant. Cant.

tes

tes fallacissimorum dæmonũ rapinas, insidias, ac fraudes ex sanctissimis præceptis scripturarum, atque consiliis felicissime declinent.

Glosa ordinaria in Ps.

77 *In lege, Qui est in lege, secundũ legem agit: qui sub lege, secundũm legẽ agitur: ille liber, iste seruus. Voluntas, vt non sit tædium laboris, nec otiosa, sed meditabitur semper. Voluntatis sensus est sub lege: rationis, in lege: diuinitatis, supra legẽ.* Vnde, ni fallor, videt Iustum ad diuina transferre, & quasi liberũ à lege demonstrare, dũ illũ constituit supra legem, iuxta illud Apostoli, *Bona est lex, si quis ea legitimè vtatur, sciẽs hoc, quia iusto lex nõ est imposita.* Sed quomodo potest, ò Doctor gentium, verificari, quod statuis, iusto impositã non esse legem, si etiam Pindarus, & Plato asseruerunt, *Legem omnium esse Reginam mortalium atque immortalium?* Immo qua ratione potest hoc dici, cum idẽ ipse Legislator & iustitiæ Auctor sub lege cõstituatur à Propheta dicente, *Propter legẽ tuã sustinui te Domine*: id est, vt intonat Lyra, *Propter legem tuam, quæ promittit verè pænitentibus misericordiã, sustinui te, Domine?* Respondet Chrysostomus ponderans verbum, *si legitimè vtatur*, & ita nunc dubium nectit, nunc dissoluit, *Quis autẽ ista legitimè vtitur? Qui hoc nouit, quòd ipsa nõ indiget. Nam qui ad id virtutũ culmen euasit, vt non legis metu rectè factis insistat, sed virtutis tãtum gratia: hic ea legitimè, atque securè vtitur. Si quis ea ita vtitur, vt non metuat eã, atque pœnitus timeat, sed futurum magis supplicium sẽper ante oculos volutat, hic ea itidẽ legitimè vtitur, qui ab ea erudiri opus non habet.*

Auctor.

:Tim. 1. 9.

Pindarus apud Platonem in Gorgia, vel de Rhetorica.

Ps. 139. 4.

Nicol. de Lyra hic.

Chrysost. oml. 2. in 1. epistol. ad Timot.

78 *In lege Domini, non sub lege, quia per hãc dictionem coactio significatur. At vero Christus voluntate spõtanea legem impleuit. Meditabitur, id est, studiosus erit circa adimpletionem legis, quomodo melius impleatur. Qui in instrumento musico vocem accõmodant, debent vocem cum cithara sono reddere consonantẽ, alioquin dulce nõ resonaret: ita qui in lege meditatur, vocem reddit: qui operatur secundũ legẽ, manum admouet ad instrumentum.* Beatus ergo est Iustus, qui mente contemplatur legem, & opere complet præcepta legis. Ita ait Ambrosius, *Ideo Beatus vir, quia voluntatẽ habuit in lege, & meditabitur in ea, aut, sicut Aquila posuit, Resonabit in lege: vt præcepta legis resonet, vita eius mores resultẽt.* Sic dulcis sonus intonatur, immo cælestis formatur harmonia ex voce, & sono: ex cantu, & musico instrumento: & ex legis meditatione, eiusque executione.

Haimo sup. Psal. 1.

Auctor.

Ambrosius in Enar. sup Psal. 1.

79 *Sed in lege Domini voluntas eius. Nam tamquam legislator in propria lege voluntatem ipsius habet. Ceterum post malorum obiectionem, bonorum inducit actionem, iuxta illud, Declina à malo, & fac bonũ.* Super his duobus polis tota vertitur sphæra legis. Primus est, *Diuerte à malo*: secundus autem est, *Fac bonũ.* Primus continet negantia, secundus verò affirmantia. Vtrumque sic expendit, & sic connectit. Hieronymus, *Duo sunt genera mandatorum, in quibus clauditur tota iustitia, prohibẽdi vnũ, iubendi alterum. Vt enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona. Ibi otiũ imperatur, hic studium: ibi coercetur animus, hic incitatur: hic fecisse, illic non fecisse culpabile est.* O polos! O leges! Legem altè disposuit Deus, polos bellè sic ordinauit Ambrosius, vt alter formet Antarticum, Articum firmet alter, dum te docet & monet, vt ab imperfecto tendas ad perfectum. *Vt ab inferioribus ad perfectiora cõtẽdas, Christiano quidẽ admisso principio professionis, nõ modo cauẽda prohibita, sed etiã faciẽda imperata sũt.* Et sic cõcludit, Augustinus *Nõ est laus perfecta fugere vituperanda, nisi sequãtur laudanda, quo ordine creuerũt primo, remouẽtur à secũdo.*

Hesychius in catena aurea sup. Psal.

Auctor.

Psal. 33. 15.

Hierony. in Epist. 14. ad Celantiam.

Ambros. in enarrat. sup. Psal. 1.

August. relatur à Glos. ordin. in Ps. 1.

86 *Tribus duo retulit, vt habeat voluntatẽ, & volũtati iungat studiũ. Meditatio autem legis est, non solum in legendis Scripturis, sed etiã in his, quę scripta sunt, faciendis. Iustus igitur siue mãducat, siue bibit, siue dormit, in nomine Domini omnia faciens, meditatur legẽ eius die ac nocte.* Præcipiebat Dominus, vt verba legis in quattuor vel sensibus adderentur, vel membris gestarentur, dicens, *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis*

Hieronym. in Commẽt. sup. Psal. 1.

Auctor.

Deut. 6. 6.

& meditaberis in eis: & ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur ante oculos tuos. Et obseruabat Oleaster, quòd, *In quattuor locis nos vult hæc verba sua habere, scilicet, in corde ad credendum, in ore ad loquendum, in manibus ad operandum, & super oculos ad videndum ea sugiter.* Et addebat, id ab omnibus faciendū cum lege, quod à sensibus seruatur in visione, ita vt, *Sicut solet homo, qui specilla ad videndum habet; nihil alicuius momenti sine specillis operari, & videre: Sic vult Dominus non nihil videre, aut operari, fine prauis lege eius.*

Oleaster in 2. Adnot. super cap. 6. Deut.

Idem ibid.

Idem ibid.

81 *Beatus ille est, cuius in Dei lege non timor est, sed voluntas. Sed deest interdum aliquid voluntati, & perfectam beatitudinem solùm velle non obtinet, nisi voluntatem sequatur operatio, beatum enim virum cōtinua legis meditatio, & indefessa consummant.* Nam ex Hieronymi sententia, *Beatus, est, qui diuinas Scripturas legens, verba vertit in opera.* Et quidem bellè, sic enim statutum est à Iacobo Apostolo, *Hic beatus in facto suo erit:* vbi D. Thomas obseruat, & bene, *Non in verbo tantum erit beatus, sed in facto, In custodiendis enim illis retributio multa, non dicit in audiendis.*

Hilarius in Enarr. sup. Psalm. 1.

Auctor.
Hieron. relatus a Beda in scintillis c. de Lectione.
Iacob. 1. 25.
D. Th. hic.

82 *Sed in lege Domini voluntas eius. Vt velit, quod scriptum est in ea: & quod probibitum est, non velit. Et in lege eius meditabitur die, ac nocte. Vt sit animal ruminans, quod solum mundum erat in lege.* Sicuti mundū animal tunc indicabatur à lege, quando, & ruminabat, & vngulam findebat, vnum enim sine alio ad hoc nō proderat: ita ad hoc vt quis beatus vir & dicatur, & sit, non solùm requiritur, vt in lege meditetur: sed etiam, vt impleat quod meditatur. Eadem lege, qua arbor si frondium ornetur pompa, fructuū autem orbetur corona, sterilis æstimatur, & damnatur vt infœcūda: si vero fructuū cingantur corona, sed foliorum ornamēto non vestiatur, nec infœcunda dici poterit, nec fœcunda: fœcunda quidem videtur, quia fructus producit: sed infœcunda iudicatur, quia fructus ad maturitatem non producit: oportet ergo, vt & folijs appareat ornata & fructibus resplendeat coronata. Eodem fere modo, Beatus vir, qui comparatur ligno plantato secus decursus aquarum, & fructu meditationis debet coronari, & folijs actionis sic exornari, vt Mariæ, & Marthæ opera complectatur. Audiamus Ambrosium vtriusque opera comparantem, & vtrasque in beato complectentem, *Si qua Christo ministrabat ad mensam non conferebatur ei, qua verbum cupiebat audire, quem operantem studioso cognitionis æterna conferre poterimus? Ita tamen, vt neque illius operationi fides neque huius fidei, sicut Mariæ, desit operatio: ne vel folia sine fructu sint, vel fructus sine monimentis naturalibus intectus, & pateat iniuriæ.*

Hugo Car. in Psal. 1. in morali.

Auctor.

Ambrof. in Enar. super Psalm. 1.

83 *In lege eius meditabitur. Dictio Hebraica* הגה *Hagha, quæ hoc loco ponitur, non tantùm pertinet ad cordis cognitiones, sed ad oris sermones, quomodo & nostra, verbum, meditādi aliquoties accipit, vt cùm vertit hanc dictionem, Lingua mea meditabitur iustitiam tuā.* De Persico refert Pierius Valerianus, *Hieroglyphicum fuisse cordis, & linguæ, fructu enim habet cordi, folium lingua simile: quasi sermonem, qui fructus est intelligentia, sedem in corde doceat habere.* Plutarchus autem addit, *Arborem hanc Isidi fuisse sacram, quod pomum eius humani cordis figuram referat, folium vero linguæ formam præseferat, folium vero linguæ formam præseferat, Nam cum Isis παρέδρεῦσα sit, sapientiam hoc indicat intellectu primo concipi, sed parum hoc prodesse, nisi etiam in mortalium vsum enuncietur.* Inde Bernardus in iusto, qui arbori assimilatur, & Persico similis perhibetur, fructū, & folium: cor, & linguam: meditationem copulat, & orationem, dicēs *Oratio, & meditatio coniunctione sibi inuicem copulantur, & per orationem illuminatur meditatio.*

Iansenius in Psal. 1.

Auctor.
Pierius lib. 54. cap. de persico.

Plutarc. lib. de Iside, & Osiride.

Bern. ho. de duob. discipolis euntibus in Ema' Incognitus in Ps. 1.

84 *Volens ergo Psalmista Christi Domini pandere sanctitatem, nunc bonum voluntatis describit, dicens, In lege Domini voluntas eius: nunc perseuerantiam definit in bono, Et in le-*

Glos. in Ps. 1. Gregor. lib. 1. moral. c. 9. Auctor. Apoc. 12. 10

ge eius meditabitur die, ac nocte; *Vel secundum Glosam, Assiduè, & perseueranter: vel aliter, In die prosperitatis, & in aduersitatis nocte.* Quęrit ibi moralis Doctor, cur de aduersario nostro dicatur, *Qui accusabat illos ante conspectũ Dei nostri die, ac nocte?* Cùm enim ipse Noctifer sit, & inhorrenda damnatus nocte, cui nulla lux præbere potest lucem, Sol nullus parere potest diem, quomodo accusare eos poterit in die? Sed respondet, quòd, *In die, ac nocte accusare non desinit, quia modò nos in prosperis, modò in aduersis accusabiles ostendere cõtendit. In die accusat, cùm prosperis malè nos vti insinuat. In nocte accusat, cùm in aduersis, nos non habere patientiam demonstrat.* Attamen ipse in Christo non habet quidquam, quia tàm in die prosperitatis, quàm in nocte aduersitatis, semper fixam habebat voluntatem in lege.

Grego. lib. 2. moral. c. 5. alias 9.

Isidorus Clarus super Psal. 2.

85 *Sed in lege Domini voluntas eius. In Hebræo habetur illud nomẽ* *Adonai, quod significat ens, siue existens. Quod subait die ac nocte, est idem quod in Deuteronomio. Erunt, quæ ego tibi præcipio hodie, inscripta in corde tuo.* Idipsum clariùs expressit humanatum Verbum, ita præcipiens. *Pone me, vt signaculum super brachium tuum.* Si enim, in corde contemplatiuam vitam, in brachio verò actiuam, cum Theodoreto, intelligimus figuratam, idem est, ac si diceret, vt ipse docet, *Vt eum pro signaculo in contemplationibus, & in actionibus habeamus: sic enim erimus vt numismata Regis.* Adderem ipse in his numismatibus ex vna parte nouum, & ex altera vetus testamẽtum: in vtrisque enim signatum est diuinum verbum, quod vt Origenes asserit, *Continet omnia verba.*

Auctor. Cant. 8. 5. Theod. hic. Orig. ho. 7. in diuersos. Lorynus in Psal. 1.

86 *Die, ac nocte, Aquila, vt Ambrosius monet, diẽ tãtummodò posuit, non etiam noctem, nisi mysticè voluit, qui meditatur legem versari semper in luce. Vnde videre illud magis videatur significare, quod ei, qui in lege meditatur, sẽper dies est, & lumen sine defectu, quod nullæ tenebræ noctis interpollent.* Et meritò, cùm n. dies sit pręsẽtia lucis solaris super terrã, ita vt de lege nũc dicatur, *Lex lux est*: & nunc, *Est enim ipsa speciosior sole*: cui mirum erit, si legem, quasi solem in corde gerenti, & legem quasi lucẽ in manu gestanti, perpetuus ea lege nascatur dies, & perennis ea forma oriatur lux, vt intellectum illustrans, voluntatem inflammans, accendens affectum, & dirigens effectus & actus, inter præceptorum tot lumina non valeant delicta versari, inter tot virtutum duces criminum tenebræ propinquare non possint?

Auctor. Prou. 6. 23. Sapien. 7. 29

87 *Sed in lege Domini voluntas eius. Non ad discendum, cùm eam perfectè sciuerit ab instanti suæ conceptionis, vt dictum est: sed ad operãdum, & docendum, Cœpit Iesus facere, & docere.* Et in hoc apparet incarnatum Verbum nihil à seipso diuersum: sicut enim in creatione prius cæpit facere & postea docere: ita in redẽptione. Ad quod valet Alexandrini Episcopi ponderatio circa Moysis verba, qui põderat prius narratũ esse, fuisse aliquid a Deo factũ, postea autẽ verbum ab eo dictum, sic enim primo dicit, *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Deinde, subdit, *Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux:* Quis non agnoscit, quàm clarè demonstratur factum præcessisse dictum? Ait ergo Cyrillus, *Primò dicitur, Creauit, deinde, Fiat: vt factum verbo virtutem daret.* Et ex Ambrosij sententia apertè dignoscitur, quòd, *Dictis facta sunt priora. Ideo voluntas Christi cùm esset ante disposita ad operandũ, & postea ad dicendum, meritò cœpit facere primùm, & postea docere.*

Lyran. Ps. 1. in moral. Auctor. Genes. 1. 1. Ibidem 1. 3 Cyrill. Ale. in c. 1. Gen. Ambro. ser. 76.

88 *In lege Domini voluntas eius. Aliud est esse in lege, aliud sub lege: illud iustorum, hoc impiorum: illud voluntarium, hoc coactum. Rursus aliud est lex littera, quæ est seruorũ: aliud lex spiritus, & intelligentia, quæ est filiorum.* Hinc seruilis timor opera facit bona, sed non facit benè: at filialis timor, qui est perfectio amoris, & opera bona facit, & benè illa facit. Et quia contrariorum eadem est doctrina, audiamus, quid ab Augustino statuatur de seruis: nam ex hoc cognoscimus oppositũ

Magister sent. in Ps. 1. Auctor.

In

Aug. in lib. 2. contra Pelag.

in filijs. *Quãdo timore pœnæ, nõ amore iustitiæ fit bonũ, nõdum benè fit bonũ, nec fit in corde. quod fieri videtur in opere: quando mallet homo non facere si posset impune*. Et iurè, Deus enim magis obseruat fõtem, quàm riuum: magis radicem, quàm fructũ: & cor magis, quàm opus, quod inde trahit meritum, ac demeritum.

Olympiodorus in Enar. sup. Salom. Ecclesiast. in fine.

89 *Meditatio, quam intẽdimus circa libros diuinos, in qua nos versari die noctuque sãctus Dauid hortatur, cũ n dicit, Et in lege Domini meditabitur die, ac nocte: non labor est carnis, sed exultatio spiritus. Quamuis enim in sudore, & lacrymis seminemus laborantes circa honestum in exultatione, tamen metemus inclytum virtutis fructum, Bonorum siquidem laborum gloriosus est fructus.* Si enim verum est Adagium, *Sicut semẽtim feceris, ita & metes*: quis dubitet, eum, qui ex meditatione sacræ Scripturæ semen diuinum colligit, nam ibi semen est Verbum Dei, illudque in agro cordis seminat, inde diuinos, & tales cum metere fructus, vt diuinus euadat, & diuinus sit, *Illos n dixit Deus, ad quos sermo Dei factus est?* Est autẽ hoc verbi Dei semẽ in corde legẽtis satũ, in hoc ab alijs seminibus diuersum: quia etsi semen disciplinæ amarum sit, nec videatur in præsenti esse gaudij, sed mæroris: fructum tamen pacatissimum, ac dulcissimum offert exercitatis per eam. Inde Hieronymus, *De amaris seminibus litterarum dulces fructus carpe*. Nec poterat clariùs ipse colorare, quod nos iã adumbrauimus, Amara enim semina, quàmuis sera, dulces tamen, atque suaues producunt fructus.

Auctor. Adagium.

Ioan. 10. 35.

Hieron relatus a Beda in Scintillis c. 80. de Lectione.

Origenes in Catena aurea.

90 *Meditatur die, ac nocte in lege Domini, non qui memoria mandat, sed qui benè operatur. Siuè enim edat, siuè bibat: siuè quid aliud agat, vt ait Apostolus, omnia in gloria Dei faciat: ita vt somni etiam tempore illud Apostoli impleatur, Indesinenter orate. Quomodò hoc & in somnis? Vtrinamque perfecta actio pro oratione habetur, tàm in die, hoc est etiam in prosperis: quàm in nocte, in aduersis, siue in tristitia, orat ad Deũ*. Ideo in veste sacerdotis ad pedes tunicæ præcipiebat Deus, *Per circuitum, quasi mala punica facies, mixtis in medio tintinnabulis*. Cùm in tintinnabulis Origenes recognoscat rerum cælestiũ meditationem: & tintinnabula extremæ parti vestimentorum appenduntur, talem emittunt vocẽ, eduntque sonum, quo Sacerdotẽ doceant ad vltimum vsque spiritũ orationi vocare debere, ad hoc vt cum malis punicis coronam gestantibus vniatur, nam, qui perseuerauerit in oratione vsque in finem, saluus erit. Audiamus Origenem, ita monentem, *Habeat per indumenti circuitum tintinnabula, vt ingrediens sancta det sonitum, & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo vestimenti sint posita: ideirco, credo, vt de extremis temporibus, & in fine mundi numquam sileas.* Quæ autem sunt extrema nostra tempora, nisi mors Vltima linea rerũ? Dicemus ergo cum Dauid in illo extremo, *Voce mea ad Dominum clamaui: in deficiendo ex me spiritum meum.*

Auctor.

Exod. 28. 33

Orig. ho. 9. in Exodum.

Psal. 141. 1.

91 *Sed in lege Domini voluntas eius. Ex quibus verbis colligitur, quod præceptis dominicis non ex necessitate, sed voluntate: non timendo, sed amando est inseruiendum. Quæ voluntas nõ sit otiosa, vel ad horam, sed die ac nocte, non vt in ea disputet, sed secundum eam viuat*. Id autem adeò verum est, vt quantò magis bona lex nostra est, tãto damnabiliores nos simus, si sub lege bona mali simus. Non mea est sententia, sed Saluiani dicentis, *Nihil vtique nobis prodest, quòd lex est bona si vita nostra & conuersatio non est bona. Lex enim bona, muneris est Christi: Vita autem non bona, criminis nostri. Immo hoc magis culpabiles sumus, si legem bonã colimus & mali cultores sumus. Quin potius, nec cultores, si mali, quia cultor dici non potest malus cultor, Neque enim colit, qui rem sanctam, non sanctè colit. Ac persecusatrix nostra est lex ipsa, quã colimus.* Sicut Vrias litteras portabat propriæ damnationis, sed iniustę: eodem & tu modo legens, litteras portas proprię

Rodulphus sup. Psal. 1.

Auctor.

Saluianus Massil. Epis. de Gubern. Dei lib. 4.

damnationis, ſed iniuſtæ: nam ea non faciens, quæ legis, & quæ lex viua præcipit, quam portas, iuſtæ damnationis tuæ decrera portas.

Ruffinus in Pſal. 1.

92 Sed in lege Domini voluntas eius. Nequaquam puer Ieſus inuitis parentibus in Templo Domini remãſiſſet, ſi in lege Domini voluntas eius non fuiſſet, Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Ergo in lege Domini voluntas eius. Et in lege eius meditabitur die, ac nocte, prædicauit namque Chriſtus in die, ac nocte. In die docebat turbas, nocte autem verbi myſteria diſcipulis reuelabat.

Auctor.

Sicut inferiores orbes duplici circulatione mouentur, altera naturali, & raptus altera: ita & cælum voluntatis humanæ in incarnata Sapiẽtia a diuina lege rapiebatur, ſemper obediens paternę motioni: & à materna lege tunc ciebatur, quando à primo motore raptus non erat. Hinc ergo Patri dicebat,

Pſal. 39. 8.

In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei: Vel ex Chaldæo,

Chaldæus.

Quando ſtuduero in volumine libri legis, quod propter me ſcriptum eſt facere voluntatem tuam Deus meus deſidero, & lex tua inuoluta eſt in medio viſcerum meorum. Vbi notanda eſt alluſio nimis pulchra ad volumen legis.

Ex Pineda ſup. cap. 11. Iob verſu. 13. nu. 2.

Volumina enim aut libri, haud apud Hebræos ſolùm, ſed apud alias etiam nationes, hac ratione conficiebantur. Findebant medium paxillum cedrinum, in cuius fixura plura folia, aut membranas ſcriptas inſerebant, & religabant, aut verò extremitatem vnius tantùm folij. Deinde verò conuoluebant ad ipſum paxillũ, vel arundinem, quod ex folijs pendebat. Ait ergo David, Legem tuam plaſque cæremonias, non ego tantùm in medio paxilli conſtrictas, & conuolutas ſeruo: ſed emolliui cor meum vt findi facilè poſſit, atque in illius fixuram inſerui volumen tuæ legis: ſic habeo in medio cordis mei: Et lex tua, inquit Chaldæus, inuoluta eſt in medio viſcerum meorum. Nec ab inſtituta ſimilitudine cæli, aliena eſt metaphora voluminis & libri: nam de eo dicitur,

Pſal. 103. 3.

Extendens cælum ſicut pellem: ideſt, vt Ambroſius interpretatur, *Quaſi liber.*

Ambr. lib. 1 in Hexæmeron cap. 6.

Hanc ergo pellem, hoc cælum, hunc librum, & hanc viuam legem habebat Legiter noſter in corde ſic extenſam, & ita in viſceribus exaratam, vt in ea quotidie eſſet volũtas eius, & in lege eius meditaretur die, nox enim in ipſo non expandebat alas, cùm enim eſſet Sol, eſſetque lux, ſemper in illo & Lux radiabat, & relucebat Sol.

Theodoret. in catena aurea ſup. pſ. 1

93 Sic Deus per Moyſen ſtatuit, Sint verba legis huius iugiter in ore tuo, & mens tua ſemper in illis.

Auctor.

Eo modo quo Nauta directoriæ paginæ ducatum ſequens, diffuſi itineris incertas vias intrat, calles tranſit inuios, ſcopula vitat, Syrtes deuitat, & veſtigio furtiuo ad lucroſi portus votiuam peruenit manſionem: Non aliter, qui & rectè viuere, pericula fugere, ſcopula vitare, & ad portum felicitatis cõtendit & vult peruenire, Scripturæ ſacræ paginis directorijs vti debet, in eis voluntatem applicare, & rectè orare. Hanc artem Auguſtinus docebat, dicẽs,

Aug. in En ſup. Pſ. 118.

Qui rectè nouit orare, rectè nouit viuere. Si ergo petas, quare non rectè hodie viuunt fideles? Audacter dicam, quia non norunt rectè orare fideles, orant enim, ſi orant, ex quadam conſuetudine, non ex corde. Hinc tibi ſuadebat Nilus,

Nilus in capitibus de Orat c. 39.

Dùm oras, ſiue cum fratribus, ſiue ſolus, contende non conſuetudine, ſed ſenſu orare.

D. Th. in Pſal. 1.

94 Sed in lege Domini voluntas eius. Quia beatitudo hominis in Deo eſt, ad eam peruenimus per ſubiectionem ad Deum, primò in mandatis, ideo, In lege Domini voluntas eius. Secundò in meditatione. Et in lege eius meditabitur die ac nocte: id eſt, continuè, vel in certis horis, vel in proſperis, & aduerſis.

Auctor.

Sicut Cæleſtis Rex duplicem habet Eccleſiam, triumphantem, ſ. ac militantem, vnde Chryſoſtomus, explicans verba Pauli de Sacerdotibus, dicentis,

Chryſoſt. in homil. 14. in c. 8. epiſt. ad Hæbræos.

Qui exemplari & vmbra deſeruiunt cæleſtium: ita ſubnectit, *Tametſi in terra geruntur, cæli tamen hæ dignæ ſunt functiones. Cùm enim qui ſedet ad dexteram Patris præſens adfuerit,*

cùm filij efficiantur per Baptismum, cùm ciues sint eorum, qui in cælis sunt, cùm patriam supernam ciuitatē & Rempublicam in Cælis habeamus, & cùm peregrini simus in terris, quomodo nō sunt illa cælestia? Si quæras, quænā sint ista cælestia? Respondet idem Chrysostomus, *Sed quid sunt Hymni, nōne cælestes?* Musicalis regula est, vt dum ex duobus choris copōnitur harmonia, chorus alter debeat alteri pari tono, parilique lege, in omnibus respondere: Si ergo cęlestis chorus non habet requiem nec die nec nocte, sed continuò enarrat gloriam Dei: debet & chorus Iustorum in terra degentium, sic illi respondere, vt numquam quiescat à meditatione legis, a cōtinua oratione numquam cesset, & nūquam cesset, & numquam deficiat à perpetua laude Dei. Vnde concludit, *Nonne, quæ in supernis, chori incorporearum virtutum canūt? Eadem etiam & nos, qui deorsum sumus consonantia illis eloquemur.* O suauem consonantiam, o harmonicam melodiam, qua chori musicales clamant alter ad alterum: & Dauid, quasi magister vtriusque, nunc illi dat vocem, *Laudate Dominum de cælis*: nunc isti reddit vicē, *Laudate Dominum de terra*. Vbi ex Chrysostomo, *Vtramque inuitat creaturam, & quæ sursum est, & quæ inferne: sensibilem, atque intelligibilē, conspicuam & inconspicuam, quæ supra calos est & quæ sub cęlo, & ex vtraque chorum constituit, atque ita iubet Hymnis celebrare Regem vniuersorum.*

Idem ibid.

Idem ibid.

Ps. 148. 1.

Ibid. vers. 7. Chrysost. ho. 10. cùm Presbiter esset designatus.

95 *Sed in lege Domini voluntas eius. Qui deinde ad id, quod bonum est perficiendum anhelans, omne cor suum, desiderium, voluntatem, & affectum apponit præceptis Dominicis, ex bona voluntate, illa fideliter cupiens implere. Et in lege eius meditabitur die ac nocte, & vt, possit hoc, in eius iugi se meditatione exercitat: assidua contemplatione & consideratione ea versando in animo, solicitus semper quomodo Dei legem operibus valeat illi placitis adimplere.* Diuina lex, lex amoris est: & voluntas Dei, voluntas amātis est, ideo nostræ voluntatis lex, & nostri amoris talis forma esse debet, vt instar lineæ parallelæ, illius adhæreat voluntati, cum illa moueatur, & cum illa terminetur, scriptum est enim, *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Est enim Deus, vt Angelicus Doctor docet, *Caritas increata, ad cuius notitiam non peruenitur, nisi per caritatem creatā, quia simile suo simili cognoscitur. Et qui manet perseueranter in caritate, in Deo manet, vt ab ipso contineatur: & Deus in eo, vt ipsum contineat, vicissim enim in se manent, qui continet, & qui continetur. Vnde Bernardus, Deus caritas est: Quid ergo caritate melius? Et qui manet in caritate, in Deo manet: Quid ergo caritate securius? & Deus in eo: Quid ergo caritate iucundius?* Lineæ hæ parallelæ, donec perueniant ad portum gloriæ, quem, ceu terminum fixum firmumque respiciunt, semper anhelant ad anteriora, semper ad anteriora se extendunt. Anhelat Deus, vt Iusti misereatur: anhelat & Iustus, vt Dei misericordiam consequatur. Solicitus est Deus ad præueniendum Iustum: solicitus est Iustus ad gratiam promerendā. Nam ille canit, Res est soliciti plena timoris amor: & Paulus præcipit, *Soliciti estote seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*: & Bernardus audet dicere, *Ego licet puluis, & cinis: fretus quidem Scriptura auctoritate: minimè istud dicere vereor, quia vnus cum Deo spiritus sum. Si vnquam tamen certis fuero persuasus experimentis Deo me adhærere, instar vnius illorum, qui in caritate manent, ac per hoc in Deo maneat & Deus in eis, manducantes Deum, & manducati à Deo. Nam de tali adhæsione puto dictum, Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.*

Titelmanus in Ps. 1.

Auctor.

1. Ioan. 4. 8.

D. Thom. in c. 4. epist. 1. Ioannis.

Ad Eph. 4. 3

Bern. ser. 71 in Cantica.

CORONA STELLIFERA

EX VARIIS EXPOSITIONIBVS CONTEXTA, & variorum Patrum,ac Doctor um,atque Auctoris luminibus illuſt rata.

VERSVS TERTIVS.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Agellius in Pſalm. 1. verſu 3.

96 Vātū cōmodi ex diuinæ legis iugi meditatione conſequatur is, quem beatum diiudicauit, in his verbis comparatione quadam exponit. Quod enim vnico verbo breuiter dixit Ioſuè, Tunc diriges viam tuam: hic explicatius euoluit. Hanc autem comparationem penè ipſis verbis attulit Ieremias Propheta,cùm de eo ſermonum haberet, qui ſperat in Domino. Ex quo colligere poſſumus eumdem eſſe, Qui meditatur in lege Domini iugiter: & eū,qui ſperat in Domino. Et aptiſſimè,qui nocte,dieque per totam vitā & per omne tempus diuinæ legis ſtudio vacat, & illius ſpiritualibus fluentis irrigatur, arbori ſimilis dicitur ſecus aquas plantatæ, diſciplinis nempe illis cæleſtibus,ac diuinis abluitur,vnde vires accipit, ſuo tēpore maturos fructus proferendi. Quærit Plutarchus, Cur à pluuijs aquis potius,quàm à fluentibus arbores & ſemina ſolent nutriri? Ad quod multis reſpondet, ſed illud magis ad propoſitum facit,vt, Quia aqua cæleſtis leuis eſt atque aerea,ſpirituque mixta, celerius ob tenuitatem deducitur, atque eleuatur in plantam. Pari quidem modò, parilique forma homo, ſeu planta ambulans ac inuerſa, in virtute creſcit, & folium verbi non deijcit,ac fructus ſpiritus tūc producit, quando plantatur ſecus decurſus cœleſtium aquarum, quando irrigatur flumine gratiarum, & quando fouetur ſpiritus aura, qui diuinis, vt docet Anſelmus, fæcundam reddit fructibus animam, Fructus enim Spiritus eſt caritas,gaudium, pax: quoniam ex bona arbore, ſicut optimi fructus prodeunt, vt refectionem perpetuæ ſaturitatis præbeant electis: ideoque propter ſeipſa ſunt appetenda. Fructus enim à fruendo dicitur, & frui propriè non dicimur, niſi rebus illis,in quibus finem lætitiæ noſtræ ponimus: in æternis ſcilicet bonis, quæ in Deo poſſidere quandoque ſperamus. O quàm verum eſt,& experientia magiſtra probatum Chryſologi Decretum, quòd, Hic agendo homo benè vel male, ibi ſibi terminum aut pœnæ, aut quietis indicit.

Auctor. Plutarch. in quæſt. naturalib. qu. 2.

Ad Galat. 5. 22. Anſelm. hic

Chryſolog. ſer. 66. de diuite, & Lazaro.

97 Et erit tamquam lignum. Quid eſſe hoc lignum dicimus, niſi per quod nobis ſalus venit? Deniquè,& de ipſo Salomon dixit, lignū vitæ eſt omnibus percipientibus eū. Qui ergo beatus eſt, imitator erit Domini Ieſu,qui eſt lignum vitæ,lignum ſapientiæ,plantatum in vtero virginis, voluntate Patris: à quo in perpetuū manſurū plātatur,vt fructū daret in tempore ſuo. Addā ex codē Ambroſio, Quod Paradiſus

Ambr. En. ſup. Pſ. 1.

Auctor. Idem Amb.

eſt

lib. de Paradiso c. 1.

est plurima ligna habens, sed ligna fructifera, ligna plena succi atque virtutis, ligna semper florentia viriditate meritorum, sicut illud lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, cuius folium non defluet, quia totus in ea fructus exuberat. Sicut aliquæ dantur plantæ, quibus hiems, ceu latro, viridem rapit pompā foliorum, easque spoliat pulchra & smaragdina frondium coma: multæ verò, è contra, dum fructibus coronātur, comam zelothipæ nutriunt, vt sit eis protectio ab æstu, & tegimen à tempestate. Ita, hinc hypocritæ carent folijs, quibus operiant opera bona, quæ illi pompaticè aperiunt: inde vero iusti, qui fructum semper dant, à folis teguntur semper, ne iustitiam faciāt coram hominibus, neue videantur ab eis, sicque fructus perdant, & mercedem eorum. Explicemus Ambrosium cum Ambrosio, sic dicente, *Fructus interior est, foliū exterius, qui fructus vel à Sole torrenti, vel à frigore defenditur: fructus, videtur esse fides, pax, doctrina, intentio, mysteriorum ratio. Hos fructus bona vita custodit, malam, etiamsi percipit, amittit. Tolerabilius enim est abstinere melioribus deferēdis, quàm infideli studio munus offerre. Vnde Cain sic offerenti, præcipitur, Quiesce.*

Ambr. in Enarr. sup. Psal. 1.

Ambros. in li. de Incar. Dom. Myster. c. 1.

Anglicus in Psal. 1.

98 *Cùm Psalmus iste exponatur generaliter de viro iusto, signanter comparatur ligno, seù arbori. Nam solebat olim definiri homo sic, scilicet, quòd homo est arbor inuersa. Nā id, quod est in alia arbore inferius terra immersum, scilicet radix, in homine est superius, scilicet, caput cum suis capillis, qui quasi radici arboris correspondent. Rami verò arboris sunt superius: at pedes ac tibia, ramis correspondentes, in homine sunt inferius. Iustus, & Beatus secundum animam, est arbor inuersa. Nam caput, seù radix eius sunt superiùs: & pedes, seù rami, inferius. Per radicem eius, & caput intelligitur appetitus intellectiuus, qui vnus est, & principium omnium actuum humanorum. Per ramos, seù pedes, intelligitur appetitus sensualis qui duplex est, scilicet, irascibilis, & concupiscibilis. Constat autem, quòd in viro bono iste appetitus, vt inferior, quia alteri appetitui tamquam præcedenti, subijcitur, secundum illud, Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Iustus est tanquam lignū, cuiùs radix sursum eminet: & ideo oportet ipsum sursum emittere radices, & ibi plantari, scilicet, in cælestibus: propter hoc enim aperti sunt cæli, & perforati, secundùm illud, Habentes Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei: vt radix ligni, scilicet, mens, & amor, ibi infigeretur, & ibi lignum hoc plantaretur in domo Domini. Et benè, quia sunt ibi aquæ irrigātes, scilicet, largitas gratiarum, & donorum, Fluminis enim impetus lætificat ciuitatem Dei: & Aquæ, quæ super cælos sunt laudant nomen Domini. Si tamen placet in terra plantari, plantetur in terra, quæ sursum est, in corpore, scilicet, Saluatoris. Propter hoc enim perforata fuit terra ista, & exiuit sanguis & aqua, vt humectaret hoc lignum, & eius radix infigeretur per fidem, & amorem, & sic plantaretur secus decursus aquarum desuper venientium. Non potest enim à fructu suo deficere lignum sic plantatum.* Ad has aquas te inuitat Tertullianus, vt ex puluere, & confracto vase, ob culpæ contritionem: per pœnitentiæ fluenta arbor euadas, & fructibus coroneris, his enim verbis te docet, & monet, *Rape occasionem inopinatæ felicitatis, vt ille nihil quondam apud Deum, nisi stilla situlæ, & area puluis, & vasculū figuli, arbor deinde fias illa, quæ penes aquas seritur, & in folijs perennuat, & in tempore suo fructus agit quæ non ignem, non securim videbit.*

Auctor.

Tertullian. li. de pœnit.

99 *Terra humanum cor cum virtutibus diuinitus inditis. Aqua doctrina legitima, & sancta, Sapientiam præstans paruulis. Sol verus,* Dei *virtus, à cuius calore nemo absconditur, in animis bene plantatis semper efficax. Quod fructum suum*

Arias Montan. in Ps. 1.

du-

dabit in tempere suo, & folium eius non defluet. Foliorum tantùm, ac frondium vmbraque nomine nullã in paradiso voluptatis commendatam legimus, nec etiam in Euangelio a Ioanne probatam. Hanc etiã ob causã diuinæ legis accepimus, Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Fructum suum, non alienum, id est, non ex vsuris. Immo nec probantur, nec leguntur ex spinis vua, neque ex tribulis ficus. Et folium eius non defluet: oliuæ præcipuum hoc attribuitur. Opera bona, & misericordiæ munia perpetuos producunt fructus, & premia æterna pariunt, nam ex Ambrosij sententia, *Qui bonum operantur, in ipso opere, & quo probentur, inueniunt remunerationem sui in opere consequentem, siquidem beatus fructus est conscientia bonum factum.* Bonũ enim factum conscientiam virtutibus ornat: vbi è contra, vt Esaias Abbas docet, *Qui conscientiam conculcat, virtutes excutit e corde suo:* Illis autem excussis, remanet vt arbor excussis folijs, floribus, & fructibus, ad cuius radicem securis posita est.

Auctor.

Ambros. in Enarr. sup. Psal. 40.

Esaias Abb orat. 16. de gaudio animæ Deo seruientis.

100 *Secus decursus aquarum, idest, iuxta fluenta legis, vt lignum vitæ immortalitatem capiens.* Ex arboris vitæ radicibus largus ille emanabat fons, qui totam paradisum irrigabat. Vnde legimus in Ambrosio, *Inter alia ligna, lignum vitæ Deus produxit in medio Paradisi, vt cætera ligna eius viriditate florerent.* Sicut fructus arboris vitæ, vescentẽ ab interitu vindicabat, & immortalitate donabat: ita & lex, *Lignum vitæ est his, qui apprehẽderint eã: & qui tenuerit eã, Beatus.* Audiamus Maximũ sic ad rẽ nostrã philosophãtem, *Si homo in discretione intellectiua, quæ temporanea discernit ab æternis, omnẽ operam collocet, obseruans mandatum Dei, edit lignum vitæ, cuius beneficio æternorum gloriam amplectitur, vt bonum: a labe autem temporaneorum abstinet, tãmquam à malo.* Obseruatio ergo perfecta mandatorum, & fructum vitæ producit, & veram parit beatitatẽ.

Arnobius in Ps. 1.

Auctor.

Ambros. in Enarr. sup. Psal. 39.

Prou. 3. 18.

Maximus Cent. 2. c. 28

101 *Diuinam Scripturam decursus aquarum appellauit, in quibus passim inuenies Christum prædicatum.* De aquis cum nascente mundo iam natis, asserebat Moyses, *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* Vel ex Syro, *Spiritus Dei fouebat aquas*, Vel ex Hieronymo, *Incubabat aquis*: quasi auis super oua, ex quibus aues, & pisces erant nascituri. Sicut de lapide Cessite puro ac candido refert Plinius, quòd, *Videtur intus habere partũ, qui sentiatur etiam strepitu:* non aliter de sacra Scriptura à Spiritu sancto inspirata, Christo fæcunda, asserit Augustinus, quòd Christo grauida, Christũ sonabat, si enim ipse inquit, *Ecce Pharisæi legebant, & in eo quod legebant, Christum sonabant:* en cessitem proponit. Si autem subdit, *Christum sperabant:* en eam nobis offert Christo fæcundam.

Athanas. in catena aurea.

Auctor.

Genes. 1. 2.
Syrus.
Hieronym.

Plin. lib. 37. cap. 10.

Aug. tr. 45. in Ioan.

102 *Et erit tamquam lignum. Lignum hebraica loquendi consuetudine, dicitur arbor, nec aliud est nomen Hebræis, quo significent arborem: vt lignum vitæ in Paradiso, arbor vitæ. Decursus item aquarũ Hebraicè* פלעים *pelagim: inde Græci latiniq́ue Pelagus dicitur à palag: scindere, cùm flumen in multas partes obruptum, rapidumque scinditur. Fructum verò suum. Fuerũt qui de stirpe, posteritateque sentirent: melius de virtute, quæ fructus sit perpetuæ illius in lege Dei meditationis. Fructus autem virtutis beatitudo, eaque duplex, tum in hoc corpore, qualis qualis haberi possit: longè magis in cælo. Quòd autem dixit, in tempore suo, vt vsus est arborum similitudine, sic per totam metaphoram decurrens adducit partum, fructumque arborum virentium irrigatarum. Tempus ergo suũ in arboribus quidem est ver, est autumnus; in hominibus certũ quoddam spacium, quo Deus vt fructus feramus, & à peccatis auertamur, nos expectat.* Sponsus olim sub agriculturæ schemate inuitabat sponsam ad dignos pœnitentiæ faciendos fructus, camque sic admonens, hortabatur ad

Aug. Eugubius in En. sup. Ps. 1.

Auctor.

no-

noscendum in tempore tempus, *iam hiems transiit, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.* Non tamen videtur, si ipse malè non video, temporum opportunitatem benè seruasse, nec ordinem agricolarũ obseruasse, quis enim arborum, vel vitium putationem distulit in tempus illud importunum quãdo flores apparẽt, quãdo turgent rami gemmis, & florum varietate ornantur arbores? Cùm ergo hoc sit ab arte agricolarum alienum, ad spiritualem agriculturam est transferendum. Qui ergo in tẽpus mortis, quod est ver vitę futuræ, arborẽ putare decernũt, pœnitentiã differẽtes, recidit tũc mors eos, falce illos abscindit, reiectosque abijcit, ac tamquam steriles, inferni ignibus tradit. Qui autem in tempore vitæ florum varietate depingũtur, virtuti operam nauantes, innocentiam sectãtes & citã pœnitentiam amplectẽtes, hi in vere putantur, & coronantur. Reddatur mari flumen, vnde exiuit: & Gregorius loquatur, vnde mea interpretatio emanauit, sic enim fatur, *Flores apparuisse in terra dicuntur, quia sancta anima, cùm à corporibus recedunt, in Cælo recipiuntur: & quia in hac vita, quamuis hiems fuerit, à bono opere non torpuerunt: mox vt recesserunt, in terra viuentium floruerunt. Benè ergo sequitur, quod dicitur, Tempus putationis aduenit: quia quò amplior electorum numerus in cælo congregatur, eò celerius reprobi ab Ecclesia, tamquam sarmenta inutilia, amputantur, vt mundus citius finiatur.*

Cant. 2. 11. Greg. Pap. lib. 12 mor. c. 38.

103 *Secundum decursus aquarum, secundum Populorum peccata, quia & aqua populi interpretãtur in Apocalypsi. Et decursus non absurdè intelligitur lapsus, quod pertinet ad delictum. Lignum ergo illud, id est, Dominus noster, de aquis decurrentibus, id est, populis peccatoribus, trahens eos in via, in radices disciplina sua.* Idem Episcopus Hipponensis alibi sic docet, *Quis ambigit eum, qui in lege Dei meditatur, spem habere ad premium capiendum? Quia sicut lignum iuxta aquam plantatum, sterile esse non potest: ita, & qui frequenti vsu legi Dei studet, non potest eius operis minimmè habere effectum. Et adiecit, Quòd fructum suum dabit in tẽpore suo. Omnis plantatio bene gubernata fructum dat tempore cõpetenti, sic & hic, qui legi Dei obtemperat, fructum habebit tẽpore prafinito. Tunc.n. huius deuotionis mercedem accipiet, cùm caperit Dominus Iesus Christus sedere ad iudicandum viuos, & mortuos.* Tempus faciendi fructus dignos pœnitentiæ per eleemosynarum largitionem, tempus præsens est, cuius mercedem tempore suo, id est, tempore mortis, & iudicij metemus. Vnde Chrysologus, *Est commutatio sanè vna, si homo prudens aurum ante mittat ad cælum, quam mittatur ab illo stultus, in tartarum Mittat per manum pauperis, quia quidquid propter Deum pauperi dederit, ad cælum sine dilatione trãsmittit.* Manus enim pauperis cælum est, & quidquid illi datur, locatur in cælo.

Augustinus Hippon. Ep. in Enar. sup. Psal. 1.

Idem Aug. quæst. vet. & noui test. quæst. 110. tom. 4.

Auctor.

Chrysolog. serm. 29. de Matthæo.

104 *Diuini Spiritus fluenta inundationem imitantur aquarum, & sicut illa nascentes arbores virẽtes reddunt: Ita & ista ad hoc promouent, vt diuinos fructus feramus. Rectè itaque beatus Dauid eum, qui diuinis sermonibus vacat, arboribus folia semper virentia, & fructum suo tempore ferentibus comparauit. Etenim, qui virtutum certamina sustinent, laborum suorum fructus quidem in futura vita recipient. Spẽ verò, tamquam folia quadam, continuè in seipsis ferentes, virent, & exultant, atque ita laborum molestiam hac oblectatione fallunt.* Et quidem hac oblectatione fallunt molestiam, sicut inauratæ pillulæ, quæ aurum ostentantes, aloè includunt: Sic, & Deus nos vtiliter fallit, dum fingit laborem in præcepto: vnde Bernardus, *An non fictus in pracepto labor, onus leue, suaue iugum, Crux inuncta? Huius enim rei sacramentum est, quod in dedicatione Ecclesiarum depicta in*

Basil Magn. Scol. super Psal. 1.

Auctor.

Psal. 93. 20. Bern. in Declamationibus super illud, Ecce nos reliquimus omnia,

pa-

pariete Cruces oleo sancto Pontifex linit. Cruces certè sunt, sed depictæ: onera sunt, sed leuia: iuga sunt, sed suauia: labores sunt, sed picti, atque ficti, *Fingit enim laborem in præcepto.*

Ps. 93. 20.

Beda in cõmentarijs sup. Ps. 1.

105 *Et erit tamquam lignum, &c. Hic versus de solo capite potest legi, vel de membris cum capite. Si simpliciter sistamus de Christo, quia hic puer stetit in medio Doctorum: & de Apostolis, qui non longo tempore didicerunt mysteria, scripturas, & linguas: habuerunt frondes, id est, verba prædicationis emiserunt. Et fructus, id est, conuersionem multorum. Secus decursus aquarum, Christi humanitas Dei sapientia fuit vnita, scilicet Verbo, quod sapientia est. Decursus aquarum, quia ad ipsa decurrunt, in quæque sibi membra subiecta. Aquarum, id est, spiritualia dona, & dicitur, omne donum perfectum de cælo est. Vel de vtraque natura, humana scilicet, & diuina vnita, vt significetur Christus, in quo fuit plenitudo Spiritus sancti, de quo legitur, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Vel aliter quod positus est secus decursus aquarum, id est, inter populos dilabentes per vitia, vel inter ægrotos medicus, vnde dicitur, non veni vocare iustos, sed peccatores. Vel aliter, id est, in vtero Virginis, secus decursus aquarum, id est, obumbrationem Spiritus sancti integram, quæ omnia incentiua vitiorum in ea destruxit, vnde dictum est, Spiritus sanctus superueniet in te. Et folium eius non defluet. Folium Christi vocat verba prædicationis, quia sicut folia præcedunt fructus: ita prædicationem Christi secuta est salus multorum. Quod folium non defluet, quia scriptum est, Verbum meum non reuertetur ad me vacuum. Et ideo omnia quæcumque faciet prosperabuntur: per omnia accipit tam dicta, quàm facta.* Hæc ille, & quidem late. Sed quomodo possunt prosperari folia verborum, quæ solo plausu resonante lætantur, nec fructus operũ afferunt, nec id, quod lingua profert, vita demõstrat? Quærit Chrysologus, cur Paulus ex priuilegio singulari ad tertium cælum sit raptus? Et respondet id nimis prouidè disposuisse cælum, vt qui Doctor Gentium fuerat ordinatus, quique Gentes in cælum erat ducturus, tereret ipse prius cælos, *Nam priùs conscendere debet cælos, qui sic, & verbo, & exemplo homines penetrare docuit cælos.*

Auctor.

Chrys. serm. 120. in verba Nolite configurari.

Bern. in ser. de S. Benedicto Abb.

106 *Inquiritur à Bernardo, vbi sunt decursus aquarum?* Et ab eodem panditur earum locus, *Profectò in vallibus, quia inter media montium pertransibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem semper diuertere vallis? Sic profectò, sic Deus superbis resistit, humilibus dat gratiã. Humilis ergo sic plantatur secus decursus aquarum, quoniam fructum suum dat in tempore suo. Sunt enim qui fructum non faciunt: sunt qui faciunt, sed non suum: sunt qui faciunt suum, sed non in tempore suo. Sic sũt aliqui, quorum fructus, quia nimis properè, minus prosperè oritur. Hi sunt, qui in initio conuersionis suæ alijs fructificare continuò velle præsumunt, contraque legis decreta, Arare in primogenito bouis, & ouis primogenita tondere festinant.* Vt ergo beatus vir sit arbor frugifera, & fructum suum det, & det illum in tempore, & omnia iã descripta effugiat mala, sectetur decursus aquarũ, & in valle humilitatis. Hæc omnium est medicina infirmitatum, *Nam virtus in infirmitate perficitur.* O mirum, o nouum? qua ratione, qua arte, humilitas gratiæ, infirmitas sanctitati præferri potest, dicente Ambrosio *Subuenit ergo infirmitas, ne gratia in periculum vertatur?* Vtilior ergo infirmitas gratia, nam officina virtutis est, quia virtus in infirmitatibus confirmatur. Nouum medendi genus, quo subuenit infirmitas sanitati, & quo humilitas gratiæ remedium præstat, ne ipsa per elationem in periculum incidat. Sicut enim potiones medicæ sanitati quidem vtiles, sed nimium efficaces, ne sanitati officiant temperãdæ sunt mollioribus me-

Auctor.

2. Cor. 12. 18

Ambros. in enarr. sup. Ps. 36.

di-

dicamentis: eadem arte, & gratia & virtutes ad ſanitatem animæ ordinatæ, ne per elationem animam lædant, humilitate adhibita temperantur, cùm ergo humilitas infirmitatis nomine cenſeatur, & gratia virtuteſue ſanitas appellentur, peregrino opere infirmitas remedium eſt ſanitatis. Vtilior ergo infirmitas, quàm gratia, ſubuenit enim illa, ne hæc in periculum vertatur. Sed vbi prætereo eiuſdem Doctoris verba, *Infirmitas officina virtutis. In pharmacopoli regia aduerſus omnia mala apportuna remedia conſeruantur: & in humilitatis officina contra omnia vitia vtiles medicinæ reperiuntur.* Hinc Eccleſiaſticus, tamquam animæ medicus te exhortatur, *Ante languorem humilia te. Græcus legit* ταπεινώθητι *id eſt, Humiliare*: & ex Palatij aphoriſmo, *Humilitati ſtudere optimum eſt medicamentum ad omnes animæ morbos pellendos.* Sed non ſunt ſilentio obuoluenda vltima Archiepiſcopi Mediolanenſis verba, *Virtus in infirmitatibus confirmatur.* Si ex Diu. Thoma, *Confirmatio eſt ſpirituale augmentum promouens hominem in ſpiritualem ætatem perfectam, & eſt nobilius ſacramentum baptiſmo, quoad miniſtrum, & gratiam*: quis vmquam negabit humilitatem, qua virtus confirmatur, & gratiæ ſubuenitur, nobiliorem eſſe gratia, virtute excellentiorem? Gratia quidem, & virtus, quaſi floſculi campi ſunt, humilitas autem, ceu lilium, omnes flores longe ſuperans, ſuperat candore, aureo colore, læuore, nitore, & odore, atque adeo ſuperat celſitudine, nam ex Secretarij naturæ decreto, *Nec vlli florum excelſitas maior.* Dicat ergo, *Speciosus forma præ filijs hominum*, *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Si enim campi, & loca aperta, reliquas adumbrant virtutes: vallis verò depreſſa, humilitatis hieroglyficum eſt: quis non videt, quod Nazareni figuram demonſtrant, & ſpecimē Domini virtutum oſtentant? Et ipſe in alijs pijs, inſtar eſt floſculorum in campis vltro naſcentium: in humilibus autem, inſtar eſt liliorum alta petentium, nam ex Ambroſio, *Pulchrè dictum eſt lilium conuallium, quia in humilibus magis elucet gratia.*

Idem ibid.

Eccli. 18. 21. Græcus.

Paulus à Palatio hic.

D. Th. 3 p. q. 72.

Pli. li. 21. c. 5. Pſal. 44. 3. Cant. 2. 1.

Ambr. ſerm. 4. in Pſ. 118. verſ. 8.

107 *Et erit tāquam lignum. Tres ſunt Paradiſi, tres incolæ, & tria ligna vitæ. Primus terreſtris, cuius fuit primus incola Adam. Secundus fidelium, ſcilicet Eccleſia ſancta, quam fūdauit, & habitauit Chriſtus. Tertius cæleſtis, ſcilicet Eccleſia triumphans, quam Deus inhabitat. In primo eſt lignum vitæ arbor materialis. In ſecundo humanitas Saluatoris. Nota, arbor fuit in conditione, folium in tentatione ſtipula in detectione. Vnde Iob, contra folium, quod vēto rapitur. Sed fuit arbor in conditione, vnde hic dicitur, Et erit tamquam lignum. Spiritus ſanctus dicitur aqua propter tria quę facit aqua, Refrigerat: ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te. Satiat: Aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illū. Et tertio propter liberum curſum, Spiritus vbi vult ſpirat, Exultauit vt gigas. Nota de Adam in Pſalterio non fit mentio, niſi per remotionem. Quidam moriuntur in peccatis, vnde, In peccatis moriemini. Quidam pro peccato ſcilicet originali, nam, & mortem, & omnes defectus habemus pro originali peccato. Labor eſt in ingreſſu, labor in egreſſu, labor in progreſſu.* Hæc ille. Vbi notandum, in motu naturali dari terminum à quo, & terminum ad quem: at in vita nil aliud reperitur, niſi labor. Labor eſt terminus à quo incipit humanæ vitæ motus, vnde Iob, *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum*: quia ex Pontificio dicto, *Inde mens ad ſumma euolat, vnde caro in infimis durius laborat.* Curſus vel fluxus vitæ hominis, ex lege naturæ, nullā formā cognoſcit, præter laborē, vt homines nō ſint, qui in labore non ſunt, dicēte Dauide, *In labore hominum non ſunt*: & obſeruante Caſſiodoro, *Homines hic ſanctos viros intelligamus, qui labores in hoc ſaculo ſuſtinent & diuerſarum afflictionem flagella patiuntur. Iſtud peccatoribus obſtinatis non prouenit, quod ad ſalutem, datur deuotis.* Terminus autē curæ

Bonauent. in Pſ. 1.

Auctor.

Iob 5. 7.

Greg. Papa lib. 6. moral. c. 7. alias 5.

Pſal. 72. 5.

Caſſiodorus hic.

H labor

labor est, vnde idem Psaltes, post-
quam cecinit *Redimet homo*: subte-
Psal. 48 8. xuit, *Et laborabit in æternum, & vi-
uet adhuc in finem.* Vbi Euthymius
Euthim. hic. legens, *Laborabit in sæculū, & viuet
in finē*, ita subdit, *Per finē futuri sæ-
culi intellige quo præsēs sæculū termi-
natur.* Si ergo homo in sæculū la-
borat, nec labor terminatur nisi
cum termino vitæ: ergo vir bea-
tus, & in principio vitæ, & in cursu
vitæ, & in termino vitæ, in labori-
bus insudare, & in bonis operibus
tenetur operam nauare.

Brademach. sup. Psal. 1. 108 *Et erit tamquam lignum. He-
braï sæpe pro arbore lignum vertunt.
In Hebræo est* אגז *aghecz quod ar-
Auctor. *borem significat.* Sed arborem folijs,
ornatam, coronatam fructibus: hęc
enim beati viri hieroglyphicum
est: vbi è contra, vt etiam Plinius
Plin. lib. 16. cap. 26. narrat, *Infelices æstimantur, damna-
tæque religione quę neque seruntur
vmquam, neque fructum ferunt:* &
Dominus, vt hoc schemate de-
monstraret infelices esse impios &
religione damnatos, cùm in ficu
nil præter folia inuenisset, male-
dixit ei, quæ quasi fulmine icta,
elanguit, statimque arefacta est.
Et iure, non enim arbores propter
folia, sed propter fructus homini-
bus sunt datæ: nec homines pro-
pter verba, sed propter opera Deo
sunt consecrati, & qui fructibus
non coronantur, in æternum dā-
nantur, & contra quemlibet eorū
Marcus 11. 4. sententia fulminatur. *Iam amplius
in æternum ex te quisquam fructus
manducet.* Audiamus Bedam, hæc
Beda hic. omnia describentem. *Esuriens
Christus, id est salutem humani gene-
ris desiderans, videt ficum, id est, elo-
quia legis & Prophetarum, & quæsi-
uit in ea fructum boni operis docendo,
corripiendo, & miracula faciendo, &
non inuenit: & ideo damnauit. Tu
quoque si non vis damnari à Christo
in iudicio, arbor sterilis esse caueto: sed
potius pauperi Christo fructum pieta-
tis quo indiget, offer.*

Caietan. in Psal. 1. 109 *Et erit tamquam arbor. As-
similatur beatitudo viri iusti in præ-
senti vita arbori habenti quattuor cō-
ditiones. Prima est plantationis super
riuos aquarum, & hoc quo ad radices
vnde vegetetur. Secūda est, quoad fo-
lia, de quibus dicitur, Et frons eius nō
arescet. Tertia conditio est, in fructu,
continens & productionem fructus
proprij, ne putaretur, sicut vitis expe-
ctata, vt faceret vuas, & fecit labru-
scas. Et tempore debito, ad excluden-
dum fructus abortiuos, vt ex his in-
telligas, quod sicut arbor ista est bea-
ta inter arbores: ita vir hic est bea-
tus inter homines: vtpotè, qui licet,
natus in carne, natus in mundo, plan
tatus est à Deo in Spiritu caritatis
iuxta riuos à Spiritu sancto fluen-
tium aquarum, spiritualium gratia-
rum, diuinorum eloquiorum, & sa-
cramentorum, ex quibus alitur, & ve-
getatur, quia non in solo pane viuit Et
qui, vt* Hieronymus *declarauit, ad
huiusmodi humorem mittit radices af-
fectuum & meditationum, nō timebit,
cùm superuenerit æstus concupiscen
tiarum, aut persecutionum: sed dabit,
& verè dabit spontaneus fructum
boni operis suum non alienum: & in
tempore suo, alioquin prudens non* Auctor.
esset. Notanda verba, *Plantatur à
Deo beatus vir, excolitur autem ab
homine, vt det fructum boni operis:*
& cum Philone obseruanda, hinc
lex, *Non plātabis lucum, & omnem* Deut 16. 21.
*arborem iuxta altare Domini Dei
tui*: & inde Oraculum, *Plantauerat* Genes. 2. 8.
Deus paradisum voluptatis. Petit er-
go Philo, *Quare cùm fas piumque
sit imitari opera Dei, ego vetor planta-
re lucum iuxta Sacrarium, Deus au-
tem plantat Paradisum? Sic enim lex,
Non plantabis tibi lucum, & omnem
arborem iuxta Sacrarium Dei tui, nō
facies tibi ipse. Quid igitur dicendum?
Decens esse Deo plantare, & ædificare
virtutes in anima: Mēs autem si amo
ris expers, & impia, volens videri
æqualis Deo, Deum se facere putat, re
vera patitur. Ceterum cum Deus se-
minat, & plantat in anima, quidquid
honestum est, mens si dicat, Ego plan-
to: impiè facit. Non plantabis igitur,
quia Deus plantat.*

110 *Ligno fructifero comparatus* Cassiodor. sup. Ps. 1.
*est Dominus Christus propter Cru-
cem quam pro hominum salute susce-
pit. Quod plantatum est, id est insitum
est virtute à Deo, quod semper in fide
viueret, & cresceret. Secus decursus*

aqua-

aquarum, nam ſicut terreſtris aqua discurrens, vita eſt lignorum viuentium: ſic aqua ſpiritualis lignum Crucis inundat, quæ ſalus eſſe cognoſcetur fidelium animarum. Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. O fructus mirabilis, qui humanum genus dulciſſima credulitate ſatiauit, fructus enim dicitur a fruendo.

Auctor.

Qui autem fieri poteſt, vt quis eo fructu fruatur, qui guſtatus affert mortem? Sed talis olim erat. At poſtquam in eo inſitum eſt Verbũ vitæ, vitæ attulit fructus, quibus fideles fruuntur, à quibus cum Maximo, *Non ſolum intelligitur Crux ligni patibulum, ſed pia vita virtutiſque propoſitum.* Si talis metamorphoſis cauſam inquires, in Caſſiodoro inuenies, *Crucis enim lignum inſitum eſt virtute à Deo.* Nam a Iudeis dicentibus, *Venite mittamus lignum in panem eius:* facta eſt inſitio: virtutem autẽ accepit à Deo. Audiamus Ambroſium hanc inſerendi vel gratiam, vel artem, ſic docentem. *Pulchrè iſta duo coniunxit, Iniciamus lignum in panẽ eius. Neſciebãt quid loquerentur Iudæi, & myſterium loquebantur. Paradiſum nobis Crux reddit Chriſti. Hoc eſt lignum, quod Adæ Dominus demonſtrauit, dicens, De ligno vitæ, quod eſt in medio paradiſi edẽdum.*

Maximus in ſer. de Martyribus.

Caſſiodorus ibidem.

Ambroſius in enarrat. ſup. Pſ. 21.

111 *Erit tamquam lignum, quod Pater abſque vllo interceſſore, ferax, frugiferum, bellè germinans, altiſſimum, frõdoſumque progenuit. Hoc lignum Sponſa deſiderans, dicit in Cantico Canticorum, Dixi aſcendam in palmam, & tenebo ramos eius: palmam quidem ipſum vocans, propter carnis turpitudinem, infra: fertilitatem autem diuinitatis, ſupra. Huius ligni eſum, cùm recuſaſſet Adam, in contrarium incidit: nos autem nunc myſticè comedentes, transgreſſionem ex ipſo exterminamus, lignum enim vitæ eſt Chriſtus, lignũ mortis eſt diabolus. Hic enim hominem expellit ex paradiſo. Ille vero Latronem ducit in Paradiſum. Ramos enim habet, Apoſtolos: fructus eos, qui ſalui fiunt: foliorum comam, orationem: radicem, baptiſmũ: Agricolam, Patrem, qui ipſum, vt ſupra, & infra, abſque interceſſore peperit. Vis etiam videre eius fructum, quem dedit in tempore ſuo? Vide eum Crucifixum, & latus eius compũctum, ex quo ſanguis, & aqua ſcaturijt. Sanguis quidem ad repreſentandum martyrium, aquam verò in ſignum baptiſmi. Quoniam enim compunctum latus Adam ſupplantauit, neceſſario punctum quoque latus eum regenerauit. Humidum lignum deiecit, lignum autem ſiccum mundum rurſum erexit. Eſus illius mortem peperit, eſus eius vitam fecit rurſus germinare. De illo enim dictum eſt, Non comedite ex illo: de hoc autem, Guſtate, & videte, quod benignus eſt Dominus.*

Chryſoſt. in interpr. ſuper Pſ. 1.

Illud decepit parentes hominum diuinitatem promittens, & iumentis ſimiles eos reddens, ex quo omnes homines mendaces euaſerũt: hoc veritatem continens, verè diuinos reddit comedentes. Hinc Dauid hominum caſum deplorãs, ita canebat, *Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax.* Quomodo, o Dauid, opponeris his quæ Teſtis veridicus dixit de Virginibus, *In ore eorum non eſt inuentum mendacium?* Verum quidem definit Pſaltes, omnem hominem, qui ſe putat hic poſſe eſſe felicẽ, mendacem eſſe. Dicit ergo per ea, quæ Euthymius docet, *Dixi palàm ac manifeſtè, quod omnis homo in hac vita fallax eſt, iuxta humanam hanc beatitudinem, omnia enim humana, Vanitas vanitatum ſunt, mutantur enim, & corrumpuntur: ſed quæ in illa ſunt viuentium regione, non fallacia, ſed vera ſunt omnia.* Et quæ in Eccleſia ſunt, quæ imago eſt futurorum, vera ſunt omnia, & per eam medicãtur omnia. Mendacium ex cibo eſt ortum, & homo per illum mutatus eſt in brutum: veritas ex cibo, & calice ſacramenti eſt exorta, & homo per Euchariſtiam mutatur in Deum, ſubdit enim Pſaltes, *Calicem ſalutaris accipiam.* Sicut in vino veritas, & in vino ebrietas, quæ hominem extra hominem agit: ita Euchariſticum poculum extra ſe hominem trahit, & transfert in Deũ.

Auctor.

Pſ. 115. 11.
Apoc. 14. 5.

Apoc. 14. 5.

Euthimius in Pſal. 15.

Pſ. 115. 13.

Adhibeam talis aſſertionis fideiuſsorem Auguſtinum, ita loquentem, *O homo, peccato tuo mendax, dono autem Dei verax, & ideo iam non homo, quis tibi dedit calicem ſalutaris, quem accipiens, & inuocans nomen Domini, retribuis ei pro omnibus, quæ retribuit tibi? Quaſi diceret, Dominus pro cibo vetito retribuit tibi calicem ſalutarem, & dum hunc tu illi retribuis, ac illo poto inebriaris, tu qui peccato tuo mendax eras, dono Dei verax euadis, & ita iam non homo, ſed Deus.*

Auguſtin. in Enar. ſuper Pſal. 115.

112 *Quemadmodum arbor plantata ſecus decurſus aquarum; Sic anima diuina irrigata Scripturarum pinguatur, & maturum fructum affert, fidem orthodoxam, & ſemper virentibus filijs, id eſt, placentibus Deo actionibus decoratur.* Differt, toto cælo, arbor plantata ſecus decurſus aquarum, nempe ſecus cæleſtia verba ſacræ Scripturæ & Prophetarum, à plantis defixis iuxta Poetarum aquas. In his fluminibus Babylonis, non floridas arbores, non fructiferas reperies plãtas, ſed tãtum ſalices ſteriles atque infæcundos, de quibus refert naturæ Myſtes, *Ocyſſime ſalix amittit ſemen, antequam maturitatem ſentiat: & ſemen ſalicis, mulieri ſterilitatis medicamentum eſſe conſtat.* Quis enim non defleat tot animas talibus aquis prophanæ lectionis irrigatas, ita ſteriles euaſiſſe, vt nec folium verbi, nec florem deſiderij, nec fructum vllum ferãt operis boni? Aſt, anima iuxta Scripturæ ſacræ flumina plantata, atque diuinis eloquijs irrigata, & folijs ornatur verborũ, & floribus decoratur deſideriorum, & fructibus coronatur meritorum, & diuino ſemine fæcundatur, & Dei filiationem adipiſcitur, & impeccabilitatis Diademate coronatur, *Omnis enim qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare.* Sed graue tibi non ſit, ò Aquila volãs, ſi duo requiram à te, primum quomodo conſonent, quæ modo doces cum his, quæ dicebas, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus?* Et demũ, quodnam ſit hoc mirabile ſemen, ꝙ impeccabilem reddit virum beatum? *Reſpõdet pro ſummo Theologo Pontifex ſummus, ſemen Dei Scripturam eſſe, agrum cor, ſationem lectionem, fructũ Dei Filium, vnde colligimus impeccabilitatis affectum, innocentiæ effectum.* Sic ergo fatur, *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia gratia cæleſtis ſeruat eum. Quid eſt naſci de Deo, niſi cognitam in ſacris Scripturis eius voluntatē diligere? Et quid eſt non peccare, niſi in luce iuſtitiæ ſemper conſiſtere?*

Damaſc lib. 4. de fide c. 18.

Auctor.

Plinius lib. 16. c. 26.

Ioan. 3. 9.

1. Ioan. 1. 7.

Greg. Papa in c. 14. lib. 1. Regum.

113 *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Talis arbor facit fructum abundanter, quia à radicibus trahit humorem: vt è contra, de ſemine ſuper petram dixit Chriſtus, Natum aruit, quia non habebat humorem. Et folium eius non deſluet, id eſt, ſermo eius à rectitudine legis diuinæ non cadit, vt docet Apoſtolus, Sermo veſter ſemper ſale ſit conditus, id eſt, diſcretione ornatus: & Salomon, Non ſis procax ad loquendũ, ſed modera labia tua. Et omnia quæcumque faciet proſperabuntur, Omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati sũt ſancti. Nam mala, quæ fortaſſe committit, occaſionaliter cooperantur ſibi in bonum, eò quòd cautior ſurgat, cuſtoditior fiat, humilius pæniteat, immo, & ardentiùs diligat, vt ait Saluator, Cui plus dimittitur, plus diligit: Et vbi abundat delictũ, ſuperabundabit, & gratia. Notandũ quod ſermo frondibus comparatur, & operatio fructui: ſicut frondes ſine fructu deſpiciuntur: ita doctrina ſine operatione. Ideo Dominus maledixit ficulneæ folia habenti, non fructus.* Quadrat ad hoc propoſitum Hoſeæ præceptum, *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ:* Vel ex Septuaginta, *Seminate vobis in iuſtitia, vindemiate in fructu vitæ, illuminate vobis lumen ſcientiæ.* O ſacer Propheta, ſi in ſatione, vel plantatione priùs ſeritur ſemen, vel plantatur arbor, deinde meſſis fit, & colligitur fru-

Dionyſius Carthuſ. in Pſal. 1. iuxta ſenſum litteralem.

Auuor. Hſ ex 10. 12.

Septuaginta.

ctus, qua noua lege inuertis agriculturæ statuta, & ad Iustitiæ semen, & scientiæ lumen, non vis vt procedatur, nisi priùs fructus operis recipiatur, ac vitæ sanctitas vindemietur? Sic, sic in spiritali agricultura, diuersa à corporali, diuersus etiam ordo seruandus est, sicut Mediolanensis Antisthes docet, *Non priùs, Illuminate, quam seminate: nec solum seminate prius ad iustitiam, sed etiam vindemiate, inquit, ad fructum vitæ, & sic illuminate fructum cognitionis, vt perfectio, non solum consitis, sed etiam receptis fructibus approbetur.* Adagium verus ex Plauto est, & à nobis sæpe relatum, *Sementem vt feceris, ita & metes*; sed Adagium nouum est ex Cassiodoro, *Non potest authoritatem habere sermo, qui non iuuatur exemplo.* Quasi exemplum semen sit, sermo autem messis. Et eo modo quo non ex floribus, vel ex folijs cognoscitur arbor: ita non ex verbis, sed ex vita dignoscitur Iustus, sic enim ait Clemens Alexandrinus, *Qualis sermo, talis est vita. Arbor autem cognoscitur ex fructibus, non ex floribus, & folijs, ac ramis. Cognitio ergo est ex fructu, & ex vita institutione, non ex verbo, & flore.* Ornet hæc omnia Chrysologi aureus stylus, *Magisterium stat de scientia, sed magisterij authoritas stat de vita. Docenda faciens, obedientem perficit auditorem: docere factis, est sola norma doctrinæ: doctrina in dictis scientia est, in factis virtus. Scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtute, nam capit Iesus facere, & docere.*

Ambros. ser. 1. in Enar. sup. Psal. 118.

Adagium ex Plauto in Epirico. Cassiodor. lib. 11. Epist. 8.

Clemens Alexand.

Chrysolog. ser. 167. de D. Ioan. Bapt. prædicante.

114 *Et erit tamquam lignũ quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore. Si benè respicimus, multum iam recepit in tempore non suo, quia apud operantis meritum misericordia ipsa in premium est. Videamus autem quid sit, quod dixit de sancta anima, fructum suum dabit, & non magis dixit, accipiet: quod tempus commemoret, in quo fructum datura sit? Quod vtique, nisi in aduentu Christi, atque Iudicij, quando si ita egerimus, offerre merebimur bonorũ operum fructus? In tempore itaque illo erit quoddam commercium dãdi & accipiẽdi inter hominem & Deũ: homo afferet, quod laborauit: & Deus restituet, quod promisit. Tu ei exhibebis opera tua, & ille dabit premia sua. Tu ei exhibebis corporis castitatem, ille retribuet incorruptionem. Dignum enim esse iudicat, vt qui hic studuerit integritati, nulla illic possit labe vltra corrumpi. Tu ei offeres conuersationem, quæ peccatum & sciuit, & vicit: ille te perducet ad illam beatitudinem, in qua peccatum nec vincere necesse erit, nec scire. Tu dabis eleemosynas & misericordias, quæ capere premium possunt: ille reddet, quæ pretium habere non possunt.* Accipiet ergo fructum eleæmosinæ, potius quã dabit: vel parũ dabit, & multũ in tempore suo accipiet. Dat mercator ad vsuram mille, & anno transacto repetit mille & centum: das tu ad vsuram Deo, dum pauperi das, & Deus cum vsura, quod das, reddet prò vno centum, & pro decem mille. Ad hanc vsuram nos Dominus sic hortatur, *Vendite quæ possidetis, & date eleemmosynam: facite vobis sacculos.* Quod si petas, ad quid sacculorum præcipitur vsus, vbi omnia erogata sunt pauperibus? Meritò quidem, nam pauperi erogata; Deo sunt data, à quo cum vsura reddentur, non vnius pro centum, sed centum pro vno. Adhibeo talis promissionis fidum fideiussorem Chrysologũ, *Fac tibi sacculos erogando, quia quidquid pauper acceperit, Pater cælestis suscipit. Et vbi recondit? In cælo. Et ne forte perdidisse te doleas vel vsuram, centuplum in cælesti fanore recipies, quidquid in Cælo paupere transmiseris perferente. Vsura mundi centum ad vnum: Deus vnum accipit ad centum.*

Eusebius Emissenus in hom. de Vidua.

Auctor.

Luc. 12. 33.

Chrysolog. serm. 25. de terrena cura despic.

115 *Qui ita se habet, vt diximus, is instar arboris plantatus iuxtà fluenta eloquiorum Dei, atque illorum doctrina perpetuò irrigatus germinabit, fructumque, nempè ipsas virtutes, opportuno ferens tempore, folia non dimittet, id est, humilitatem non deponet, quo*

Euthymius in Psal. 1.

vir-

virtutes omnes, non secus ac proprios fructus protegit atque conseruat. Vel aliter, per fructus intelligere possumus vniuersas illas diuitias, quæ de spiritualibus laboribus congregantur: & per folia virescentem spem salutis. Et iure, arbor inuersa fructum virtutis dat iuxta fluenta eloquiorum Domini virtutum, nam ex Plutarcho, *Virtutem prorsus tollimus, cùm discendã negamus, quando disciplina generatio quadam est, quæ fœtus in anima discētis à Doctore producitur.* Ideo fatuæ illæ Virgines, Serò sapientes, oleum cælestis petebant disciplinæ, atque dicebant, *Date nobis de oleo vestro; quia lampades nostræ extinguntur.* Sicut enim lampadis lumen deficit, oleo deficiente: Sic virtus cessat, vt Gregorius putat, scripturarum, vel lectione, vel eruditione cessante, ait enim, *Illi in sancta Ecclesia lucere per exempla alijs possunt, qui eruditione Scripturarum, & claritatem acceperunt luminis, & oleum perfecta caritatis.* Nec aliena est metaphora ligni à flammante igne, vt enim cum Anglico retulimus & cum Isidoro, *Lignum dicitur, quia incensum, in lucem vertitur, & in flammam.*

Auctor.

Plutarchus in Opusc. de Curiositate.

Matt. 25. 8.

Gregorius Papa lib. 17 Ethimolog. relatus ab Anglico in Psal. 1.

Isidorus lib. 17. Ethimolog. relatus ab Anglico in Psal. 1.

116 *Et erit tanquam lignum, Nam Christus viridior ceteris. Quod, id est, per quod ad eum accedere possumus. Plantatus est secus decursus aquarum; vel secundum sapientiam, quæ hominem suscepit: vel secundum Spiritum sanctum: vel secundum fluxus populorum. Et fructum suum dabit, id est, vitam æternam dabit in tempore suo, id est, post resurrectionem, & ascensionem misso Spiritu sancto: tempore plenitudinis, non enim est datus Spiritus, quia nondum glorificatus est Christus.* Vbi Augustinus diligenter quærit, & accuratè inquirit, quomodo Spiritus non erat datus, antequam Christus esset glorificatus, cùm de Baptista legamus, Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & Virgini ꝓmissũ fuerit, Spiritus sanctus superueniet in te: & si Elisabeth, item Simeon & Anna Spiritu sancto repleti loquuntur? *Quomodo ergo intelligitur, nisi quia certa illa Spiritus sancti datio, post glorificationem Christi futura erat, qualis numquam fuit?* Nusquam enim legimus linguis, quas non nouerant, homines locutos, veniente in se Spiritu sancto, sicut tunc factum est, cùm oporteret, & eius aduentum sensibilibus demonstrari.

Glosa Interlinearis in Psal. 1.

Auctor.

August. relatus à D. Thoma in cat. sup. c. 7. Ioan.

117 *Et erit tamquam lignum. In paradiso est lignum vitæ, lignum ad vitam, & lignum scientiæ boni, & mali. Scripturarum interpres, est lignum vitæ, quia a sacris Scripturis vitam haurit: & est lignum ad vitam, quia alijs vitam largitur: & est lignum scientiæ, dum bona sequenda, & mala fugienda demonstrat.* Trahit Gregorius ad hoc probandum illud, quod legitur de Abner, *Et nomen Principis militum eius, Abner filius* Ner. Vbi Principē militiæ spiritualis asserit esse Doctorē, Ner enim putat significare Lucernam, & hãc æstimat esse Scripturã, cuius Abner, id est, Doctor, filius est: sicut enim filij à parentibus vitam trahunt: ita & isti à verbis Scripturæ. Sed ipsum audiamus philosophantem. *Filius lucernæ est, qui verba Scripturarum intelligit, & per affectum caritatis apprehendit. Cur igitur dicitur Filius Lucernæ, nisi quia quod de lumine nascitur lumen est? Quid item bonũ opus, nisi lumen?* Qui ergo sine legis luce, & sine Doctore duce in hac nocte ambulat, in præcipitia ruit, & in pessum vadit.

Glosa ordinaria in Psal. 1.

Auctor.

1. Reg. 14. 49.

Gregorius Papa hic.

118 *Et erit tamquam lignũ, quod plantatum est secus decursus aquarum. Iuxta decursus quippe aquarum plantatus est, quia iuxta lapsus incarnatus est defluentium populorum.* Hoc est quod Propheta optabat, hoc est quod enixè postulabat, dicens, *Fiat manus tua, vt saluet me?* Quasi diceret Manus tua, id est, Filius tuus, non factus, sed genitus, qui me iam fecit, fiat modo per incarnationem, & passionem, vt me deficientem reficiat, & saluet errantem. Eumdem Gregorium propono huius meæ

Gregor. Papa hom. 2. in Ezech. Proph.

Auctor.

Psal. 118. 173.

in-

Ezech. 1.3.

interpretationis fideiussorum, qui explicans verba Ezechielis, *Et facta est super eum ibi manus Domini:* ita philosophabatur

Gregor. Ibidem.

Manus, vel Brachium Domini, Filius dicitur, *quia per ipsum omnia facta sunt. De quo etiam Psalmista ait*, Fiat manus *tua, vt saluum me faciat. Manus quippe Dei, quæ per diuinitatem nō est facta, sed gratia, per humanitatē facta est, vt humani generis vulnera sanaret. Ibi ergo Propheta incarnationem Vnigeniti agnouit, vbi super se manum Domini factam vidit.*

Idem Gregorius li. 19 Moral. cap. 16. alias 26.

119 *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Decursus quippe aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum, & de semetipsa Veritas dicit, si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? Lignum ergo secus decursus aquarum est, qui fructum, & protectionem sui vmbraculi nobis proferens apparuit Creator in carne, vt humanum genus per resurrectionem robustū figeret, quod per defectū quotidie ibat in mortem.*

Auctor.

Explicemus, ex Gregorio Nazianzeno Gregorij Pontificis doctrinam, & cum illo demōstremus celestem medicum, non asperiore medicina minarum vel cædis, sed suaui ac leui assumptæ carnis medicamine, hominem à lapsu eruisse, & à morte liberasse. Dicit ergo,

Greg. Nazianzenus orat. 42. quæ est 2. in Paschate.

Hanc in eo restaurandoi rationem initam esse existimamus, vt acriore, & asperiore medicina improbata, leui ac facili medicamenti genere ipsius resipiscentia prouocaretur. Inde ad plantæ incuruæ similitudinem ipse recurrens, & ad equi præferocis qualitatem, videns neque hunc, neque illam violentia erigi, vel tyrannico freno retineri, sed paulatim, & blanda manu, vel incuruam dirigi, vel currentem frenati, ita subnectit,

Idem Ibidem.

Neque enim plantam incuruam subitam inflexionem, manusque erigentis violentiam ferre, sic enim potius fore, vt lædatur, & infrigatur, quàm vt erigatur: nec equi præferocem, ac iam ætate aliquantò prouectiorem, freni tyrannidem perferre, nisi blanda quadam & adulabunda manu permulceatur.

Haimon. sup. Psal. 1.

120 *Et erit tamquam lignum. Similitudinem apponit arboris, quæ per humorem apto tempore florescit, & fructificat. Sic Christus conceptus est sine motu libidinis, per Spiritum sanctum sanctificatus, stabilis contra impetus tentationis permansit. Secus decursus aquarum: id est, in plenitudine Spiritus sancti, per aquas enim Spiritum sanctum intelligimus,* Flumina *aquæ viuæ fluent de ventre eius. Decurrentes eius aquas dicit, quia nullus Spiritui sancto resistere potest, Nemo poterat resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. Secus, dicit, quia natura humanitatis non fuit versa in naturam diuinitatis, sed iuxta, id est, coniuncta fuit. Et ipse vt lignum vitæ nobis datus fuit, aufert enim à nobis per sui corporis mortem, mortē æternam & senium, quod lignū vitæ faciebat.*

Auctor.

Quis nō miratur Heuam tunc matrem viuentium intempestiuè appellatam, cùm pœna mortis à cælo sic fuit mulctata, vt pereuntium parens potiùs fuisset nuncupanda? *M*ysterium ergo latet, vbi narrationis sensus non patet. Mysterium autem est, quòd si Heuæ attenditur typus figura, est Ecclesiæ. Si notatur & ortus ex costa Adam primi, præfigurabat Ecclesiæ natalem ex latere secundi. Et si penditur nomen matris viuentium, præibat huius parentis nomen & munus, filios enim pascens eo fructu ex arbore vitæ pendente, & sanguine, qui ex latere manauit Auctoris vitæ, viuentium, non absque causa, appellatur Mater. Confirmatur hoc totum ex Augustino dicēte,

Augustin. li. 12. cōtra Faustum.

Ecclesia quæ de viri sui latere facta est, Heua, id est, mater viuentium, vocatur. Etenim Dominus dicit in Euangelio, *Si quis non manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: & contrà, Qui sumpserit debita cum præparatione, vita fruetur æterna.* Ecclesiæ ergo, quæ talem mortalibus, sed fidelibus ministrat fructum cælestialem, & miscet sanguinem vitalem

talem

talem negare quis poterit Matris viuentium & titulum illustrem, & nomen præclarum deberi?

Hieronym. in cap. 11. Com. Ierem.

121 *Super aquas plantatum est lignum, id est, super Spiritus sancti gratiam, & diuersas donationes. Vel, aliter possumus dicere, quòd de siccitate Iudaeæ translati sumus in baptismatis gratiam sempiternam.*

Auctor.

Et iurè vtrumque vnit, nempe aquam baptismi, & Spiritus sancti gratiam, quia teste Augustino, *Baptismi aqua per Spiritum est efficax.* In quæstionem tamen vocari posset, cur Spiritus Dei non ex cælesti materia, non ex ignea, ex terrea nequaquã, sed ex aqua sibi sic cõfecerit currum, vt verè dicatur, *Spiritus Dei ferebatur super aquas?* Fortassis, in mundi maioris formatione, minoris mundi adumbrabat reformationem: & sicut cosmos tunc figurabatur ex aqua, ita astruebat microcosmum ex baptismate refigurandum. Tertullianum adhibito fideiussorem sic enim ait, *Solus liquor super materia perfecta, lata, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subijciebat. Qua tam tunc etiam ipso habitu prænotabatur ad Baptismi figuram Dei spiritum, qui ab initio superuectabatur super aquas intinctos reformaturum.* Reformaturum dixit, & quidẽ bellè, quia Spiritus ex aquis educebat aues, nempe animas Deo renascẽtes, quæ virtutum pennis aligeræ, de terra in cęlum, de peregrinatione ad patriam, & de miseria reuolabant ad gloriam alatæ, & lætæ, dum peccato prius grauatę elenabantur ad cælum, & quas per culpa detestabatur terra, in sacro fonte deitas euocabat ad sidera.

August lib. 13. confess. cap. 12.

Genes. 1. 2.

Tertullianus lib. de Baptismo cap. 3. & 4.

122 *Quod autem esset hoc lignum vitæ, Propheta Salomon docuit, dicens de adoritione Sapientiæ, Lignum vitæ est omnibus, qui complectiuntur eam, & qui incumbunt in eam, sicut in Domino. Lignum hoc viuens est, neque solum viuens, sed etiam rationale. Rationale autem in tantum, vt fructum det: det verò non confusè, non importunè, sed tempore suo. Et plantatum est hoc lignum iuxta decursus aquarum, in possessione scilicet regni Dei, id est, in Paradiso, & vnde flumen exiens in quattuor principia diuiditur. Non enim ait, Post decursus aquarum, sed iuxta decursus aquarum. Illic enim plantatum est hoc lignum, quo Latroni illum se Dominum confitentem, Dominus, qui Sapientia est, introduxit, dicens, Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso.*

Hilarius in enarr. sup. Psal. 1.

Auctor.

Quæres, in quonam Paradiso fuerit Latro in illo die cum Rege Paradisi? O terque, quaterque beatus, qui in Redemptoris manu, illum inuenit. Si enim Salomon ait, *Iustorum animæ in manu Dei sunt*: & in eisdẽ manibus Ierusalem est depicta, quæ Paradisi, & pacis formam gerit: inibi ipse Paradisum inuenit. Sicut ergo Nyssenus de Christo prædixit, *Si quæris, quomodo in Paradiso, cùm se Patris manibus commendarit? Tibi sublimis Esaias respondebit, de cælestis Ierusalem, quã nihil aliud nisi Paradisum esse credimus, ex Dei persona. Descripsi muros, inquiens, tuos in manibus meis: quare si Ierusalem, hoc est, Paradisus in manibus Patris descripta est, consequens est eum, qui in Paradiso sit, in Patris manibus, in quibus descriptionem habet diuina Ciuitas, commorari.* Ita, & de Latrone possumus nos repetere, quod si Paradisus in manibus Christi descriptus est, & ipse in manu eius illo die fuit, fuit ex consequenti in Paradiso.

Sap. 3. 1.

Nyssenus orat. 1. in Christi Resurrectioné.

123 *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, id est, grattarum, vel lacrymarum Fructum suum dabit in tempore suo. Iustus debet facere fructum boni operis, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur. Nota, singula verba. Fructum, non solum germen cogitationis, aut florem propositi, aut folia verborũ. Suum, in se, scilicet, non tantum in alijs: Quid enim prodest homini, si vniuersum mũdum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Dabit, voluntariè faciet, non coactè, Non ex tristitia, aut necessitate, hilarem enim datorẽ diligit Deus.*

Hug. Card. in Psal. 1.

In

In tempore suo, tẽpus vniuscuiusque ad operandum est præsens vita, Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox quãdo nemo potest operari, tunc enim non erit tempus dandi, sed recipiendi, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Iudicis, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Vel potest dici, Fructum suum dabit in tempore suo: contra hypocritas, qui non dant opera, sed vendunt pro pretio humanæ laudis, Amen dico vobis receperunt mercedẽ suam. Et in tempore non suo, quia modo non est tempus recipiendi, vt diximus, sed dandi, Hodie fœneratur quis, & cras expetit, odibilis est homo huiusmodi. Maxima differentia est inter arantem, & serentem: & inter messem, ac trituram: hæc præsentem excipit fructum, illa vel terrã aptat, vel nouale nouat, vel malas radices extirpat, vel fructum iam collectum spargit, ac serit. Beatus ergo vir, non comparatur messori, vel trituranti, sed aratori, & seminanti. Vnde Ecclesiasticus hac similitudine illum ad fructus tempore suo expectandos hortabatur, *Quasi is qui arat, & seminat accede ad eam, & sustine bonos fructus illius.* Quæ verba sic interpretatur Rabanus Maurus, *Vomere quippe Euangelij de corde suo germina vitiorum debet extirpare, qui semen diuini verbi edere, & fructus dulcissimos sacrarum virtutum desiderat metere. Quod autem dicit, Sustine bonos fructus illius: ostendit quia patientia probatio est virtutũ, sicut ipsa Veritas in Euangelio testatur dicens, Qui autem verbum retinet in corde bono & optimo, fructum affert in patientia.* Serere ergo nunc, non autem metere: spargere, & non colligere contenti simus.

Auctor.

Eccli. 6. 19.

Raban. li. 2. Comment. in Ecclesiastic. c. 3.

124 *Comparatur homo iustus arbori. Dictio enim, ligni, vt sæpè in scripturis, accipi hoc loco debet pro arbore tres habente conditiones, nẽpe, quæ & conuenientissimè est plãtata, nimirum iuxta riuos aquarum, & fructum edit opportuno tempore, & perpetuò viret, etiam decerptis fructibus. Videtur autem per arborem, cum qua facit comparationem Propheta, designare palmam, aut oleam, vtriusque enim decerpto fructu, folia non decidunt, sed etiam in hieme perseuerant, Et alibi his arboribus iustum comparans, Iustus vt palma florebit:* ℣. *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Amicabilis connexio oleæ, & palmæ. De palmis refert Plinius, *In oriente ex his vina, gentiumque aliquibus pannis: & folia habere cultrato mucrone.* Qui ergo misericors panem pauperi dat & vinum, is tali gladio armatur, qui palmam refert, securus enim de victoria viuit. Mysterio non vacat. quòd Sacerdos dederit Dauidi panes, & gladium: & forte morali documento demonstrauit eleemosynam simul esse alimentum & mucronem, quo interficimus hostes eosque delemus. Extollebat Ambrosius Abimelech Sacerdotem, quia nec periculo mortis proposito hospitẽ recusauit: & inde nos docebat, *Quod nec præscripto futuræ mortis exitio, verum illũ Dauid hospitio suæ mentis religiosi excluderent Sacerdotes.* Nec *solum in huiusmodi donum Vatis reperturus dicitur Christus hospitium, sed etiam per figuram nequitiæ spiritualis manubrias, et arma sūpturus.* Nã *qui Christũ recipit hospitio, intelligibilem illum Goliam spoliat suis telis.* Et iure suis telis, quia sicut Dauid Goliam proprijs armis occidit: Ita eleemosinarius argentum pauperibus largiens, & erogans aurum, quæ arma, & exercitus vitiorũ sunt, nã cursus diuitiarũ, & exercitus eumdem terminũ sibi præscribũt, & vbi nos legimus, *Viri diuitiarum*: Hieronymus vertit, *Viri exercitus*: vitia omnia spoliat suis telis. Hoc efficax remedium nobis proposuit Dominus exercituum, cùm præcepit, *Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*: quasi diceret, si Bedæ prętatur fides, *Tam multo scelere occupatis, solum remedium restat, Date eleemosynam.*

Iansen. in Psal. 1.

Auctor.

Plin. lib. 13. cap. 3.

Ambr. lib. 5. in c. 6. Lucę. De eo quod in Sabbato.

Psal. 75. 6. Hieronym.

Luc. 11. 41.

Beda hic.

Incognitus in Psal. 1.

125 *Hic ergo accipitur lignum pro ipsa Dei sapientia incarnata, cū dicitur, Et erit tamquam lignum. Christus verum lignum, s. verbum, plantatū est secus decursus aquarū, id est, secus decursus nostræ mortalitatis, quia Dei verbum in plantatione sua incarnationis, nostros defectus & mortalitatem assumpsit. Et isto modo exponit Gregorius, dicens, Creator noster, qui in diuinitate videri non poterat, assumpsit à nobis vnde videretur à nobis: ipse vero secus aquas reperitur, quia humani* Auctor *generis per humanitatem suam hominibus demonstratur. Vnde rectè dicitur, Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Quia fructum sui obumbraculi in protectione nobis proferens apparuit Creator in carne: vt humanum genus per resurrectionem figeret, quod per defectum quotidie ibat in mortem. Et aduerte quod istud lignum Christus, sic triplici modo plantatum secus decursus aquarum, fructum suum dabit in tempore suo: quod enim dicitur tempus Christi, nisi tempus suæ passionis, de quo dicebat, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha? Quo, scilicet, tempore dedit fructum nostræ redemptionis: quo, scilicet, tempore suæ passionis, de Christo impletum est illud, Lignū attulit fructum suum.* Et fructum suum, nempe, redemptionis attulit in tempore suo, scilicet in eodem tempore, ac die creationis. Cur autem eodem die, quo hominem creauit, & mundum perfecit, voluit pati, disposuit & mori, nisi vt ostenderet se simul esse & Conditorem omnium, & hominum Redemptorem? Inde Rupertus Abbas pendēs verbum à Redemptore in Cruce prolatū, nempe, *Consumatum est*: hoc totū, quod nos adumbrauimus, sic colorabat, *Et consummatum est, dixit, in cruce, quia sexta die crucifixus Dominus, restaurationis impleuit arcanū, sicut sexta die factus homo, & tota mundi fuerit creatura perfecta.*

Auctor.

Rupertus Abbas lib. 6 de diuinis officijs c. 1.

126 *Et erit tamquam lignum. Similitudo arboris in Scriptura est frequens ad significandum arrogantiam malorum, vel humilitatem bonorum.* Quod autem ab ipso luculentèr quidem, sed breuiter absoluitur: idipsum & à nobis affluenter magis, & largius cū alijs explicetur. Hinc ergo beatum virū Richardus figuratum putat in arbore procera in somnis visa à Nabuchodosor, *Est enim inquit, magna arbor ad bona agenda, fortis ad mala toleranda, procera ad sublimia contemplanda, magna in actionibus fortis in tentationibus, sublimis in inuestigationibus, & egregijs dotibus praditus: in cuius magnitudine, miramur modū fortitudinis: in altitudine, profunditatē sublimitatis: in aspectus dilatatione, magnitudinē auctoritatis: in pulchritudine fulcorū, fecunditatē sermonis: in nimietate fructuum, multitudinem eruditionis: in escam vniuersorum, doctrinam ædificationis: in subiectione bestiarum, rigorem seueritatis: & in cohabitatione volucrum, prouidentiam circumspectionis.* Et inde Hilarius vidit, *In arboribus infrugiferis infideles adumbrari, qui non ferunt fructum bonorum operum, qualis erat ficus, quæ aruit.* Eadem lege naturæ Secretarius distinguit felices arbores & infelices: illas asserens esse felices, & *In maxima admiratione, quæ semper fructibus coronantur: has infelices, damnatæque religione, quæ neque seruntur vmquam, neque fructum ferunt.* Sed felicis digni fructus, & arboris inuersę quidem, non tamen incuruæ, Hugo Victorinus, perbellè quidē, & nimis eleganter integrātes partes sic depingit & fingit, *Radicem, esse fidem: stipitem, spem; ramos, caritatem: medullam, intentationem bonam: corticem, conuersationis speciem: folia, iustam actionem: flores, bonam famam: fructum, intus per conscientiam, foris per doctrinam, supra per gloriam.*

Isidorus Clarus sup. Ps. 1

Auctor.

Richard. de S. Vict. de securit. conscien. c. 14. & 15.

Hilar. can. ... in ...

Ex Plin. lib. 16. cap. 20.

Hugo Victorinus.

127 *Et fructum suum dabit in tempore suo. Caietanus allegoricè de Iudæis interpretatur, quorum Scribæ fructum dederunt Magorum, qui adorauerunt Christum. Posuit nos Christus,*

Lorinus in Psal. 1.

ctus, vt eamus, & fructum afferamus, & fructus noster maneat. In tempore suo. Est namque vita spatium tempus nostrum, & dies nostra: post mortem, accipit, vel recipit quodammodo suum Deus & est dies Domini. Arefecit Christus ficum, in qua reperit folia, non fructum, etsi tempus eum ferendi non erat, vt intelligeremus nullum tempus in hac vita sine fructu esse debere, quia omni tempore edi à nobis potest per gratiam Dei, qua semen est.

Auctor. Eccli. 13. 18.

Audi consilium sapientis, *Omni vita tua dilige Deum, & inuoca illum in salute tua.* Et nota, ex Plinio, quod, *Cornus circa solstitia fructum reddit primò candidum, postea sanguineum: ex eo genere femina post Autumnum fert baccas acerbas: & ingustabiles cunctis animantibus: pinus autem semper fructibus coronatur.* Ac inde moralem lege doctrinā, & obserua differentiam inter arbores inuersas bonas vel malas. Iusti in omni vita sua fructus amoris reddunt, & canunt, *Benedicam Dominum in omni tempore*: nā ex Augustino, *Soli recti sunt, & rectè diligunt Deum, qui benedicunt in omni tempore. Pœnitentes solstitium imitātur & sicut solis datur statio, cùm vltra non progreditur, sed retrocedere incipit: Ita & ipsi, vbi priorem vitæ partem peccato tradiderunt, sistunt in dimidio dierum, & per pœnitentiam retrocedunt.* Sic dicunt ipsi cū Petro *Sufficit præteritum tempus*: Vel cum Oecumenico, *Abundè in vita ante acta gentiliter viximus incedentes Gentium more.* Obstinati autem in malo, tamquam arbores autumnales eradicatæ, in morte fructus pœnitentiæ faciunt acerbos, amaros, & sanguine cruentos. Vt enim rectè subtiliterque explicans Drogo Dauidis verba, *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*: subdebat, *Quod enim maius homicidii, quàm si seipsum interficiat homo? Vel quod grauius homicidium, corpus occidere, an spiritum? O quoties homo spiritum suum interficit, quot homicidia in semetipso perficit, quoties voluntariè, & ex studio peccatum perpetrat?* Viri ergo sanguinum non dimidiabunt dies suos, id est, non

Plin. lib. 16. cap. 26.

Psal. 33. 2.

Augustin. in Enar. super Psal. 33.

1 Pet. 4. 3.
Oecumeni c. 5. in cap. 4 epist. 1. Pet.

Psal. 54. 24.
Drogo in lib. de pas. Dom. sacr.

priorem partem vitæ dæmoni tradent & peccato: posteriorem verò Deo reddent & pietati. Hanc nūquam interruptæ vitæ periodum his sanguineis coloribus describit Gregorius, *Dies dimidiare est tempus vitæ male in voluptatibus ductum ad pœnitentiæ lamenta diuidere, atque hoc ad bonum vsum partiendo reparare. Sed iniqui dies suos nequaquā dimidiant: quia peruersam mentem, neque in extremo tempore diuidunt.*

Greg. Papa in lib. 5. moral. c. 28.

128 *Discipulus enim audiens deuotè & intentè, accipit fructum sacræ Scripturæ à Doctore, sed quando habituatus incipit docere, tūc dat huiusmodi fructus alijs tempore sua doctrinæ. Comparatur autem meritò talis Doctor ligno secus decursus aquarum plantato, quia fidelibus Doctoribus Ecclesiæ adsunt fluenta diuinæ gratiæ & tandem gloriæ secundum quod dicitur, Qui elucidāt me vitam æternam habebunt, Sancti enim Doctores sunt sacræ Scripturæ, quæ à sapientia est, Elucidatores.* Hos elucidatores, vel pictoribus comparare possumus, vel speculis: Doctores enim sacri, vel specula componunt vel picturas: picturas dum imaginem sapiētiæ in tabula animæ depingunt, hinc vmbris prophanarum litterarum, inde coloribus diuinarum: & specula, dum ex his, quasi ex corpore diaphano: ex illis, tamquam ex opaco illa condunt: quorū alterum imagines rerum, & lucem recipit: alterum, ne vlterius progrediatur, inhibet. Theologia enim Deum excipit, reliquæ vero facultates instar sunt corporis densi: vtræquæ autem supernum Numen terrigenis repræsentant. Adsit Basilius hæc omnia explanans, & docens, *Quantò animus præstantior est corpore, tanto vtramque in se vitam differre planum est. Ad hanc vero sacra volumina per abscondita mysteria nos inferunt, quorum sensus altitudinem ob cæcitatem attingere nondum facile est. In alijs vero non omnino differentibus, veluti in vmbris quibusdam & speculis, vestrorum oculum animorum quadantenus excitabunt.* Vbi doctrinas humanas, & diuinas, earumque diffe-

Lyranus in Psalm. 1.

Auctor.

Basil. Mag. homil. 24. Adolescentes quomodo ex Gentilū doctrinis proficiant.

rentias comparat corpori, & animæ:vmbris,& luminibus: opaco, & diaphano: ex his enim fiunt specula,& picturæ,ex quibus diuinæ sapientiæ dilucidantur sacramēta: & Elucidatores, qui hac arte vel gratia vtuntur, vitam habebunt æternam.

Nicephor. in Catena aurea.

129 *Bonū est radices habere prope fluenta eloquiorū Dei. Tunc pro folijs habemus virtutes virentes videlicet spem, & in tempore retributionis laborum suorum fructum videbit.*

Auctor.

Cælestis Magister electurus in terra domum, in qua, Pascha celebraret, & Ecclesiæ conficeret sacramentum, non aliud signum discipulis tradidit, nisi hominem amphoram aquæ portātem. Quid ergo magnum in aquæ amphora cōtinebatur, quo dignus redderetur hospes hostibus tā dignis? Vtique, si Origeni fides præstatur, in aquæ amphora figurabatur Scriptura, quæ intra testam litteræ spiritum portans, verbum in carne legenti demonstrat. Fidelis ergo qui hanc fert, qui eius lectioni vacat, & qui illius incumbit meditationi domum Christo præparat, Christū in domum trahit, apud ipsum diuina mysteria peraguntur, & tali signo domus cognoscitur, in qua Christus commoratur. Sic Origenes colorabat, quæ ipse adumbraui,

Orig. tract. 35. in Matt.

Nos ergo, qui optamus de Ecclesia esse, qui volumus Pascha celebrare cum Iesu, sequamur hominem illū, qui vas baiulat huiusmodi aqua, quem puto esse Moysen legis datorē, spiritualem doctrinam portantem in corporalibus historijs. Eo ergo modo quo corporales historiæ, vasa feferunt: eodem, & aquæ spiritualem doctrinam figurabāt, quibus irrigata radix voluntatis humanæ, & flores virtutum profert, & illis fructibus spiritualibus coronatur, qui à Paulo enarrantur, dicente, *Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax, &c.*

Ad Galat. 5. 22.

Orig. in Catena aurea.

130 *Perpendamus, cur Aquila dixit, Transplantatum? Vndenam signum, quod in aquarum diuisionibus transplantatur? An qui in Patre radices agit æternas, ob beneficium, vt simus nos participes, & similes, non relinquendo Patrem, alibi generatus fuit. Vel anima Saluatoris lignum est, quæ per Crucem & mortem in Paradisum translata fuit, ut in Cruce pēdens, ait Latroni, Hodie mecum eris in paradiso.*

Auctor.

Quadrat aliquo modo huic transplantationi Persici hieroglyphicum, de quo Pierius asserit, *Hominem qui in alieno solo profecerit, in vbiquè redierit, per Persicum ostentant, propter quod aiunt, Pomum in Perside vnde translatum est, vanini vices fungi: in Italia tamen, mutato solo, naturam etiam mutauerit: & salubre repertum sit.* Quam quidē opinionem admittit Columella, dum scribit,

Pierius Valerian. li. 54. c. de Persico

> Omnis, quæ barbara Persis
> Miserat, vt fama est patrijs armata venenis,
> At nunc expositi paruo discrimine venti,
> Ambrosios præbet succos, obliti nocendi.

Hinc pomum eius innocuum, ægris experi, ait Plinius, neque alium eo pomo innocentiorem esse cibum. Non aliter, si fas est dicere, Verbum quod in sinu patris Deus vltionum dicebatur, transplantatum in sinum Virginis Matris, & secus decursus aquarum, nempe omnium gratiarum, vltionem mutauit in pietatem, iram in benignitatem, furorem in amorem, mortem in vitam. Hanc ergo transplantationem, & hanc immutationem celebrabat Apostolus, cùm dicebat, *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Eamdemque explicans Bernardus repetebat, *Priusquam apparerit humanitas, latebat benignitas, siquidem, & prius erat, nam, & misericordia Domini ab æterno est. Sed vnde tanta agnosci poterat? Promittebatur, Ego, inquiens, cognito cogitationis pacis, & nō afflictionis. Sed quid respondebat homo afflictionem sentiens, pacem nesciens? Quousque dicetis Pax, Pax, & non est Pax? Ecce Pax non promissa, sed missa: non dilata, sed data: non prophetata, sed præsentata.* Quid clarius pro

Ad Tit. 3. 4.

Bern. ser. 1. in Epip. Domini.

transplantatione diuinæ plantæ, quam dicere, quòd illa sit missa, data,& præsentata? Vbi ergo innotescit humanitas, iam benignitas latere non potest. In quo n.magis commendare poterat benignitatē suā, quā suscipiēdo humanitatem meā? In quo magis cōmēdare poterat caritatē suā, quā sanguinē & carnem meam a me susceptam, & diuinitati vnitam, mihi tradere in cibum salutare? mihi præbere in poculū tutelare? En mihi ac fidelibus cunctis,per aureum os Chrysostomi amanter dicit, *Volui frater vester fieri,carni propter vos & sanguini communicaui: vobis vicissim ipsam carnem & sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado.*

Chrysost. hom. 61. ad Pop. Antiochenum.

131 *Et erit tamquam lignum, id est Christus, qui conceptus est ex Beata Virgine, non secundum carnalem concupiscētiam,sed secundum abundantiam Spiritus sancti donorum,vt illud, Spiritus sanctus superueniet in te.Veniens enim in Mariam Spiritus sanctus, ab omni æstu illicitarum concupiscentiarum eam protexit. Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur,i est siue in se, siue in suis,siue sint prospera,siue aduersa. In hoc est prouidentia* Dei *admirabilis, quia etiam malis suorum vtitur ad bonum. Quosdā enim permittit cadere,vt fortiores resurgant,vt est de Petro, & Thoma, & ceteris.* Poterat dicere, vt ex casu resurgāt sublimiores, sicut in oue perdita clare apparuit. Perdita enim ouis sublimiorem locum lucratur recuperata, quàm obtinuit possessa: super humeros Pastoris euehitur, inuenta: quæ terræ inhærebat humili, non amissa. O miram Dei prouidentiam, o paternæ caritatis excessum. Vnde sæpe sepius fit, vt ad maiorem altitudinē vir pœnitens extollatur, quàm innocens. Causam si quæras, talem apud Chrysologum reperies, *Semper quidem cum perdita reperimus, nouum capimus cumulum gaudiorum,& est iucundius nobis inuenisse perdita, quam non perdidisse seruata.*

Remig. in Psal. 1.

Auctor.

Chrysolog. serm. 168. de Parabola cētum ouium.

132 *Ly, sic, denotat similitudinē ita tamen,vt veritatis non excludat expressionem, Christus enim est verè lignum vitæ quia est cibus vitæ,quo, qui vescitur vita viuet, & non morietur. Quod plantatum est,in incarnatione. Secus,id est, iuxta decursus aquarum, id est, plenitudinem gratiarum,quod in præsēti dat fructum gratiæ,& in futuro gloriæ.* Sic, sic, mala in orbem inducta ex peccato primi Adam,& pelluntur ex innocentia secundi, & sanantur ex gratia Christi, quæ tot bona potest habere, quot premia. Inter vtrumque hominem, quo constat vnus homo, ita cælestis medicus, cibum temperauit, vt ex saturitate exterioris, esuries oriretur interioris: & e contra, ex satietate interioris, fames nasceretur exterioris. Ideo in Paradiso, vbi exterior homo esuriebat, interior bonis cælestibus vescebatur: & vbi exterior vetitum gustauit cibum, interior, o lacrymabilem commutationem, o malum exitiale, famem sustinuit, & ruinam inuenit. Cælestis ergo medicus, volens his malis exhibere medicinam, & exterioris & interioris hominis vitium vniuit,vt simul ex eo,& corpus viueret, & anima vesceretur. Hinc panem cum carne, & carnē cum ligno coniunxit. Non est mea inuentio, sed Ambrosii sic dicentis,excogitatio, *Per lignum capimus esurire, quia suum caro accepit alimentum. Ita Dominus in Christo carnem iunxit,& lignum, vt fames antiqua cessaret, & gratia antiqua redderetur. Beatum lignū Domini, quod omnium peccata crucifixit. Beata caro Christi, quæ victum omnibus ministrauit.*

Rodulphus in Psal. 1.

Auctor.

Ambros. in Ps. 21.

Idem ibid.

133 *Et erit tamquam lignum. Hæc similitudo est, quæ adaptatur ibi, Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Similitudo sumitur à ligno, in quo tria considerantur, Plantatio, Fructificatio,& Cōseruatio. Ad plantationem est necessaria terra humectata ab aquis, alias arescet: & ideo dixit, Quod plantatum est secus decursus aquarum, id est, fluenta gratiarum. Et*

D. Thom. in Ps. 1.

qui

qui iuxta hanc aquam est plantatus, fructificabit, & hoc est, quod subditur, Quod fructum suum dabit: Fructus autem Spiritus est, caritas. In tempore suo, id est, modo quando est tempus operandi, Dum tempus habemus operemur bonum. Fallor, si non aliquid philosophicum hoc dictum innuit, Dum tẽpus habemus operemur bonum. De tempore, quid habemus? Non futurum, quia nondum est: non præteritum: quia fuit, & non est. Nec aliud illius, extat, nisi præsens, nec præsentis temporis aliud quàm instans. Immo nec instans, si Augustino præstatur fides, vt decens verè est, sic enim docet, *Inter cursum inquit, temporum quæritur præsens, nec inuenitur: quia sine vllo spatio est, per quod transitur ex futuro ad præteritum.* Sic enim volat instabile instans, vt nec signari aliquo pacto queat. Præcipit ergo Paulus, *Dum tempus habemus operemur bonum.* Prædicat viri Beatitudinẽ Psaltes, quod fructum suum, id est pœnitẽtiam, quæ fructus proprius humanæ plantę, non autem Angelicę est, dabit in tempore suo. Si ergo quis quęrat, quod est tempus suum? Explicabit sic Filius sensum Patris, *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Vbi Hebræa vox מְצָא Mattah, cũ de manu dicitur, rei oblatę opportunitatem denotat. Quasi dicat, Occasionem prætereuntem & capillatam, extensa manu tene, & hoc in instanti fac, ne illa trãsacta, inutilis tibi relinquatur onerosa consolatrix pœnitentia, transactũ improparans tempus, atque dicẽs, Post hæc occasio calua: & in instãti pereas, atque in infernum irreparabili casu descendas, ita vt de numero infelici illorum sis vnus, qui a Iob atris coloribus sic describuntur, *Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad inferna descendunt.* Si quæras cum Gregorio, *Quomodo Iob, qui eorum gaudia diù enarrauerat, nunc asserat, Quod in puncto ad inferna descendant?* Responde, & tu cũ eo, *Quòd omnis longitudo temporis vitæ præsentis, punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur. Cum enim ad extremum quisque perducitur, de præterito iam nil teneat, quia tempore cuncta delapsa sunt: in futuro nil habet, quia vnius horæ momenta non restant. Vita ergo, quæ sic angustari potuit, punctus fuit. Vt enim prædiximus, in puncto stylũ ponimus, & leuamus. Quasi ergo in puncto vitam tetigit: qui hanc accepit, & amisit.*

Ad Galat. 6. 10. Auctor.

August. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 11.

Ad Galata. 6. 10.

Eccle. 9. 10.

Adagium.

Iob. 21. 13.

Gregorius lib. 15. Moral. cap. 14. alias 19.



CORONA STELLIFERA

EX VARIIS EXPOSITIONIBVS CONTEXTA, & variorum Patrum, & Doctorum luminibus illustrata.

VERSVS QVARTVS.

Et folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.

Agellius in Psal. 1.

134  *Ossumus foliorũ nomine spẽ viri iusti, & ornamẽta intelligere, quæ siquã defluũt quia spes illa sua nõ cõfundet, neque irritis cadet. Nam, contra, cùm peccatoribus euenit. Vnde Salomon in Prouerbijs, cùm in rebus caducis positam esse spem terrenorum hominum diceret, contraque iustorum spem esse perpetuam, Qui cõfidit, inquit, in diuitijs suis, corruit tamquam marcidũ folium: iusti autem, quasi virens foliũ, germinabunt.* Non est idem homo in sacris litteris, & prophanis: in prophanis enim est animal rationale: in sacris autem est, spem habens in Deum, sic Philo docet. *A Philosophis hominem definiri Animal rationale mortale: sed eius, quẽ Moyses censet hominem, affectionem animæ sperans in eum, Qui est, verum Deũ. Proindè boni viri felicem sortẽ nacti, spem, atque gaudium, aut habeant, aut certè expectent bona: mali verò, quorũ Cain est sodalis, in mærore, timoreque degentes, præsentia imminentiaue mala miserrimam portionem possideant, gementes ob molestias, quas habent præ manibus, præ metu autem ingruentiũ trementes horrentesque.*

Auctor.

Philo Hebræus in lib. Quod deter. potiori in sid. soleat.

135 *Possumus illud intelligere, quia folijs se texerunt Adam atque Heua corporea vestimenta quærentes, eo quod resurrectio Dominici corporis prophetaretur, quia nec caro, quę antea vice foliorum interire consueuerat, peritura esset in Christo: Iustorumque omnium. qui secundum Euangelium, ad imitationem ligni sapientiæ nati ex Virgine, vitam suam actusque formarent. Nam Græcus ita dixit: ὁ τὸν καρπὸν αὐτοῦ δώσει, quod potest ad Beatum referri μακάριος καρπὸν δώσει, Græcè, Latinè autem sic dicitur: vt sit qui beatus dabit fructum in resurrectione, scilicet sua quando potest perpetuum dare,* Sicut ergo Adam, & Heua corporibus suis texuerunt vestimenta: & sicut granum frumẽti nudum seritur, sed opertum resurgit, atque indutum: ita caput Iustorum, & Iusti in carne incorrupta, & cum corpore resurgunt glorioso. Hoc astruit Gentium Doctor, ita dicens, *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Audiamus Theophilum Alexandrinum hæc omnia nobis promittentem, & Saluatoris resurrectionem pro pignore exhibentem, dũ ait, *Quod si corruptionem, & infirmitatem, & ignobilitatem amouet à corporibus suscitatis: & dicit è contrario, incorruptione, & fortitudine & gloria corpora vestienda, & pro animali, spirituale corpus esse reddendum: soluta erit mors, & in corporibus suscitatis, pro morte & corruptione, immortalitas incorruptioque regnabunt: quia & ipsum corpus immortale & incorruptum resurget, vt possit permanere animæ coæternum. Igitur & Saluator pignus salutis nostris corporibus in resurrectione sui corporis tribuens, non potest credi vltra moriturus, Apostolo in hanc sententiam congruente;*

Ambrosius in Enar. Ps. 1.

Auctor.

1. Cor. 15. 42.

Theophil. Alexand in Epist. Paschali 2.

gruente;

gruentis, Christus resurgẽs ex mortuis, vltra non moritur, mors ei nequaquam dominabitur. Nisi illius *fuerit dominata, nec dominabitur hostri.*

Anglicus in Ps. 1.

136 *Secundum Chrysostomum, folia viriditatis sunt species sanctitatis: & sic accipiendo, folia illorum decidunt, quorum exterior apparentia separatur ab interiori conscientia. Quando enim foliję non administratur humor ab intrinseco arboris, tunc defluunt: & exteriora signa religionis, & sanctitatis, quando humore gratiæ destituuntur intrinsecè.* Non *sic de viro iusto, & de Christo, de quibus dicitur, Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum.*

Auctor.

Sicut arbores ab arte formatę, folia habent non vera, nec a radicis principio manantia, sed ficta: arbores vero in viua radice fundata, ab intrinseca radice folia produnt: non aliter folia humilitatis hypocritarum, ficta sunt, & externa: at folia humilitatis iustorum, ab interna oriuntur humilitate. Hoc iustorum, ac hypocritarum vetustum discrimen a Nouato Catholico desumpsi, sic enim ipse vos docet, sic vos admonet, *Hæc ergo agite nunc vos, et primùm humilitatem custodiatis, non vt hominibus humiles videamini, sed Deo. Illa vera est humilitas, quæ Deo, & non hominibus demonstratur.* Nam *humilitas, quæ hominibus monstratur, fictio est, non humilitas: quod à seruis Dei omninò alienum esse debet.* Subdit autem, & ipse salutarem doctrinam, ita dicens, *Idcirco primùm humilitatem Fratribus vestris monstrare debetis propter imitationem, vt fundata sit ipsa humilitas intus in corde secundum Deum. Cùm fuerit enim humilitas fundata propter Deum: tunc dabit Deus illi, id est, fratri tuo, vt intelligat, & imitetur humilitatem tuam: nam si non fuerit fundata, in corde tuo ostendit fratri tuo, quia ficta est humilitas tua.*

Nouatus Cathol. in hom. ad Fratres de humil. & obed.

Idẽ Ibidem.

Athanasius in Catena Græca.

137 *Nulla secundum Deum actio, vtilitate caret.* Cibatur iustus in hac vita duplici pane a Cellensi parato, alter durus est ac rigidus, nempè flagellorum, angustiæ, & lacrymarum: alter vnctus est, & conspersus, nempe consolationis & exultationis: vtroque tamen vescitur ad vtilitatem Coloret ipse, quæ ego vix adumbraui, ait ergo, *Educuntur, & reducuntur animalia Dei, vt egrediãtur, & pascua inueniant, non solum in sibilo attrectata, sed etiam in flagello verberata. Interdum itaque præualet suspirium æternæ iucunditatis, interdum ardentius mouet ærumna præsentis calamitatis. Hac consideratione, modò, duro & frigido pane vescuntur, modò, vncto vel consperso: ne, si semper vnctus apponeretur, securi redderemur: vel, si semper frigidus, desperati & tepidi. Hæc autem commutatio fit nobis aliquando ad correptionem, semper vero ad vtilitatem.* Id autem Deus, vt Chrysostomus docet, *In Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucũditates sinit habere continuas: sed tum de aduersis, tum de prosperis iustorum vitam, quasi admirabili varietate conte xit.*

Auctor.

Petrus Cellens. in lib. de panibus cap. 16.

Chrysost. ho. 5. in Mat.

138 *Et folium eius non defluet: id est, Verbum eius nõ erit irritum, quia omnis caro fœnum, & claritas hominis flos fœni: fœnum aruit, & flos decidit: Verbum autem Domini manet in æternum. Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur: id est, quæcũque ligni illud attulerit, quæ omnia, videlicet, accipienda sunt fructus & folia, id est facta, & dicta.* Verba ergo Concionatoris, & folia sunt, & flumina, per quæ & qui loquitur, aquas fundens: & qui audit, aquas recipiens, fructibus coronatur. Quærebat Vranius quid spiritaliter figuretur per flumina a Salomone illis coloribus descripta, *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant?* Eique Salonius sic respondebat, *Per hæc flumina designantur sancti Prædicatores, qui cum virtutibus emicant, & doctrinis coruscant, verè flumina sunt, quoniam aridam terram carnalium cordium sancta sua prædicatione simul, &*

Augustinus Epis. Hip. in Enarrat. sup. Ps. 1.

Auctor.

Eccle. 1. 7.

Salon. Vie. Gall. Episc. in Mystica in Salom. Ecclesiasten Explicat.

ope-

operatione irrigant, vt afferant bonorum operum fructus. Et illi de nouo

Idem ibidẽ.

inquirenti, *Quomodo ergo vt iterum reuertantur hæc flumina ad locum, vnde exeunt, refluunt?* Respondet

Idem ibidẽ.

dicens, *Quia sancti Prædicatores in omni doctrina, & opere quod faciũt, ad laudem sui Creatoris recurrunt, vt Domino authori suo laudes & gratias referant, per quem, vt talia facerent, & omne bonum suum acceperunt, semper etenim ad fontem veri Luminis reuertuntur ne fortè arescant, & exiccentur, vt ex eo aquam scientiæ, & gratiam virtutum accipiant, vt iterum fluant: hoc est, vt & semetipsos bonis operibus repleant, & aliorũ cordibus fluenta doctrinæ spiritualis infundant.*

Au gEugu. in Enar. sup. Psal. 1.

139 *Et folium eius non defluet.* Perstat in metaphora. Totam, primum arborem fluminibus propter labentibus irriguam, florentem, virentem vsurpauerat: exin fructum temporisque partus eius: demum folia. quæ non defluentia sunt argumento, virorem vitalemque succum arbori subesse. Tota igitur arboris felicis descriptio prouenit vsque ad folia. *Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Vel ex Hebræo, *Quodcumque faciet prosperabitur.* Verbum, *Prosperabitur*, potest referri aut ad ipsas res, quas faciet: vel illæ res operaque prosperabuntur, vel is qui faciet. Docet igitur Psalmus, testibus Hebræis, felicitatẽ ex meditata lege nasci. Quicumque ergo fortunatus esse cupiat, etiam in hoc mundo oportet cum præceptis diuinæ legis obsequi, quorum nec alius quidẽ finis, quàm vt homines efficiant beatos. Et qui Deum toto corde coluerunt, prosperantur ad vitam futuram, tunc verè beati fortunati.

Auctor.

Plutarchus pro communi Philosophorum effatu æstimat virtutem esse maximum bonorum, sic enim docet, *Cùm vero de bonis ac felicitate multa sint à Philosophis dicta, id apud omnes constat, maximum bonorum esse virtutem animi.*

Plutarchus in li. de Homero.

Probetur hoc ex Theodoro Studita, sic enim fatur, *Hominum plerique opes, plerique potẽtiam, plerique delicias, plerique voluptatem beatam prædicant. Quorum beatum est nihil, siquidem haud permanent*

Theodorus Stud. ferm. Catech. 42.

æterna, sed cum æuo hoc intereunt. Quin multis ne hic quidem suffecere, visaque sunt simul, & instar somnij possessorem fugere. Sola digna est beatitudine virtus, quæ & immortalis habeatur, & se obtinentes beatos præbeat. Nam obeamus animo quot ab æuo præpotentes, ac delicatuli fuere, quorum nullius extet cum laude memoria: cæterum virtute præditorum inextincta gloria est euidens, id est, ex ijs, quæ celebramus. Heri beatum Chrysostomum celebrauimus, hodie præclustrem Effræmum, cras alium è Sanctis, ac sic in anni, ceu luminaria coorti sub festa, in laudes ora omnium soluunt, nostrisque ad Deum gressibus præluxerint.

140 *Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Illud, & omnia, non temerè, sed magna cum diligentia posuit. Nam primum omnes malitiæ species reprobauit, & diuinarum legum perfectionem submonstrauit: ac tum demum subijcit, & omnia, quæ faciet prosperabuntur: sciens nihil eum contrarium diuinæ legi acturum, qui voluntatem illi suam accomodat.*

Basilius in Schol. sup. Psal. 1.

Verbũ Dei in lege reuelatum, rectum est, ad cuius gloriam canitur.

Auctor.

Rectum est verbum Domini: id est, Ruffino interprete, *Quia recta docet, iubet, prædicat, promittit: ad nullam falsitatem distortum, ad nullam vanitatem, ad dexteram non declinans neque ad sinistram, regia via ad supernam patriam nos perducit.*

Psal. 32. 4.

Rufinus hic

si ergo huic rectæ normæ diuinæ legis voluntas humana, de qua Serapion asserit, *Interdum sic degere, interdum sic, vt vult faciens voluntatem suam normã suarum rerum, norma enim actionis est voluntas facientis*: Si inquàm rectæ legis normæ recta voluntatis adæquætur norma, sciens iustus nihil se contrarium diuinæ legi acturum: omnia quæ faciet prosperabitur.

Serap. Epis. Thum. in li. aduer. Manich.

Ex hoc Psaltes his laudibus celebrat iustos, *Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.*

Psal. 31. 11.

Idque Augustinus exemplo à nobis proposito, sic declarat, *Quomodo distortũ lignum, etsi ponas in pauimẽto æquali, non collocatur, non compaginatur, nec adiungitur: sed semper agitatur, &*

Aug. in En. sup. Ps. 31.

nutat: non quia inaquale est, vbi posuisti, sed quia distortum est, quod posuisti: Ita & cor tuum, quamdiu prauum est & distortum, non potest collineari rectitudini Dei, & non potest in illo collocari, vt hæreat illi, & fiat rectum. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est, ideo, Recti corde gloriamini, dixit. Quomodo recti corde gloriantur? Audite gloriationem ipsorum. Non solum autē, dicit Apostolus, sed & gloriamur in tribulationibus. Nam non est magni gloriari in gaudijs, gloriari in latitijs: rectus corde etiā in tribulatione gloriatur. Ecce tu volebas viuere, non volebas tibi aliquid accidere: sed Deus aliud voluit. Dua voluntates sunt: sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Praua est enim tua, regula est illa. Stet regula, vt quod prauum est ad regulam corrigatur. Videte quomodo hoc docet Dominus Iesus Christus. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et, Pater si fieri potest transeat à me calix iste. Ecce ostendis diuinam voluntatem. Sed vide rectum cor. Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Hoc ergo fac gaudens in his, qua tibi accidunt.

Bern. super Cantica ser. 63.

141 *Iustus nempè est sapiens, & Iustus ex fide viuit. Et si anima Iusti sedes est Sapientia, sicut est, profecto is sapiens, qui Iustus. Is ergo siue Iustum nomines, siue sapientem, numquam absque vinea viuet, quia numquam non viuet, hoc quippe est illi vinea, quod vita. Et bona vinea Iusti, immo bona vinea Iustus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientia, cui lingua torcular expressionis. Quid denique illi desipere possit, quando & folium eius non defluet?*

Auctor.

Virtutem arborum pompa numquā spoliatorum Plinius terræ, ac locis tribuens, dicit, *Locorum tāta vis est, vt circa Memphim Aegypti, & in Elephantine Thebaidis nulli arborū decidant, ne vitibus quidem.* Quanto magis id eueniet viti in vineæ Domini Sabaot plantatæ secus decursus aquarū, vt nec folium verbi otiosi ex ore illius decidere videatur? Celebrans hanc vitem Iacobus, & Iusti vitam exaltans, ait, *Si quis in verbo non offenderit, hic perfectus est vir.* Sicut ex imagine exemplar cognoscitur: Ita ex verbis cognoscitur loquentis animus: vnde nedum Philo asserebat, *Vmbra imaginique sermo est similis:* sed etiam Seneca dicebat, *Imago animi sermo est, qualis vita, talis oratio.* Vis scire qualis fuit vita Baptistæ? Audi, & vide, quod, *Intra deserti petrs, ne leui saltem maculare vitam famine posset.* Vis scire qualis fuerit vita nostri B. Andreæ? Lege, & obstupesce, quod in tota vita numquam folium verbi otiosi ex labiorum ipsius lilijs defluxit. Verè vnus de beatorum numero; de quibus Antiochus dixit, *Labia Iustorum distillant gratias.*

Plin. lib. 16. cap. 21.

Iacob. 3. 2.

Philo li. de Transf. Abr.

Seneca in Prouerbiis.

Eccl. in hymno S. Io. Bapt.

In vita B. Andreæ.

Antiochus hom. 62.

142 *Et folium eius non defluet. Folium Christi vocat verba prædicationis, quia sicut folia præcedunt fructus, ita prædicationem Christi sequuta est salus multorum. Quod folium non defluet, sicut scriptum est, Exiccatum est fœnū, & cecidit flos, Verbum autem Domini manet in æternum. Omnia, Per omnia, accipit tam dicta, quam facta, scilicet, & in se, & in suis. Prosperabuntur, id est, in prosperum ducētur exitum, quia etsi permittat cadere, inde maiorem per pœnitentiam habebunt gratiam, vt in Petro accidit negante.*

Beda in cōment: sup. Psal. 1.

Præceptū est legis, quo disponebatur, *Si peccauerit Princeps, & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiā Domino, hircum de capris immaculatum in loco, vbi solet mactari holocaustum coram Domino.* Si ex paritate loci paritas est æstimanda sacrificij, & in eodem loco hostia immolatur pro peccato, in quo holocaustum sanctificationis offertur: ergo pænitens & innocens æquantur. Non mea, sed Adamantij est comparatio, sic enim ait, *Nunc verò illud addimus, quod dicit, quia in loco, in quo iugulantur holocausta, ibi etiam hostia pro peccato. Quo, scilicet, intelligat, qui peccauit, & pænitet, & conuersus ad Dominum contribulati spiritus hostiam iugulat, in loco sancto stare,*

Auctor.

Leuit. 4. 22.

Orig. hom. 5. in Exod.

&

& sociari his, qui pertinēt ad Deum.

143 *Et foliū eius non defluet. Hoc est in præsenti, & in futuro erit Beatus. Nam Iusti sunt in caritate fundati, & radicati, vt ait Apostolus. Propinqui sunt per amicitiam fonti viuo, vnde humorem gratiæ semper trahunt. Et folia semper tenent, quia accipient, iuxta verbum Apostoli Petri, Immarcessibilem coronam gloriæ. Et quæcumque facient prosperabuntur: quia opera omnia vsque ad calicem aquæ frigidæ, mercedem plenam & perfectam accipient.* Iusto operanti promittit Deus, *Est merces operi tuo.* Si autem vt Varro docet, *Merces est premium, quod datur pro labore:* & merces debet operi proportionari: quæ dari proportio potest inter præsens, & æternum: inter leuem tribulationem, & pondus gloriæ: & inter calicem aquæ frigidæ, & vbertatis inebriationem? Sed verè merces est, longè aūt superans omne meritū, de qua & Remunerator prodigus asserebat, *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* & de qua Bernardus, breuiter quidem, sed luculenter & grauiter dicebat, *Copiosa est in cælis, copiosior longè, quàm sit in terris.* Nec comparatiuo, copiosior, excessum mercedis ei visum est expressisse, sed addidit, *Longè*, longo enim interuallo superat merces laborem, premium meritum, & corona certamen.

144 *Et folium eius non defluet. In Græco sic prorsus est. Sed in Hebreo est* יבל *Ichol, quod non est defluere, vt aqua defluit: neque simpliciter cadere, vt vertunt alij, sed prè senio ariditateque flaccescere, atque decidere. Vnde & stulti, seu fatui dicuntur* נבלים *Neebalim, eo quod iudicio flaccescant, & cadant in delirium. Thema, seu radix verbi est* נבל *Naual, hoc est decidit.* Iusti ergo folium, seu iudicium sapientia præditum numquam defluit: immo de eo dicitur, *Homo sanctus in sapientia manet, sicut Sol, nam stultus vt Luna mutatur.* Si tamen cum Tigurina, & cum Syro legamus, *Narrationes Sapientum in sapientia sunt semper, & stultus vt Luna mutatur:* concinnè satis ad folia verborum Iusti, quę non decidunt, comparantur. Sic enim videtur dicere, *Sapiens, idest, Sanctus quamdiù talis est, manet in Sapientia, id est, in sanctitate, sicut Sol, vt internā sapientiam, & sanctitatem nullo metu, nullis blanditiis, nullis premijs propositis deserat, eamque externis verbis, & factis constanter profitetur.*

145 *Et folium eius non decidet, id est, sermo ipsius nullo casu à veritate discedit, sed tamquam in arbore palmę folia manentia sunt: Ita & ista infixa veritati certis promissionibus perseuerant, sicut in Euangelio legitur, Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Et intuere Domini verba folijs arboris comparata: quia sicut illa fructus tegunt, sic & promissiones suas & ista custodiunt.* Quærunt Scripturales ad quid Deus, in quo obliuio nec locum habet, nec habere potest, Arcum in nubibus posuerit, vt fœderis cū homine initi recordaretur, ne vltrà aquis diluuij terram perderet? Et respondent id fecisse, vt spē astrueret hominum, malens haberi obliuiosus, quam fœdifragus. Vnde volens & ipse mulctare Pentapolis crimina, non aquæ vsus est instrumēto, sed ignis: maluit enim ignem contra suam naturam, in contra naturam peccantes ruere, quàm in aquæ morem decidente, fœdifragus haberi. Idque Author naturæ potuit, quia & rerum naturas immutat, vt promissiones suas custodiat, & quæ vult, faciat. Hinc Ambrosius dicebat, *Voluntas eius mensura rerum est: sermo eius finis est operis.* Vbi discrimen ponit inter diuinas, humanasque promissiones, & verba. Quæ enim nos promittimus facturos, non mensuranda sunt volūtate, sed robore, vnde oportet promittere, non quæ volumus, sed quæ possumus. At Deus, cuius voluntas efficax est, quod vult, efficit. Notandum est etiam illud, sermo eius, finis est operis. Homines quidem manibus & lacertis, vel reliquis corporis membris rem executioni mandant, nō verò verbis: sed volūtate quidem & verbo præcipiunt id, quod po-

Bellarmin. in Ps. 1.
Auctor. Ierem. 31. 16.
Varro lib. 4 de lingua Latina.
Mat. 5. 12.
Bern. ser. in festo omniū Sanctorum.
Brandamachius in Ps. 1.
Auctor.
Eccli. 27. 12
Tigurina. Syrus.
Cornelius à Lapide in Eccli. c. 27.
Cassiod. in Psal. 1.
Auctor.
Ambros. li. 1. Hexæm. cap. 2.

ftea manibus faciendum eft: vnde multa quidem, quæ volunt, & fieri mandant, in opus non exeunt, quia vires ad illa non fuppetunt: at verò Dei fermo rem, quam fignificat, perficit: vnde, quidquid loquitur, in lucem prodit. Ergo homines, antequam quidquam promittant, perpendunt an vires fuppetant ad id, quod fieri volunt. Quæri poffet, & iure, cur adeo indignatus eft Deus contra Turris Babel ædificium molientes, & cur defcendit armatus, vt eorum machinamenta deftrueret? Ad quod refpondet Cyrillus, id ideo factũ, quia de promiffi illius fide dubitarunt increduli, & dum timuerunt, rebelles, ne contra fœdus initum, iterum diluuium immitteret fuper terram, refugium fibi parabãt in Cælo? Non ex meo penu, fed ex Cyrilli promptuario hoc eft defumptum, fic enim habet, *Nam fuum fenfum diuinæ prouidẽtia, quafi opponentes, Turrim fibi fuper nubes excitari moliebantur, impudẽter agẽtes miferi. Nam opinabantur fortaffis, quòd diluuium euafuri effent, fi aliquo iterum ingruentẽ, ad fublime recurrerent, Videt delictum eorum, qui tunc erant imperfecta confilia, nouam machinationem; quafi Deum promiffionis fuæ pœnituerit. Erat enim impoffibile mentiri eum, qui promiferat fe fecundo non immiffurum diluuium his, qui fuper terram.*

Cyrill. Alex. lib. 4. contra Iulianum.

146 *Sanè ante Chrifti Saluatoris aduentum virtutem fectari perdifficile erat: poftea vero plana, & æquabilis facta eft via, nihil afperitatis & impedimenti habẽs.* Sic enim de aduentu Meffiæ prædictum erat, atque promiffum, *Erunt plana in directa, & afpera in vias planas. Et videbit omnis caro falutare Dei.* Vt autẽ Chryfoftomus docet, *Per hoc declarat legis difficultatem in fidei facilitatem conuerfam, ac fi diceret,* Non vlterius *fudores & dolores imminent, fed gratia, & remiffio peccatorum facilẽ viam pariunt ad falutem: ideo enim vidit omnis caro falutare Dei, id eft, Patris, qui Filium mifit, vt noftrum Saluatorem.* Sententia Liuij eft, *Vifo in acie Imperatore, animi militum accenduntur:* quod fi verum eft, vti & eft de Imperatore mortali, quantò magis de immortali? Ideo prædixit Michæas, *Tumultuabantur à multitudine hominum, afcẽdet enim pandens iterante eos: diuident, & tranfibunt portam, & ingredientur per eam: & tranfibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Si autem Dauid gentes damnat, quæ tumultuatę funt, quomodo Michæas tumualtuantes celebrat populos, dicens, *Tumultuabuntur à multitudine hominum?* Refpondet Remigius idem effe, *Tumultuabuntur, ac vociferabũtur bonum Paftorem laudantes, qui eos praecedet, & iter pandet ante eos. Ipfe eos per fe ducet ad fe. Ipfe enim eft Paftor, ipfe Rex & Dominus eft: ipfe Via, ipfe Porta: ipfe electos fuos per fe ducet ad fe, & ipfe erit in capite eorum Princeps, & pramonftrator cæleftium pafcuarum.* Vifo enim in acie cælefti Imperatore, animi militum accenduntur.

Cyrill. in Catena Græca.

Auctor.

Luc. 3. 5.

Chryfof. relatus à Diu. Th. in Catena fup. 3. c. Lucæ.

Liuius lib. 2 Decade 1.

Mich. 2. 12.

Remigius Altifiodorẽfis in c. 2. Michçæ.

147 *Similis factus eft illi, qui huiufmodi habitum largitur, & iuftitia iuftus, & fanctitate Sanctus, & fapientia fapiens, quia ab ipfo habet, vt fapiens fit, iuxta illud Chrifti, fuffiãit difcipulo fi fit ficut Magifter fuus, & ex ore Dei dixit Ifaias, Secundum dies ligni vitæ erunt dies populi mei: & Chriftus ait, Ego fum vitis vera, & vos palmites. Omnia quæcumque faciet profperabuntur. Omnia dixit conftanter, & fine vlla hæfitatione. Quod fi dicitur per Ieremiam, Via impiorum profperabitur, non abfolutè accipienda eft profperitas illa: fed preffius, & cum adiectione illa, Impiorum: ideirco etiam dictum eft, Impiorum profperitas malis in rebus eft fortitudo.* Quòd Plinius refert, *Aftomorum gentem fine ore, alitu tantum viuẽtem, & odoribus, quem naribus trahant:* a multis quidem fabula putatur. Aft, vt verum fatear, omnes mortales Aftomi dici poffunt, cum hoc tamen difcrimine, quòd iufti odere pafcuntur, cui fructus fuccedũt: impij verò odore, qui Ignem trahit, *Omnis ergo mortalis pafcitur inter lilia*

Dydimus in Cat. aurea.

Auctor. Plin. lib. 7. c. 2.

Cant. 2. 16.

Bern. in ser. de aquæductu in Nati. B. Mariæ.

lilia donec aspiret dies, & inclinentur umbra. Nam ex Bernardo, nō dicitur, quod lilijs pascatur, sed inter lilia. *Omnia enim hac temporalia, & terrena alere non possunt: sed ad summum licet nares floribus reficere: unde homines in hoc saeculo omnium famem patiuntur: & si qua suppetunt, nō quæ alere, sed qua reficere possunt nares sunt. Sed attende, quòd locum, non cibum indicare videtur, nec quibus pascitur exprimit, sed inter qua. Fortè.n.non cibo, sed consortio pascitur liliorum.* Nimirum *odore potius, quàm sapore lilia placent, & visui magis sunt apta, quàm esui. Ita ergo pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & venustati florum, succedat ubertas. Interim dum in spe magis, quā in re sumus: florum non fructuum tempus est, & expectatione magis, quàm experientia gratulamur.* Accinit Cyprianus ad hoc reuocans Rachelis figuram, quæ non ad esum, sed ad odorem Mandragoras concupiscit, demonstrans Christi spōsam hic fide & spe, non amplexu, & specie sponsum videre: & visionis principium, non visionem habere: sic enim fatur, *Rachel ad odorem, non ad esum Lia mandragoras concupiscit: tu sponso fide, non amplexu, coniungeris, tu spe concipis, donec Christus in te formetur, & deposito pondere huius cadaueris, eiusdem sint puritatis caro & spiritus, & renouata natura, sobolem immaculatam parturiat. Rachel quippe visus principium sonat. Quod verbum in principio apud Deum in suo proprio esse mihi non patet, sed quibusdam nominibus Deum inuoco & dico, Iustitia, Veritas, Sāctificatio, Caritas, & quæro aliquas species vel formas, per quas quid sentio quoquo modo intimem. Nam quod Verbum caro factum est, facilius video, & hoc sensui meo quasi esu incorporo, principium autem illud vix remotissimo odoratu, quasi per transiens sensio.*

Cyp. in præfat. de Card. ope. Christi.

148 *Et folium eius non defluet, id est, sermo eius à rectitudine legis diuina non cadet, vt docet Apostolus, Sermo vester semper sale sit conditus, id est, discretione ornatus, Et omnia quæcumque faciet semper prosperabuntur. Omnia enim coopetantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nā mala, quæ fortasse committit, occasionaliter cooperantur sibi in bonum, eo quod cautior surgat, custoditior fiat, humilius pæniteat, immo ardentius diligat, vt ait Saluator, Cui plus dimittitur, plus diligit, & vbi abundauit delictum superabundat, & gratia.*

Dionys. Carthu. in prima explanatione Ps. 1. iuxta sensum litteralem.

Duo miracula, eodem ferè tempore operatus est Christus, hinc Paralyticum sanans, inde Publicanū conuertens: in vtrisque mirabilis, sed in quo mirabiliorem vos æstimatis? Sententiam ferat Rauēnæ Antistes, & statuat, quòd, *Deterius sedebat in telonio Publicanus iste, quàm paralyticus iacebat in lecto. Quia ille carnis patiebatur paralysim, iste mentis. In illo fuerat compago turbata membrorum, in isto totus ordo fuerat sensuum dissipatus. Quare ergo Publicanus, qui maior videtur in crimine, maior habetur in munere: nam mox Apostolatus certa praditus dignitate, non solum ipse accepit, sed alijs indulgentiam tribuit peccatorum, totum Orbem splēdore angelica pradicationis irradiat: & Paralyticus sola dignus venia habetur? Quia vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Si autem petas, quomodo Deus abundare facit gratiam, vbi delictum videt abūdare, cùm Principis gratia minus dignus censeatur, qui in multis, quàm qui in paucis deliquit? Respondet D.Thomas, id vel fieri, vt efficacior appareat gratiæ medicina in deplorata infirmitate: vel, ita disponit, quia plus humiliatur qui deliquit plus, sic enim philosophatur, *Eius autem, quod hic dicitur duplex ratio assignari potest. Vna quidem ex effectu gratia, sicut enim magnitudinem morbi non sanat nisi fortis & efficax medicina. Ita requirebatur abundans gratia ad hoc vt sanaret abundantiam delictorū. Alia ratio sumi potest ex dispositione peccātis, qui dum magnitudinem pec-*

Auctor.

Chrysol. ser. 30. de Matt.

Ad Rom. 5. 20.

D.Thom. in lect. 5. sup. c. 5. epist. ad Romanos.

peccatorũ suorum recognoscit quandoque quidem desperat, & contemnit, secundum illud, Impius cum in Profundum venerit malorũ, contemnit. Quandoque vero per auxilium diuinum ex consideratione suorum peccatorum magis humiliatur, & maiorem consequitur gratiam, secũdum illud Psalmi, Multiplicatæ sunt in infirmitates eorum, postea accelerauerunt.

Euseb. Cæsariens. in Catena aurea.

149 *Et folium eius non defluet. Qui per omne tempus legis Dei meditationi vacat, eius spiritualibus riuulis irrigatur: quare his diuinis doctrinis imbutus, maturos suos fructus edit, vel fructuoso ligno Dei filio similis est. Vel tempus suum futurum sæculum est. Nam fructus huius sæculi non proprius, sed alienus est, ibi erit secus decursus aquarum.* Plato ille diuinus terrena & corporea bona bonorum cælestiũ vmbras esse docebat: & Marsilius Ficinus asserebat, *Vera namque res idea, rationes, & semina sunt: corporum verò forma, vmbra verũ potius, quàm vera res esse videntur. Quemadmadum verò corporis vmbra exactam atque distinctam corporis figuram non indicat. Ita corpora diuinorum naturam propriã non demonstrant.* Clarius autem hanc veritatem indicabat Sponsa, illam ex gusto cognoscens, cùm dicebat. *Sub umbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* Nec ait, vt Bernardus obseruat, sub vmbra illius, quam desiderauerã: sed, sub illius, quẽ desiderauerã, quasi de cõmutatione, sic condolens, Ego nõ vmbram sponsi, sed sponsum desideraueram, qui lucem habitat meridianam: at loco lucis & sponsi, vmbram recepi. Audiamus Claræuallensem mellifluè sic loquentem, *Meritò proinde canit Ecclesia, non illa quidem Ecclesia sanctorum, quæ in excelsis, & in splendore est: sed quæ interim peregrinatur in terris, Sub vmbra eius, ait, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis guttri meo. Lucem quippe meridianam, vbi pascit sponsus, sibi petierat indicari: sed repressa est, & pro plenitudine luminis, vmbram: pro satietate interim gustũ recepit. Denique nõ ait sub vmbra eius quã desideraueram: sed, sub vmbra eius quem desideraueram, sedi. Neque enim ipsius expetierat vmbram, sed ipsum profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno. Et fructus, ait, dulcis gutturi meo: ac si diceat gustui meo.* Vix enim hic vmbra luminis videtur, vix gutta beatitudinis gustatur.

Auctor.

Plato in Cõuiuio, & ibi Ficinus in orat. 2. c. 4.

Cant. 2. 3.

Bern. in eodem ser. de Aquæd. in Nat. B. Mariæ.

150 *Per folia intelligere possumus virescentem spem salutis, quæ cùm numquam deficiat, omnium dolorum sensum tollit. Meritò autem diuina eloquia aquis comparauit, cùm non minus animæ irrigentur atque impinguentur, quàm aquis plantæ. Vnde, & Christus doctrinã suam aquas appellauit. Huiusce modi igitur viro Deus cooperatur in omnibus, nam qui ad hunc vsque virtutis cumulum peruenerit, malum amplius aliquid facere nusquã sustinebit: qua ratione à Deo in omnibus prosperabitur.* Prosperabitur quidem in corpore prosperabitur & in anima, vnde Bonauentura repetens Poetæ carmen, *O terque quaterque beati*, & iustis id applicans, iure dicebat, *O terque, quaterque beati, id est in corpore, & in anima. Anima enim rationabilis, concupiscibilis, irascibilis: & ratio cuius sanitas est cognitio veritatis.* In omnibus prosperabitur, id est, in vita, & in morte. Si enim Plato docebat, *Id vnum cogitare verum esse, viro videlicet bono nihil mali accidere posse, neque viuenti, neque defuncto neque res illius a dijs negligi:* quid Paulus dicet? En ipsi in vita nil deperit, is in morte omnia lucra reperit, & gloriabũdus ait, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrũ.* Et certe, qui in mortali corpore Christũ portabat, qui beatitudinis vena est, & vitæ fons, quid nisi beatitatem viuens, quid nisi lucrum moriens poterat inuenire? Ideo per ea quæ Chrysostomus æstimat, asserebat, *Etiam moriẽdo, non morior, eò quòd vitam habeã in meipso. Tum vero demum me occiderint, si per metum & terrorem ani-*

Euthym. in Psalm. 1.

Auctor.

Bonau. in Psal. 13. 5

Plato in Apologia Socratis.

Ad, Philip. 1. 21.

Chrisostom. hic.

mo

mo meo fidem potuerit excutere. Donec verò Christus in me fuerit, etiã si mors ingruerit, viuam. Et per ea quæ Theophylactus addit, *Mors autem lucrum est, quia tunc apertius eum ipso versabor. Lucrum itaque mihi præbebunt festinantes me ex huiusmodi vita eijcere, Christo, qui est vita mea, me adlegantes.*

Theopylactus hic.

151 *Quæcumque faciet, prosperabuntur. Vir ille. s. pius, in omnibus prosperatur. Posses superiorẽ versũ referre ad æterna, hunc ad præsentis vitæ præmium. Pietas enim habet promissionem vitæ vtriusque.* Sicut euidens discrimen cernitur inter noctis initium, & ortum Auroræ: illa enim de tenebris tendit ad tenebras: hæc autem splendor est solis præuius, qui noctem discutit, & reducit diem: Ita magna est differentia inter, noctem impij, & pij Auroram. Ille de tenebris tendit ad tenebras, & sententia dura fulminatur, *Mittite illum in tenebras exteriores:* nam, vt Gregorius notat, *Interiores tenebras dicimus cæcitatem cordis, exteriores vero tenebras æternam noctem dãnationis.* At pij anima à luce interiori, ad lucem transit exteriorem: à beatitudine incæpta, ad completam: ab Aurora ad Solem, vnde & Angeli admirantes canũt, *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens?* & Gregorius obseruat, quòd *Aurora vel diluculum noctem quidem præteriisse nunciat, nec tamen diei claritatem integram ostentat. Tunc autem plenè dies erit, quando interni luminis perfecto feruore claruerit.* Hic ergo Iustus in Aurora beatitudinis est, & hinc transit in diem æternæ felicitatis & lucis.

Genebrar. in Psal. 1.

Auctor.

Matt. 22. 13.

Greg. Papa relatus a D. Th. in caten. sup. cap. 22. Matthæi.

Cant. 6. 9.

Greg. Papa lib. 29. mor. c. 2.

152 *Et folium eius non defluet. Nam verbum eius non erit irritum, etsi Cælum & terra transibunt. Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur: id est, fructus, & folia, facta, & dicta: quia etsi moritur, mors eius salus est mundi.* Nec sola mors, sed tota vita, & conuersatio Authoris vitæ cum mortalibus, mortalium vita, & mundi extitit salus: extitit & beatitatis fons & radix. Vt enim Chrysologus eleganti stylo, & salutari eloquentia philosophatur, *venit ad prandium Christus, venit ad conuiuium vita, vt faceret secum conuiuere morituros: iacuit resurrectio, vt de sepulchris surgerent, qui iacebant: decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam: venit ad humanitatem diuinitas, vt ad diuinitatem veniret humanitas: venit Iudex ad reorum prandium, vt humanitas præueniret reatus sententiam: venit ad languentes Medicus, vt reficeret conuescendo defessos: inclinauit Pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reportaret ad caulas.*

Glos. interlinearis hic.

Auctor.

Chrys. ser. 30. de Matt.

153 *Et folium eius non defluet. Id est, verbum & sermo ipsius nullo modo a veritate decidet, sic ait, Cælum & terra transibit, verba autem mea non præteribunt. Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur, ipse Christus ignominias & passiones nobis prosperauit, per exemplũ humilitatis & patientiæ.* Præcepit olim Deus Ezechieli, *Ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis: & metiãtur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Et si quærat quis, de quonam Templo, & de qua mensura loquatur? En Propheta mensuram demonstrans, extẽdit, *A crepidine minori, vsque ad crepidinem maiorem:* Vel ex Septuaginta, *A propitiatorio minori, vsque ad propitiatorium maius.* Si autem ambigas ignotum sic per ignotius declarari: inter ignotas tenebras lumen expanditur a Glosa, lumen enim, Christus est, qui in Propitiatorio figuratur, ait ergo Christum fuisse, *Propitiatoriũ minus, quando se exinaniuit: Propitiatorium maius, quando recepit gloriam, quam habuit apud Patrem, antequam mundus fieret. Prius enim Christi humilia cognoscimus, & sic ad diuinitatis altitudinem peruenimus.* Hoc ergo Templum viuum, vobis peccatoribus ostendam & ipse, vt confundamini ab iniquitatibus vestris. Respice, ò diues Propitiatorium minus, dum

Haimon in Psal. 1.

Auctor.

Ezec. 43. 10.

Ezec. 43. 14.

Septuaginta

Glosa ordinaria hic.

ſe Dominus omnium humiliauit ſemetipsũ vſque ad mortẽ, mortẽ autem Crucis:& erubeſce ſub tam humili capite ambitioſam erigere ceruicem. Reſpice, ò diues, Propitiatorium minus, quia ditiſſimus Rex in Cruce pauper & mẽdicus pendet: & confundere ſub tam pauperi exemplari aurum ſitire, diuitijs inhiare. Exclamet Sixtus Pontifex, & quemlibet veſtrum & rubore tingat, & confuſione perfundat. *O humana ſuperbia non ferenda præſumptio! Vides ſeruum ſedere, vbi Dominus ſtetit: & vbi ille iudicatur, hic iudicat. Quid eſt, Chriſtiane? Quid eſt Christi diſcipule? Non hæc tui eſt forma Doctoris. Ille ante tribunal humilis ſtetit, tu in tribunali ſuperba elatione ſubnixus, ſuper ſtantes ſedes iudicaturus. Tu interrogas, ille auditus eſt, Tu iudicas, ille arbitrio iudicis ſubiugatus eſt. Tu ſententiam præſumptuosè eructas, ille innocens, tamquam reus excepit. Ille regnum ſuum negauit eſſe de hoc mundo, tibi vero mundani regni tam concupiſcibilis gloria eſt, vt eam, aut ingenti pecunia compares, aut indigna, aut laborioſa adulationis ſeruitute merearis.*

Sixtus Pontifex in lib. de diuitijs.

154 *Et folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur. Et tu conſidera, quod ſcriptum eſt, Hieme tranſijt, abijt ſibi, flores apparuerunt in terra noſtra. Ex quo Chriſtus aduenit, qui temperiem introduxit, & hiemales Spiritus fecit ceſſare, & ficus, id eſt, mundus, tenerum ramum, id eſt, Eccleſiam fecit, nunc quidem folia proferentem, donec eſt in proximo æſtas, nondum tamen aduenit: facta autem æſtate plenius perfectos & maturos Chriſto ficus præſtabit, quãdo ſecundum Ieremiam, Ficus bona, bona ſunt valde, congregatæ in cophinis bonorum ficorum, ex quibus Chriſtus accipere vult, & quaſi edere dulcedinem eorum. Abſit autem a nobis, vt Ieſu veniente ad nos & volente manducare de ficu, vt nõ inueniatur fructus in ea, dicet enim ad eam in ſuo aduentu, quæ non oſtenderit fructus: Numquam ex te quiſque fructum manducet.* Sic in oſtio Templi, id eſt, in Eccleſia militante duos calathus plenos ficis, toto cælo diuerſos vidit Ieremias. Tales autem ſunt fideles, alij pii & boni, qui eſurienti Chriſto fructus virtutis offerunt ſalutares: alij impij & mali, qui tantum plauſu lætantur foliorum, quique, Dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant. His autem paratus eſt interitus & infernus, illis vita & Paradiſus. Audiamus Origenem hanc diuerſam ſententiam, pro meritorum diuerſitate ſic proferẽtem, *Calathus ficuum malorum, Gehenna eſt ignis ſempiterni: bonorum vero, regnum cælorum.*

Hermas in libro, qui Paſtor inſcribitur, ab Origene relatus in tract. 30. ſup. Matth.

Auctor.

Orig. relatus a Ghislerio in catena Græca Vet pat. ſuper cap. 24. Ierem.

155 *Et folium eius non decidet. Verba doctrinæ, quæ ad ſalutem Gentibus proficiunt, iuxta illud Apocalypſis, Et folia ligni huius ad ſanitatem gentium. Et omnia quæcumque fecerit, proſperabuntur. Iudæi exiſtimant hunc Pſalmum de Ioſia rege dictum eſſe. Melius igitur de eo intelligimus homine, qui a Saluatore noſtro aſſumptus eſt, atque ſaluatus, non quo alium aſſumpſiſſe, alium aſſumptum eſſe exiſtimemus: ſed quo vnus atque idem filius Dei, & filius hominis, qui ante ſæcula Verbum ſemper fuit, ipſe poſtea, & carnem eſt dignatus aſſumere* Hic ergo beatus vir, omnia quæcumque fecit proſperum habuerunt ſucceſſum, nam de illo Ioannes aſſerit *Quod factum eſt in ipſo, vita erat.* In Verbo, inquit Ambroſius, aliquid non factũ eſt, & aliquid factũ eſt. Diuinitas in illo non facta eſt, vnde, & credimus, & canimus *Genitum, non factum.* Humanitas autem facta in eo eſt, quia Verbũ caro factum eſt, & in ipſo vita eſt. Sed audiamus Ambroſium elegãter nimis philoſophantem. *Quod factum eſt in ipſo, vita eſt. Caro facta eſt in ipſo, vita eſt. Infantia facta eſt in ipſo, vita eſt. Iudicium factum eſt in ipſo, vita eſt. Mors facta eſt in ipſo, vita eſt. Remiſſio peccatorum facta eſt in ipſo, vita eſt. Vulnus factum eſt in ipſo, vita eſt. Illuſio facta eſt in ipſo, vita eſt. Diuiſio facta eſt in ipſo, vita eſt. Sepultura*

Hier. in cõment. Pſ. 1.

Auctor.

Ioan. 1. 3.

Eccleſia in Symb. Apoſtol.

Ambroſ. in enarrat ſup. Pſal. 36.

facta

facta est in ipso, vita est. Resurrectio facta est in ipso, vita est. Vide quanta in ipso facta sunt, quibus vitæ nostræ facta conuersio est, vt quæ perierat, redderetur. Ad postremũ venditio facta est in ipso, vita est. Redemptio facta est in ipso, vita est. Ad mortem venditus est a Iuda, emptus a Iudæis ad mortem, vt pretioso eius sanguine nos redimeremur ad vitam. Hæc est vita, quæ facta est: hæc est vita, quæ apparuit: hæc est vita, quam audiuimus: hæc est vita, quæ erat apud Patrem: quia ipse, qui erat in principio, ipse postea est natus ex Virgine, vt esset vita morituris.

Hilar. in en. sup. Ps. 1.

156 *Folium autem ligni huius non defluet. Nec mirum si folia eius non defluunt, cuius fructus dabuntur potius, quã decident, nõ maturitate depulsi, non vt exteriore decussi, sed rationalis officij dispensatione dimensi. Et quia in folijs significet ex comparatione rerum corporaliũ absolutum est. Namque hãc esse naturam foliorum contuemur, vt ad custodiam fructuum fructibus ipsis circumsecta prorumpant: vt quodam vallo tenera pomorum initia communiãt. Doctrina ergo verborũ Dei, quæ promissos nobis fructus cõuestit, significatur in folio. His enim verbis spes nostra inumbrantur: horum inter has sæculi tempestantes munimine conteguntur.* Frondes, si quis fructuum ostiarias vocet, non errabit, nam & Hesychius notat,

Auctor.

Hesychius apud Pieriũ Valer. li. 53. c. de Ficu.

Littera folium aperimus, vt qui latet interius fructum Spiritus inueniamus. Nec à veritatis via recedet, qui spem virtutum ostiariam recognoscet, ab ipsa enim introducuntur in anima virtutes, ab ipsa & custodiũtur, ipsa a Legislatoribus proponitur, et ab innata lege producitur. Non est meũ figmentũ, sed Philonis inuentum, ait enim, *Spem in foribus, ceù ianitricem natura collocauit, intus verò cæteras virtutes regias, quas adire licet nemini, qui nõ prius hanc vnam demeruit.* Proinde *Legislatores, & leges passim promulgata pro magno negotio habent replere bona spe animos ingenuos. Qui vero absque alieno hortatu benè sperat, non a scripta, sed ab innata sibi lege discit hanc virtutem, cuius ipsa natura author est.*

Philo Heb. in lib. de Abrahamo.

157 *Et Folium eius, id est, Verbum. Non defluet, id est, non erit otiosum. Otiosum est enim verbum, quod caret aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis. Sic ergo non defluet, & erit alijs vtile. Vnde fructus eius erit in cibum, id est, bona opera: & folia eius, id est, verba ad medicinam. Et nota, quòd sicut folia non defluunt in æstate, sed in hieme: Sic & multi sũt, qui bona verba habent in prosperitate, sed mala & defluentia in aduersitate.* Talia erant mulieris Iob folia verborum, quæ in hieme aduersitatis dicebat viro, *Benedic Deo, & morere.* Non autem talia Iob, qui arguit eam, qui folia seruat in hieme, qui in acie stat cum Satan, & qui dum ignitis hostium sagittis ponitur in lignum, & temporalibus spoliatur bonis, & pignorum sustinet ruinã, & in toto corpore vulneratur: tot ipse retorsit in hostes vulnera, quot armatus humilitatis scuto, & patientiæ munitus lorica, ex labiorum arcu in illos inflixit verborũ tela. Huius proposito exẽplo, nos hortabatur Gregorius Magnus, vt in acie stemus, & mala, quæ patimur, cum gratiarum actione sustineamus, sic enim intonat, *Quotidie namque in acie stamus, quotidie tentationum eius tela excipimus, Sed, & nos contra illum iacula mittimus, si confossi tribulationibus, humiliter respondemus. Beatus igitur Iob percussus damno rerum, percussus morte filiorum: quia vim doloris vertit in laudem Conditoris, dicens, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum: superbum hostem humilitate percussit, crudelem patientia strauit. Nec credamus, quòd Bellator noster accepit, & non inflixit vulnera. Quot enim voces patientia in Dei laudem percussus reddidit, quasi tot in aduersarii pectore iacula intorsit: & acriora valde, quàm sustinuit, inflixit. Afflictus enim terrena perdidit, sed afflictionem humiliter sustinens,*

Hugo Car. in I. Psal. 1. in Moral.

Auctor.

Iob. 2. 9.

Greg. Papa lib. 2. moral cap. 13. alias 18.

cælestia multiplicauit. Hinc, & Ambrosius exponens litteram hebræam Iod, quæ simul sonat confessionem, & desolationem, docet amica vnione hæc duo coniugi, excelsæ enim virtutis, excelsi meriti opus est, mala sustinere, & Deũ laudare. Ipsum audiamus, *Decima littera apud Hebræos, Iod, quæ latina significatione, confessio dicitur, vel certè desolatio. Nec discors, aut dissonans videatur interpretatio: siquidem, qui desolati sunt, citius confitentur: magis enim secundis rebus animus extolli solet: cùm autem vrgetur aduersis, tunc demum implorat auxilium.* Sicut enim fumus extincti luminis lumen rapit: sic aduersitas vrgẽs gratiam attrahit.

Ambr. ser. 10. in Psal. 118.

158 *Et folium eius non defluet. Per foliũ in Scriptura verba significãtur, quoniam sicut folijs fructus ornatur: Sic & verbis compositis scientia decoratur. Et Hugo de sancto Victore dicit, in folijs, verba: in fructu, vita designatur: quia sicut folijs vestitur fructus: Sic verbis cõpositis vita decoratur. Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur: mors, & vita Christi prosperabuntur, id est, prosperitatis æternæ nobis sunt causa, scilicet, electis, & hoc est, quod de Christo, id est, Verbo incarnato Pater prædixit, Verbum quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcumque volui: & prosperabitur in eis, ad quæ misi illud.* Si petas ad quæ Deus Filium misit: respondet Paulus, *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Quærit Saluianus, *Quid est aliqua redimere?* Et quæsito respondet, *Opinor pretium rerum, quæ redimũtur dare.* Et subdit, *Ex pretio maiori, vel minori, desume dignitatem maiorem, vel minorem redempti.* Si ergo hoc verũ est, vti & est, ponamus in statera Crucis hinc pretium à Principe Apostolorum ita expressum, *Non enim corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.* Et inde locemus hominem perditum, & tam caro redemptum: ex hoc enim æstimabimus hominis dignitatem. Et si æstimatorẽ quæritis, adest Eusebius, ita supputans, *Magnum quidem mihi est de Deo, quòd esse me sentio opus suum: sed multo plus quod transisse illum video in pretium meum: quandoquidem tam pretioso munere illa redẽptio agitur, vt homo Deum valere videatur.* O excelsam redempti hominis dignitatem! O prosperũ successum! O Redemptoris miram dignationem!

Incognitus in Ps. 1.

Auctor.

Ad Gal. 4. 4.

Saluian. in lib. 1 ad Ecclesiã Cath.

1. Pet. 1. 19.

Euseb ho. 6. de Pascha.

159 *Verba viri iusti in cassum non defluunt, quia ad salutem multorum perueniunt.* Et verè ad salutem multorum perueniunt, nam labia viri iusti, instar aurei faui mellis, & ceram habent lucidam, & dulcem cibum: & duplici cælesti dono, dũ hoc pascunt auditores, illa & illuminant viatores, dirigunt eorum pedes in viam pacis. Non est mea consideratio, sed Carpatij, qui explicans verba sponsi, *Fauus distillans labia tua:* ita subnectit, *Doctores sancti, & Prædicatores integerrimi labia sunt Ecclesiæ, qui dulcissima doctrinæ Christianæ præcepta, salutariaque eloquia paruulis effundunt ad fidem alendis. Fauus enim mellis honesta sunt verba, ac docta. Per hos occulta diuinæ sapientiæ, quasi cordis latentia aperiuntur. Fauus est diuina Scriptura, in qua mandata vitæ æternæ, dulcissima Sponsi cum Sponsa colloquia, virtutesque omnes continentur, & diligenter inquirentibus patent. Vt enim in fauo mel, & cera latent, quorum altero pascimur, altero lumen accendimus: Sic in litteris sacris suauissimus cibus animi, & lumen mentis insunt, modò rite quærantur.* Viuaciori autem colore, & clariori etiam lumine cælestium verborũ effectum, diuininorumque sermonum arcanum pretium describens incarnatum Verbum, illos comparat margaritis, *Latenter indicans,* vt notat Ammonius Alexãdrinus, *verbi cælestis sublimitatẽ.* Cùm enim ex his, quæ alias diximus, & margaritæ comparentur

Remig. in Psal. 1. Auctor.

Cant. 4. 11. Philo Carp. in c. 5. Cant. Cant.

Ammonius Alex. in Euãgeliorũ harmonia, in anno 1. Dominicæ prędicationis.

Soli,

soli,& aceto dilutæ dulcem præparant cibum: ne dum labia Concionatoris fauum distillant ne dũ mellis pabulum præbent, & ne dũ luminis escam ministrant: sed etiã gemmeũ habẽt os, solis lumen exibent oculis, & margaritas dulces gutturi præbent.

Rodulphus in Psal. 1.

160 *Et folium eius non defluet: id est, verba eius non erunt de terrenis, sed de cælestibus.* Querebat Vranius, cur Cõcionator a Salomone Gallo comparatur, *Gallus succinctos lũbos?* Cui Salonius respondet, *Quia inter præsentis vitæ tenebras, verum mane, hoc est veram lucem, prædicando annunciat, gloriam videlicet æternæ beatitudinis.* Gallos luculento encomio celebrat Plinius, dicens, *Norunt sidera, nec solis ortum in cautis patiuntur obrepere:* Celebrat & Ælianus, addens, *Exoriente Luna, quasi diuino quodam Spiritu afflatum bacchari & exultare:* Vnde Iob mirabundus inquirebat *Quis dedit Gallo intelligentiam?* Gallum ergo æmuletur Concionator, tum in intelligentia venanda sacræ Scripturæ, de qua dicitur, *Sicut liber cæli complicabuntur*: tum in mysticæ Lunæ, id est Reginæ cæli deuotione prouocanda: tum in Solis iustitiæ amore demonstrando: & tum in Dei gloria enarranda, vt fit cælorum choro, de quibus canitur, *Cæli enarrant gloriam Dei*: hi enim Concionatores sunt, vt Origenes, Gregorius, & alij Patres interpretantur.

Auctor.

Prou. 30. 31 Salonius in explic. mystica in Salomonis Parabolas.

Plin. lib. 10. c. 21.

Ælian. lib. 4. c. 28.

Iob 38. 36.

Isaia 34. 4.

Psal. 18. 2. Orig. hom. 2. in Genes. Greg. Papa 9. mor. c. 4. D. Thom. in Psal. 1.

161 *Et folium eius non defluet, id est, nec in minimis operibus exterioribus deseruntur à Deo. Iustus autẽ quasi virens folium germinabit. Et omnia quæcumque faciet prosperabũtur. Quia beati in omnibus prosperabuntur, O Domine benè prosperare.* Ciceronis sententia est, *Magnis viris prosperè eueniunt semper omnes res.* Et quidem, si in magnis viris iustos viros describit, verum dicit & cum Salomone consentit, qui de Iusto afferebat, *Fructus iusti lignũ vitæ.* Seruaturne, o sapiẽs Rex, alia lex in Iudææ solo circa fructuum ortus, ab illa quæ obseruatur in nostro cælo? Cùm ergo, rerum magistra demõstret, quod in nostro Cælo lignum fructus producat, non fructus lignum, quomodo tu dicis, *Fructus iusti lignum vitæ?* Respõdet Iansenius, quod fructus Iusti ligno vitę cõparatur, ex quo fructus vitę legebãtur. Et ideo sensus erit, Iustus lignũ est, ex quo & ipse & alij colligũt fructus vitæ. Sic ergo ait, *Dicitur lignum vitæ, nõ solùm quia fructus illius suauis est, & gratus, sed etiam quia immortalitatem confert, & iusto, qui fructum illum profert, & omnibus, qui fructum iusti gustant, sumentes ab eo doctrinã Spiritus, & bonorum operum imitationẽ. Vnde, & animos multos suscipit, id est, Deo lucratur.* Hinc nomen, quod Antiqui dabant Dijs atque Sideribus, dicentes prosperos, Deos, & prospera Sidera, quasi felicitatem impertientia, id verè conuenit Iustis, qui & Dei per gratiam sunt, & Sidera, quæ numerat Deus, & ex nomine vocat. Iusti enim, & prosperãtur in omnibus, & prosperitatem omnibus impertiuntur.

Auctor. Cic. li. 2. de Nat. Deor.

Prou. 11. 30

Prou. 11. 30

Iansenius hic.



CORONA STELLIFERA

EX VARIIS EXPOSITIONIBVS CONTEXTA, & variorum Patrum, ac Doctorum atque Auctoris luminibus illustrata.

VERSVS QVINTVS.

Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ.

Agellius in Psal.

162  *Vsterum hominum ne folia quidem defiuent: at verò impijs, & scelestis lõge aliter euenit. Nam cito, & inictu oculi auferentur, & in ignẽ æternum mittentur, cum ille Ventilator permundabit aream suam, & recondet triticum in horreum paleas autem cõburet igni inextinguibili. Puluerem enim hoc loco minutas ex trituratione paleas intelligit, sicut ait Hoseas, Idcirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens: sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario. Non enim quod in Græco est χοῦς, siue χνοῦς terræ puluis est modo, sed etiam triturata palea, Grauissimam igitur ex illorum hominum sensu pęnam irrogat impijs hominibus, vt iustis palmæ instar florentibus, & in domo Domini plantatis: illi hostibus superuenientibus, tamquam area ventilatoribus, in omnem ventum omnesque regiones dispergantur*.

Auctor.

O quantum distat Iustorum sors à conditione impiorum. Illi ciues sunt cæli, isti terræ: illi ædificatores Ierusalem, isti Babel: illi florentes in domo Domini, isti dispersi per vniuersam terram. Hos ciues, has ciuitates his coloribus depinxit Philo Hebræus, *Sunt autem duę ciuitatis species, altera melior, altera deterior: melior, in qua sub populari administratione Republica ciues æquo iure viuunt, legibus principatum obtinentibus, hæc ad laudem Dei pertinet. Deterior autem: adulterina falsaque moneta, in qua penes vulgum est regimen, & inæqualitas est in pretio, pręsidente iniquitate, atque iniustitia.* In *prioris ius probi ascribuntur, in posterioris ignauorum multitudo, perturbationem magis quàm ordinem, & confusionem magis quàm bonam constitutionem diligens.* Luunt autem demẽtiæ pęnam, quam iidem, & iudices & rei, sibi ipsis decernunt, dum protinus addunt *Antequam diuidamur in vniuersas terras*: Vel ex eodem Philone, *Priusquam dispergamur in vniuersas terras.* Sic quasi iudices, & accusatores, se ipsos damnantes, quòd tãquam puluis proijciendi essent supar faciem terræ. Vnde idem Philo subdit, *Profectò conscientia redarguit in pectore, & quamquam contemptores Dei, stimulat, vt vel inuiti cogantur intelligere, humanas res administrari a natura præstantiori: & esse iustitiam, quę implacabiliter scelera vindicet, infensã iniustis impiorum facinoribus, & eis etiam, quibus patrocinantur.*

Philo in lib. de confusione linguarũ

Genes. 11. 4.

Idem Philo ibidem.

Idem ibid.

162 *Quid igitur improbus nisi puluerem generat, ex quo generatio esse non possit? Ideoque Propheta puluerem impijs comparauit, dicens, Non sic impij, non sic: sed tamquam puluis, quem proijcit ventus a facie terrę: eo quod etiam secundum altiorem sensum, infæcunda sit ipsorum anima, quę fructus vtiles generare non possit. Qua ratione etiam Chus Membroth gigã-*

Ambros. de Noe, & Arca c. vlt.

tem genuerat, qui erat venator ante Deum. Quid aliud pulsus, & arena generaret nisi terrenum hominem, eo quòd impius cælestibus terrena præponat? Varios homines varijs ex locis ortos describens antiquitas, illustres ac nobiles asserebat, De cælo natos: obscuros, è contra & viles, De terra genitos, ac terræ nuncupabat filios. Hos diuersos homines diuersis ex nominibus inuitans ad Dei verba audienda, sic Dauid distinxit, *Audite hæc omnes gentes, quique terrigenæ, & filij hominum.* Vbi Cassiodorus discrimen a nobis notatum obseruans, ait, *Terrigenas peccatores oportet intelligi, qui vitia terrena sectantur. Et isti in partem Adæ primi hominis meritò reputantur: qui ille non filius hominis, sed ipse primus homo fuisse declaratur. Huic contrarium est quod dixit, Filij hominum. Iustos enim tali dicto debemus aduertere: qui in sortē Christi veniunt, quoniā, & ipse Christus Filius hominis esse prædicatur. Et memento quia contra Adam ipse semper opponitur.* Cùm ergo verum sit in ea rem resolui, ex quibus constat: quid mirum, si ex terra natus, in terram aridam resolutus, tamquam puluis proiectus a facie terræ, in terrā reuertatur? Iustus autem, ex opposito, de cęlo natus, regeneratus ex Spiritu, in cælo aliger volat, & ad Deum qui Spiritus est reuertitur felix. Ita oraculum Salomonis impletur, *Donec reuertatur puluis in terram suam, unde erat: & Spiritus ad Deum, qui dedit illum.* Hanc differentiam dilucidans Ambrosius, his vmbris, his luminibus vtebatur. *Alia est forma corporis, alia gratia spiritualis. Qui spiritalis est, audit omnia, diiudicat omnia. Animalis autem homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei. Hic enim terrigena est, ille cœlestis. Ideoque addidit, Quique terrigenæ, & filij hominum; simul in unum diues, & pauper: vt vniuersos vocaret.* Volens autem discriminare natos a natis: terrigenas à carne, cælestes à spiritu genitus, sic demōstrat, *Quis est terrigena, nisi filius hominis? Ille ex sanguine concretus, & carne, & viri voluptate generatus: iste ex Deo natus.* Nec clarius distinguere poterat, De terra ortū, vel de Cælo natum, quam dicens, ille ex sanguine generatus, iste ex Deo natus.

Auctor.

Psal. 48. 2.

Cassiod. hic

Eccle. 12. 7.

Ambros. in enar. Ps. 48.

164 *Non sic impij, non sic. Quia descripsit virum beatum propriè, id est, per ea quæ sibi conueniunt propriè, & hoc dupliciter, sicut patuit in duobus primis versibus: ideo hic describens, & secernens virum miserū, ponit sibi duas negationes, per duplicem similitudinem. Deinde describit eos sub opposita similitudine, scilicet comparans eos pulueri, qui a vento rapitur. Et opponitur ista similitudo præcedenti, quantum ad tria, quæ ligno illi, cui comparauit beatū, attribuebat, scilicet, fixionē, irrigationem, & fructificationem. Habet enim puluis tria, istis tribus opposita, scilicet, instabilitatem, siccitatem, & sterilitatem. Sunt enim praui instabiles, quia de facili mobiles, etiam tēntatione minima. Sicci, quia destituti sunt humore, id est, gratia. Et steriles propria negligētia, leue enim facililer rapitur, continuò inflammatur, & humore destituitur. Terra enim neglecta in sterilitatem redigitur: vnde primo Parenti post peccatum dictum est, Puluis es, & in puluerem reuerteris. Per faciem enim terræ intelliguntur bona superficialia terrena, quæ eis vento tribulationis auferuntur. Vel intelligitur stabilitas conscientiæ, aut decor cælestis patriæ, a qua proijcitur. Ventus, id est, sententia Iudicis: qui quidem ventus exprimitur, Ite maledicti in ignem æternum. Si enim proijciuntur in ignem, proijciuntur a facie terræ.* Talem ventum, horrorem turbinis talem impijs minabatur Isaias, vt eos ad quietis portum reuocaret, suadēs eis, *Quiescite ab homine, cuius Spiritus in naribus eius est:* Vel ex Forerio, *Cauete vobis ab homine, in cuius naso, est afflatio abominationis & indignationis.* Ventum naturæ Mystes ita describit, *Hic est generabilis rerum naturæ Spiritus, hinc, illincque, tamquam in vtero aliquo vagus, siue disparili errantium*

Anglicus in Psal. 1.

Auctor.

Isai. 2. 22.

Forerius hic.

Plin. lib. 2. c. 45.

fide-

fiderum ictu, radiorumque multiformi iactu flagellatus aer. Nos autem tempora distinguentes dicemus vrentem ventum, & seuerum iudicis decretum, quo impij tum in iudicio affiabuntur, nunc in visceribus misericordię retentū vagari: tunc autem sic soluetur, & egredietur sic, vt multiplici radiorum ictu, & multiformi flagellorum iactu illos iam damnatos piecturus sit a facie terræ. En quomodo nunc in vtero vagatur Spiritus, non tamen egreditur, *Tacui semper, silui, patiens fui*. Sed en quomodo tūc parturiet spiritum, iudicium iaculabitur, & impios afflatu proijciet in gehennam, *Vt parturiens loquar, Dissipabo, & absorbebo simul*. Vbi Forerius, *Flatum cum gemitu emittunt, & non sine vehementi impetu parturientes femina, & quo halitum diutius continent, eo maiori impetu refundunt: qua elegantissima similitudine significat Dominus longanimitatem suam, simulque nobis insinuat, se vltionem nequaquam differre ex indolentia, quodue scelerum, vel flagitiorum hostium suorum sensu non tangatur: sed sciens videns quò ex misericordia se se contineat, neque ad vltionem procedet, nisi eùm iam diutius ferre molestiam non possit. Dissipabo* אשם *siue sit verbū* נשם *siue* שכה *siue* שמם *flatum emittere, seu halitum notat. Quod vero sequitur verbum, oppositum significare puto, scilicet, insorbere, inspirare: vt pariter anhelitum emittere, & insorbere, sit frequenter inspirare: quod est eorum, qui fatigantur, vel labore, vel animi dolore & angustia. Possunt ergo hæc accipi de defatigatione ex ingenti strage, quam se editurum designat.*

Isai. 42. 14. — Forer. hic.

165 Non sic impij, non sic. *Geminata comminatione interitum, verissimum adstruit*. Sicut geminata confessio rei in foro fori, qua tum in tortura, tum extra torturam confessio delicti morte mulctandi confirmatur, interitum rei certissimum operatur: ita in foro Poli Iudex iustus & patiens, verus ac seuerus, & nunc ab impiis per torturam & funē mortis peccata extorquet, & peccata nunc ab impœnitentibus Antiochis confessa, solo nutu extrahet in iudicio, extractis autem in publicum impietatibus, impios absque vlla miseratione affiatos, proijciet à facie terræ, & detrahet in profundum laci, adimplens Dauidis, vel prædictionem, vel imprecationē, *Consumetur nequitia peccatorum, & diriget iustum: scrutans corda & renes Deus*. Scrutationem hanc declarat Basilius, dum ita fatur, *Scrutatio propriè est, eum omnibus torturis & argumentis inquisitio, qua a iudicibus adhibetur torturæ admotis, vt si confessi rerum sunt arcanarum, qua in quæstionem posita sunt, vi tormentorum adacti, eas prius delitescentes, in apertum constituant*. Et quidem, *inquiretur in cogitationes nostras, æquissimi iudicis examine prorsus ineffabili. Ipsa rursus actiones in quæstionem venient, & expendentur*.

Areta in Psal. 1. Auctor. — Psal. 7. 10. — Basil. hom. super Ps. 7.

166 Non sic impij, non sic. *Sic Hebræus* כן *Chen, idest certè, rectè, verè, firmiter ad amussim, & libellam. Omnia iustis attributa improbis prorsus negantur. Sicut Iustitia, etiam Romano sermone, pro omni virtute accipi solet: sic impietas pro omni vitiorum genere*. Maximum discrimen cernitur inter Ciconiarū filios, & Viperæ partus. Sicut enim Ciconiæ pietatis hieroglyphicum sunt, quia, vt Pierius refert, *Parentes numquam deserūt, senectutem eorum curant, & non modo senescentium, sed quotiescumque opus est, vt alantur opera liberorum*: Ita, è contra pignora viperarum, impietatis sunt pignora eodem Valeriano testante, *Quòd nedum nati à vulua, nati videntur ad impietatem: sed etiam à ventre, & antequam nascantur: disrumpunt enim illud, & sic oriuntur, vt eorū Lucifer in Posphorum parentis vertatur*. Eadem ferè lege exleges impij discriminātur a piis: hi enim cum summo Parente semper apparent obsequentes & pij: at illi, ex opposito, quasi ad impietatem geniti, *Alienati sunt à vulua*. Bone Deus

Arias Mōt. in Ps. 1. — Auctor. — Pier. lib. 17. c. de Ciconia. — Idem Pier. lib. 14. c. de Vipera. — Psal. 57. 4.

Deus,quomodo poteſt quis ante vſum rationis a veritate fieri alienus,alienari a Genitore, & abalienari à beatæ vitæ Fonte & Authore? Dubium hoc Auguſtinus proponit, & idem ſic dirimit, *Quod fortè a quadam vulua alienati ſunt peccatores, in qua dolores patiebatur caritas: nam cùm adhuc pregnans eſſet Rebecca, & geminos in vtero portaret, dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Occultũ ibi iudicium Dei ſed tamen à vulua, id eſt, ab ipſa origine alienati ſunt peccatores.* Videbãtur ergo in vulua, quaſi in nido, & Iacob pius, ſimilis Ciconiæ: & Eſaù impius, viperæ aſſimilatus, & impiorum caput, de quibus ſubditur, Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, nam ad iuſtar ſerpentum, ſtatim ac oriuntur, ad peccatum, ad furorem, ad indignationẽ, & ad impietatem orti videntur, & mortiferę impietatis, ſtatim nullo docente, virus vomunt. Deſcripſit Eccleſiaſticus hinc piam, inde impiam illorum figuram, varios adhibens colores, lumina varia, variaſque vmbras, nunc de Iuſtis dicens, *Sapientia & diſciplina, & ſcientia legis apud Deum: Dilectio, & via bonorum apud ipſum*: nunc de peccatoribus ſubdens, *Error, & tenebræ peccatoribus concreata ſunt.* Vbi Auguſtinus, *in ſapientia, cognoſcit colorem eruditionis: in diſciplina, vmbrã iſtitutionis: & in ſcıẽtia, lumẽ legis, ex quibus figuratur imago Iuſtorum. At difformis figura impiorum ex vmbris tantum, & obſcuris coloribu adumbratur.* Si autẽ vtriuſque figuræ pictores quæras, illos quidẽ depingit, qui ornauit cælos, *quia via bonorum apud ipsũ*: Vel ex Græco παρ' αὐτῷ, id eſt, ab ipſo, *Ipſius.n. factura ſumus, creati in operibus bonis: Quidquid enim boni habemus, non eſt ex nobis ipſis, ſed ex Deo faciente: idque non ex operibus praecedentibus, & hoc exprimitur in hoc, quod ſubdit, creati. Eſt enim creare, aliquid ex nihilo facere. Vnde quando aliquis iuſtificatur ſine meritis praecedentibus, dici poteſt creatus, quaſi ex nihilo factus.*

Aug. in en. ſup. Pſ. 57.

Pſal. 57. 5.

Eccli. 11. 15

Ibidẽ verſ. 16.

Aug. lib. 12 de Tri. c. 14

Ad Epheſ. 2. 10.

Ex D. Tho. hic.

Peccatoris autem informis figura à manu propriæ voluntatis, à penicillo liberi arbitrij, à nigris coloribus vitiorum, & à pallentibus vmbris culparum adumbratur: Sic Ianſenius notat varietatem colorum, & artis peregrinitatem, qua Eccleſiaſticus aliter bonos, aliter depingit malos: vel vt aptius loquar, alium demonſtrat pictorem eſſe malorum, bonorum alium: horum enim pictor is eſt, qui pinxit calos: illorum, verò, qui tartara inumbrat, nam, *Error, & tenebræ peccatoribus concreata ſunt.* Eo modo quo Deus animam creat, potentiæ autem animæ dicuntur concreari, quia fluunt & manant ex eſſentia illius: Eadem ferè lege Deus hominẽ creat, & bonũ creat: at homo liber ſic induit informẽ peccatoris formã, vt qui opus Dei erat, opus ſit hominis, opus peccatoris. Hinc Chryſologus explicans verba Matthæi, *Cum tranſiret Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio*: ita philoſophatur, *Vidit hominem, vt peccata hominis nõ videret. Vidit opus ſuum, vt deſpiceret opera peccatorum.*

Ianſen. in c. 11. Eccli.

Matt. 9. 9.

Chryſolog. ſerm. 30. in Matth.

167 *Non ſic impij, non ſic. Dicitur ab Hebrais propriè deſignare puluerem palearum inuolucrum tritici. Eoque ait Auen Eſdra, animum Iuſti ſimilari grano, quod flante vento remanet: impios autem eſſe velut paleas, quas huc, illuc ventus differat. Multis autem exemplis, quibus infelicitas impiorum deſcribatur, requiſitis, nullum aptius occurret, quam pulueris tritici palearũque, qui in area à vento ſubleuantur. Nulla ſubeſt ei ſubſtantia, nullius eſt ponderis, quæcumque vel aura leuis ſurgat, tolluntur, iactantur. Haud ſecus de impijs ſentias, quos alij felices beatoſque predicabant, opes, fortunæ, corporaque eorum formoſa, pinguia, libidinum ſatietate admirabantur. Ecce ventus calamitatum, & clades, quibus circumſepta eſt hominum vita, congeſtas auertit opes, ſternitque alto a culmine partas: quam fortunam dicunt, ſed Deus eſt, in eos impetum facit.* Non erat autem aptius exem-

Auguſt. Eugubinus in enarr. ſuper pſal. 1.

plum,quo partas iniustè,& eum sanguine miserorum comparatas, opes designaret dissipādas,quàm quisquilijs tritici, quarum,vt cumulum subito ventus dissipat, vt amplius non apparet : sic cumulus opum iniquè partarum dissipatur breui. Hanc Eugubini interpretationem clarè confirmāt verba Salomonis, *Substantia festinata minuetur*. Sicut enim de Sorbo asserit Plinius, *Sorbo vniuersa folia simul decidunt, cùm ceteris arboribus paulatim ita accidat* : Ita quidem subdito nudantur,& sua bona profundunt festinatis expensis, cùm sensim id fieri oporteret. Si cum Caietano leges, *Substantia ex vanitate minuetur:* cum ipso dices, *Opes in vanas atque inanes res expensas, seu profusas ocyus minui, atque deficere:*& Adagium addes, *Largitio nō habet fundum.* Si autem cum Ioāne Pico vertes, *Substantia efferuescens minuetur*: optimam lactis similitudinem ex Plutarcho afferre potes. *Lac enim subito feruore augetur igni appositum: cuius pars magna in spumas abit, & per eadi labia dilabitur: & simul atque ab igne separatum est,subsidet imminutum, consumptumque apparet: pari ratione opes,quæ subitò attollūtur, & præter omnem modum excrescūt, paulo, post veluti deferuentes, diminutæ visuntur.* Si autem cum Symmaco transferas, *Substantia ex vacuitate minuetur*, apertè cognosces, rerum magistra docente, Opes omnes sine labore collectas, & æstimari minus,& profundi largius,& temerè effundi, & dicto citius,ita ad nihilum redigi, vt super citam iacturam argenti & auri sic tu possis lugere, vti de argenteis,& aureis rosis Poetæ licuit canere,

Auctor.
Prou.13.11.
Plin.lib.18. c.15.
Caiet. hic.
Adag. ex Cicer. lib.2. de Officijs.
Picus Mirādulanus, & Plutarchus relati a Salazar. in c. 13. Prouer.
Symmach.

Vna dies aperit,cōficit vna dies.

168 *Non sic impij non sic. Iteratio sermonis non aliter futurum omnino significat, quam promittit.* Ita is docet in quæstionibus vtriusque testamenti. In enarratione autem Psalmi primi totum hunc versiculum explicans ita dicit, *Terra hic accipienda est stabilitas in Deo, secūdum quam dicitur, Beati mites, quia ipsi hereditate possidebunt terram. Similitudo autem hinc ducta est, quia vt hæc terra visibilis exteriorem hominem nutrit, & continet: ita illa terra inuisibilis interiorem hominem. A cuius terræ facie proiecit ventus impium, id est, superbia, quia inflat. Et proiecit eum,qui dixit, Ponam sedem meam ad Aquilonem:& eū,qui cū consensisset,& gustasset de prohibito ligno, vt esset sicut Deus, Abscondit se a facie Dei. Hanc terram ad interiorem hominē pertinere. Et inde superbia hominem proijci,maximè intelligi potest in eo,quod scriptum est,Quid superbis terra,& cinis? Quoniam in vita sua proiecit intima sua. Vnde enim proiectus est,non absurdè se dicitur proiecisse.* Ad hoc respiciens Deus præcipiebat, *Cū ædificaueris domū nouā,facies murū tecti per circuitū:* Vel vt Philo transfert, *Facies coronulā per circuitū,ne fūdatur sāguis in domo tua, & sis reus labente alio.* Quid est autem coronula tectum nouum non circundare, quam operis boni gratias Deo non referre, & cum superbia coronam Deo debitam auferre? Hinc iurè concidet,& decidet,qui domum ædificat,& coronam Deo non superimponit, vnde reus est mortis sui ipsius decidentis. Non est mea interpretatio,sed Philonis, dicentis, *Grauissimum est enim ab honore Dei prolapsum decidere, semetipsi coronam vsurpādo,& ciuilem mortem patrando: suam enim animam interficit,quisquis honorat, quod nihil est, struens sibi stulta eruditionis ædificium.*

Ausonius in Epig. de Rosa.
Aug. Hipp. Epist. in qq. vtriusque test.q.110.
Auctor.
Auctor. Deut. 22. 8.
Philo Heb.
Philo lib. de Agricult.

169 *Non sic impii,non sic, id est, falsi Christiani, aut incredule non sic,& non prosperabuntur:sed erunt tamquam puluis,id est, comparabiles pulueri,quia sicut terram solubilem, & sine humore & grauitate, quæ puluis dicitur, materialis ventus à terra solida separat, & proijcit: Ita ipsos,qui sunt puluis, id est, carent affectione caritatis,id est, dilectione Dei & proximi, in quo inobedientes sunt præceptis Dei. Vnde necesse est,vt sint elati,& à vēto elationis proiectū a facie illius terræ,de*

Beda in Cōment. super Psal.1.

qua dicitur, Credo videre bona Domini in terra viuentium. Vel a facie terræ, id est, à pulchritudine, & clarificatione propria carnis. Resurgent enim impij, non tamen recipient carnem suam clarificatam. Neque ergo veri impij, id est, idolatræ: neque peccatores, id est, scripta legis prauaricatores, id est falsi Christiani, erunt in consilio Iustorum, id est, non iudicabunt, vt Apostoli: neque idicabuntur ad saluationem.

Auctor.

O felix anima, quæ veluti Columba dormiens inter medias sortes meditabunda, inde malorum perpendit mala, hinc bona bonorum, vt hæc amet, & emat: illa abominetur, & horreat. Si vis, vt opposita iuxta se posita magis elucescant, audi, & vide, quæ de vtrisque scribit; atque describit

Saluianus Episc. Mass. lib. 1 ad Eccles. Catho.

Saluianus, *Ergo & nos cogitantes & præsentium rerum breuitatem, & futurarum æternitatem, quàm paruum istud, quàm grande illud: cogitantes quoque futurum Iudicem, & tremendi iudicij graues exitus, ardentem in medio populorum circumstantium vallem perennium lacrymarum, quam non solum introire, atque tolerare inæstimabile ac summum malum, sed etiã videre, ac timere pars mali summi sit. Cogitantes quoque inter hæc horrenda & pœnalissima, alia hinc præclara ac beatissima, nouos scilicet, cœlos, & nouam terram, vultum rerum omnium pulchriorem, æternum iustitiæ habitaculum, recens adsfictum creaturarum, aursas super Cœlos Sanctorum omniũ domos, aulas gemmis intermicantibus expolitas, & immortalium metallorum fulgore pretiosos, lucem illic septuplũ illustriorem, puniceo semper splendore radiantem, beatitudinem ineffabilibus bonis diuitem, lætam cum incolis suis perennitatem; Patriarcharum consortium, Prophetarum societatem, Apostolorum germanitatem, Martyrum dignitatem. & in omnibus Sãctis Angelorum similitudinem, opum cælestiũ copiam, delitiarum immortalium afflatiam, communem cum Deo vitam. Hæc itaque cogitantes, hæc contemplãtes, ad cultum religionis sacra, officiumque confugimus, eumque nobis ad obtinenda hæc bona suffragatorem quodammodo, & aduocatum efficacissimæ intercessionis adsumpsimus, atque in eius protectionem ac patrocinium ambitiosa humilitate contulimus.* Ambitio superba detestanda est, ambitio autem humilis laudanda est: dum enim terrena despicit, cælestia aspicit: & dum vanos honores cõtemnit, æternos atque solidos acquirit.

Bellarm. in Psal. 1

169 *Non sic impij, non sic. Elegantissimè Propheta describit miseriam impiorum, eamque felicitati Iustorum opponit. Iusti ob humoris diuini copiã virent, & fructum faciunt. Contrà, impij diuino humore destituti, aridi, & steriles, instar leuissimi pulueris a vento disperguntur. In textu Hebræo non adest illa repetitio, Nõ sic, neque illud, A facie terræ. Sed addita sunt à Septuaginta interpretibus, explicandi, vel ornandi gratia. Vocabulum pulueris, hebraicè non est,* עפר *ghafar, quod propriè puluerem significat, sed* מוץ *motz, quod glumam significat, scilicet speciem pulueris ex tritura palearum.*

Auctor.

Ex hoc autem in eadem area discriminantur frumenta, & paleæ, Iusti & iniusti, agni & hædi, electi & reprobi, prædestinati & præsciti, pij & impij. Hi enim à facie terræ, vt palearum trituræ, & vt puluis disperguntur: illi autem vt frumentum graue, aureum, ac pretiosum sic subsident, sicut authore Plinio, *Quod in ima area subsedit, ad semen reseruãdũ est, id enim optimum, quoniam grauissimum.*

Plin. lib. 18. cap. 24.

Ita & ipsi pro cælesti horreo reseruantur ad premium, in Ecclesiæ area custodiuntur ad exemplum, & Ecclesiæ laxant ora, ad Deum ita laudandum, *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te.*

Psal. 34. 18.

Quod harmonicè quidem à Cassiodoro, & clarè exprimitur, & cõcinnè applicatur.

Cassiodor. hic.

Magna Ecclesia est populus Christianus recta fidei tenax, qua amplitudine sui totius mũdi spatia comprehendit. Et in populo graui, vtique fructuoso, qui non in leuibus paleis, sed in frumentalibus granis noscitur constitutus. Quem veniens aura tentationis, de area Christi non abijcit, sed ventilationibus purgatur potius, quàm longè proijcitur. Quapropter in graui populo laudatur Dominus, a leuibus autem, & fide va-

cuis vtique blasphematur.

Brandamachi' in Pl. 1.

170 *Non sic impij, non sic. A facie terrę non est in Hebræo sed apparet ab Interprete adiectum illustranda sententię causa.*

Auctor.

Et forte reorum proiectionis ad tartara causam demõstrat, quia terræ amatores, terræ habitatores extiterunt, vnde meritò, ventus vrens seueri iudicij, & proijcit, & eliminat, & detrahit in abyssum. Audite, & horrete, *Va, vę, va habitantibus in terra.* Quis ergo saluabitur, si omnibus in terra habitãtibus triplex, Væ, minatur? Vtique illi, qui in terra cum corpore tantum commorantur: sed cum Apostolo sic gloriantur, *Nostra autem conuersatio in calis est.* Timeant autem impij, qui terrena tantum amantes, in terra non minus hahitant corpore, quàm corde. Non mea est respõsio, sed Ambrosij dicentis. *Nec putare debemus, quòd tria, Va, ad electos pertineant, qui diuersas calamitates ab impijs pertulerunt: sed potius ad eosdem impios, qui easdem calamitates intulerũt. Vnde & vę, va, va habitantibus in terra, dicit. Impij namque qui nihil aliud, quàm terram quarunt, habitatores terra iure vocãtur: Iusti autem, qui calestia semper desiderant, cali habitatores rectè vocantur: sicut dicit Apostolus Paulus, Nostra conuersatio in cęlis est.*

Apoc. 8. 13.

Ad Phil. 3. 20.

Ambrof. in expos super cap 8. Apocalypsis.

Caietan. in Psal. 1.

171 *Non sic impij, non sic. Non sufficit Dauid magnificare Iustum ex arboris similitudine, sed magnificat etiam ex contraria dispositione impiorum. Tamquam gluma. Folliculus ille leuis qui tegit granum. Habet gluma duplicem statum in grano, & extra: in primo vtilis est, in secundo ad nihil valet, et pro nihilo habetur. Impij vtiles sunt electis: ipsis verò damnosi. In hac enim vita sunt sicut tegentes granum Iustorum: ipsis vero inutiles & leuissimi, qui circumferuntur omni vento doctrinę.*

Auctor.

Sicuti in area excutit virga paleam a grano, & grano excusso, virga ab ictibus cessat, grano non nocet, grano proficit valde, separat illud a paleis, a gluma seiungit, reddit purgatum, recondit in horreo, & in horreo custoditur: eodem modo virga impiorum Iustos in area percutit, temporaliter tantum lædit, purgat finaliter, à peccatoribus illos separat, & in cælo æternaliter recondit. Sic Hilarius explicans verba Psaltis, *Quia non reliquet Dominus virgam peccatorum super sortem Iustorum:* consolatur Iustos, dicens, *Veniunt quidem tribulationes, sed non permanebunt: veniunt persecutione, sed non persistent. Multi redigere libertatem fidei nostra in captiuitatem volunt, sed confessioni nostrę quam in Christo habemus, nemo dominatur. Non enim super sortem nostram peccatoris virga direlinquitur. Dominus namque in circuitu populi sui est in aternum, ne victi & fatigati virgę imperio, ad iniquitatem extendamus manus nostras sed virga cùm inciderit, auferetur: & peccator cùm incubuerit, non derelinquetur. Breue est quidquid patimur ab aduersarijs Dei, & habet victorię premium, licet non habeat pralij longi laborem.*

Pl. 124. 3.

Hilarius in enarr. supe: Pl. 124.

Cassiodor. in Psal. 1.

172 *Non sic impij non sic. Quoniã non erit sic impijs, vt superius dixit. Et vt immobiliter crederes, firmitatem negationis, iterando monstrauit. Nam si locum eorum diligenter inquiras, audi Apocalypsim Ioannis dicentem, Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris: vbi illa bestia, & Pseudoprophetę, quod videlicet pertinet ad omnes impios, cruciabuntur illic die, ac nocte in sacula saculorum. Sed tamquã puluis, quem proijcit ventus à facie terrę. Congrua nimis facta comparatio. Puluis enim est resolutio terrę. Et quia homo terrenus, quando inflatur seductorio vento superbia de soliditate viuentium, quasi puluis abijcitur, quia sua leuitate ad firmamentum mandatorum se tenere non potuit: merito puluis dicitur, qui tamquam substantia tenuis, vitiorum flatibus ventilatur. Sed hanc damnationẽ grauissimam non putemus ventorum ludibrijs comparatam, quę corpora facile mobilia in auras ętherea ludiuaga compulsione transponit. Hic enim facilitatem expulsionis vult ostẽdere, non acerbitatem discriminis le uigare. Faciem vero terra significat superficiem telluris, vbi reuera potest puluis tenuissimus incidere.* Sicut fa-

Auctor.

cies terræ est campus, vbi insidens puluis iocus est sæpè orientalis vēti, qui illum repetitis flatibus proijcit in occasum: non aliter terreni homines mortis sunt iocus, qua flante, paulatim tendunt in sepulchrum, dicente Gregorio, *Quia ex illo originem ducimus, eius cursum nascendo sentimus, vt eo ipso quotidiano momento, quo viuimus, incessanter a vita transeamus: & viuendi nobis spatium, vnde crescere creditur, inde decrescat, quia dum infantia ad pueritiam, pueritia, ad adolescentiam, adolescentia ad iuuentutem, iuuentus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitæ præsentis ipsis suis incrementis, ad detrimenta impellitur, & inde semper deficit, vnde se proficere in spatiū vitæ credit.* At impij nō sic, nec paulatim impelluntur à vēto naturali, qui oēs ducit ad mortē, sed à flatu indignationis diuinæ, q eos, in ictu oculi, a facie terræ trāsfert, & fert in Gehennam, vnde Iob, *Vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo perijsse, & spiritu iræ eius esse consumptos.* Vbi idē Gregorius ita philosophatur, *Cùm flare Deus dicitur, quia & flatum iræ eius Spiritus subinfertur, appellatione flatus illius, potest ipsa eius animaduersio designari. Nos quippe, cùm irascimur, flatu furoris inflammamur. Vt ergo vindictam cogitans Dominus demonstretur, flare, irascendo, dicitur: non quòd ipse in natura sua immutabilitatis vicissitudinem recipiat, sed quòd post longam patientiam, quando vindictam peccatoris exequitur, is, qui in semetipso tranquillus est, pereuntibus turbulentus videtur.* Videtur quidem turbulentus, sed turbulentus passiuè non est, est autem actiuè, qui enim hoc turbine damnantur turbantur, vt ebrius, & omnis sapientia eorum deuoratur.

Gregorius Papa lib. 15 Moral. cap. 20.

Iob. 4. 9.

Gregorius lib. 5. Moral. cap. 15.

173 *Non sic impij non sic, inquit, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ. Cùm peccatorum pœnam, & facilem, & tamquā ventus præfabilem eorum dissipationem ostendisset* Pædagogus, *per pœnam a causa dehortatus est: & eum supplicium promeritis intentasset, beneficientia sua benignitatē ostendit, vt bona nobis paremus, eisque fruamur, per eam summo nos artificio excitans.* Sic, super has duas bases premij, & pœnæ fundatur domus, Respublica stabilitur, quibus ablatis corruat necesse est, nam ex Ciceronis sententia, *Nec domus, nec Respublica stare potest, si in ea benefactis premia extent vlla, nec supplicia peccatis.* Sed etsi premia & pœnæ, instar sint stimuli & freni: tamen Deus mauult aureis premiorum calcaribus per viam mandatorū ducere, quā pęne freno, a peccatorum præcipitio reuocare. Vnde Ambrosius notans promissionem Abrahæ factam, *Dabo tibi, & semini tuo terrā peregrinationis tuæ*: dicebat, *Quod premij est pollicetur, quod pœna nō exigit: mauult enim mitioribus prouocare, quàm seuerioribus terrere.* Sic caritas bonos vrget, frenat pæna malos: illa ducit amantes, hæc reuocat vel timentes: quia oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pœnæ, nam ex Philone, *Plurimum prosunt pœnæ insipientibus, quemadmodum medicina filua corporeo morbo laborantibus.*

Clemens Alexand. in lib. de Pædagogia cap. 10.

Auctor.

Cic. lib. 2. de Oratore.

Genes. 17. 8. Ambosius lib. 1. de Abraham cap. 4.

Philo Heb. lib. de Agricultura.

174 Non sic impij. *Sciens ventū esse, tum vltorem Angelum, hos sursum, & deorsum dissipantem: tum impetum errorum totius eorum doctrinæ: ipsos vero circulatos omni vento doctrinæ, in astutia hominū, & nequitia.* Horum societatem, & horum doctrinam velis ac remis fugiendam a pijs, ita monet Philo, exemplum afferens innocentis Abel, qui ab impio Cain ductus in campum, in campo perijt, sic enim ait, *An non vides Abelem, quod nomen est, Mortalia lugētis, quàm bona mente fuerit præditus. Qui tamen, quantum non satis exercitatus in dicendo fuerat, victus est ab aduersario, magis arte, quàm viribus. Ideo ceteram eius naturæ felicitatem suspicio: hoc vnum in eo reprehendo, quòd prouocatus in certamen verborum descendit, cùm debuisset perstare in cō-*

Dydimus in Catena Græca.

Auctor.

Philo Hebræus lib. de Agricoltura.

fuetis moribus, contempto prouocatore: quod si omnino conuersatio placebat, debuerat tantisper abstinere a puluere, donec artes luctandi perdisceret.

[Eusebius Cesarien. in Catena Greça.]

175 *Non sic impij. Beatus sanè huiusmodi est diuino eloquio descriptus at planè rarus, & inter paucos inuentus: multi verò impij sunt.*

[Auctor.]

Inquirebat Gregorius, Cur arca Noę, quæ trecentis cubitis erat in longitudine, sexaginta in latitudine, triginta autem in altitudine, in vno fuerit cubito cōsummata? Et respondet, quia per Arcam figuratur Ecclesia, quæ lata est in parte inferiori ob multitudinem reptilium & quatrupedium, quę peccatores & impios figurabāt: angusta vero ex parte superiori, vbi tantū homines & volatilia, in signum Piorum, atque Iustorum commorabantur.

[Gregorius Papa hom. 16. in Ezechiel.]

Sic enim ait, *Videmus multos intra eiusdem sancta Ecclesia signum in superbia erigi, in carnis voluptate dissolui, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante auaritia mare transire, deseruire iracundijs, iurgijs vacare, proximos quos praualent ledere: sed quia eos adhuc sancta Ecclesia tolerat, vt cōuertat, quasi in arca latitudine deorsum bestia morantur. Videmus alios iam aliena non quarere, illatas iniurias equanimiter portare, rebus proprijs esse contentos, humiliter viuere. Sed quia isti iam pauci sunt, angustatur arca. Alios autem conspicimus, & possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem a cunctis voluptatibus domare, motus omnes sub rationis iudicio premere, per calestie desiderium contemplationis pennas subleuare. Sed quia tales quique valde rari sunt, in arca iuxta cubitum ducuntur, vbi homines & volatilia continentur.* O quàm lata est inferior arcæ & Ecclesiæ pars, de qua dicitur, *Multi sunt vocati.* Sed, ò quam angusta est pars superior, de qua subditur, *Pauci vero electi.*

[Matt. 20. 16.]

At circa hanc veri iudicis sententiam dubium mouet Vincentius Forerius, tum ex promissione Abrahæ facta, tum ex reuelatione Aquilæ Volanti demōstrata, in vtraque enim innumerabilis asseritur numerus electorū. Respondet, autem, quod hic numerus, si absolute pendatur, multus est, si comparatiuè paucus. Sic ergo ait, *De electis possumus loqui dupliciter, vel absolutè, vel comparatiuè. Primo modo, electi sunt multi, sicut dixit Ioannes in dicta reuelatione sibi facta a Deo. Secundo sūt pauci respectu multitudinis damnatorum, & sic loquitur Christus comparatiuè, sicut in manu plena arena, sunt grana innumerabilia absolutè, sed sunt pauca respectu illorum, qua sunt in littore maris. Et Deus recipit manum plenam, & omnes electi in manu Dei sunt. Sed absolute loquendo, sunt tot, quot sunt innumerabiles, scilicet, quot innocentes, quot martyres. Dicit sanctus Hieronymus, quòd si quolibet die fieret festum quinque millia Martyrum, dies anni non sufficerent. Quot Doctores? quot Confessores? quot Virgines? quot sancti continentes? quot sancti religiosi, clerici, laici de matrimonio? innumerabiles sunt absolutè: sed comparatiuè respectu damnatorum pauci sunt electi. Quoniam antequam Christus veniret in hunc mundum in carne humana, & transierunt de hoc mundo vltra quinque millia annorum, totus mundus damnabatur, exceptis paucis de populo Israel, qui ibant ad Limbum sanctorum Patrum. Item, tempore legis Moysi, cogitate quot infantes mortui fuerunt absque circumcisione. Sic modo tempore legis Christi, quot moriuntur absque baptismo, & de his nullus sauatur. Item, quot Iudei, quot Agareni, quot Pagani, & infideles. Item quot mali Christiani, quia fides, & baptismus cum bona vita saluat hominem Christianū, aliàs non. Quot Christiani sunt, qui licet habeant fidem, tamen sunt superbi, auari luxuriosi, & sic de alijs peccatis. Quot Christiani, qui non confitentur quolibet anno in Quadragesima, nec communicant, nec seruant praecepta, nec Dominicam, nec festa Sanctorum. Omnes tales damnantur. Illo modo comparatiuè*

[S. Vincent. Forer. serm. 6. in Dominica Sept.]

pauci sunt electi. Nota hic de Archidiacono Lugdunēsi, qui per quadraginta annos fuit in eremo in magna pœnitentia, postquam resignauit sua beneficia: qui post mortem apparuit Archiepiscopo Lugdunensi, qui quæsiuit ab eo, vt diceret sibi aliquid de alio mundo. Cui respondit, quod in die, qua ipse obijt, mortui fuerunt in mundo triginta millia, de quibus solum quinque erant saluati, scilicet ipse, & Beatus Bernardus, qui illa die obierat, qui statim sine purgatorio ascenderant ad paradisum: & tres descenderant ad purgatorium, alii quidem descenderunt ad infernum.

Euthymius in Psal. 1.

176 Non sic impii, nō sic. *Non ita florent impii, inquit, nec germinăt, aut fructum ferunt, nec tantis fruuntur bonis, quātis vir ille, quē beatum diximus. Et dum negationem repetit, quod negatum est magis cōfirmat. Quomodo autem illis agendum sit, subiicit, Sed tamquam puluis, quem proiicit ventus a facie terræ. Quemadmodum irruentes venti facile puluerem transferunt, & dispergunt. Ita & aduersarii dæmones impios quosque facile dissipabunt. Per faciem verò terræ, eius superficiem intellige, quam terræ humeros etiam appellant: eo quod ferat, ac sustineat corpora omnia, quæ in ea sunt: sicuti, & terræ sinum eam partem dicunt, quæ in ea est magis profunda. Impios verò communicato nomine hic eos omnes appellat, quos superius triplici ordine distingui a Propheta docuimus. Possumus etiam per impios Iudæos intelligere, qui Filium nō adorant, & Spiritu prædicationis sanctorum Apostolorum per totum orbem dispersi sūt.* Et verè in Iudæis apertè cernitur adimpleta, nescio an imprecatio,

Auctor.

Psal. 58. 12.

an præcatio, *Ne occides eos, ne quando obliuiscantur populi mei, disperge illos in virtute tua.* Quæ verba ita Augustinus interpretatur, *Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ.* Quæres fortasse causam, cur Dauid petat, vt Iudæi talionis pęna non mulctentur, nec qui Authorem vitæ occiderunt, occidantur, sed ita viuant, vt per vniuersum orbem dispergantur? Accipe illam ex eodem Hipponēsi Episcopo, A Domini enim scientia id factum est, vt Codices legis, vnde nostra fides probatur, ipsi vbique deferrēt, ita vt inimici nostri ex inimicis nostris confundantur. Ita ergo fatur, *Iam factum est: per omnes Gentes dispersi sunt Iudæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent Codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos habemus Christum. Et si quando forte aliquis Paganus dubitauerit, cùm ei dixerimus prophetias de Christo, quorum euidentiam obstupescit, & admirans putauerit a nobis esse conscriptas: de Codicibus Iudæorum probamus, quia hoc totum ante prædictum est. Videte quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos.*

Augustinus hic.

Augustin. in Concione 1. sup. Ps. 58

177 Non sic impij, *supple, sunt, vel erunt, non sic prosperabuntur. Antithesis. Impij celeriter, leuique negotio, quasi vento, violenter, & infeliciter delebuntur: atque disparebunt tamquam puluis, quem ita per aerem propellat, & rapiat ventus, vt breui nusquam appareat, vt potè in auras euanescens.* Non sic. *Hæc epilepsis non est, in hebræo, sed apposita ad vim fontis exprimendam: vt intelligeremus impios multis modis esse miseros, & infelices etiam in terra, dum non diù eodem statu res eorum permanent, multaque patiuntur. Puluis* כמץ *Moz, propriè palea minutissima & leuissima, præsertim, quæ in altum a vento rapitur, & dispergitur.* Vbi nos legimus, *Gigantes autem erant super terram:* Rupertus Abbas refert, quod, *Pro Gigătibus, alij, cadentes, alij violentos transtulere.* Sed dices, quomodo gigătibus nomē cadentis cōuenire pōt, si ob proceritatē corporis adeo naturali superbia extolluntur, vt Theodoretus æstimat, *Quod quamuis Deo perfacile erat maiores homines creare, attamen vt superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet, non dedit hominibus maxima corpora?* Sed nil aptius ad exprimendam superbiæ qualitatem dici poterat, quàm

Genebrardus in Ps. 1.

Auctor. Genes. 6. 4.

Rupertus lib. 4. in Genes. in cap. 14.

Theodoretus quæst. 48. in Genes.

superbos describere cadentes, superbire enim, cadere est. Si fideiussorem quęritis talis assertionis, en Rupertus Abbas præsto est, ait enim, *Cadentes autem rectè dicuntur, id est, superbi, quicumque potentes à sæculo sunt, vel viri famosi, nam hoc ipsum superbire, cadere est, iuxta illud, Vos autem sicut hominis moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis*. Sed breuius hoc totū expressit Psaltes, vel lugens, vel canens, *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Vbi notat Cassiodorus, idipsū tempus elationi tribui, & ruinæ: non enim prius eleuantur, & postea cadunt: sed eleuatio est deiectio, ascensio descensus, subleuatio demersio, & erectio est casus ac ruina. Sic enim fatur, *Et perpende quia ipsum tempus eleuationis significat, quod ruinæ. Non enim dixit postquam elati sunt, sed dum alleuarentur: quorum erigi, cadere est: & & subleuari, demersio: quoniam ad illam summitatem tendunt, qua subita præcipitatione dissoluitur: sicut iam & in alio Psalmo dictum est, Vidi impium superexaltatum, & elatum sicut cedros Libani: & transiut, & ecce non erat.*

Rupertus Abbas lib. 4. de operibus Trinit. in Genes. cap. 14.

Psal. 72. 18.

Cassiodorus hic.

178 *Non sic impij, non sic. Immobilis firmitas ex repetitione. Sed tam quam puluis: cedunt enim suggestionibus, quia sunt sine humore gratiæ Dei. Qui prius conglutinatus in Adā ante peccatum, oleo manante à capite Christo, nunc autem arefactus est. Quē proijcit ventus, id est, superbia, quia inflat, & petit alta. A facie terrę: quia ventus proijcit Bene dicit eis tollis, quod superbi ambiunt, id est, vt iudicent, quod planius repetit, neque peccatores in consilio Iustorum*. Et quidem superbi nil aliud ambiunt, quàm Iudices constitui, & Reges salutari, vnde Alredus explicans verba Isaiæ, *De radice colubri egredietur Regulus:* id est, de superbia, Dei cōtemptus, dicebat, *Regulus Rex serpētum est, & Dei contemptus omnium potentissimus vitiorum: & tunc magis damnabilia iudicantur, quando, non ex ignorantia vel infirmitate, sed potius ex contemptu generantur.* Nascitur autem contemptus ex superbia, quia nisi prius mens humana tumuerit, ad sui Creatoris iniuriam non erumpit. Recidit autem superbiæ crimen in caput superbi, nam ex sententia Damiani, *Ad superbum pertinet quod tuba Dauidica intonat, Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis*. Nam malus & superbus sibi soli nocet. Dices, fortè, quomodo sibi soli? Nonne multos probris, & cōtumeliis afficit? Dubium non est nouum, nam à Chrysostomo propositum fuit, qui cum dixisset, *Si sis malus, solus exantlabis mala*: subiecit, *Et quomodo, dicit quispiam, malus solus mala exantlat? Atqui multos probris & contumelijs afficit.* Soluit nodū, dicēs, *Sed neminē lædit, qui non sit mollis, ignauus, & iners.*

Glosa interlinearis in Psal. 1.

Auctor.

Alredus in c. 14. Isaiæ.

Petrus Damianus opusc. 6. cap. 16. Psal. 67. 22.

Chrysost. in hom Quod nemo lædi tur nisi a se ipso.

179 *Non sic impii, non sic. Hic de vltione iniquorum aduersis terret, bonorum formido gratiora facit præmissa. Sed sicut puluis, quem proiicit ventus à facie terræ: nempe stabilitatis æternæ: quia vt hac terra nutrit & continet hominem exteriorem, ita illa interiorem*. Hac lege prudens Princeps ac diuinus medicus pestiferos & impios à facie terræ vel amaris potionibus, vel ferro armatus proiicit: pios vero ad terram immortalem promissis ac premijs allicit, cuicuique reddens, quod suum est. Non mea est excogitatio, sed Clementis Alexandrini, qui ita fatur, *Alicubi quidem Deus maledictis insessit: alicubi vero etiam minatur: & nonnullos quidem deflet homines: nonnullos vero canit. Quemadmodum bonus Medicus corporum ægrotantiū, alia quidem curat cathaplasmatibus, alia verò purgationibus: alia vero fomentis, alia vero quoque ferro diuidens, alia autem vrens, & nonnulla etiam secans*. Id autem asserit figuratum in columna nubis per diē, & per noctem ignis, quæ populum præcedebat ad ostendendam viā: nam per ignem iudicij ac supplicij, & per nubem misericordiæ atque premij populum ducit in promissam terram, vnde concludit, *In igne terret homines, & ex collina quadam accēdens: quod est simul gra-*

Glosa Ordinaria in Psal. 1.

Auctor.

Clemens Alexand. in Orat. adhortat. ad gentes.

Idem Ibidē.

tia

tia & timoris indicium, si obedieris, lucem: si non obedieris, ignem. Ita hic Beato viro legem seruanti, lucem & premium elargitur: impijs autē non sic, sed vrentem ventum & ignē, quo proijciūtur à facie terræ.

Greg. Papa lib. 30. moral. cap. 6. alias 10.

180 *Non sic impij, non sic. Quid in puluere, nisi peccatores accipimus, qui nullo rationis pondere solidati, cuiuslibet tentationis flatu rapiuntur, de quibus scriptum est, Non sic impij non sic, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ? Puluis ergo in terram fundatus est, cùm peccatores vocati in Ecclesia tradita fidei sunt ratione solidati: vt qui prius inconstantia mobiles, tentationis aura leuabantur, immobiles post contra tentamenta consisterent, & Deo perseueran ter inhærentes, fixum bene viuendi pondus tenerent.*

Auctor.

Notāda verba, Fixum bene viuendi pondus tenēt, & recolenda quæ Christus inter cetera sustinuit in passione. Matthæus enim dicit, *Posuerunt arundinem in dextera eius*: & Marcus addit, *Percutiebāt caput eius arundine*.

Matt. 27. 29
Marc. 15. 19

Quid per arundinem figuratur, si Ambrosio credimus, nisi humana instabilitas, quæ quolibet vento mouetur & circumfertur? Et quid per manum, vel per caput Christi, nisi eius firmitas, atque diuinitas Hinc ergo accipit nostra infirmitas firmitatem, hinc recipit homo pefluens stabilitatē. Coloret Ambrosius meas vmbras, illuminet ipsius penicillus lineas meas, dicens,

Ambrosius. Lib. 10. in c. 23. Lucæ.

Arundo quoque, vel secundum Matthæum comprehenditur in manu eius, vt humana fragilitas, iam non sicut arundo moueatur à vento, sed operibus Christi corroborata firmetur. Vel secundum Marcum, caput eius percutitur, vt solidata Diuinitatis attactu nostra conditio nutare non possit. Arundo à vento agitata, sed non eradicata, nec fracta, victrix gloriabatur, *Flector non frangor*: at Iusti anima à manu Christi corroborata, & diuinitatis attactu solidata, triumphalem hymnum gloriabun da canit, *Nec flectar, nec frāgar*. Sic practicè noscit, quod theoricè Sapiens prædixit, *Firmabitur in illo, & non flectetur*. Quasi diceret, vt

Eccli. 25. 3.

Lyra sonat, *Firmabitur in illo, Deo firmiter adhærendo. Et non flectetur à rectitudine iustitiæ. Et continebit illum, id est, Deus tenebit eum secum per perseuerantiam in bonum. Et non confundetur cum reprobis, sed honorabitur cum electis.* Cedat huic Iusto firmitas iusti ab Horatio his colotibus descripta,

Lyranus h

Horatius lib. 3. Od. 3.

Iustum & tenacem propositi virū,
Nō ciuiū ardor praua iubētium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, nequè Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinę.

Illi enim colores vmbræ fuerunt, si cum luminibus, & vera Iusti firmitate comparentur.

Non sic impij, non sic. Geminatum, Non sic, infinitam dissimilitudinem à peccatoribus significat, quia non sic Iusti, non sic immunes à peccatis, non sic sancti: sed tamquam puluis, id est, infructuosi, & nullo caritatis vinculo colligati. Quem proijcit ventus id est: diabolica tē tio: A facie terrę, id est, à soliditate Ecclesiæ.

Haimon Sup. Ps. 1.

Quod Noë præcepit Deus, dicens, *Ex cunctis animantibus vniuersæ carnis, bina induces in arcam*: nonnullos mouit ad inquirēdum, cur potius binarium numerum elegit, quam ternariū, vel quaternarium? Ad quod responderi posset cum Augustino,

Genes. 6. 22.

Aug. tract. 17. in Ioan.

Binario numero, cùm aliquid boni significatur, maximè bipartita caritas commendatur. Binos ergo in arcam inducit, quia illos tantum in Ecclesia introducit, qui caritatis vinculo sunt ligati. Reliqui vero, qui ab hoc numero excluduntur, à facie terræ, id est, stabilitatis Ecclesiæ, vento indignationis & odij proijciuntur. Hoc totum expressit Glosa hisce coloribus, *Per hoc quod bina de omnibus ingressa sunt arcam, designatur, quòd, qui caritatem non habent, extra ædificium virtutis manent.* Et iurè, sicut enim à matre omne animal in numero viuentium collocatur, & quem mater non genuit, existentiam in rerum

Glosa Moralis in cap. 6. Genes.

natura non habet: ita extra virtutis ædificium, & ex consequenti, extra Ecclesiã illam erit, quæ à Cassiodoro definitur, *Via virtutis*: qui caritatem non habet. Confirmat hoc Richardus ita asserens, *Caritas mater est omnium virtutum.*

Cassiodorus in Ps. 101. Rich. Vict. par. 2. Cant. Cant. c. 28. Hesychius in Catena Græca.

180 *Quem proÿcit ventus: nam Iudæi desiccati sunt flante aduersus eos vehementi Apostolorum prædicationis spiritu, & tamquam turbine & procella ad nihilum redacti, sine enim sacerdotio, & regno, vbique miseri, vt puluis disiecti sunt.* Promisit Deus Abrahæ, *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ:* Deinde subiecit, *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Quis ergo non mirabitur eiusdem summi Patriarchæ semen, nunc pulueri, nunc stellis: nunc terræ, nunc cælo exęquati? Quæ enim societas pulueri ad stellas? Sed vtrumque verũ est, nam posteri illius, qui virtute fulgebant, vt stellæ venerabantur: qui vero vitijs erant obscurati, vt puluis conculcabantur. Talis fuit diuersitas à Rabi Salomone assignata, sic .n. aiebat, *Posteri Abrahæ comparantur pulueri, & stellis, qui quando boni erant fulgebant in terris, vt stella, nec quisquam eos poterat tangere, sicut nec stellas cæli: quando autem mali erant, ab omnibus conculcabantur, vt puluis.*

Auctor. Gen. 13. 16. Genes. 22. 17

Rabi Salomon relatus à Lyrano in cap. 13. Genes.

181 Non sic impij, non sic. *Id quod secundo dicitur, Non sic, in Hebrais voluminibus non habetur, sed ne in ipsis quidem Septuaginta interpretibus. Nam in Exemplis Origenis in Cæsariensi Bibliotecha legens, semel tantum scriptum reperi. Inter impium, & peccatorem hoc interest: qui impius est, negat Deum: qui peccator est, cõfitetur, & peccat. Sicut iustus vir comparatur ligno, sic impius comparatur pulueri. Qui iustus est, ligno Paradisi comparatur: qui autem impius est, pulueri comparatur. Quem proÿcit ventus a facie terræ, Puluis, licet, de terra sit, tamen finivit esse terra. Tam infelix erit impius, vt nec terrenus quidem sit puluis. Videtur quidem habere terræ substantiam, sed nihil habet solidũ, sed quod habet, ad pœnam habet. Huc, illucque dispergitur, numquam in vno loco est: quocumque ventus traxerit, illuc eius impetus dirigitur. Sic & impius, qui semel Deum negauerit, quocumque illum aura diaboli traxerit, illuc errore perducitur.* Hinc turbinis ludus fit, *Et tãquã lanugo est, quæ à vento tollitur.* Sicut Iudęi dispersi sunt super faciem terræ, vt legem Dei scriptam in tabulis, vbique asportent, & legem eam asportent, vnde ipsi damnantur, saluantur autem Gentes: Ita peccator à diaboli vento, & ab errore proijcitur, vt animatã legem, qua peccatum punitur, vbique demõstret, qua vt ipse affligitur, sic alij erudiantur. Talis fuit sententia lata iam contra caput peccatorum, dicente Domino ad Cain, *Vagus & profugus eris super terram:* Vel vt legit Basilius Seleucius, *Tremẽs & gemens eris super terram.* Si quęras, cur hoc tremore impius iste concutitur, & cur sic vagus a facie terræ proijcitur? Dicam, ex Aquilone nequitiæ hoc malum pandi, vt eo ipse ex oppositis puniatur. Dixerat ei Deus *Peccasti, quiesce.* Sed quia acquiescere noluit diuinę legi, en lex noua & noxia in illo scripta est, non atramenti, sed tremoris notis, vt cuilibet vidẽti terrorem inijceret, vt talis pœnæ timore, quasi freno, à peccando cohiberetur. Ex eodem Basilio doctrinam hanc hausi, talia enim ipse fluenta emittit, *Trements obambula, animata videntibus occurrens lex, lex, inquam, atramenti vice, trepidationis nota conscripta, malum tacere nesciat, intuentibus sit ortamento, & perturbata natura quietẽ suadeat.* Datur & indiuiduum vagum, daturquè, ex his quæ logica docet, indiuiduum signatum. Cain ergo, & signatus fuit, & vagus: signatus quidem timore ac tremore, tamquam notis legis iustitiæ peccatorum legis vltricis: & vagus, vt omnibus occurrens, etsi tacitus, loqueretur, ac indicaret qualis sit Dei vindicta contra peccatum, & quàm grauis vltio peccatorum. Hoc totum videtur asse-

Hierony. in Com. super Psalm. 1.

Sap. 5. 15. Auctor.

Genes. 4. 12.

Basilius Seleucius.

Genes. 4. 7. ex Septuaginta.

Chrysost. homil 4. de verbis Isaiç.

rere aureum os, ita dicens, *Anima peccauerat admisso parricidio, & corpus illius paralysi tactum est, idque iure optimo: quamobrem gemens, ac tremens eris super terram, & circumibat Cain omnibus loquens, silentio vocem edens: silentioque erudiens, lingua tacebat, & cætera membra clamabant, cunctisque exponebat cur gemeret, cur tremeret: fratrem occidi, parricidium admisi: quod postea Moyses scripto narrauit, ille rebus ipsis omnibus loquens, obambulabat, Non occides: os silens, & rem vociferantem. Vidisti supplicium versum in eruditionis materiam.* Et quidem iure optimo, nam quotiens parricida iste venit in medium, quem tot seculis, orbe toto, die omni clamor sanguinis ac diuinæ vocis accusat: totiens parricidij effera fugatur illecebra, totiens inuidiæ furens flamma restinguitur, obstinationis & desperationis totiens rabies vesana mitigatur.

Hilarius in Enarr. super Psal. 1.

182 *Non sic impij, non sic. Non est impijs comparatiua huius beatitudinis spes relicta, sed vagum os, obtritum, ventilatum, dispersum, & inquietum manet, vt ex illa corporalis soliditatis firmitate decussi, ludibriis pulueris differantur in pœnam: non in nihilum dissoluti, vt sit in his materies pœnalis, sed in inane ac leue aridumque protriti, vel ludibriosa pœnæ mobilitate iactentur. Cuius poena, & loco altero idem Propheta meminit, dicens, Comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearũ delebo illos. Comparatio, itaque, vt beatitudinis, ita & poenæ est constituta. Quomodo enim nullus labor est vento puluerem dissipare, & quomodo lutum in plateis ingredientes propè calcasse non sentiunt: ita pœnæ illi inferni facile est impios delere atque dispergere, quos peccatorum ratio, & in lutum soluerit, & comminuerit in puluerem, non relicta neque substantia firmitatis, cùm puluis, & lutum sint, in naturam tantum poenalis substantiæ reseruati.* Hinc quilibet eorum conqueri potest, *Infixus sum in limo*

Auctor.

Psal. 68. 2.

profundi: & non est substantia. Sed quomodo coire possunt hæc opposita vt limus sint, qui ex ethimologia Cassiodori, idem est ac *Ligans humum*: & puluis sint, quẽ ventus proijcit à facie terræ? Si enim ligati sunt, qua vi proijciuntur, qua arte ligati retinentur? Fortè sicut peccatores obstinati, diaboli dicuntur, & sunt, vnde de Iuda dixit Christus Apostolis, *Vnus ex vobis diabolus est:* Ita, & diabolos imitantur in pœna, & ea lege, qua isti ex D. Thoma, *Licet nõ actu ligentur gehennali igne, dum sunt in aere isto caliginoso, tamen hoc ipso, quòd sciunt illam obligationem sibi deberi, eorum poena nõ diminuitur: Asportant enim secum ignem gehennæ, quocumque vadant.* Eadẽ forma peccatores ac impij obstinati, & si ligati sint funibus vitiorum, vincti criniculi peccatorum, defixi in fæcibus scelerum, & demersi in centro malorum: per aera tamẽ a vento variarum concupiscentiarum ita iactantur, vt in eis verificetur quod subdit Psalmus, *Et nõ est substantia:* id est, secundum doctrinam Augustini ad nihilum deueni, quia per iniquitatem homo lapsus est a substantia, in qua factus est. Iniquitas quippe ipsa non est substantia: non enim iniquitas est natura, quam formauit Deus: sed est peruersitas, quam fecit homo. *Omnia enim ait, per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Naturæ omnes per ipsum factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas facta non est. Substãtiæ illæ per eum factæ sunt, quæ laudant eum. Vniuersa creatura laudans Deum, a tribus pueris in camino commemoratur: & à terrenis ad cælestia, vel a cælestibus ad terrena hymnus laudantium Deum peruenit.* Non *quo cuncta ista habeant sensum laudandi, sed quia cuncta bene cogitata laudem pariunt, & impletur cor cõsideratione creaturæ ad eructãdum hymnum Creatori. Laudant omnia Deum, sed quæ fecit Deus.* Numquid *in illo hymno aduertistis, quod auaritia laudet Deum? Laudat ibi Deum, et serpens,*

Cassiodor. in Ps. 68.

Ioan. 6. 70.

D. Tho. 1. p. q. 64. ar. 4. ad 3.

Psal. 68. 2.

Aug. in ena. primæ part. Psal. 68.

auaritia non laudat. Omnia repentia nominata ibi sunt in laudem Dei. Nominata ibi sunt omnia repentia, sed non sunt ibi nominata aliqua vitia. Vitia enim ex nobis, & ex nostra voluntate habemus, & vitia non sunt substantia.

Hugo Car. in Psal. 1.

183 Non sic impii, non sic. Vbi enim primo considerauit virum iustum immunem ab omni peccato, secundò bonum in se, tertiò vtilem aliis: duo prima remouet a peccatoribus, & dicit bis, Non sic impij, non sic: tertium autem nō remouet, quia, vt dicit Gregorius, Impius viuit iusto. Non sic ergo impii, quantum ad immunitatem peccati, quia iniquitates suæ capiunt impium. Non sic, quantum ad secundum, quia impij non meditantur in lege Domini. Sed tamquam puluis. Hic notantur tria sub vno membro, quæ faciunt hominem miserum. Primum est incōstātia, quia sicut puluis est leuis & mobilis, & incompactus: sic peccator, Cor stultorum dissimile erit. Secundum est ariditas, Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Tertium est sterilitas, erit sicut Mirice in deserto. Hæc tria in peccatore opponuntur tribus quæ prædixit in viro iusto. Inconstantia, & leuitas contra hoc, quod prædixit, Plantatum. Ariditas contra hoc, quod prædixit, Secus decursus aquarum. Sterilitas, contra hoc, quod dixit, Dabit fructum. Hæc tria ergo notantur in primo, quæ faciunt hominem miserum. Quem projicit ventus tentationis a facie terræ viuentium, vt eam iam per recordationem non videat: vel a facie terræ, id est, a stabilitate Ecclesiæ. Projicit vt eam non sit de Ecclesia merito, & si fortè, numero.

Auctor.

Quemadmodum in eodem corpore, & membra sūt, ex quibus integritas corporis cōstat, & ex quorum concordia corpus viuit: & mali humores adsunt qui contrarij sunt saluti corporis, quod tunc sanum euadit, cum illos projicit: Non aliter infirmum corpus mysticū Ecclesiæ dum adhuc infirmatur in exilio, & membra habet sana, nempe, Iustos, & malos humores habet, nēpè, peccatores: tunc autem cognoscetur quod non erant de corpore, cum illos proijciet, & dicet, Ex nobis prodierūt, sed nō erāt ex nobis: si fuissēt ex nobis, permāsissēt vtique nobiscū. 1. Ioan. 2. 19

Nō est mea interpretatio, sed Aug. ita dicentis de impiis, Sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali, quando euomuntur, tunc releuatur corpus: sic, & mali, quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur. Et dicit, quando eos euomit atque projicit corpus, Ex me exierunt humores isti: sed non erant ex me. Vnde probas? Quòd si fuissent ex nobis, permāsissent vtique nobiscum. Hinc ergo videat caritas vestra, quia multi qui non sunt ex nobis, accipiunt nobiscum baptismum, accipiunt nobiscum quod norunt fideles se accipere, benedictionem, Eucharistiam, & quicquid in sacramentis sanctis est. Ipsius altaris communicationem accipiunt nobiscum, & non sunt ex nobis. Tentatio probat, quia non sunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, velut occasione venti uolāt foras, quia grana non erant. Omnes autem tunc volabunt, quod, cum area Dominica cœperit ventilari in die Iudicij. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quòd si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Aug. tract. 3 in 1. Epist. Ioan.

Iansenius in Psal. 1.

184 Non sic autem se se habent impij, diuinæ legis numquam studiosi. Non sic, inquam, se se habent, sed etiā si videantur hominibus firmiter radicati, ac egregiè florere: tamen sunt sicut puluis leuissimus, sterilis, & aridus, quem dispellit ventus a superficie terræ, quique non solum inutilis est, sed à vento dispersus omnia etiam commaculat, oculosque hominum lædit. Ita enim & impij impulsibus suarum passionum, & flatibus malarum suggestionum, in omnia vitia rapiuntur, non solum inutiles, sed & noxii omnibus. Qui etiam seueritate Iustitiæ Dei, quasi procelloso ac valido quodam vento, subitò rapientur è terra, ac dispergentur a conspectu Dei, & hominum tam facilè, quàm rapit ventus puluerem.

Auctor.

Eleuant quandoque à terra pedes equorum exercitus numerosi, & copiosum puluerem, &

den-

densum nimis, qui alta petens, in aera expansus, grauidam ibi nubem, in modum throni sublimis, excêdit, purpureo colore tingitur, fulgurat coruscationes, iaculatur sagittas, incutit & timorem: sed flante vento, illicò dissipatur apparens forma, rubor annihilatur, sagittæ decidunt, & fulgura non in pluuiam, sed in puluerem conuertuntur: idipsum & impio eueniet, cùm in ipso Oraculum Nahum verificabitur, *Nebula pulus pedum eius*: quia interprete Remigio, *Quæ nunc occulta & densissima sunt, sicut nebula inuoluta: tunc patescent, & reuoluentur in puluerē vt omnibus pateant.* Et tunc qui impios videbunt ita redactos in nihilum, & mirabuntur in subitatione damnationis, cum Psalte dicent, *Deiecisti eos dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.* Vbi Cassiodorus verba obseruans, dicit, *Quomodo, admirantis est: vt subitò desolatus appareat, qui tanta felicitate pollebat. Desolatus, vtique desertus ab illis rebus, quæ eum tamquam numerosa familia circumibant. Hoc enim contingere malis posse non dubium est, quando debitum pauenda mortis incurrunt.*

Nahum. 1.3

Remig. hic.

Psal. 72. 19.

Cassiod. hic.

185 Non sic impij, non sic. *Postquam ostendit Christi beatitudinem & perfectionem, per illam nos alliciens: nunc consequenter ostendit peccatorum vltionem, per illam nos terrens. Sciendum, quòd vita malorum in duobus malis consistit, scilicet, quia variis inuoluuntur peccatis, & omnibus priuantur bonis meritoriis: sicut per oppositum de Christo capite dictum est, quòd fuit immunis à peccato omni, & abundans omni bono: Sic & mali, per oppositū. Ideo ait*, Non *sic impii, scilicet, non sic carent, sed abundant peccatis. Et addit iterum, non sic, scilicet non abundant meritis & bonis: sed per contrarium, peccatis abundant, & carent bonis. Carent namque bonis, quia carent stabilitate caritatis, & vnitatis, quæ omnis boni est fundamentum. Ideo nomine pulueris denotantur, cum dicitur, sed tamquam puluis. Et quia dæmon serpens ante quas peccatorum vita saturatur, ideo de isto puluere peccatorum dicitur, Serpentis puluis panis eius. Insuper tales peccatis abundant, quia vento elationis & superbiæ agitatur, quia talium puluerem proiicit ventus à facie terræ. Quia ergo peccator tot peccatorum ventis quatitur, meritò pulueri, quem à facie terræ ventus proiicit, comparatur.*

Incognitus in Psal. 1.

Hos varios ventorum impetus ad varia propellentes peccata describens, eloquentissimus Cypriani calamus, sic asserebat, *Tenacibus semper illecebris necesse est, vt vinolentia vinciet, inflet superbia, iracūdia inflammet, rapacitas inquinet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet.* Causam vero huius variæ perturbationis Macharius assignat ita describens Cain, qui typus fuit, & imago est omnium peccatorū, multiplici perturbatione agitatū & anxium, quia peccatores huius sæculi mille anxietatibus perturbantur, vnde & dicebat, *Sic genus Adæ, quod in mandatum commisit, & ob id peccati factum obnoxium, imaginem illam intus obtinere capit, agitatur, assiduis cogitationibus timoris, metus, & omnimoda perturbationis.* Quod autem à Machario, describitur in genere, depingitur à Chrysologo in indiuiduo, auarum diuitem opulentum ita colorante. *Miserum, quem vbertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, diuitiæ fecere mendicum. Humanus ager, inhumanum Dominum sustinebat: & quod terra fundebat largiter, concludebat & congregabat angustè: vt esset alienorum custos, quia esse suorum noluit prorogator, ingratus* Deo, *sibi nequam, hostis pauperum, diuitum nota, carcer naturæ.*

Auctor.

Cyprian. ep. ad Donat.

Macharius hom. 5.

Chrysol. ser. 104. de diuite cuius ager ferax.

186 *Non sic impij non sic. Sinedoche est, cùm breuitatis & argutiæ gratia, verbum subtrahitur. Quod verò ait, Tamquam puluis: Alij vertunt, glumam, quisquilias, festucam, res nimirum quas facile dispellit ventus.* Repetitio *quidem illa, Non sic, & illud, A facie terræ, non sunt in*

Isidor. Clarus in Ps. 1.

Hebraeo, sed eiusmodi loca, quae ipsum sensum potius adiuuant, quam impediant, adhuc sunt mutanda. Sed timendae videntur hae additiones, cùm statutum sit, *Si quis addiderit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc.* Ast verum vt fatear, ista comminatio valet contra eos, qui spiritu profano seducti audent adulterare sacram Scripturam, vt Andreas Cappadociae Episcopus & culpam decernit, & praedicit mulctam; & hanc sententiam profert contra eos discernens, *Formidabilis in illos desaeuiet execratio; qui diuinam Scripturam adulterare non dubitant. Nam illorum haec temeritas est nimis audax ac temeraria, immò verò tanta est, vt vel sola arrogantes, vel temerarios illos a futuri saeculi bonis excludere valeat. Quod incommodum ne nobis, qui haec audimus, vsu quandoque veniat, non absque comminatione contestatur, & exhortatur, ne quid apponamus, aut adimamus.* At pii, & Sacri Scripturae traductores, eodem repleti Spiritu, quo Prophetae & primi Compositores, si quid addunt, vt obscura loca illustrent, adduntque caelesti lumine illustrati, premium potius & coronam merentur, eadem scriptura id testante ac promittente, *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.* Detur calamo venia, vt idipsum de Prophetis, & de eorum Interpretibus modo repetat, quod Plato de Poetis, ac de eorum Expositoribus olim praedixerat. Sicut ergo is ait, loquens cum Io, *Vt bene de Homero loquaris, ars tibi non praestat, sed diuina vis est, quae te mouet, sicut in lapide, quem Magnetem Euripides nominauit, nonnulli Heracleum vocant. Qui lapis non solùm ferreos anulos trahit, sed vim etiam anulis ipsis infundit, qua hoc idem efficere possint, ac perinde vt lapis alios anulos trahere, vnde longa plerumque concatenatio ferri & anulorum inuicem pendent, & omnibus illis, ex illo lapide vis attrahitur. Ita ipsa Musa Poetas diuino instinctu concitat, Poetae concitati, alios furore corripiunt. Quare ex his omnibus fertes ipsa contexitur. Omnes itaque carminum Poetae insignes, non arte, sed diuino afflatu mente capti, omnia ista praeclara poemata canunt.* Idem, sed vero, & altiori modo affirmari potest, tum cum Principe Apostolorum de Prophetis, *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines:* Tum etiam cum Ecclesiastico de Interpretibus sacris, & ab Ecclesia approbatis, dum enim aliquid ad dilucidationem addunt, nec dum poena, sed premio digni redduntur iuxta promissionem iam propositam, & Lyrae sono sic expositam, *Qui elucidant me occulta sapientiae mysteria in lege & Prophetis contenta fideliter exponendo, vitam aeternam habent in premium.*

Margin: Auctor. / Apoc. 22. 18 / Andr. Episc. Cappad. in Comment. Apocalyp. cap. 71. / Eccli. 24. 31. / Plato in Io. vel de furore Poetico. / 2. Pet. 1. 21. / Lyran. in c. 24. Eccli.

187 *Non sic impii, non sic. Huc recidit omnis impii prosperitas: & fructus quiuis illius temporarius, terrenus, dissipatus, terreni gerens imaginem hominis, cui dictum, Puluis es, & in puluerem reuerteris: atque a malignis spiritibus pessundatus, cùm se quoque omni finat doctrinae vento circumferri, vltra non proficiet: sed insipientia eius manifesta erit omnibus. Quàm facilè vento puluis proiicitur, tam facilis Deo & Christo impii punitio. Comminuetur vt puluis ante faciem venti, vt lutum platearum delebitur. Nihil putuere sterilius, & infaecunda est impiorum anima, inquit Ambrosius. Non haeret puluis terrae, diuisus ac separatus est, tandem siccus, quae cōtrariis ligni qualitatibus, plantati, compacti, humidi opponuntur, vt notat Beatus Thomas. Grauis arbor, ac solida, puluis tenuis leuisque: stabilis illa infixa terrae, hic instabilis & dissipabilis: arbor fertilis, puluis sterilis: illa sublimis & caelum versus erecta, hic iacet humi pedibusque calcatur hominum, & iumentorum.* Addamus & nos totam hanc arborum, vel differentiam, vel oppositionem ad faecunditatē, vel sterilitatem esse reuocandam: si enim misericordiae fructibus coronatur, in caelum transfertur: sin minus, in aeternum ignem proiicitur.

Margin: Lorynus in Psal. 1. / Auctor.

tur. Non mea est discretio, nec à me promulgatur hæc sententia, sed Pontificium est discrimen,, & Pontificio discernuntur decreto: sic enim Leo Papa statuebat, *Præterillam namque Apostolicam sententiam, qua hominis fructu pietatis carentes, vacuis arboribus comparantur, etiam illa ficus nobis cauenda est de sua infæcunditatis exemplo, quam Dominus Iesus, sicut Euãgelium refert, nihil habentem, quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate damnauit: vt intelligeremus, quoniam, qui esurientem non refouet egenum, illi denegat cibũ, qui, quod pauperi est datum, sibi dixit impensum. Et huius maledictionis arbores erunt, quibus à iudicante dicetur, Discedite à me maledicti, in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedisti mihi bibere, &c. Quæ ideo singula recoluntur, vt aduertamus non futurum extra misericordiam, qui vel partem bonorum operum fuerit executus. Anima autem neminem iuuans, erit arbor nõ habens poma, cum totius fructu pietatis inuenietur aliena.*

Leo Papa serm. 7. de Ieiunio decimi mensis, & eleemosyna.

187 *Non sic impii non sic. Quia peruersis Doctoribus primo denegatur vita gratiæ, & secundò vita gloriæ: ideo replicatur, Non sic. Comparatur autem Doctor peruersus pulueri per vitium defectio, quia Doctor peruersus ad surgendum errores, & periculosas nouitates, per vitium superbiæ & inanis gloriæ impellitur: & sic primo deijcitur in foueam culpæ, & postremo in foueam gehennæ.* Hos peruersos Doctores proijcit diuinæ iussionis ventus, dum præcipit, *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* Prouidus enim Dominus, vt Aponius philosophatur, *Cum vineas flores credulitatis vidisset perferre, ante præparat venatores, vel custodes, qui vulpes capiant, quam flores fructus maturos parturiant. Nam siue dæmones vulpes intelligantur, siue peruersi Doctores, per quos dæmones loquuntur blasphemias, vtrumque conuenire manifestum est: per quos mentes hominum, in quibus habitat recta fides Ecclesiæ, disterminantur.* Modum autem venandi, & artem tales vulpes, seu Doctores, vel capiendi, vel effugandi sic docet Bernardus, *Et si iuxta allegoriã, Ecclesias, vineas; vulpes, hæreses, vel potius hæreticos intelligamus: simplex est sensus, vt hæretici capiantur potius, quàm effugentur. Capiantur dico, non armis, sed argumentis, quibus refellantur errores eorum: ipsi vero, si fieri potest, reconcilientur catholicæ, reuocentur ad veram fidem. Hæc est enim voluntas eius, Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. Hoc denique velle se perhibet, qui non simpliciter, Capite vulpes, sed capite nobis, inquit, vulpes paruulas. Sibi ergo, & Sponsæ suæ, id est, catholicæ iubet acquiri has vulpes, cum ait, Capite eas nobis. Itaque homo de Ecclesia exercitatus & doctus, si cum hæretico homine disputare aggreditur, illò intentionem suam dirigere debet, quatenus ita errantem conuincat, vt & conuertat, cogitans illud Apostoli Iacobi, Quia qui cõuerti fecerit peccatorum ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Quòd si reuerti noluerit, nec conuinctus post primam iam, & secundam admonitionem, vtpote, qui omnino subuersus, erit secundum Apostolum deuitandus. Ex hoc iam melius, vt quidẽ ego arbitror, effugatur, aut etiam religatur, quàm sinitur vineas demoliri.*

Lyran. in Psal. 1.

Auctor.

Cant. 2. 15.

Aponius li. 4. commen. in Cat. Cãt.

Bernar. ser. 64. in Cant.

188 Non sic impij. *Vmbratilem enim virtutem habent.* Poterat dicere, Veneficam virtutem habẽt. Sicut enim præstigiatores Ægypti, virgas apparentes vertebant in serpentes, serpentesque in virgas: ita & hi vitia ostentant sub specie virtutum, & vitiorum obnoxij criminibus, vmbratilem virtutem præferunt. Et forsan clarius domestico iam exemplo idipsum ostendam, quòd sicut fatuæ mulieres natura deformes, arte ac veneficijs intuentium oculos ita fascinant, ludificãt sic, vt formosæ, iudicẽtur: Ita & ipsi

Orig. in Catena Græca Auctor.

vitijs turpes, veneficijs pulchrescunt,& specie tenus vanam virtutem ostentant. Hos talibus coloribus Philonis figurabat penicillus.

Philo Heb quod deter. pot. insid. soleat.

Ideo Moyses in Aegypto, id est, corpore, veneficos, licet at enim mihi eos sic vocare, sicut mulieres dicimus veneficas, & sexui vocem accomodare: illos inquam in Aegypto sophistas veneficos, recusat concertatores sibi dari, & aduersarios: quia sophismatum artibus decipulisque, mores boni inficiuntur atque corrumpuntur. Cumque vera virtus, vt idem docet, *Augustam & reuerendam praeferat speciem:* Eorum virtus vmbratilis, vmbralitem habet formam, vmbratilem & fugacem habet honorem, nam à terra viuentium, vbi virtus vera, vera gloria coronatur, ipsi exterminantur, & exulant.

Idem in lib. de prem. & poen.

189 *Non sic impij, non sic. Non enim in arena, sed in petra perpetuò non lapsura, fundatur Ecclesia. Fundamentum ergo suum in petra Ecclesiae collocant quique fixi, ac stabiles in bonis operibus perseuerant. Qui verò fragiles sunt, atque pulueres, & velut arundo, impellentibus carnalis illecebrae flatibus agitati, arenosi, proculdubio, sabuli sunt subsicitio comparandi, de quibus per Psalmistam dicitur,* Non sic impij non sic, *sed tamquam puluis, quē proiicit ventus à facie terrae.*

Pet. Dam. in opusc. 14. c. 6.

Statutum commune vtriusque iuris, Melior est cōditio possidentis: adeo verum est, vt etiam vi, atque armata manu, possit impunè possessio conseruari. Cùm ergo ex diuino ore decretum sit, *In patientia vestra:* Vel vt Basilius legit, *In perseuerantia vestra possidebitis animas vestras:* O quàm melior est eorum conditio, qui animas possidēt perseuerantes in bono, qui armis patientiae illas custodiunt, & qui vim faciunt regno caelorum: qui enim non perseuerant in virtute, qui armis patientiae non muniuntur, quique nutant in bono, animae possessione semel spoliati, multo labore sudabunt, vt amissa reparent, & perdita resumant Hoc Marcus Eremita nos docet, & monet, *Non solum debemus petere, & accipere, sed etiam quod datum est, seruare. Sūt enim quidam, qui, quod acceperunt amittunt. Quapropter praedictarum rerum nudam cognitionem, aut etiam fortuitam experientiam, fortasse etiam qui tardiores sunt ad discendum ingenio, & iuuenes apprehendunt, & amplectūtur, operationem verò cum perseuerantia consistentem, vix è senibus qui religiosi habentur, & multa ornati experientia. Qui non raro ipsam amiserunt sua negligentia, & voluntariis laboribus eamdem iterum quaesierunt, & inuenerunt. Itaque hoc ipsum ne hoc facere desistamus, donec illam ita nostra potestate possideamus, quemadmodum ipsi, vt à nobis auferri nequeat amplius.*

Auctor.

L. iusta ff. vti possidetis.

Luc 21. 19. Basilius.

Marc. Eremita in c. de his qui putant ex operibus iustificari n. 21.

190 *Non sic impii, non sic. Quia cadentes in peccatis moriuntur. Et terra carenti humore comparantur impii, id est, Deum ignorantes. Quem ventus proiicit à facie terrae, quia carentes humore verbi* Dei, *propter impietatem suam, a vento, idest, à diaboli suggestione, remouentur à Deo, qui est terra viuētium.* Talem se luget pęnitens Prophetae, dicēs, *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Quid enim aliud est terra sine aqua, quàm dissolutus puluis, qui à vento dispergitur? Et quid anima peccatrix, & sine gratia, quam pul uis, per vitia, & per mala iactata? Ita Lyranus, *Terra sine aqua in puluerem resoluitur, & quasi res lassata dissipatur.* Hanc immortalis animae mortem, hanc dissipationē totis viribus fugiendam hortabatur Magni consilij Angelus, dicēs, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere:* Vbi Emissenus, *Occiditur enim, quod mortale erat. Nam & si non occiderent, moreretur tamen: animam autem nō possunt occidere: anima enim immortalis est, quæ dū peccat moritur, & a vera vita, quæ Christus est, separatur, gladiis tamen occidi nō potest. Sed potius eum timete, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam. Illi in solo corpore, hic in corpore & anima potestatem habet.*

Remigius in Psal. 1.

Auctor.

Psal. 142. 6.

Lyran. hic.

Matt. 10. 28.

Eus. Emiss. ho. 2. in nata li plur. Mar.

141 Non

Ro inlph. in Psal. 1.

141 *Non sic impii, non sic. Non sic impij. quia carent bonitate morũ: non sic fructificant, & prosperabuntur, quia à tali ac tanta perfectione excluduntur, & nihil horum assequuntur. Sed erunt tãquam puluis. Aridi, & infecundi, non habentes humorem gratiæ Dei: leues, & instabiles, prauis suggestionibus cedẽtes. Quem proijcit Deus à facie terræ. Quia ventus superbiæ, & impulsus tentationis proijcit eos nunc à stabilitate mentis, & virtutis.*

Auctor.

Contra ventum superbiæ, quæ proiicit mortuum in infernum inferius, ventus opponi debet humilitatis, qui ducat viuentem nescio an in infernum, vel in sepulchrum superius, vt ibi agnoscens, dum dormit inter medias sortes, se in puluerem reuersurum, puluerem opponens pulueri & ventũ vento, volatilem superbiam eliminet, & vitam sempiternam acquirat. Hoc documẽtum ab Idiota sume, sic enim ipse te sapienter docet, prudenter & monet,

Idiota in regula vitam Christianã cõplectente.

Quare super omnes tentationes homo debet maximè se munire contra tentationem superbiæ, quia radix omnium malorum superbia est: contra quam vnicum remedium est cogitare semper quòd Deus *humiliauit se pro nobis vsque ad crucem, & mors nos & inuitos eousque humiliabit, vt simus esca vermium.*

Ruffin. in cõment. sup. Psal. 1.

192 *Non sic impij, non sic. Vbi repetitur comminatio, ac si diceret, Nec sic beati eritis, nec sic prosperari poteritis. Sed tãquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ. Meritò impius pulueri comparatur, quia peccanti homini dicitur,* Puluis es, *& in puluerem reuerteris. Qui dum tentationibus agitatur, quasi puluis vento mouetur. Quem dum ira conturbat, superbia inflat, vanagloria eleuat luxuria eneruat, auaritia subijcit, inuidia diuidit, tristitia prosternit: quot tentationum motibus vrgetur, quasi tot vẽtorum flatibus puluis dispergitur. Quod si facies terræ, species patriæ cælestis accipitur, de qua terra Propheta dicit, Credo videre bona Domini in terra viuentium: rectè puluis à facie terræ proijci describitur: quia à visione cælestis gloriæ impius remouetur. Ideo non resurgunt impij in iudicio. Ideo, scilicet, quia nullo virtutum pondere grauati, tamquam puluis à facie terræ sunt proiecti: vnde scriptum est, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Neque peccatores in consilio iustorum. Repetita sententia videtur, vt, quod superius dicitur, Impij, intelligantur peccatores: & quod præmissum est, In iudicio, hoc dictum sit, In consilio iustorum. Aut si aliud sunt impij, aliud peccatores, nam omnis impius peccator, non tamen omnis peccator impius: impij non resurgunt in iudicio, subaudis, vt iudicentur: quia iam pœnis certissimis deputati sunt. Peccatores autem non resurgunt in consilio iustorum, subaudis, vt iudicent. sed vt iudicentur.*

Auctor.

Iudicabuntur autem vt rei, & vt testes, & audient quærelas Iudicis & Patris ita lugentis, *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* Id est, anima & corpus, à me veluti filii directi, spreuerunt me. Vnde & anima & corpus domestici testes, quos nihil de actibus nostris latere potest, contra peccatores testimoniũ perhibebunt. Nõ est meũ commentum, sed Basilii inuentũ, sic enim ait. *Filios genui & exaltaui: subsistit homo anima & corpore conditio. Caro è terra, anima cælestis. Cùm igitur inter vtrumque cõgener quædam intercedat cognatio, ea coarguit peccatum, quod in tanta familiaritate confœderatis deprehenditur.* Et licet lex non cogat parentes ad partus proprios accusandos: corpus tamen, & anima, ex quibus constamus: nos ad Iudicem deferunt, & testes, & accusatores in iudicio apparent.

Isai. 1. 2.

Basil. in c. 1. Isaiæ.

Scholia in Psal. 1.

193 *Sicut puluis, vel gluma. Impij enim prorsus inutiles, & omnis fructus expertes sunt, vt gluma, palea, siue tegumentum tritici: quibus comparantur.*

Auctor.

Ponderanda sunt verba, *Prorsus inutiles:* & notanda miseria. Nam si omnes inutiles eijcerentur ab Ecclesia, vt ex Ciuitatibus solent expelli, vix vnus in ea relinqueretur vir frugi. Nec meã,

& nouā putes esse sētentiā,lata est enim olim à Dauid Rege, *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Sed petes,quo modo ad vnum tātum hominem facientem bonum totum reuocari, summari totum potest genus hominum? Respondet Bonauentura,hoc tantum conuenire Iustis, decere Sanctos, sic enim ait, *Nota quatuor genera hominum, quorum nullus est, qui faciat bonum, nisi vnum. Quidam sunt,qui nec Deum intelligunt,nec requirunt,& hi mortui sunt: alij intelligunt,sed non requirunt, & hi stulti sunt: alij requirunt, nec intelligunt, & hi sunt fatui: alij vero intelligunt, & requirunt,& hi sunt Sancti. De quibus solùm dici potest, quia vnus est qui bonum faciat.*

Psal. 13. 3.

Bonauen. in Psal. 13.

193 *Non sic impij, non sic.* Cum nos ad virtutem hortatus esset per contraria, demum iungit Athletas. *Geminata autem negatione claram magis contrarietatem fecit. Illi fructibus abundant, hi vero a pugnantibus ventis, velut puluis agitati, disperguntur.* Si verum est Aristotelis effatum. *Ventorum molestissimos esse eos,qui amictum nobis retegunt:* o quàm graue æstimabitur pondus venti irascentis Dei, o quā formidabilis turbo furoris diuini, qui non modo corporis amictum detegit. nudumquè relinquit: sed & animam simul cum corpore proijcit,atque demergit in Gehennam.Sic,sic implebitur in reorum damnatione seuera quidem Iudicis,sed vera sententia,*Ventus tollet eos,& turbo disperget eos.*Vbi si glossam addas Hugonis Cardinalis, id totum,quod iam adumbrauimus, apertè videbis, & pallentibus vmbris, & cæcis inferni luminibus figuratum, sic enim ait, *Et ventus tollet persecutio infernalis, & mors dupliciter perdet eos in corpore, & animo.* Obseruat autem Forerius verba immediatè præcedentia,nēpe,*Ventilabis eos:* quos enim paulo ante, & immotis montibus, & collibus comparauerat æternis: nunc leuibus æquat quisquilijs, glumisque mobilibus,quæ ab omni vento circumferuntur:sic enim fatur, Hic *iam eos paleis, & quisquilijs comparat, quos supra, Montes & colles vocauerat, antequàm enim subiugarentur, montes erant: postea leuissimis istis rebus comparantur: in quas vim suam liberè ventus exercet.*

Theodor. in Cat. Græca.

Auctor.

Aristot. relatus a Plut. in Commentariolo de Curiosit.

Isai. 41. 16.

Hugo Car. hic.

Forer. in c. 41. Isaiæ.

194 *Non sic impij,non sic. Bis repetit, propter maiorem certitudinem, vt dictum est, Quod secundo vidisti, iudicium firmitatis est. Sed tamquam puluis, qui tria habet contra ea, quæ de ligno sunt dicta. Quia non adhæret terra puluis sed est in superficie:lignū verò plantatum est radicitus. Item lignum in se compactum, & humidū est:puluis diuisus, & siccus & aridus. In quo signatur, quia boni adunati sunt in caritate sicut lignum:inter superbos semper iurgia sunt. Item boni radicati sunt in bonis supernaturalibus: mali in superficie, id est, bonorum temporalium manent, & sunt sine aqua gratiæ.* O lacrymabile malum,o irreparabile damnum, iure à Saluiano deploratum, quo omnia terreni ac fascinati mortales æstimant prætiosa, præter Deum,qui in eorum æstimatione vilescit, *Omnia amamus,omnia colimus, solus nobis in cōparatione omnium Deus vilis est.* Nōne huiusmodi deceptis, vel mercatoribus, vel æstimatoribus iure improperari potest cum Hosea, *Chanaan in manu eius statera dolosa?* Obstupescite cæli super hoc, videntes homines adeo deceptos,cæcos adeò,adeo fatuos, vt ex vna bilance collocantes Deum, ex altera autem,vel aurum, vel vmbram delectationis, & honoris ponentes:illū contemnant, vt hæc enixè requirant: cùm omnia,quæ sunt, quasi non sint,si Deo comparentur! Nō sic beatus vir, qui sapiens repetit, & lætus canit,*Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus:*sic illis,ex diametro,sic opponens, Illi viam falsitatis eligunt, ego veritatis:illi iudicium corruptum sequuntur, ego iudicia tua recta sequor,&tibi obsequor: temporalia æstimāt illi, ego æterna. Hanc oppositionem,

D.Thom. in Psal. 1.

Auctor.

Salu. lib. 6. de Gubernatione Dei.

Hos. 12. 7.

Psal. 118. 30.

Origen. relatus ab Agellio hic.

hac arte Origenes elucidabat, *Hac quisnam dicet? Qui contemnit ea, quæ videntur, spectatque ea quæ non videntur, vt æterna, & quæ vera propriè sunt: non enim via veritatis est, quæ ad gloriã & diuitias terrenas tendit. Illa verò qs quærit? Qui iudiciorũ Dei meminit, & retributionis illius, quæ pro ea repẽditur.* Beatus, qui p hæc specilla omnia intuetur, iudicat oĩa.

CORONA STELLIFERA

EX VARIIS EXPOSITIONIBVS CONTEXTA, & variorum Patrum, ac Doctorum atque Auctoris luminibus illustrata.

VERSVS SEXTVS.

Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio Iustorum.

Agellius in Psal. 1.

195 *ILla illatiua particula, Ideo, variè à diuersis accipitur. Nonnullis videtur, quia dixit nullam esse in impiis firmitatem, cum infirmis radicibus nitantur, ac pulueri similes sint: inferre velle, ideo stare non poterunt ante Christum Iudicem, sed illico rapiuntur ad supplicia. Aliis placet cum sequenti versu connectere, Merito, inquiunt, non resurgent impÿ, in iudicio, neque in cętu Piorum permanere poterunt: quia Iustorum viã nouit Dominus, non autem impiorum, sed potius illam odit, & execratur, Abominatio namque est Domino via impÿ, vt est in Prouerbijs. Congregationem vero seù consilium Iustorum non solum saluandorum possumus intelligere, verùm etiam illorum, qui cũ Christo iudices erunt. Hoc enim ipsum nomen Hebraum* עדה *gbeda in Psalmo legimus, Deus stetit in synagoga deorum: vbi Synagogam, non conuentum priuatorum hominum, sed iudicium significant. Videntur autem Septuaginta legisse* עדה *gbeda: quod solent transferre* συναγωγὴν *congregationem: sed* עצה *gbezaa, quod solent* βουλὴν*, id est, consilium vertere. Sed etiã si sic legerint, tamen consilium, id est, cœtum consiliariorum intellexerunt, ac senatum, quo impij nec accedere, neque consistere poterunt.* Olim celebre erat Adagium per ora omnium, *Non omnibus datum est ire Corinthum*: nunc autem de nouo, & cum timore ac tremore nos possumus affirmare, Non omnibus datum est resurgere in iudicio: resurgent enim ibi, quasi Gigantes, Iusti, & iudicabunt: iacebunt autem impij, quasi pygmæi, & taciti iudicabuntur, nam, *Excelsa est stulto sapientia: in porta non aperiet os suum.* Per ea enim, quæ Hugo Cardinalis docet, alta est sapientia, & stulti quasi pygmei, & peccatorum onere prægrauati non poterunt ascendere ad eam: nec illa ad eos dignabitur descendere: at Iusti, vt Gigantes ascendunt, & sedent in regijs thronis, illos timidos ac silentes iudicantes. Audiamus timidi, Hugonis glosam, *Ideo stultus non potest ad eam attingere propter suam breuitatem: nec ascendere potest, quia oneratus est amore terreno, & solicitudine temporali. Et ipsa ad talem descendere dedignatur, quia in maliuolam animam non introibit sapientia, nec habitat in corpore sub-*

Auctor.

Adagium.

Prouerb. 14. 7.

Hug. Card. hic.

dito peccatis. In porta non aperiet os suum, scilicet, stultus, id est, in iudicio futuro, quia non habebit quid respondeat Iudici. Vnde, Intrauit rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. & ait illi, Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Iudicium futurum dicitur porta, quia per ipsum introibunt Iusti in gloriam, & reprobi in gehennam.

Ambrosius in Enarrat. sup. Ps. 1.

196 *Quoniam non resurgunt impij in iudicio. Non dixit, Non resurgunt: sed ait, Resurgunt quidem, sed non in iudicio. Qui autem resurgit est vtique, & manet: sed quia non credidit in Christum, iam iudicatus est: & ideo non venit in iudicium, quem peracti iam manent pœna iudicij. Cùm autem dicatur, Omnes oportet nos stare ante tribunal Christi: putant plerique esse contraria, nec aduertunt quia Saluator de perfidis dixit, atque impijs, qui non crediderūt in Dominum Iesum. Apostolus quoque, etsi dixit, Omnes: de ijs vtiquè dixit, qui crediderunt, sed actuum suorum rationem in die iudicij reddituri sunt.* Hæc ille.

Auctor.

Repetam autem & ipse propositam à Chrysostomo quæstionē, si Christus non venit, vt iudicet: quomodo qui non credit iam iudicatus est, si nōdum aduenit iudicandi tempus? Responderi tamen posset, ex duplici tribunali duplicē prodire sententiam, & esse alteram legis, Iudicis, vero, alteram: atque incredulos à sententia legis iudicatos iam esse: non tamen damnationis decretum in actum prodijsse, sed per sententiam Iudicis eos relinqui iudicandos. Colorauit Chrysostomus, quod meus calamus vix delineauit, *Quemadmodū homicida, etsi Iudicis sententia sit indemnatus: damnatur tamen ipsius rei natura: Ita & incredulus, siquidem, & Adam, qua die comedit à ligno, mortuus est: ea enim lata est sententia, In quacumque die comederitis à ligno, morte moriemini. Atqui viuebāt, quomodo igitur mortuus est? Diuina sententia, & rei natura: quippe qui seipsum supplicio facit obnoxium. sub supplicio est: si non re, tamen sententia.*

Chrysostomus hom. 27. in Ioānē.

Addit autem, & Alcuinus proximam causam, & propriam rationem, cur is, qui non credit, iudicatus est, *Quia non credit in nomine Vnigeniti Filij Dei, sicut enim omnino cæcus est, qui Solem non videt: Ita damnatus est, qui in Christum non credit, qui Sol iustitiæ est, & solus Saluator.* Ex quo, idem nunc quærit, nunc respondet, *Quare autem iudicatus est, qui non credit? Quia non credit in nomine Vnigeniti filij Dei: In hoc enim solo nomine est salus. Non habet Deus multos Filios, qui possint saluare, hunc habet Vnigenitum, per quem saluat.* Cui ergo mirum si vt iudicatus æstimatur, qui in solū Solē, & Saluatorē nō credens, re ipsa, vt reus, & rebellis lumini dānatur?

Alcuinus relatus à D. Thoma in catena sup. cap. 3. Ioan.

Idē Alcuinus ibidem

196 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Ponit Psalmista impiorum à bonis separationem. Sciendum autem, quòd versus iste, sicut præcedens, exponi potest de peccatoribus pro tempore præsenti, & futuro. Et primo modo exponendo, accipitur iudicium pro diuisione, & examinatione propria conscientia, de quo iudicio dicitur, si nosmetipsos dijudicaremus. Surgunt vero dum vitam corrigunt, secūdum illud, urge qui dormis, & exurge à mortuis, & liberabit te Christus. Impij vero non resurgunt in iudicio, nec peccatores in consilio Iustorum, quia non resurgent motu proprio, nec motu alieno. Ratio vero, quare non resurgunt modò in iudicio, illa est, quia secundum Philosophum Vnusquisque bene iudicat, quæ cognoscit: isti autem seipsos, & defectus proprios non cognoscunt.*

Anglicus in Psal. 1.

Et certè mirandum non est, si fidei argine sublato, ac freno propriæ cognitionis ablato, nec vitij fluxus cohibetur, nec malorū cursus retrorsum conuertitur, nec in iudicium proprium resurgentes impij in bonum, quòd tempore suo & fluuius, & cursus corū in mare ignis & sulphuris demerguntur. Plutarchus circa Delphica præcepta subtiliter philosophans, ita asserebat, *Duæ sunt Delphis inscripta sententia, maximè ad vita humana vsum necessaria, Nosce te ipsum, & Ne quid nimis. Ex his de-*

Auctor.

Plutarchus in lib de cōsolat. ad Apolloniū.

pen-

pendent reliqua omnia: ipſa autem inter ſe concinunt, alterumque alterius videtur vim declarare, alterumque viciſſim in altero ineſt. Itaque Ion ſic de his cecinit,

Breuis eſt, Teipſum fac noris, ſententia:
Præſtare ſolus rem, ſed nouit Iuppiter.

Et Pindarus.

Sapientes hanc vocem, Ne *quid nimis,*
Affatim collaudauerunt.

Hæc ergo aliquis animo infixa tenẽs tamquam Apollinis Pithij Oracula, facilè ſe ad omnes, quas fert vita res accomodare poterit, eaſque dextrè ferre, cùm in ſuam intuens naturam, tum operam dãs, vt ne amplius, quàm conuenit, vel arrogantia efferatur ob fortunæ euenta, vel animũ abijciat, inque luctus & eiulatus, ob fortunæ, vel animi potius imbecillitatem, nobiſque inſitum mortis metum, profectum obiurgatione eorum, quæ nobis in vita neceſſitatis, Fatiuè decreto contingere ſolent. Aſt mea, ſi non errat ſententia, nec me fallit opinio, ex his pendent omnia, quæ ad vitæ correctionem ſpectant, ſi enim te cognoſceres Chriſtianum, & perpenderes te ſtrictim rationẽ redditurum in iudicio, & de quolibet verbo etiam otioſo, & de omni opere etiam bono, quid dicam de malo? qui fieri poſſet vt Nimis in malis adderes? Qui fieri poſſet, vt vitam anteactã malam, in bonam non mutares? Et qui fieri poſſet, vt modo teipſum dijudicans, domui tuæ ſic diſponens, vt à malis reſurgens, per rectam virtutis ſemitam vitam ducens, viam cæli non tereres ac teneres? Hinc Pſaltes poſt duras iudicij minas, & poſt diras diſcuſſionis cauſas illis verbis propoſitas, *Dominus interrogat iuſtum, & impiũ:* ſubdit effectus, P*luet ſuper peccatores laqueos: ignis ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum, quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius:* Vel ex Chryſoſtomo, *Rectitudines videbit vultus eorum, hoc eſt, Iuſtorum, vel etiam ipſius Dei.* Sed cùm fulgura per gyrum de cœlo in terram decidant, & in laqueorũ morem iaculentur: quomodo rectitudines dici poſſunt? Vtique ex effectu, nam memoria extremi iudicij, corrigit hominum vitas, vitia diſtorta corripit, ac per viam rectã ad rectam virtutem deducit, facitquè vt Deus virtutum rectitudines operum, videat, & Coronet.

Pſal. 10. 7.

Chryſoſt. hom. 12. Pſ. 10.

Chryſoſt.

198 *Ideo non reſurgent impii in iudicio. Reſurgere in iudicio, eſt cauſa exaltari: non reſurgere, cauſa cadere.* Si impij in iudicio exaltarentur, omnes homines damnarẽtur, & cauſa caderent omnes, omnes enim ſibi ſimiles iudicarẽt. Quod Philoſophus docet circa ſenſum viſiuum, idem eſt de Iudicibus dicendum: ille nullum debet habere colorem, vt de omni colore iudicium rectum ferat: iſti nullo debent infici malo, vt bonum à malo, ritè ac rectè diſcernant. Et ſicut ſpecilla rubra, & guſtus amarus, omnia obiecta rubra, obſonia omnia æſtimant amara: non aliter viri ſanguinum, & doloſi, omnes ſanguinum viros iudicarent. Doctrina hæc ab Anglico eſt deſumpta, ſic enim fatur, *In iudicio finali non reſurgent impii, vt alios iudicent, videlicet, vt ſint conſiliarii iudicantium. Et rationabiliter, quia ſi ipſi deberent iudicare, nullus abſolueretur. Dicit enim Chryſoſtomus, Omnis homo ſecundum ſe exiſtimat alterũ, nec poteſt melius ſentire de altero, quàm ipſe ſentiat de ſe. Ecce fornicarius neminem exiſtimat caſtum, ſuperbus neminem putat humilem. Ratio eſt, quia receptum eſt in recipiente per modum recipientis, ſicut patet de dulci recepto in lingua febricitãtis, de quo iudicat, vt ſit amarum: quia lingua amaro humore inficitur. Sic in propoſito. Ideo videmus, ſi malus homo de criminoſo debeat iudicare, ſeuerior erit, quàm vnus homo bonus: malus enim male diſpoſitus eſt, & dignus, vt de ſe ipſo fieret ſeuerum iudicium, & ideo ſic ſe habet ad alios.* Iudex autem diuinus ſic dulcia feret iudicia, vt & morum dulcium & amarorum ſimul ſint indicia, Rectum enim &

Arias Montanus in Pſ. 1.

Auctor.

Anglicus in Pſ. 1. verſ. 6.

recti simul ac curui iudicium est. Vnde Dauid cum eo loquens, ita canebat, *Amputa opprobrium meû, quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.* Ambrosius & sic legit, *Iudicia enim tua dulcia:* & ita exponit. *Quid timeo confiteri? Quid timeo dicere peccata mea? Quid vereor peccati mei mentionem facere apud eum, cuius iudicia dulcia sunt? Quod seuerum in alijs, in Christo suaue est, quia ipse suauis est. Denique, Gustate, & videte, quoniã suauis est Dominus. Dulcia iudicia confitenti, quia ipse dicit, Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & memor nõ ero: tu autem memor esto, & iudicemur: dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Dulcia iudicia agenti poenitentiam: quia ipse dixit, Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm in nonaginta & nouem iustis, qui non egent pœnitentia. Si dulcia sunt, igitur, iudicia Domini, suauitatis fructus percipere elaboremus.* Modo suauitatis fructum percipimus iudiciorum Dei, si sano gustu nos ipsos in proprio tribunali, & in mentis iudicio diiudicamus, si nos ipsos corripimus, si vitia in melius emẽdamus, & si dignos facimus pęnitentiæ fructus.

Psal. 118. 39.

Ambrosius serm. 5. in Comment. super Psal. 118. vers. 7.

199 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Sciendum in hoc versiculo exponendo, fere inter se conuenire Christianos & Hebreos de die iudicij: sed hoc differunt, quòd dicem Iudicii alii exponunt diem mortis: alii diem supremum, vel vt Chaldaeus, qui transtulit hoc loco, ideo non resurgent in die magna Resurrecturos quidem omnes bonos & malos, sed, resurrecturos impios, non ad iudicium, vt qui iam condemnati sint: itaque omnes quidem resurgunt, sed Sanctorum ac Iustorum, velut Principum, iudicium erit, & hi iudicabunt impios velut eorum Principes ac Domini, & hoc erit consilium, congregatio iustorum. Propterea Psalmus iste est nobilissimus, est enim prophetia de vera beatitudine, de premiis iustitia. Et sunt in hoc versiculo dua voces, Iudicium, & quod Septuaginta transtulerunt, βιλὴ consilium, pro quo clarius in Hebraico עדת agadat, congregatio, cætus: vt dicendum sit, Neque peccatores in cætu iustorum. Sæpè autè in sacris litteris duo nomina ponderis, significatusque eiusdem rei iterantur, quorum secundum est declaratio prioris. Sic ex secundo nomine catus, intelligimus quid sit iudiciũ. Neque cætus ad iudicandum congregatus, cætus Iustorum ac Principum, magnorum virorum.* Illic peccatores poterunt de nouo repetere antiquum prouerbium. *Non sumus de numero istorum Heroum.* Qui enim sedebunt iudicantes in regno Christi, Heroes sunt, victores sunt & Principes inuicti, non enim datur talis dignitas & tanta gloria, nisi post magnos labores exantlatos, & certamina vsque ad sanguinem superata. Hinc factum est, vt petentes dexteram & sinistram in regno Iudicis: responsum acceperint, sedere ad dexteram meam & sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Et per ea quæ Cæsarius pẽdit, *Non dixit, Omnino largietur id vobis Pater: sed quibus paratum est laborantibus, extimulans ipsos ad virtutem & fortitudinem, vt primùm beneuolentiam demonstrarēt, ad certamina semet accingerent, pro ipso ad mortem vsque cõstantes perseuerarent. Nondum enim, inquit, alijs mea prædicastis, & quo tandem pacto voces annunciare desideratis, nondum pro me colaphis casi? Proinde expeditmini ad certamina, in stadio descẽdite in theatri caueam, alacres incedite, inuicti manete, & quã primum præsentis saculi theatrum solutum fuerit, ego vos mox illa solia, tamquã premia certaminis, largiar. Nunc autem vos meritò reijcio. Dabuntur ijs, quibus Pater iusserit.*

Augustinus Eugub nus in Enarrat. sup. Psal. 1.

Auctor.

Adagiũ ex Manandro.

Cæsar. Vir. illustris, in Dialogo 3.

200 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Ideo, scilicet, quia tamquam puluis proiiciuntur a facie terra. Et bene hoc est dixit auferri, quod superbi ambiunt, id est, vt iudicent vt hoc ipsũ planius dictum intelligatur sequenti sententia, Neque peccatores in consilio iustorum. Solet enim hoc modo repeti planius, quod superius*

Augustinus Epic. Hip. in Enar. sup. Psal. 1.

di-

dicitur, ut peccatores intelligãtur impij: & quod supradictum est, In iudicio: hic dictum sit, In cõsilio iustorũ. Aut certè si aliud sunt impij, aliud peccatores, ut quamquam omnis impius peccator sit, non tamen omnis peccator sit impius: Impij non resurgunt in iudicio: id est, resurgũt quidem sed non ut iudicentur, quia iam pœnis certissimis destinati sunt. Peccatores autem non resurgunt in cõsilio iustorum, id est, ut iudicent, sed forte, ut iudicentur. Et quidem iurè, nam si de humanis iudicijs ex Apostoli sententia statutum est, *Inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterũ, te ipsum accusas: eadem enim agis, quæ iudicas:* quomodo Rex regum quando sederit in portis iudici, cũ Senatoribus terræ, ut iudicet orbẽ in iustitia, iniustos inter eos unquã admittere poterit peccatores? D. Thomas acutè obseruat Paulũ duas excludere à iusto Iudice excusationes, altera est ignorantię, altera innocentiæ. *Ignorantia quidẽ excluditur per iudiciũ, quicumque enim iudicat aliquem, quasi malè agentẽ, demonstrat se agnoscere illud esse malũ, & ex hoc ostendit esse condẽnabile. Et hoc est quod dicit, Ideo homo es excusabilis, in quo enim iudicas alterum, quasi malè agentem, te ipsum condemnas, id est, ostendis te esse condemnabilem, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Excludit aliam excusationis causam, scilicet innocentiam, quasi dicat, Ideo tu qui iudicas alios, te ipsum condemnas, quia tu eadem agis, & ita videtur quòd contra consciẽtiam agit, Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Est tamen sciendum quòd cum aliquis aliquem iudicat de peccato quod ipse committit, nõ per hoc ipsum semper sibi condemnationem acquirit, quia nõ semper mortaliter peccat sic iudicando: semper tamen suam damnationem manifestat. Si enim publicè sit in peccato, de quo alium iudicat, videtur scandalizare iudicando, nisi fortè humiliter se simul cum illo reprehẽdat pro suo peccato ingemiscẽs. Si verò sit in eodem peccato occultè, non peccat iudicãdo alium de peccato eodem, maximè cũ humilitate, & conatu ad resurgendum.* Iustus iudex per staterae hieroglyficum figurabatur, & pro ipsius gloria dicebatur. *Trutina iustior:* sicut dum aurum põderatur, nunc in una bilance locatur iustũ pondus, in altera aurum: nunc ubi aurum erat ponitur pondus & ubi pondus erat collocatur aurum, ut per communem cõmutationem ponderis & auri, omnis tollatur de medio suspicio, & omnis fraus staterae dolosæ: Eadem lege tenetur & Iudex, nunc se in rei bilance collocare, & nunc reum in sua: & si in se deprehenderit onus & crimen rei, se primùm & postea reũ debet damnare: tunc enim Trutina iustior dicetur & erit quando & Pontificium decretum seruabit, quo statuitur *Iustus iudex trãsfertur in personam proximi:* & Ecclesiastici consilium implebit, *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso:* Vel cum Tigurina, *Affectum alterius è tuo iudica & rem omnem perpende.* Hoc enim nimium quadrat & cum trutina, & cum iam descripta commutatione.

201 *Ideo non resurgent impii. Admodum accuratè omnia sanctus explicat Spiritus. Non enim dicit,* Non *resurgent impii, sed non resurgent in iudicium, pro eo quod est nõ in iudicium surgent, sed in condemnationem. Neque enim opus erit, ut conuincantur, cum manifestè sint impii: sed nihil expectant amplius, quã supplicium. Nam & hi qui impiis quidem dogmatis obnoxii non sunt, vitam tamen viuunt iniustam, procul à iustorum arcebuntur concilio.* Subdit idem Basilius dubitationẽ notam circa hæc Psalmi, & illa Euangelij verba, Qui credit in me, non iudicatur: qui non credit iam iudicatus est: & hoc modo ambigit, *Si qui non credit, similis est impio, quomodo dictum est, nõ resurrecturos esse impios in iudicio? Et si credentes filii Dei ob fidem facti sũt, ac propterea digni facti sunt, qui & ipsi dii vocentur, quomodo Deus stetit in Synagoga deorũ, in medio au-*

Auctor.

Ad Rom. 2. 1.

D.Th. lect. 1. in c. 2. ad Rom.

Adagium ex Demetrio apud Athe. lib. 1. Dipnosofistarũ. 10.

Greg. Papa lib. 19. Moral.

Eccli. 31. 18.

Tigurina.

Basilius in scholio sup. Psal. 1.

Auctor.

Idem Basil. hom. in Ps. 7

tem

tem deos dijdicat? Sed videtur aliquando, iudicare, pro probare in sacris voluminibus accipi: quandoque vero, pro condẽnare. Quando probare significat, ait, Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia meâ ingressus sum: ibi enim subiungit, Proba me Domine, & tenta me. Quando vero, condemnare significat, Si nos, inquit, ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.

Auctor.

In causis mixtis sic datur ex vtroque iure præuentio, vt quod iudicat forum fori, non diiudicet forum poli, & è conuerso: cum ergo causa cuiuslibet hominis mixta sit, & præuentio sic detur, vt, si tu in præsenti foro iudicas te ipsum, te ipsum corrigis, castigas, & emendas: in foro poli iudicandus, saluaberis, lex enim est ab Apostolo publicata, *Si nos metipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur*: id est, vt Diuus Thomas docet, *Si nos metipsos dijdicaremus redarguendo, & puniendo peccata nostra, non vtique dijudicaremur, id est, non puniremur à Domino, neque postmodum in futuro, neque etiam in præsenti. Et de hoc iudicio Augustinus dicit in libro de pœnitentia, & inducitur hic in Glosa, Versetur ante oculos nostros imago futuri iudicii, & ascendat homo aduersum se ante faciem suam, atque constituto in corde iudicio, adsit accusans cogitatio, & testis conscientia, & carnifex cor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat, postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participem corporis & sanguinis Domini.*

1. Cor. 11. 19.

D. Th. lect. 7. in cap. 11. epist. 1. ad Corint.

Ad talem præuentionem, & quidem vtilem ac salutarem nos hortabatur Dauid, ita canens. *Praeoccupemus faciem eius in confessione*: & nos inuitabat Chrysologus ita exponẽs, *Praeueniamus faciem eius in confessione: hoc est, cùm spes misericordiæ est, cùm tempus est veniæ, cùm pœnitentiæ locus est, confiteamur Patri, ne Iudicem sentiamus: prodamus quæ fecimus pietati, ne seueritati cogamur exoluere, quæ tacemus: dicamus indulgentiæ tempore delicta nostra, ne si tacemus, ad excipiendam sententiam defleamus. Et quid plura fratres? non iudicem, sed iudicium nos hortatur Propheta clementissimus præuenire.*

Psal. 94. 2.

Chrysolog. serm. 46. in Psal. 94.

202 *Ideo non resurgent impii in iudicio. Ideo dicit, quia scilicet in hac vita in iudicio non resurrexerunt, approbando bona, & reprobãdo mala, quæ dicitur prima resurrectio: neque in secunda resurgent in remunerationem. Necesse est enim, qui expers est primæ, etiam expers sit secundæ.*

Beda in Cõm. super Psal. 1.

Prima resurrectio, quã hic describit Beda, ea est, quæ vel ex aquis baptismi fit, vel ex aquis lacrymarum pęnitentiæ, quę à Concilio Tridẽtino dicitur Baptismus laboriosus: qui ergo in hac prima perseuerat, & dignos pænitentiæ fructus, tamquã fęcũda arbor, complantata similitudini crucis Christi, dat, secundã resurrectionẽ lętus expectat. Hãc primã resurrectionẽ ita descripsit, & eruditè, & vtiliter Sinaita, *Prima vita viuentiũ est ex aquis, prima resurrectio ex eis facta est per Ionam. Quamobrem tertia die aqua ascenait ex baptismo eiusmodi aquarum, vt quæ in Trinitatẽ Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizata sit, & crediderit. Quam quidem, cùm Deus tamquam ex aliqua aquarum piscina eduxisset, statim iubet ferre fructus, conuenĩeter Baptistæ Ioanni, qui ijs, qui baptizabantur præcipiebat & dicebat, Facite fructus dignos pœnitentiæ: ipse quoque dicens, Germinet terra herbam fęni, & lignum fructiferum faciens fructum. Existimo herbam, esse peccatores: ligna fructifera, Iustos: Dei voce nobis significãte, quod post baptismum generabuntur, quædam esca pecorum & dæmonum, & ignis materia ex socordia ac negligentia tamquam fæno: non hoc Deo iubente, sed quod futurum erat præsignificante. Nonnulli autem, tamquam in nemoribus & hortis fructũ ferentes, veluti in trium arborum ligno subinclinatam habebunt Crucem, quam complectantur, quæ germinauit ex tribus lignis, benè coloratũ producentes fructũ animæ sanctificationẽ, Christũ inuocantem, qui in Crucis ex tribus arboribus confecta ligno recubuerat, et obdormierat.*

Auctor.

Anastasius Sinaita lib. 5. Hexæmeron.

Bonau. in Psal. 1.

203 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Ad resurrectionẽ animæ tria sunt necessaria, scilicet mali vitatio, vnde dicitur, Declina a malo: & fac bonum. Melioris boni adeptio, vnde Dominus volẽti sepelire patrem suũ, præcepit sequi se quia hoc melius erat, & obedientiæ subiectio, vnde Dominus Petro ait, Vade retro Satana, quia non obedisti mihi. Nota, Sancti dicuntur iudicare in futuro propter tria, propter eminentiam loci propter maiorem cognitionem, propter sententiæ approbationem: Quia boni erunt in eminenti loco: mali in superficie terræ: & plus cognoscent de iudicio, quam alij: quia approbabunt sententiam à Domino datam quodam nutu, non sono vocali, quod repræsentatur in Ecclesia, cũ Clerici respondent, Amen, & laici tacent. Nota quattuor sunt iudicia Dei, primũ secundum præscientiam quo iudicat nos antequam simus: secundum secundùm causam, vel meritum, quo iudicat in præsenti: tertium secundum operationem vide hoc. A fructibus eorum cognoscetis eos. quartum secundum retributionem, quo iudicat in futuro. Item iudicium Dei est occultum, & manifestum. Prima duo ad iudicium occultum: secunda duo ad manifestum referuntur.* Acerbus est in præsenti fructus iudicij, nam homo videt quæ apparẽt: at Deus qui intuetur cor, in finali iudicio impios dãnabit, nec ibi resurgẽt in cõsilio Iustorum. Refert Isidorus, *Nasci in Pentapoli poma virentia sub tanta specie maturitatis, vt edendi desiderium gignant, si capias satiscunt, & resoluuntur in cinerem, & fumũ exalant.* Ita qui modo superficietenus boni sunt, speciem habentes pietatis, corde autem abnegantes, ibi deficientes, vt fumus deficient. Non mea est applicatio, sed Anglici, qui his ex Isidoro relatis, ita subdit. *Sic erit in proposito. Descendet enim Dominus in hortum suum, vt videat poma conuallium in die iudicij, & inter cætera iudicabit ista, quæ tantum superficietenus ostendebant pulchritudinem, nihil forte intrinsecus habentes, nisi fumum, & cinerem, propter ignem cupiditatis intrinsecus consumantem, Comminuam eos, vt puluerem: & alibi Tange montes & fumigabunt. Igitur non resurgent in iudicio, id est, causa eorum non subleuabitur. Morientes non viuant, Gigantes non resurgant. propterea visitasti & contriuisti eos.*

Autor.

Isid. lib. 4. Ethimolog.

Anglicus in Ps. 1. vers. 6.

204 *Ideo non resurgent impij Resurgent est legendum, nam Hebraicè* בכומו *Vachumu quod est futurũ, & ita verterunt Septuaginta.* Dixit pacificus Rex, & verum dixit, *Omnia in futurum seruantur incerta.* Sed quia omnis regula patitur exceptionem, in vno tantum incertitudo futura, certitudine fidei præsens sic est, ac si oculis cerneretur, quod Iusti in iudicio resurgent & stabunt in consilio Iustorum: impij autem in consilio iustorum nec resurgent, nec stabũt. Hinc fit, vt Alij legant, Non resurgent: & alij, Non resurgunt. Sentẽtia de præsenti lata cõtra Caim, *Si malè egeris: statim in foribus peccatum tuum aderit*: de futuro à Chaldæo expositam legimus, *Si malè egeris in diem iudicij peccatum tuum seruatum est.* Si autem ambiges, quomodo tempora hæc discordãtia, & dissoni toni, hinc statim peccatum, id est, peccati pœna, aderit: inde, In diem iudicij peccati pœna seruata est, poterunt ad concordẽ reuocari sonum? Concordantur quidem, quia peccatum, & præsentem pœnam affert, & præstolatur futuram. *Quemadmodum malefici, cùm ad supplicium educuntur quisque suam affert crucem: sic vitiositas ad singula peccata ex sese fabricatur singula tormenta: solertissima opifex vitæ miserabilis, & in qua præter turpitudinẽ, terrores multi, animique motus graues, pœnitentia, tumultusque continentes insint.* Si hoc ex naturæ ductu dicit Plutarchus: quid à fide edoctus, docet Rupertus? Audi, peccator, & time, *Statim in foribus peccatum aderit, vt quocumque te verteris, quidquid agere volueris, tecũ sit, comes in itinere, princeps in opere, & tunc quidem super te erit, & dominabitur tui.* Id est, sic erit super te, sicut carnifex super damnatum ad mortem, nunc laqueo collum cingens, nunc pedibus ceruicem

Brandamachius in Ps. 1.

Autor. Eccle. 9. 2.

Genes. 4. 7.

Chaldæus.

Plutarchus in Com. de his qui sero a Num. puniuntur.

Ruper. Abbas lib. 4. in Gen. c. 3.

cal-

calcans, nunc spiritum à corpore separans, nunc dominans, nunc triumphans. Si autem quæras à quonam tribunali talis seuera, quidem, sed vera egrediatur sententia. Respondet Chrysostomus. Tribunal erigi in mente, & incorruptum Iudicem esse conscientiã, sic enim ipse nunc dubium proponit, & nunc proposito dubio respondet. *Quare nobis iudicem in animo sic perpetuò vigilantem & attentum Deus constituit, conscientiam loquor? Nec enim est vllus inter homines adeo vigilans, vt est nostra conscientia. Nam externi iudices & pecunijs corrumpuntur, & assentationibus deliniuntur, & metu simulant, denique multa sunt alia, quæ rectum illorum iudicium deprauant. At conscientiæ tribunal nulli hominum nouit cedere, sed quamuis dederis pecuniam, quamuis mineris, quamuis aliud quidlibet feceris, iustam refert sententiam aduersus peccatorum cogitationes, adeo vt ipse quoque, qui peccatum admisit, se ipsum condemnet, etiam si alius nullus accuset. Neque id semel, atque iterum, sed sæpius, immo per omnem vitam hoc facere non desinit.* Id autẽ breuius, acrius tamen sic intonat, tuba Iob, *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Hebræus legit, *sonitus inferni semper in auribus illius.* Dum buccinæ hostilis auditur sonus, iam hostilis exercitus dignoscitur esse vicinus: si ergo impius sonum audit inferni, quis neget inferno ita esse vicinum, vt infernum in pectore gerat, in corde gestet, vnde sonitus semper terroris: vel ex Hebræo, Terrificus, terrorum, inferni, in auribus eius auditur? Sed roges, quanam ratione cohæreat, vt improbus in pace sit, cùm terroris & hostium sonitus semper ad illius aures personet: & cùm, ex Isaiæ decreto, *Impijs nõ sit pax?* Respondeï potest, quod ad externa attinet, in pace sunt ea, quę possidet, eũ nemine illi, aut insidiante, aut contradicente, Pacem habet in substantijs suis. Ceterum, quod ad internum animi sensum pertinet, semper ille insidias suspicatur, sẽper vocẽ tonitrui Exactoris audit. Sic, sic, in pace Stultus ille Diues omnia possidebat, dum dicebat animæ suæ, *Habes bona multa posita in annos plurimos: requiesce, manduca, bibe, epulare.* Quis vnquam audiuit, vel vidit, & quis pacem expertus est opulẽtiorem? Sed audiens vocem terroris, cogitabat intra se, dicens, *Quid faciam, quod non habeo?* Vbi Chrysologus, *Interrogantis vox est: & quem putas, interrogabat iste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat?* Vis videre, quomodo alter? Ille dixerat animæ, Habes multa bona: iste, è contra, dicit, Non habeo: & verum dicit, Nam auaro æquè deest quod habet, ac quod nõ habet: & ex Chrysologi sensu, *Verum est quia non habet semper, qui quærit semper.*

Chrysost. Concione 4 de Lazaro.

Iob. 15. 21.

Hebræus.

Isa. 48. 22.

Luc. 12. 19.

Chrysolog. ser. 104. de Diuite cuius ager ferax.

Idem ibid.

205 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Impij sunt qui sanctam Trinitatem crudelitate mentis nullatenus confitentur: nec veteris ac noui testamenti parere regulis acquiescunt. Vel sicut dicit Apostolus, Qui verbis autẽ confitentur Deum factis autem negãt. Et hi in iudicio non resurgunt: quia iã sua infidelitate damnati sunt, in Euãgelio dicente Domino, Qui autem non credit in filio, iam condemnatus est. Nam si ad iudicium resurgere est, pro suis factis quempiam reddere rationẽ: meritò illi dicuntur in iudicio non resurgere, quos iam cognoscitur sententia diuina damnasse. Omnes resurgemus sed non omnes immutabimur. Resurget enim iustus, vt iudicet. peccator vt iudicetur: impius, vt sine iudicio puniatur. Neque peccatores in consilio iustorum. Peccatores sunt professione quidem Christiani, scilicet in minoribus peccatis obnoxij: quibus Dominica datur oratio, vt se exuant à delictis. Impij autem sunt, qui suum nescientes Autorem, diuersis sceleribus polluuntur vt blasphemi, impœnitentes, cultores idolorũ, & principalibus vitijs obligati. Quapropter duo sunt genera peccãtiũ. Primũ, quod nulla placabili satisfactione completa, remanet in delictis: aliud est, cui per gratiã confessionis peccata donantur, sicut legitur, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates,*

Cassiod. in Psal. 1.

tates, & quorum tecta sunt peccata: in quo numero & Sancti sunt, quia nullus sine peccato est. Ergo de illo primo numero peccantium dicit, qui nulli fuerunt digni miseratione saluari: hi enim cum Iustis minimè iudicabunt, quod Euangelica voce solis fidelibus suis Dominus in premium pollicetur. Fidelibus non autem infidelibus iudiciaria potestas a fidei Authore datur, & iure, qui enim Deo non seruat fidem, fidem in iudicio qui potest seruare? Ideo, vt inquit Ambrosius, *Deficit qui fidē non habet.* De Philippo Macedone narratur, quòd, *Ex Antipatri amicis quendam in iudicum numerum ascripserat. Verùm, post vbi cognouit illum tingere barbam & capillos: submouit eum dicens, Qui in capillis fidus non esset, eum in rebus gerendis non videri dignum, cui fideretur. Fuco vtebatur in tingendis capillis, vbi non multum erat lucri, multo magis vsurus erat fuco in publicis negotijs, vbi dolus interdum. ingens adfert emolumentum.* Si ergo capillis non seruans fidem, à iudicum numero arcetur: quomodo in numero Iudicum erit qui Deo mentitur? Varijs elementis olim Socer Mosis iudices componebat, duo autem erant præcipua, quæ Oleaster ponderabat, primum, vt Viri essent: secundum, vt in eis veritas esset, Præcipiens enim ei, *Prouide viros potentes, in quibus sit veritas:* primo vult, vt sint Viri, & non feminę, quoniam ineptæ sunt feminæ ad iudicādum: secundo, vt sint viri veritatis, id est, qui veritatem loquantur & faciant. Et iure, Christiani enim nomine tenus, qui & veritatem loquuntur, non autem faciunt: qui dicunt se nosse Deum, & factis negant: qui molles mulieres sunt, & nō viri fortes: qui cùm Nazaręi candidi facti sint, fuco tingunt capillos, & denigrātur super carbones: & qui argenteos fidei cincinnos, in infidelitatis nigredinem conuertunt, quomodo agnosci poterunt in plateis, resurgere in iudicio, in cætu fidelium virorū stare, & in sedibus Senatorum sedere? Quærit Rupertus, cur de numero duodecim Iudicum tollatur Eli, de quo dictum est, Iudicauit Israel quadraginta annis? Et respōdet, hoc iurè factum esse, *Nimirū propter contemptum verbi Domini, quia in diebus eius calce abijcere legem Domini nimia ferè omnibus licentia fuit. Quod idem est, ac si dicat, Qui in diebus istis iudicabat Israel, etsi secundum nomen personamque aliquis erat, secundum rem meritumque, nullus erat. Vnde & cecidit de Sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est: nimirū, sic moriendo palam fecit, quod neque sedile, neque coronam auream meretur habere inter iudices alios.* Non aliter vel fideles nomine, infideles re, qui verbum Dei celebrant ore, & contemnunt opere, de sella cadunt retrorsum, nesciētes vbi corruant, non resurgent in iudicio, nec numerabuntur in consilio Iustorum.

Auctor.

Ambr. lib. 2 de Abrahā Patriarcha cap. 11.

Ex lib. 4 Apophteg. vbi de Philippo n. 23.

Exod. 18. 21

Oleaster in c. 18. Exod. annot. 1.

Rup. Abb. lib. 4. Vict. Verbi Dei cap. 4.

206 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Sicut vas, quod leuiter cadit, & læditur, est quidem vas, sed ad vsum non proficit: quod autem dispersum fuerit, nec videtur esse vas: sic Christianus peccator, resurgit quidem, sed inter Sanctos non ponitur: infidelis autem non resurget in iudicio. Quomodo autem resurget, super quem talis cecidit lapis? Qui autem neque de alto honoris, neque de pondere grauioris peccati ceciderit super Christum, interdum neque læditur: & si læditur, non multum læditur.* Vbi cum timore & tremore notanda est differentia inter fideles, & infideles ab eo signata, quod sicut super illos cadit lapis, sic isti e contra super lapidem cadunt Testudo in altum ab vnguibus Aquilæ elata, & inde super lapidē proiecta atque illisa, conquerebatur, *Vt lapsu grauiore ruar.* Christianus autē qui est de terra sublatus, scabellum euasit pedū Dei, in cęlo est sublimatus, atque in sūmo honore cōstitutus: quis ignorat, quod si in peccatū labitur, lapsu grauiore sic ruat, vt illius casum defleat Ieremias, *Proiecit de cælo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris*

Chrysosto. hom. 40. in c. 21. Matth. in Imperfecto.

Auctor.

Emblema.

Thren. 2. 1.

P *sui.*

sui. En te hortatur Origenes ad tã miserabilem metamorphosim nō siccis oculis aspiciendam, dicens, *Et vide quoniam quandoquidem erat Israel scabellum pedum Dei, in cælo erat gloriosus: postquam autem est deiectus, vt non sit scabellum pedum eius, desiit esse in cælo. Attende enim diligenter quod ait, Deiecit de cælo in terram gloriam Israel, & nō fuit memor scabelli pedum suorum.* Id autem apertius explicat Rupertus Abbas proposito exemplo Regis ita indignantis, vt scabellum solij augusti de sub pedibus proijciat in ruinam, sic enim fatur. *Quasi Regem aut quempiam personatum Patrem, oculis ostendit, sedētem in alta sede, scabellum habenē sub pedibus suis, tanto furore excitatum, tanta ira commotum, vt pedibus se non tenentibus, scabellum suum longe proiecerit, dum nescit dum præira nō attendit quantum nociturum hoc sit pendētibus pedibus suis. Quasi hoc impetu filiam Sion, inquit, & inclytam Israel de cælo in terram, & de omni dignitate in omnem ignominiam proiecit, & caligine amentiæ ruentem inuoluit.* Si quæras cur fidelis peccans grauius lædatur, quã infidelis? Id euenire docet Chrysostomus. *Propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis. Sicut enim quod de alto cadit, grandem sonum facit, vt audiant omnes: sic qui de alto gradu cadit, ruina illius vbique auditur.* Infidelis autem dum peccat, de humili loco cadit, quia fidem non habens, vita non viuit, animalibus est deterior, nihil est, & ad nihilum deducitur: nullius autem nullæ sunt partes, passiones nullæ, nullus motus, nulla vox, nullusque sonus.

Orig. tract. 23. in Matt.

Ruper. Abbas cap. 36. in lament. Ieremiæ.

Chrysosto Ibidem.

207 *Propterea non resurgent impij in iudicio, qui iam sunt condemnati: quoniam qui non credit, iam iudicatus est. Neque peccatores in consilio Iustorum, qui iam sunt damnati, ad hoc vt non vitantur ij, qui citra vllum lapsum vixerunt.* Et iure, nam et pestiferi excludendi sūt à sanorum cętu, ne pestem hi contrahāt ex eorum conuictu: ita & peccatores remouendi sunt à Sāctorum consilio, ne hi contaminentur ex eorum societate. Ita Philo explicans fugam Iacob, & vxorum eius de domo Laban, dicebat, *Merito de fuga cogitat: nimirum, metuens ne illi prosit, & insuper ipse damnum accipiat: nocet enim conuictus & consuetudo cum insipientibus, quia sæpe accidit, vt anima, etiam inuita, aliquid contagij sibi afficiet, & alioquin male cōuenit eruditioni cum ineruditione, & industria cum segnitie.*

Clem. Alexandr. lib. 2. strom.

Auctor.

Philo in li. de Profugis

208 *Sequitur interdum ipsos misericordia, vt in poenas impietatibus pares non incurrant. Quare & ipsi quidem resurgent: sed non in consilio Iustorum. Consilium Iustorum ponit tamquam gradum, & dignitatem quamdam. Nam si aliqui peccatores misericordia aut venia digni inuenientur, non tamen Sanctorum choris enumerabuntur.* Quadrare nimis videtur ad propositum Aristarchi Prouerbium, *Non Chius, sed Chous*. Si enim hoc spectabat ad Taxillorū lusum, in quo iactus, qui Chous dicitur, habebat sex: Chius, vnum duntaxat, itaque Chous felicior erat iactus: eadem sorte, sed dispari, vocati sunt Iusti, *In partem sortis Sāctorum*. Hi quidem ad maiorem gradum elati, illi vero ad minorem electi, Alia enim est claritas Solis, alia Lunæ, & alia Stellarum. Vnde & Primoribus datur solium iudicantium, quasi heredibus à Patre futuri sæculi institutis: alijs autem non vita militiæ datur, sed vita pacis æternæ, & gloriæ rātum essentialis. Audiamus Ambrosiū imparibus meritis imparia distinguentem & premia, atque dicentem, *Itaque sicut testamenta hominum prius heredem scribunt, postea legatum exprimunt, melioribus hereditatem, inferioribus legata: ita Deum in testamento visum, & nos hunc morem accepimus. Heres scribitur natura bonus, nobilis, legitimo creatus coniugio: legato donatur inferior.*

Cyrillus in Catena Græca.

Auctor.

Adagium ex Aristarc.

Ad Coloss. 1. 12.

Ambrof. li. 1. de Abraham. c. 11.

209 *Non resurgent impij in iudicio. Resurgent quidem, sed non*

Didimus in Catena Græca.

iudicabuntur, cùm sua sint sententia damnati. Qui non credit, iamiudicatus est. Diuersam Deus legem cum fidelibus seruat, obseruat & cum infidelibus diuersam. Illos, vt amicos & ciues, ciuili & amica lege diiudicat: hos autem quasi exteros & inimicos, armis coercet, iniudicatos damnat. Et sicut Aristoteles Alexandro Magno iubebat, *Vt Græcis se, tamquam Principem: Barbaris, vt Dominum præberet: & illorum quidem, vt amicorũ, & domesticorum curam gereret: his tamquam brutis, aut stirpibus vteretur.* Ita, mitiori tamen modo, Rex regum cũ fidelibus agit, qui non sunt hospites, & aduenæ, sed ciues Sãctorum sunt, & per fidem in patria viuũt: & cum infidelibus, qui extorres dicuntur, & inimici sunt. Illos quidem, per iudicium excussionis, vel saluat, vel iudicat: hos autem absque vlla excussione, tamquam iudicatos iam, æternaliter damnat. Hinc Ambrosius, *Nulla patria verior est, quàm fides, quocirca, qui veram Dei habet fidem, exul esse à patria diei non debet: ille vero toto orbe extorris est, qui fide caret.*

Auctor.

Arist apud Plutar. in orat. de virtute, vel fort. Alexandri.

Ambro. ser. 17. in Psal. 118.

210 *Resurgẽt quidem impij. nam impijs & iustis commune est illud, vt resurgant, sed impij ad poenas, & supplicia. Animum aduerte, hoc loco Dauid, primùm & resurrectionem & iudicium, post resurrectionẽ iudicium fore apertum ostendisse: similiter & futuræ iustitiæ promissionem: cùm nihil huiusmodi antea Moyses tradidisset.* Communis ergo est hominum ex puluere resurrectio, sicut communis fuit ex limo terræ creatio, vnde Procopius explicans verba, *Formauit Deus hominem de limo terræ*: ita philosophatur, *Puluerem accepit, non glebam, ex ipsis statim iam inde exordiis, resurrectionis spes denotatur, nam homo in puluerem resoluendus erat, iuxta illud, Et in puluerem mortis deduxisti me. Ne quis igitur puluerem in sepulchris cernens, desperet de resuscitando genere humano, propterea in prima hominis creatione confirmauit resurrectionis spẽ.*

Euseb. Cæs. in Catena Græca.

Auctor.

Genes. 2. 7.

Procopius in c. 2. Gen.

Idipsum ita confirmat Stephanus Anglicus, *De puluere formauit, quẽ moriturum sciebat, vt certo crederet, se è puluere certè suscitari posse, ac reformari ab eo, qui illum primũ de puluere formauit.* Sed sicut ex eodem puluere & luto varia vasa formãtur, aliud enim fit in honorẽ, aliud vero, o miserabilẽ sortẽ, in contumeliam: Non dispari modo, sed iuxta diuersa merita eorũ, quæ homines gesserunt in corpore, formabuntur vasa diuersa, eaque vel iustorum, vel impiorum: illa quidem in honorem; vt ducantur in cęlum: hæc vero in ignominiam vt detrahantur in infernum: vt ex merito, vel demerito, *Recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala.* Vbi Ambrosius, *Igitur iudicante Christo vnusquisque nostrum facta corporis recipiet, non vtique sine corpore adiudicabitur bono aut malo. Et non dixit facta carnis quia carnis vitia punienda semper, sed facta corporis, quia aliquando spiritualiter, aliquando carnaliter operatur.* Id autem totum facili negotio futurum probat Nyssenus, nam idem artifex creationis, erit & resurrectionis, cui nec potẽtia deest, nec sapientia. Sic enim ait, *Idem artifex est, & primæ creationis, & secundæ transformationis. Nouit quomodo suum opus dissolutum rursus concinnet, & ad pristinum statũ reducat. Si sapientia opus est, fons sapientiæ est apud illum: si potentia & viribus opus est, non indiget socio, atque adiutore. Hic est, qui iuxta vocem sapientissimi Prophetæ, Manu sua dimensus est aquam: & magnum & immensum cælum palmo; & terram pugno.* Et quidem palmo & aperta ac prodiga manu cælum metitur, quod enim hilariter Iustis pro mercede tribuit, est vltra condignum, nam ex Theophylacto, *Non parce remetietur Dominus sed opulente.* Mensurat autem terram, id est, infernalem pœnam, clauso pugno, quo impios non ex animo punit, citra condignum. Sic reddit vnicuique secundum opera eius: sed cum tali discrimine, vt Photius,

Stephanus Angl. hic in morali.

2. Cor. 5. 10.

Ambros. in epist. 2. Ad Cor. c. 5.

Greg. Nyss. tract. de resurrect.

Theophylactus in c. 6. Lucæ.

Phos. apud Oecumen in c. 1. epist. ad Rom.

obseruat, *Quod bona quidem reddet, vltionem vero non reddet, sed illa reddetur: sciens ei proprium esse, quod iustum est saluare: porrò vlcisci ac punire prouenit à peccatorum obduratione, quod pœnitere nolint, ac conuerti.*

Euthymius super Ps. 1.

211 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Vide exquisitum sancti Spiritus loquendi modum, non simpliciter dixit, Non resurgent: sed apposuit, In iudicio. Resurgent quippe & impij, vt non iudicentur, vt potè, qui iam condemnati sunt, Qui non credit in me, inquit, iam iudicatus est: sed vt suppliciis plectantur. Obseruandum est autem, quòd cùm Moyses de resurrectione nobis nihil manifeste tradiderit, primus omnium Dauid eam apertius nos docere incapit. Neque peccatores in consilio Iustorum. Peccatores hoc in loco appellat eos, qui impij quidem non sunt, sed peruersis moribus scatent: qui iudicabuntur soli, & condemnati procul à Iustis relegabuntur. Concilium autem Aquila, & Theodotion, hic, Iustorum congregationem interpretati sunt. Verum, iustos Scriptura appellare solet, non eos tantum, qui in propria ac peculiari iustitia virtute exercitati sunt sed omnes Sanctos generaliter, tanquam iustificatos à Deo.*

Auctor.

Iustorum autem seu Sanctorum congregatio, vel militia est illorum, quorũ nomina Dominus exercituum in suo memoriali signata cum eo charactere, eaque nota, qua ab infelici impiorum numero secernuntur: nempe vt serio salutis prælium aggrediantur, vt vim faciant regno cælorum, & ita violenter rapiant illud, vt in illis verificetur oraculũ Malachiæ,

Malach. 3. 16.

Scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, *& cogitantibus nomen eius:* siue vt legit Lucifer,

Lucifer.

Scripsit librum memorialem coram se timentibus Dominum, & metuentibus nomen suum: Siue, vt Tigurina vertit,

Tigurina.

Scriptus est commentarius coram eo timentibus Dominum, & his, qui seriò cogitant de nomine eius. Quasi in hac perplexa, & difficili salutis lite, atque in ea pugna, quæ aleæ atque discriminis plena est, illi stipediarij Dei milites, in quibus ipsemet militat, & palmam asseruat, charactere notãtur, eaque nota illi tantum signantur, qui seriò, & grauiter de Dei obsequio agunt, toto in illud animo incumbentes, nec nisi hi in felicissimum electorum numerum, vitalemque album referuntur. Ostendet nobis Remigius huius memorialis, hinc aureos characteres, & illustres, illinc nigrantes notas.

Remig. hic.

Liber iste æterna est memoria, in qua apud Dominum omnes Sancti ante donati & prædestinati sunt: liber vero apertus est memoria eorũ, quæ singuli gesserunt. Vnde benè in quibusdam codicibus habetur, Qui est vita vniuscuiusque. Igitur liber monumenti scriptus est timentibus Deũ, vt nouerint quia dum dies Iudicii aduenerit, reddentur blasphemis & impiis poena, ac timentibus Deum præmia. De hoc libro Dominus in Euangelio ait, Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.

Genebr. in Psal. 1.

212 Non *resurgent impii in iudicio. Iustorum, scilicet, per hypozeuma è posteriore membro. Quando iudicabuntur, absoluentur, numerabuntur iusti: impii non consistent, præ metu non sese efferent, non erigent caput, vt nunc, non prodire audebunt coram tribunali Dei, vel nõ consistent cum Iustis, inter Iustos locum non habebunt. Persistit autem in similitudine, quia improbos contulit cum puluere Vt enim puluis à vento dissicitur, sic impii in iudicio non apparebunt. Aliqui putant, Metaphoram sumi à foro, in quo qui causam amittunt, cadere causa dicuntur.* Chaldæus, *Propterea non consistent impii in die magni iudicii, extremi. Alii referunt ad beatam resurrectionem, non enim ad eam resurgent impii, sed ad poenas sempiternas, quæ mors secunda dicitur, æterna alibi.* Prouerbium est, *Non omnis fert omnia tellus:* vnde & Theocritus canebat,

Auctor. Adagium ex Virgilio.

Theocritus in Cyclope.

> *Illa quidem producit hiems, illa educat æstas.*

Vtrumque autem verificatur de tellure sepulchri, & de æstate & hieme pro Iustis: & de hieme, &

æstate

æstate pro impijs: isti in hieme huius vitæ floruerunt, vt fęnum, ac in Iudicij æstate flammis dabuntur: illi in mortali hieme spoliati floribus, fructibus orbati, mortuique, ne dum steriles apparuerunt. at in tempore & in æstate Iudicij gloria & honore coronabuntur. Sepulchra impiorum non aliud in iudicio proferēt, quam corpora spinis, vrticis tribulisque obsita: terra autem sepulchri Iustorum corpora producet floribus ornata, rosis circundata, lilijs coronata, idque fiet in ictu oculi, dicente Apostolo, *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*. Discrimen autem resurrectionis, quod Paulus notat, Iulianus sic explicat, *Non sicut bonorum, & malorum generalis omnium resurrectio: ita communis credenda est immutatio. Nam iuxta quod Beatus Augustinus, Hieronymus, Iulianus, Pomerius, ceterique testantur, Resurrectio communis erit omnibus bonis & malis, immutatio vero solis danda est iustis: quæ vtique glorificationem insinuat æternæ beatitudinis.*

1. Cor. 15. 52.

Iulianus Archiep. Tolet. lib. 3. Prognosticon c. 16.

213 *Ideo non resurgent impij in iudicio: id est penitus infideles, vel impij, qui cùm resurgent, non iudicabuntur, quia iam iudicati sunt peccatores, qui non in consilio resurgunt, vt iudicent, sed iudicabuntur.* Neque *peccatores in consilio iustorum, falsi fideles non resurgunt cum Sanctis, quia Deus diligit opera Iustorum, non impiorum.* Et ideo illi ab istis sic separantur, sicut aquæ ab aquis separatæ sunt, Iusti enim sunt aquę viuentes ex fide, impij aquæ mortuæ ex infidelitate. Talis separatio cum oriente mundo figurata est, quando Creator firmamentum fecit in medio aquarum & aquas diuisit ab aquis: nam si Anastasio Sinaitæ fides præstatur, *Dicens, In medio aquarum fiat firmamentum, idem fuit, ac si diceret, Fides firma prædicetur, & firmetur eorum mare in medio aqua viua, fide: & aqua mortua, in incredulitate.*

Glos. Interlinearis in Ps. 1.

Auctor.

Anast. Sinaita li. 1. Anagogicar. contempl in Hexameron.

214 Non *resurgent impij in iudicio. Quia proijcit ventus, id est, ideo, quia dati sunt in reprobū sēsum, ideo nō resurgunt primā resurrectione, vt se iudicent. In consilio, vt voluntates Dei suis præferant. Vel in concilio, id est, in concordi multitudine Iustorum. Impij, idolatræ, vel apostatæ. peccatores, falsi Christiani. Vel ideo non resurgunt in futuro, vt iudicent in concilio, id est, in colloquio Iustorum quiescant. In iudicio quattuor erunt ordines. Alij iudicabūt, & nō iudicabūtur, vt perfectissimi. Alij nec iudicabunt, nec iudicabuntur, vt dānati infideles. Alij iudicabūtur, & saluabūtur, vt mediocriter boni. Alij iudicabuntur & pereunt, vt fideles mali. In concilio, Augustinus, In æterno bono, quod sequi consilium fuit Sanctis. Vel in concilio, id est, in iudicio, vt cum eis iudicent: quia iudicium in consilio est, quia diuersa peccata diuersis pœnis puniuntur, & ex hac similitudine dicitur, Resurgunt. Duæ resurrectiones, Animæ à peccatis in præsenti, Corporis à morte in futuro, quia fiet impassibile & immortale.* Pro resurrectione animæ à peccatis sic intonat Pauli tuba, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Sed quomodo, o Apostole, nunc dormientem excitas, nunc mortuum vocas? Iurè quidem id agit, nam somnum esse sciebat mortis imaginem, pares namque effectus vt Nyssenus demonstrat in dormiente ac in mortuo, in excitato ac resurgente discernuntur. Sic ergo fatur, *Ille, nempe somnus, mortis imago, hæc nempe vigilia, resurrectionis imitamentum est. Quocirca etiam nonnulli externi sapientes Germanum mortis somnum vocarūt propter similitudinem eorum, qui in vtroque accedunt affectus, & perturbationes Oblivio namque pariter & ignorantia præteritorum, & futurorū in vtroque contingit, corpus sine sensu iacet, amicum non nouit, inimicum ignorat, circumstantes & spectantes non videt, tabidum, fractum, languidum, solutum, remissū, modo non mortuum omnis expers efficaciæ, nihil differens ab iis, quæ in loculis & sepulchris reposita sunt. Perinde nimirum dormientem, si velis, compilas, ac si mortuus esset, tuas,*

Glos. ordinaria in Ps. 1.

Auctor.

Ad Ephes. 5 14.

Nyss orat. 3 de Resurre.

cuas, & exhauris ades, vincula inij-cis, ac nullus eorum, quæ fiunt, sensus interuenit. Paulò post vbi intermissio aliqua aut laxamentum affectus aduenerit, quasi modo vitæ redditus homo surgit, paulatim ad sui ipsius rerumque rediens sensum, pedesentim efficacias recipit, tamquam animatus vigiliæ recreatione. Quòd si extante etiam nunc in rerum natura, atque superstiti animali, tam multa noctê & interdiu mentis alienationes, mutationes, oblitiones, & memoriæ vitæ coniuncta sunt: valde stultum & contentiosum est Deo non credere vltimam renouationem promittenti, cùm etiam primaua formationis Auctor sit. Non mirum ergo est, si Doctor Gentium pro eodem accipit mortuum ac dormiẽtem, & si peccatorẽ sic mortuum, ad eam resurrectionem inuitat, quæ fit in conuersione. Sic Ambrosius philosophatur, & bene, *Dormitio hæc, stuporem mentis significat, quæ alienatur à vero. Alienatio verò hæc species mortis est. Ex qua resurgere commonetur, vt resipiscens agnoscat veritatem, quæ est Christus. Perfidi ergo & vitiosi demersi in cænum sub desperatione vitæ, vt resurgant siue emergant admonentur, & habeant partem cũ Christo, vt de tenebris trãseant ad lucem, & de morte ad vitam.* Ergo nunc de morte culpæ transeunt ad vitã gratiæ: tunc de sepulchri tenebris transibunt ad lucem gloriæ.

Ambros. in comment. sup. c. 5 epi. ad Ephes.

215 Non *resurgent impii in iudicio. Resurgunt ergo etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad iudicium: non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum districti Iudicis, iam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur, vt pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem Iudicis in extrema examinatione non audiunt, quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius quem despexerant inuectione redargui non merentur.* Quærit Philo, cur Deus iudex iustus, qui non damnauit nec Adam, nec Heuam, nisi causa discussa per interrogationes, & responsiones: & de cuius iustitia absque acceptione canitur, *Dominus interrogat iustum, & impium:* Serpentem tamen inauditum condemnat? Id autem, quod ille respondet de voluptate figurata in serpente, ipse de infidelitate dicam, nullum semen virtutis habente, ait ergo. *Quid vetabat, dicente muliere, Serpens me decepit: percontari ipsum, Decepisti ne? potius quàm indicta inauditaque causa execrari? At serpens voluptas suopte ingenio mala est, eam ob rem in bono ne inuenitur quidem omnino, sed solus malus eius particeps. Itaque iure optimo non permissam respondere, execratur Deus, vtpotè nullum semen virtutis in se habentem, sed semper, & vbique scelestã, atque reprehensibilem.* Idipsum de infidelitate dicatur, hæc enim, cùm nullum semẽ virtutis in se habeat, nullum infidelibus relinquit discussionis locum.

Greg. li. 26. Mor. c. 20. vel 24.

Auctor.

Ps. 10. 6.

Philo Heb. lib. 2. Alleg. legis.

216 *Ideo non resurgent impii in iudicio. Quia nec iudicabunt, nec iudicabuntur, quia iam iudicati sunt, & qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Sicut lex regulariter requirit rei confessionem, vt possit damnari: vbi autem notoria, & omnibus publica sunt grassatorum delicta, etiam deficiẽte confessione, damnantur: Ita infideles, qui publici grassatores sũt, a Deo alieni non minus effectu, quam intellectu, & qui sine lege viuunt, sine lege iudicari damnabũtur: Fideles autem male viuentes, disceptatione prius facta peribunt. Explicat hoc D. Thomas expẽdens verba Pauli, *Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur: quidam enim in futuro iudicio peribunt, sed non iudicabuntur, id est, qui sunt sine fide & lege Dei. Non resurgent impij in iudicio, quia scilicet non est locus disceptandi contra eum, qui totaliter alienus est à Deo: & qui nõ credit iã iudicatus est. Alij vero, qui lege Dei, & fide suscepta, ita peribunt, qui etiam iudicabuntur, quasi quadam*

Haim. sup. Psal. 1.

Auctor.

D. Th. lec. 2. in c. 2. epist. ad Rom.

di-

disceptatione cum eis facta. Vnde dicitur, Ecce ego iudico inter pecus, & pecus arietum, & hyrcorum. Sic enim Rex, vt Gregorius dicit, hospites condemnat absque audientia, ciues autem cum diligenti audientia.

Hesychius in Catena Græca.

217 *Per iudicium intelligit electionem. Non erunt participes Apostolicæ electionis, nec cum Iustis permiscebuntur.*

Auctor.

Ea forma, qua Conditor orbis, in prima mundi formatione inter omnia creata aliquam fecit separationem, nam ex Sinaita,

Anastasius Sinaita li. 1. Anagog. cõtem. in Hexæmeron.

Prima die facta est separatio lucis à tenebris: secunda aqua ab aquis: quarta luminarium inter diem & noctem: sexta hominum, & volucrum. Eadem norma in mundi reformatione secernet bonos, qui lux sunt, sunt aquæ super cælos, luminaria sunt, & volucres: à malis, qui carnales homines sunt, nox, aquæ stagnantes, & tenebræ. De iudicij die, & de tali diuisione dicebat Deus,

Malac. 3. 17.

Erunt mihi in diem, quam faciam, in peculium. Ita de Iustis loquitur, quos elegit, quos peculium vocat, quia peculium apud veteres dicebatur quoduis patrimonium, eo quod pecoribus omnium illorum substantia constabat: at modo ius ciuile peculiũ appellat,

l. Peculium ff. de pecul.

Quod quis officio suo meruit sibi donari. Vtroque autem titulo Electi dicuntur peculium Dei, nam totum Dei patrimoniũ pecoribus constat, quas à dextris statuet, dicetque eis,

Matt. 25. 34.

Venite, possidete paratum vobis regnum: & peculium dicuntur, quia, supposita gratia, officio suo meruerunt hoc sibi donari, vnde subdit,

Ibid. ver. 35.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Tum autem separabuntur pecora ab hædis, & cognoscetur quid intersit inter Iustum, & impium. Sed quæ ego adumbraui, penicillus Altisiodorensis & colorat, & distiguit in partes, & lumina addit, sic enim Deus per illum fatur,

Remig. Altisiod. in c. 3 Malachiæ.

Erunt mihi in peculium, quia eligã eos, non solum generali vocatione, qua omnes Christiani vocantur, sed etiam peculiari & propria, qua soli electi vocantur. de qua Apostolus, Quos vocauit, hos & iustificauit: qua etiam se vocatum asserit, dicens, Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus. Et parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. In quo duplex est affectus, scilicet, pietatis in filium, & Domini in famulum. Tunc vos qui nunc blasphematis, & dicitis, Quod emolumentum, quia custodiuimus mandata eius? illorum electione, ac vestra repulsione cognoscetis, quid sit inter Iustum & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.

Hieron. sup. Psal. 1.

218 *Ideo non resurgunt impij in iudicio.* Non *quia non resurgant, sed quia in iudicio non resurgant: iã enim de his praiudicatũ est. Neque peccatores in consilio Iustorum, si non consurgunt peccatores in consilio Iustorum, diuersa est peccatorũ, Iustorumque resurrectio.*

Auctor.

Notanda verba, *De his enim præiudicatum est.* Quæres quando? Vbi? Et à quo? In Spiritus sancti aduentu in mundo, & à diuino Spiritu, sicut Christus promiserat Apostolis,

Ioan. 16. 8.

Ille arguet mũdum de peccato. Sed de quonam peccato? Vtique de infidelitate, quæ per antonomasiam dicitur peccatum. Amplectere in hoc non meam, sed Theologorum Principis doctrinam, sic exaratam,

Aug ser. 60. de verb. Do. in Euangel. sec. Ioan. c. 2 & 3.

De hoc ergo vno peccato voluit mundum argui, quòd non credunt in eũ, videlicet, quia in eum credendo cuncta peccata soluuntur, hoc vnum imputari voluit, quo cetera colligãtur. De quo vno peccato per aduentum Spiritus sancti, hoc est, per donum ipsius gratiæ, quod fidelibus datur, mundus arguitur, dicente Domino, De peccato quidem, quia non credũt in me. Cùm ergo de his, qui in Christum non credunt præiudicatum iam sit: & cùm iustus Iudex non iudicet bis in idipsum: ergo non dabitur infidelibus, vt resurgant cum Fidelibus in iudicio, non inibi denuo diiudicabuntur, sed præiudicata eorum infidelitate, executioni tantum mandabitur sẽtentia damnationis, quæ contra eos, ob infidelitatis peccatum, fuerat, & inexcusabiliter olim lata.

Hilar. sup. Psal. 1. 219 *Propterea non resurgunt impij in iudicio. Impiis iudicium, quia iam iudicati sunt, nō relinquit. Peccatoribus, autem, quos superiori sermone discerni ab impijs docuimus, consilium Iustorum, quia iudicandi sint denegauit. Illos enim praeiudicatos impietas facit: hos vero peccatum detinet iudicandos. Itaque neque impietas, quae iam iudicata est peccatorum, est permissa iudicio: neque peccatores, qui iudicandi sunt, Iustorum, qui non iudicabuntur, meriti sunt digni consilio.* Auctor. Inter multa mala, de quibus peccatores nominetenus fideles, sunt iudicandi, præcipuum est illud, quo & pęnitentiam procrastinarunt, & quo ex antidoto indulgentiæ venenum condiderunt impęnitentiæ. Nam, vt terret Augustinus, atque monet, peruersè sperando moriuntur, qui desperando mori non potuerunt: dum nimium confisi diuinæ promissioni, Exech. 18. ex Augus. *In quocumque die conuersus fuerit homo à via sua pessima, omnes iniquitates eius obliuiscar*: distulerunt conuersionem de die in diem, & subito præoccupati die mortis, quæsierunt spatium poenitentiæ, & inuenire non potuerunt. Surgent quidem in iudicio, non tamen, vt stent, & iudicēt: sed vt causa cadant, & iudicentur, incidētes in Scyllam desperationis, qui peruersæ spei non euitarunt Charybdim. Audiant, & timeant Augu. hom. 59. de verb. Dom. in Io. c. 9. Augustini decretum *Hic timendū est, ne in aliam voraginem incurrāt, & peruersè sperando moriantur, qui desperando mori non potuerunt. Mutant enim cogitationes longe quidem diuersas, sed tamen perniciosas: & rursus incipiunt dicere in cordibus suis, Si quacumque die conuersus fuero a via mea pessima, Deus misericors, sicut veraciter per Prophetam promisit, omnes iniquitates meas obliuiscitur, quare hodie conuertor, & non cras? Quare hodie, & non cras? Est hodiernus dies sicut externus, sit in nequissima voluptate sit in flagitiorum gurgite, voluteтur in mortifera delectatione. Cras conuertar, & finis est. Respondetur tibi cuius rei finis? Dicis, iniquitatū mearum. Bene, gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis. Quid si ante crastinum tuus erit finis? Ergo bene quidem gaudes, quia propter iniquitates tuas conuerso tibi indulgētiam Deus promisit: sed crastinum diem tibi nemo promisit. Aut si forte promisit Mathematicus, longè aliud est. Quam, ó Deus, multi mathematici fefellerunt, quia sibi plerumque lucra promiserunt, & damna inuenerunt. Ergo, etiam propter istos malè sperantes, procedit Paterfamilias. Quemadmodum processit ad illos qui male desperauerunt, & perierunt desperando, & reuocauit eos in spem: sic procedit etiam ad istos, qui malè sperando volunt perire, & dicit eis per alium librum, Ne tardes cōuerti ad Dominū. Quomodo illis dixerat, In quacumque die iniquus cōuersus fuerit à via sua pessima, omnes iniquitates eius obliuiscar, & tulit eis desperationem, qua iam dederant animas suas perditioni, omnimodo indulgentiam desperantes: sic procedit etiam ad istos, qui sperando, & differendo volunt perire, & loquitur ad eos, & increpat eos, Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Ergo noli differre, noli quod patet contra te claudere. Ecce indulgentia datur aperit tibi ostium. Quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti. Non pulsasti, & aperit, & foris remanes?* Vbi eximius Doctor, & sapiens Ductor peccatricem animæ tuæ nauem inter opposita scopula errantem, vel male sperantem ex eo, quod audit, In quacumque die conuersus fuerit homo a via sua, omnes iniquitates eius obliuiscar: vel male desperantem, ex eo quod legit, Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem, subito enim veniet ira illius: per tuta media te sic dirigit, vt non differendo pęnitentiam, inuenias indulgentiam, quam si differes de die in diem, non inuenies, quia subito veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdit te. Duo ergo tempora dantur, dantur & dies

duo:

duo: tempus vitæ, ac dies ſalutis, tempus eſt acceptabile, & dies miſericordiæ: tempus autem & mortis dies, pro te, qui in vita pœnitentiam procraſtinaſti, tempus eſt vindictæ, & iuſtitiæ dies: ſi ergo viuẽs & ſanus in peccatis viuis, & male ſperas, & deceptus differs conuerſionem in tempus & diem mortis, in morte male deſperabis, & diem inuenies ſeueræ vindictæ. Nam ex ſententia Ambroſij, *Infirma eſt ſpes, quæ committitur tempori: cùm omne tempus incertum ſit, non omni ſpes tempori ſit, vt ſuperſtes.* Superſtes dicitur, qui ſuis iam fato functis ſupermuit, quaſi mortuis ſuis ſuperſtans: dum ergo tempus cum infirmo infirmatur, & cũ moriente moritur, dicitur enim illi, *Tempus non erit amplius*: decipitur ſi putat ſuperſtitem ſpem pœnitendi poſſe ſuperuiuere, moritur enim cum tempore etiam ſpes, cũ non omni ſpes tempori ſit, vt ſuperſtes.

Ambroſ. li. 2. de pœnit. cap. 9.

Apoc. 10. 7.

220 *Ideo non reſurgunt, à peccato, impij in iudicio triplici, ſcilicet, vt ſ ipſos iudicent in præſenti. Vel in iudicio, id eſt, in pœna præſenti, qua Dominus punit, & bonos, & malos. Vel in iudicio extremæ examinationis, vt iudicent cum Chriſto, ſicut perfecti. Neque peccatores in conſilio iuſtorum.* Iure quidem à Principe Apoſtolorum, Iudicium dicitur, *Tempus reſtitutionis omnium.* Sicut tempus in hieme, quaſi latro ſpoliat arbores, & veſte foliorum, & ornamento florum, et coronà fructuum: idem vero temp⸗s in æſtate, quaſi pœnitentia ductum, reddit cuilibet plantæ fructus, flores, ac frondes ablatas: eodem temporum ordine ſeruato, nũc hiems eſt, & Iuſti, à peccatoribus non diſcernuntur: Iudicij autẽ æſtate adueniente, atque Sole Iuſtitiæ apparente, rebus iã color redit, & reſtituitur cuilibet quod ſuum eſt. Hermas ſic loquitur, *Hoc ſæculum Iuſtis hiems eſt, qui non agnoſcuntur cum peccatoribus habitantes ſicut in hieme omnes arbores abiectis folijs, aridis ſimiles ſunt, nec poteſt cognoſci, quæ ſunt arida, aut quæ viridesſ: ſic & in hoc ſæculo, nec Iuſti, nec iniuſti cognoſcuntur, ſed ſimiles ſunt omnes. Futurum autem ſæculum æſtas eſt Iuſtis: peccatoribus autem hiems. Cùm ergo illuxerit miſericordia Domini: tunc declarabuntur, qui ſeruiunt Deo, & omnes perſpicui erunt. Sicut enim in æſtate fructus arboris cuiuſcumque declaratur, & patet: ſic & Iuſtorum factum declarabitur, & patebit, & omnes hilares & gaudentes in illo ſæculo reſtituetur.* De hac diuerſa temporum viciſſitudine & Tertulliani verificatus Adagium, *Omnia tempus reuelat*: & Sophoclis laudatur cantus,

Hug. Card. in Pſal. 1.

Auctor.

Actu. 3. 21.

Hermas li. 3 ſimilitud. in 3. & 4. ſimil.

> *Ob iſta ne quid occulas, ſiquidem intuens*
> *Cuncta, audienſque cuncta, profe-ret dies:*

Tert. in Apolog. contra Ethnicos.

Sophocles celatus ab Aulo Gellio li. 12. noctiũ Attic. c. 12.

Sed multò verius Salomonis celebratur ſonus, *Vidi ſub Sole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem*: Vel ex Olympiodoro, *Vidi ſub Sole locum iudicij, ibi impius: & locum iuſti. ibi pius*: id eſt, vt ipſemet interpretatur, *Vidi ſub iuſtitiæ ſole Dominum Ieſum Chriſtum, qui ſcilicet venturus eſt iudicare viuos & mortuos: vidi, inquam, locum impij, à ſiniſtris, videlicet, conſtitutum: & Iuſti item vidi locum, qui eſt à dextris eius: & dixi in corde meo, quòd Deus omnes ad iudicium conuocabit, pro dignitate vniuſcuiuſque diſtribuens: illud tẽpus definiens, ac decernens, in quo noſtra omnis actio & operatio diſtricto examine perpendentur.* Tunc ergo tẽpus reſtitutionis erit, in quo vnicuique reddetur, quod ſuum eſt.

Eccle. 3. 16.

Olympiod. in enarr. in Salomon. Eccleſiaſten

221 *Ideo non reſurgent impii in iudicio. Et quia ſic impij pulueri ſũt ſimiles, ideo non ſtabunt, nec ſe erigere poterunt: ſed cauſa ſua cadent in generali iudicio Dei, aut etiam Iuſtorum, qui cum Deo mundum iudicabunt, non poterunt illud iudicium ſuſtinere, neque peccatores durare poterunt in cõgregatione Iuſtorum. Et quamuis impij ac peccatores nouiſſimis temporibus vna cum iſtis ad vitam ſint reuocandi, non tamen ſic reſurgent, vt ſint participes Saluatoris iudicij & congregationis Iuſto-*

Ianſen. in Pſal. 1.

rum, à qua abigentur in tenebras infernales. Et abigentur simul cum principe mundi tenebrarum harũ, de quo dictum est, *Nunc iudicium est mundi, nũc princeps huius mundi eiicietur foras*: Quasi diceretur, vt Gaudentius Brixianus notat, *Nũc, nunc est huius mundi iudicium: vtrum credere eligat post passionem voluntariam virtute propria resurgenti, vt ex fide saluetur: an cũ Iudæis, negandum iudicet eum Iudicẽ, qui negaturus erit proprios negatores, dicens ad illos, Nescio vos, discedite à me in ignem æternum operarii iniquitatis* Notanda verba, *Negaturus erit proprios negatores*, & recolenda talionis pæna, qua tunc seuerus Iudex dentem auferet verbi, pro dente verbi: negans in conspectu Patris eum, qui se negauerit in hominum conspectu.

Auctor.

Ioan. 12. 31.

Gaudentius Brixian. Ep. Tract. 12. in hæc verba.

222 *Ideo non resurgunt impij in iudicio. Impij, id est, peccatores infideles in iudicio vltimo non se habebunt actiuè, nec passiuè, quia nec iudicabunt, nec iudicabuntur, ideo non erunt de illis, qui ad iudicium requiruntur*. Cuilibet istorum poterit, quasi inutili, iure aptari Verbũ Ciceronis, *Nec sibi, nec alijs vtilis*, Nam, neque passiuè, neque actiuè, vel iudicabit peccator, vel impius iudicabitur: *Si enim Iustus vix saluabitur, impius & peccator, vbi parebunt?* Vis scire vbi parebunt? En primò panditur locus à Lyrano, sed locus cæcus, & quasi non sit locus, nũsquã enim apparent, dum in inferno parẽt, vnde ait, *Nusquã, nam in inferno profundo absconditi erunt*. Sed Angelici Doctoris secũda responsio, sicuti est locupletior, sic per eam tota sententia Petri redditur lucidior, ita enim fatur, *Si iustus quidem reddens Deo & proximo, quod suum est vix saluabitur, æstuando, decertando cum magno certamine, & cum magna difficultate, vnde Apostolus, Per multas tribulationes oportet intrare in regnum* Dei: *impius quoad fidem, & peccator quoad mores, vbi parebũt? id est, nusquam hi apparere meruerunt, qui à Deo, qui vbique est, & locus omnium, se elongauerint. Apparebunt verò secundum Glosam in terraneo loco, scilicet, in inferno, non in numero, Quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Nam loci est locatum saluare, & locati locum appetere: hoc autem non est reperire in inferno, ideo non dicuntur esse in loco*. Itaque in loco sunt, & in loco non sunt: dum enim in inferno locantur, & nec appetunt talem locum, nec à tali loco saluantur, locum ciuitatis habitaculi non inueniunt.

Incognitus in Psal. 1.

Auctor.

Cicero in lib. offic.

1. Pet. 4. 18.

Lyran. hic.

D. Th. in c. 4 ep. 1. Petri.

223 Non *surgent impij. Dictio Hebræa significat erigere se se: qui ergo perpetua morti sunt addicti, resurgere non valẽt, sed iacebunt pressi onere peccatorum suorum. Quid autem sit non resurgere peccatores in iudicio, explicat Propheta altero hemistichio quando dicit peccatores non inuenire in cætu iustorũ. Alius vertit: non stabunt: vt stare in iudicio sit, pro vincere in iudicium, & causam probare. Vix steti, inquit, pro vix fabulam approbaui*. Sic tota impij vita fabula fuit, vbi tot scenæ, quot ætates: tot actus, quot vixit annis: sed remanet post mortem, vt est in prouerbijs, *Fabulæ vltimum actum addere*, Idque erit in iudicij theatro, vbi talis apparebit, qualis & vixit, qualis & mortuus est, & qualis ab Ecclesiastico descriptus est, *Homo acharis, quasi fabula vana*: id est, secundum Hugonis Cardinalis glosam, *Homo sine gratia Dei, est quasi fabula vana, cuius nulla subest veritas, id est contemptibilis, & indignus audiri, & totus in verbis vt fabula, & nihil in factis*.

Isid. Clar. in Psal. 1.

Auctor.

Adagium.

Eccli. 20. 30

Hug. Card. hic.

224 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Sicut alios esse diximus, qui cum Deo iudices consedebunt, ita alij esse credendi sunt, qui eorum cõsidentium examine iudicantur. Duæ enim differentiæ, vel ordines hominũ erunt in iudicio collectorum, hoc est electorum, & reproborum: qui tamen in quattuor diuiduntur. Perfectorũ ordo est vnus, qui cum Deo iudicat, de quibus Dominus ait, Sedebitis & vos super sedes duodecim: hi non iudicantur, sed regnant. Alius quoque est ordo electorum, quibus dicetur, Esu-*

Iulian. Archiep. Tole. Progonostican lib. 3. c. 33.

riui, & dedistis mihi manducare: hi iudicantur & regnant. Item reproborum ordines duo sunt: vnus eorum qui extra Ecclesiam inuentādi sunt, hi non iudicantur, & pereunt, de quibus & Psalmista ait, Non resurgent impij in iudicio. Alter quoque ordo reproborum est, qui iudicabuntur & peribunt, quibus dicetur, Esuriui, & non dedistis mihi manducare, Ite maledicti in ignem æternum.

Auctor.

Adagium.

De quolibet fideli nomine, sed opere infideli, valet Adagium, *Non idem sunt scriptura, & Leucaus.* Si enim hoc dicebatur de eo, qui aliud vel scribebat, vel dicebat, aliud vero operabatur & faciebat: quidni idipsum improperabitur Christiano, qui legem Dei scriptā habens in tabulis cordis, eam dictis obumbrat, factis delet? Basilius explicans verba,

1. Cor. 3. 3.

Epistola estis Christi: æstimat similitudinem duci ab his, qui scribunt.

Basil. in cap. 10. Isaiæ.

Dum enim, quis scribit in secreto cubili, nemo nouit, an ex arte pulchros characteres depingat, an secus: cùm vero epistolam expandit, & intuentium oculis explicat, apparet quibus notulis rem expresserit. Omnes quidem homines in tabulis cordis vel mentis diuersos scribunt, iuxta eorum diuersitatē characteres: & Iusti quidem pulchros, & ex arte formatos: impii vero mortiferos, & deformes Illi, vt Dei amatores, auro vtuntur, & digito Dei: isti, vt seipsos amantes, atramēto abutuntur, & proprii appetitus penicillo. Hæc autem omnia in valle Iosaphat sic aperta erunt, sic claré patebunt, vt inde formosæ animæ Iustorum à Deo depictæ: hinc deformes tabulæ impiorum à se ipsis, & a diabolis effictæ, ante tribunal Christi manifestentur, vt recipiat vnusquisque iuxta picturæ meritum vel demeritum, premium vel pœnam. Audiamus Basilium hæc exponentē.

Basil. ibid.

Ex quo singuli quoque nostrum per huius vitæ curriculum quodammodo chirographia nostra subscribimus formas rerum à nobis gestarum cōsignantes in memoria, animæ facultate. Fortè etiam tales prædicat Scriptura miseros, quasi, qui suam scribant malitiam. Cor quidem Iustorū scriptum est, non atramento, sed Spiritu Dei viui: cor autē impiorum, nō Spiritu Dei viuentis, sed atramento, quod congener est, & affine tenebris, lucisque inimicum.

Lorin. in Ps. 1.

225 *Ideo non resurgent impii in Iudicio.* Non *possunt pulueri similes impij cōsistere in diuino Iudicio velut securi ac tuti, & in corpore quod recuperabunt, participes beatitudinis esse non valent.* Non *iudicabūt, sed causa cadent, damnati quoque à Iustis, qui cum Deo iudicabunt, stantes in magna constantia, & à quorū illi erunt segregati iudicio, quo iudicabit eos Deus, & addicti suppliciis æternis, ac denique separati ab istorū consortio, quibus sempiterna premia decernentur. Itaque duplicem coniungimus resurgendi notionem, vel vt est se erigere, & erecto animo atque confidenti stare, expectando latā sententiam: vel resumere corpus.* Nō *resurgere autem in iudicio, præterea si accipiamus impios pro infidelibus, & peccatores pro ijs qui salua fide peccauerunt, erit eo modo intelligendum, quo Christus dixit. Qui non credunt, iam iudicatos esse, quasi refutato per infidelitatem Iudice, nil opus sit causas alias damnationis eorum disquiri.* Hæc ille. Nos autem addere possumus, infidelibus ac impijs idem euenturum, quod & Sicariis, qui à Iudicibus comprehenduntur in operibus manuum suarum, euenire solet: in quorum causa, vt Theodorus Heracleotes asserebat, à Iudicibus non de crimine disputatur, sed de sententia ferenda; & forma damnationis exequenda. Ipse loquatur, & propriam sententiam proprijs proferat verbis.

Auctor.

Theod. Heracleotes hic.

Quemadmodum Sicarios in homicidio ipso deprehensos, non vt de crimine quæstionem habeant, Iudices deferunt: sed vt contra illos sententiam, quam sanxere Reges, pronuntient: Ita qui non credit, iam iudicatus est: quia refutato per infidelitatē Iudice, nil opus est causas alias damnationis disquiri: sed tantum ad pœnas debitas damnari.

Lugd. Eccl. aduersus Iohannē Scot.

226 *Generalem resurrectionem quadam certa proprietate distinguit*

Apostolus, dum dicit, Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur: & cùm subijcit, Et mortui resurgēt incorrupti. & nos immutabimur. Ostendens videlicet, quia omnes resurgent receptione corporum, sed non omnes immutabuntur glorificatione Iustorum. Iniqui enim resurgent tātummodo, quod iam non potuerunt morte dissolui; ad pœnas autem, & ad cruciatus ate nos sentiendos atque perferendos ita omnino corruptibiles erunt & ita ipsis supplicijs sine fine corrumpentur, vt omnino sicut Scriptura dicit, Dātur in carnes eorum ignis & vermes, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum. Iusti autem, ex quorum persona Apostolus dicit, Et nos immutabimur, ita incorrupti resurgēt, vt vlla vlterius morte soluantur. Et hoc speciale habebunt, quòd corpora eorum immutabūtur in melius.

Auctor. O amabilem pro Iustis, ô terribilem pro impijs resurrectionem, vbi pro meritis illi in melius immutabuntur, hi surgent in peius, cùm vniuscuiusque tabula sublato velo, qualis sit apparebit. In quo discrimen illud discernitur, quod Basilius notat inter pictores. Vt enim pictor dum domi & in secreto cubili imaginē depingit, nulli notū est, quid agat, nullus opus reprehendit, nullus laudat: ceterùm, vt primùm tabellam oculis expectantium exponit, quæcumque depinxerit, manifestat: & alius quidem laudat, alius verò secus. Non aliter dum viuimus, in mētis secreto depingimus animi sensa, quæ nullus haurire potest. At vero, dies Iudicij hæc omnia in publicum dabit, & tunc quæ quisque studia habuerit, prodet, siue turpia, siue laudabilia. Sic enim Basilius fatur. *Ita & mens post vita exitum, sublato velamine corporis, quo anima tabula obtegebatur, quam per omne vita tempus varijs cogitationibus pinxit, quaque intimis recessibus fuerat picta, cunctis cernenda proponit in lucem, videbiturque in promptu anima tabula, historia veritate plena, aquè ad intuendum cunctis exposita.*

Basil. lib. de vera Virg.

Cyr. in Ps 1.

227 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Licet enim in iudicio extremo generaliter omnes resurgant, tamen Doctores peruersi, & eorum sequaces non resurgent ad suam exaltationem, sed ad maiorem sui depressionem: quia tunc eijciuntur in foueā gehenna, in anima simul & corpore. Et quia non solum damnabuntur peruersi Doctores, sed etiam doctrina ipsorum imitatores per mala opera, ideo subditur, Neque peccatores in concilio sic enim debet scribi, quia in Hebræo, & in translatione Hieronymi accepta immediate ab Hebraica veritate, habetur, In congregatione Iustorum: ista autem congregatio est in beatitudine cælestis, secundum quod dicitur, Principes populorum congregati sunt coram Deo Abraham.* Non admittit Principes regum terræ, nisi Principes in concilio Senatorum: vnde & summus Pater præcipiebat Angelis parantibus Iudicij locum, *Congregate illi Sanctos eius*: & ex sententia Ambrosij, *Insigniores Sanctos intelligit, Apostolos, Martyres, Doctores, qui sicut hic prædicauerunt misericordiam: Ita in iudicio annunciabunt iustitiam Dei.* Si autem per Sanctos cum Angelico Doctore intelligamus omnes fideles, cum quibus solis disputatio fiet in iudicio: quis hinc non agnoscet, quam mundi dicantur & sint oculi summi Iudicis ne videant malum, vt nec malos sibi adhærere, nec eos videre dignetur? Obseruabat Philo præceptum legis, Vt qui nō voluntariè committit homicidium, intra ciuitatem refugij contineatur, donec mortuus fuerit sūmus Sacerdos: scilicet, ne summus Pontifex ex visu, aut occursu homicidæ, etiā inuoluntarij, polluatur. Reliquos ex plebe arcet lex à mortuorum congressu & effectu ne polluantur: at summum Sacerdotem, qui in apice dignitatis constitutus est, arcet accessu, vel occursu homicidæ etiam inuoluntarij. Nam quo quis sanctior est, eo maiori cura & diligentia debet abijcere à se malorum societates: vel quo quis in maiori dignitate est constitutus, longius abscedat à malorum con-

Auctor.

Ps. 49. 5.

Ambr. hic.

D. Th. hic.

tubernio. Verba Philonis adijciā. *A peccatis voluntarijs debent esse puri plebei homines, vel etiam Sacerdotes, si cui libet hæc quoque addere. Princeps vero Sacerdotum, siue Pontifex, per excellentiam, ab vtrisque voluntarijs pariter, & inuoluntarijs. Nefas est enim hunc quippiam pollutum attingere, vel sponte sua, vel casu fortuito, vt cùm sacris præsit, ornatus sit parte vtraque, tum mente inreprehensibili, tum vita nullis probris obnoxia.*

Philo in lib. de specia lib. legib.

228 *Ideo non resurgent impij. Quia ventus proijcit, id est, quia dati sunt in reprobum sensum, & de resurrectione intelligitur, id est, de peccatis.* Sed quomodo potest Deus, qui non est Author malorum, homines ita tradere in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non cōueniunt? Respondet Doctor Angelicus, *Tradidit illos Deus, non quidem impellendo, sed deserendo in reprobum sensum. Dicitur autem hic sensus hominis non exterior, quo sensibilia cognoscuntur: sed interior, secundum quod iudicat de agendis, secundum illud, Cogitare de illa sensus est consummatus. Dicitur autem sensus reprobus, quo aliquis reprobandum iudicium habet de agendis, secundum illud, Homines mente corrupti, reprobi circa fidem: & Ieremias, Argentum reprobum vocate eos. Et ideo subdit, Vt faciant ea, quæ non conueniunt, id est, ea, quæ à recta ratione discordant.* Sicut dupliciter modo potest eques equū in præcipitium cursu agitato tendentē, tradere, vel non cohibendo frenū, vel calcaria addendo: ita Deus nō impellit impios ad profundum abyssi currentes, nec stimulos ad cursum addit, & ad casum: sed tantum non frenando, & deserendo, per gratiæ efficacis subtractionem, & in desideria eorum cordis traditionem.

Magister sententiarum. sup. Ps. 1.

Auctor.

D. Th. lect. 8. in c. 1. epi. ad Rom.

229 *Iudicium significat & causæ dictionem iuxta illud, Non intres in iudicium cum seruo tuo: & iustificationem, vt hic, Non enim inuenient impij iustificationem. Significat etiā condemnationem, vt illud, Resurgēt, qui mala egerunt in resurrectionem iudicij. Præterea per iudicium, etiam iustitia notatur. Qui iudicium facit omnibus iniuriam patientibus. Demum, & decretum, & sententia Iudicis hoc nomine declaratur, vt illud, Præceptum in Israel, & iudicium Deo Iacob.* O Iudicis seuera sententia, etsi vera. O decretum irreuocabile, ò verbum asperum, à quo dum impij non liberantur, liberatur autem Pius, tunc & quilibet Pius in gloriam Liberatoris hymnum canet, *Ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero:* & nunc quoslibet Iustos Bernardus hortatur, vt eamdem Canticum in laudem Saluatoris repetant, sic eos monens, *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis non habentem vbi caput suum reclinaret, Filium hominis, exultate, & dicite, Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium. Confitemini illi toto corde, tota anima, tota virtute, & ex ipsis medullis cordis gratias ei agite, dicentes, Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium. Et vt noueritis quàm magnum sit beneficium hoc, & scitatis, quæ à Deo donata sunt vobis, audite quod sequitur, Et à verbo aspero. O homo vel magis bestia laqueū non timebas? Time, vel malleum. A verbo, inquit, aspero. Quod est hoc verbum nisi illud insatiabilis gehennæ, Affer, affer, percute, dilacera, occido interfice, velociter spolia deprædare? Quod est verbum asperum nisi Tollatur impius, ne videat gloriam Dei? Quomodo exultant venatores capta bestia, & clamant, Tolle, tolle.*

Nicephorus in Catena Græca.

Auctor.

Psal. 90. 3.

Bern. ser. 3. in Psal. Qui habitat.

230 *Iudicium quidem iustorū, transitus est operosi corporis ad Angelicum vsum mutatio: impiorum verò est, ab operoso corpore in tenebrosum & obscurum permutatio.* Sic ille, repetam autem & ipse cum Chrysologo. *En fratres, quàm verū lamentanda mutatio! Pauperem portant Angeli, diuitem deglutit infernus. En fratres, mors pauperis totam diuitis vitam vicit: & elatio sola pauperis, totam diuitis pompam transcendit & gloriam.* Quod Rauennates de hipothesi, iam prædixit, dicite vos de thesi. Sed quæ lingua, quæ vox vel narrare poterit,

Origenes in Catena Græca.

Auctor.

Chrysolog. ser. 121. de Diuite & Lazaro.

vel

vel signare mutationem inter corpora, hinc Iustorum, inde impiorũ? En, Iusti Fulgebũt velut sol. impij obscura nocte erunt obscuriores, denigrabitur enim super carbones facies eorum, & non erunt agniti in plateis, sed in tenebris proiicientur exterioribus; tum ab interioribus animę, & tum ab exterioribus corporis.

Remig. in Psal. 1.

231 *Ideo nõ resurgunt impij, idest idolatræ: in iudicio, id est, vt iudicent, vel iudicẽtur, quia iam damnati sũt. Neque peccatores, id est, præuaricatores legis, Iudæi, & falsi Christiani, ad hoc vt sint in consilio Iustorum, quia hi noluerunt esse in consilio iustitiæ.* In consilio iustitiæ, quæ communis est virtus, ille tantum adest, qui verè Christianus est; & hic talis est, qualis ab Antiocho describitur, *Prorsus necesse sit eum, qui velit verus esse Christi discipulus, tanto erga Christum succendi caritatis ardore, vt ne vllum quidem mandatorum ipsius prætergrediatur: tametsi id exigui momenti, aut graue esse videatur. Ipse enim dixit, Si diligitis me, mandata mea seruate.* Tales ergo Christiani, ac tales Iusti in consilio resurgent Iustorum, & sedebunt super sedes iudicantium. At Christiani, qui patrem habentes in Cælis, nonnisi terram intuentur, & amant: Patrẽ habentes Iustum; propria membra arma exhibent iniustitiæ, eique sic militant, vt per eos Pater non glorificetur, sed blasphematur, quo modo esse poterunt in consilio iustitiæ, vel Iustorum? Sic Chrysostomus explicans verba Dominicæ orationis, Pater noster, qui es in cælis: nos docet, & monet, *Vult vt sciamus nos Patrem habere cælestem, vt erubescamus nos terrenis rebus substernere, scientes nos Patrem celestem habere. Sicut enim degener filius ad opprobrium pertinet generosi patris: sic & Christianus iniustus ad blasphemiam pertinet Dei iusti. Et sicut per bonos Christianos Deus glorificatur: sic per malos blasphematur.* Breuius autem, & acutius hæc monita complectens Chrysologus, sic te docet & terret, *Cùm dicis. Pater noster, qui es in cælis, intellige tibi esse genus à cælo, cuius Pater habetur in cælo, & age, vt viuendo sanctè, sancto respondeas Patri.* Notandum verbum, *Respõdeas*, quod vel ex agricultura sumitur, vbi seges respõdet semini: vel ex choro musico, vbi vox respõdet voci: cũ. n. Christiani gloriẽtur, & dicãt Genus Dei sumus Dei fructus reddere tenẽtur: & cũ in Choro Ecclesiæ sinnt, vbi Dñs virtutũ virtutis præcinit vocẽ, per virtutis vocem respondere tenentur, vt de quolibet eorũ dicatur. *Respondit ei in via virtutis suæ*: & cum Cassiodoro dignoscat in his duobus verbis summam Religionis expressam, sic enim ait, *Quàm bene duobus verbis expressum est quid sit Religio Christiana, id est, Via virtutis.*

Auctor.

Antiochus ho 72. quod pro inuicem orandum sit & pro inimicis.

Chrysost. homil. 14. in imperf. sup. c. 6. Matthæi

Chrysolog. serm. 67. in Orat. Dom.

Psal. 101. 24

Cassiodorus hic.

231 *Ideo non resurgunt impij in iudicio: Ideo quia proiecti à Deo, non resurgunt impij obstinati in prima resurrectione à morte peccati in iudicio discussionis vt se iudicent & discutiãt, seque accusent, & pęniteant. Neque peccatores ijdem in consilio Iustorum, quorum consilium est pœnitentiam agere, & voluntatem Dei voluntatibus suis præferre. Vel, in futuro non resurgent impij, id est, penitus infideles: In iudicio, id est, vt iudicentur, quia iam iudicati sunt. Neque peccatores, id est, falsi Christiani In consilio id est, in congregatione Iustorum, vt iudicent.* Surgunt quidem Christiani falsi, vt iudicentur, vtque rationem reddant operum, vnde fidem negabant, quam ore profitebantur, & peiores apparebant, quã pagani. Non mea, sed Chrysostomi est sententia: ipse enim explicãs verba, *Et erunt nouissima hominis illius peiora prioribus*: tale decretũ statuit, *De hoc enim ipso, vel ipsarum rerum experimento nos docet, quomodo Christianus si malus euaserit, peior sit, quàm si fuisset Gentilis.*

Rodulphus in Ps. 1.

Auctor.

Matt. 12. 45.

Chrysost. in imperfect. sup cap. 12. Matt. ho. 31.

233 *Ideo non resurgunt impij in iudicio. Ideo scilicet, quia nullo virtutum pondere grauati, tamquam puluis à facie terræ sunt proiecti. Vnde scriptum est, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Neque peccatores in consilio Iustorum. Repetita sententia videtur, vt quod superius dicitur, Impij, intelligantur peccatores: & quod præ*

Ruffinus in Psal. 1.

missum

missum est, In iudicio, hoc dictum sit, In consilio Iustorum Aut si aliud sunt impij, aliud peccatores, nam omnis impius peccator, non tamen omnis peccator impius: Impij non resurgunt in Iudicio, subaudi, vt iudicentur, quia iam pœnis certissimis deputati sunt. Peccatores autem non resurgunt in consilio Iustorum subaudi, vt iudicent sed vt iudicentur. Sed cùm Dauid dicat, quod impij non resurgunt in iudicio, quid est quod Paulus ait, Omnes quidem resurgemus: nam, per omnes vult intelligi tam bonos, quàm malos: tam pios quam impios: tam peccatores quàm Iustos? Sed sciendum est, quòd omnes & boni & mali resurgere habent ad vitam sed non omnes resurgent ad gloriam. Quod satis manifestat idem Apostolus, cùm ibidem subiungit, Sed non omnes immutabuntur. Resurgent quidem omnes, vt viuant, boni & mali: sed non omnes immutabuntur de vita ad gloriam, nisi soli boni.

Auctor.

In prima hominis formatione, quæ ex nihilo facta est, Factor ad votum & absque præuia dispositione, formam præstitit: at in secunda reformatione, iuxta cuiusque corporis dispositionem, formam reddet: & vbi humiles reformabuntur ad gloriam: superbi deformabuntur ad ignominiam. Hinc Paulus de humilibus Iustis, ait, *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*: Et Bernardus totam causam talis reformationis ad humilitatis fontem reuocabat, dum explicãs verba sponsi, *Ego flos campi, & lilium conuallium*: sic floridè philosophatur, *Iustus ergo humilis, iustus conuallis est. Et si humiles inuenti fuerimus, germinabimus & nos sicut lilium, & florebimus in æternum ante Dominum. An non verè vel tunc maximè se lilium conuallium comprobabit, cùm reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ? Non ait, corpus nostrum sed corpus humilitatis nostræ, vt huius lilij miro, ac sempiterno candore, solos significet humiles illustrandos.*

Ad Philip. 3. 21.

Can. 2. 1.

Bern. serm. 47 & Cantica.

234 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Vide admirabile iudicium Dei. Deceptos sciscitatur Deus, Serpentem autem non interrogat, Quid fecisti? sed quia fecisti hoc. Ad huius iudicij exemplum respiciens Dauid, ait, Ideo non resurgunt impij in iudicio: non quia non resurgunt, sed quia, vt examinentur, non resurgunt.*

Serapion Episc. in Catena sup. c. 3 Genes.

Auctor.

Quadrat ad hoc illud Pompei, qui Marcellino, ab eo euecto, atque studijs mutatis, multa contra eum in Senatu dicenti, *Non te pudet, dixit, Marcelline, mihi conuicium facere, qui te è muto loquentem fecerim?* At impius, è contra, Deo ingratus, è loquente in vita, vbi dici poterat, *Vir linguosus*: mutus euadet in morte, & in iudicio obmutescet. Sic non habens vestem nuptialem, etsi interrogatus, *Quomodo huc intrasti? obmutuit*. Et iure, vt Hieronymus docet *In tempore enim illo nõ erit locus impudentiæ, nec negandi facultas. Cùm omnes Angeli, & mundus ipse testes sint peccatorum.*

Pompeius apud Plut. in Apopht. Illustr.

Ps. 139. 12.

Matt. 22. 12.

Hieronym. relatus à D. Th. in Catena sup. c. 22. Lucæ.

235 *Exquisitè satis & exactè omnia seruatur diuina sapientia, non enim dixit, Non resurgunt impij, sed, Non resurgunt in iudicio, quasi dicat, Sed in damnatione: non enim ibi accusatione, aut examine opus est, vbi aperta impietate tenentur. Neque enim redarguentibus indigent cùm eorum impietas manifesta fit, sed supplicium solum expectant Quemadmodum enim homicidas in flagranti crimine captos, non vt redarguantur Iudices in iudicium trahunt, sed vt sententiam legibus congruentem contra illos pronuncient: eodem modo etiam qui impietati assueuere, statim post resurrectionem pœnam sustinent, non in iudicium adducti, sed vt supplicij sententiam accipiant. Atque etiam peccatores, licet impiorum dogmatum expertes, tamen cum iniquam vixerint vitam, à Iustorum cœtu longissimè aberunt.*

Theodor. in Cat. Græca, & in Ps. 1.

Auctor.

Abeunt, abeunt, miseri, sed tremebundi, & horrore perterriti tonitruum diuinæ vocis, ex labijs indignatione plenis, audientes: fulgura ac fulmina ex oculis irati Iudicis iaculata videntes: vnde Iob, *Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur*. Vt autem Lyranus intonat, *Designatur certitudo diuinæ prouidentiæ sicut de sapiente sagittatore dicitur, quia eius sagitta*

Iob 41. 14.

Lyran. hic.

non

non infertur ad alium locum, nisi intentioni suæ. Per hæc fulmina intelligitur sententia diuinæ damnationis, quæ non fertur alibi: quia cedit ad Dei gloriam & Sanctorum, & tantummodo nocet dæmoni, & malis hominibus, qui sunt membra eius. Quanto igitur terrore ac tremore impij formidabunt, quando his a Christo Domino tonitruis, ac fulminibus quatientur? Cùm vidit Rex Balthasar vnam hominis manum tria verba in pariete scribentem, supra quod dici potest expalluit, & expauit. Vbi Theodoretus sic philosophatur, *Si digitorum scribentium species ita perterruit eum, qui maximum administrabat regnum, vt etiam articulorum compages, præ metu, dissoluerentur, & artus tremore occupati, tremore concuterentur: quid non sustinuisset Deo infestus, si præsteras, id est, fulminis genus, aut fulmina conspexisset: aut Angelos toruè intuentes, & nouo figura habitu deterrentes, quorum cõspectum ne magnus quidem Daniel absque metu ferre potuit? Addo Quid non sustinuisset, si nõ arguentes homines, si non accusantes Angelos, si non fulminantes cælos sed etiam ipsum Deum mille fulmina iaculantem conspexisset?*

Theod. in c. 5. Dan.

236 *Ideo non resurgent impij in iudicio. Alia littera, Non stabilientur: per quod intelligi potest, non resurgent in Iudicio, id est, non subleuabuntur sententia Iudicis, sed potius è contra. Boni verò non sic, quia habebunt sententiã pro se.* Stabilientur ergo Iusti, & subleuabuntur, habentes sententiam pro se, quia sequentes Caput Iustorum, animarum reparationi primùm studuerunt, & in vita & in morte, vt in iudicio surgentes, reformationem, vel transformationem corporis mereantur. Ita Bernardus præsens tempus animæ, futurum vero corpori reformandum statuens, dicit, *Animabus hoc tempus est non corporibus assignatum: quòd videlicet longe dignior anima corpore, priorem sibi solicitudinem naturali vendicat, dignitate: sed & prior reparanda est quam constat corruisse priorem: anima siquidem corrupta in culpam fecit, vt corpus quoque corrumperetur in pœnam. Denique si Christi membra volumus inueniri: sequendum est sine dubio Caput nostrũ, vt videlicet prima nobis reparandarum sit solicitudo animarum pro quibus ipse iam venit, & quarum prius mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reseruemus, & differamus in illam diem, quo reformandi corporis gratia est venturus, sicut meminit Apostolus, dicẽs, Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ.* Et idem mellifluus Pater monens viros, minans mulieres, quæ fucis satagunt reformari, immo faciem contendunt vane deformare, ad hanc veram reformationem, ad hanc gloriosam transformationẽ, sic illos vocat, sic illas inuitat, sic admonet, deterret sic, *Quid est in uides, qui de operibus vermium & murium pellibus ingloriam planè gloriã mendicare non erubescunt, cultu indigno viris interdicto, & mulieribus, semetipsos dehonestantes potius, quàm ornantes? Reformant ipsi, aut magis certe deformant corpora sua: te, si fueris corpus humilitatis, reformabit tãẽ Artifex qui te formauit: illam, si non desipis, præstolabere manum, vt quod fecit, ipsa reficiat.*

D. Tho. in Psal. 1.

Auctor.

Bern. ser. 2 de verbis Isaiæ.

Idem ibid.

237 *Ideo non resurgunt impij in iudicio. Et quoniam in hoc tempore, vitam sine Deo auxerunt steriles, & sine operibus bonis: idcircò, in nouissimo magni iudicij, & generalis examinis die, nõ resurgent ad gloriosam illã beatorum immutationem, ad quam resurgent electi. Neque peccatores in consilio iustorum. Neque inuenientur, aut recipientur peccatores illi in consessu, aut beata illa congregatione iustorum, vt eamdem cum iustis gloriam recipiant: sed subsecabuntur magis a morte temporali ad mortem æternam cum diabolo & angelis eius suam portionem accepturi.* Septimius asserebat immo, cõcinne canebat. *Bonitas Dei operata est mundum, iustitia modulata est.* Bonitas enim, sic omnia in prima Orbis molitione disposuit, vt cælum & astra in sublimibus erigens, terram, flores, ac feras in infimis locans, omnia quæ

Titelm. in Psalm. 1.

Auctor.
Tertull. lib. 2. aduersus Marcionẽ.

fue-

fuerat videns approbauerit, vt valdè bona. At, hominum malitia ordinem hunc sic subuerterit, vt Iustos, qui cœli sunt & astra, in ima detruderit: & impios, qui terra sunt & feræ, sic extulerit, vt de quolibet eorum, mirabundus, vel caneret Psalmographus, vel lugeret, *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani*: Hesychio notante, *Exaltationem esse inter pares, hoc est, homines: superexaltationem etiam contra Deum, vt solet impius*. Bonitatis ergo ordinem & harmoniam, quam Deus in mundi creatione dispofuit, & homo destruxit: Iustitia in mundi reformatione modulata est. Quid autem est modulari, nisi voces dissonas mutuo reddere respondentes? Id ergo Iustitia faciet in Iudicio, altas superborum ac impiorum voces deprimens vsque in profundum laci: & humiles Piorum tonos, eleuans vsque ad astra. Audi Iustitiam modulãtem, *Deus iudex est: hunc humiliat, & hunc exaltat:* exaltat enim humiles Pios, humiliat autem superbos impios. Vnde Cassiodorus. *Ecce omnis quæstio prophana de medio sublata est: quoniam Deus iudex est: & cũ sit iudex, iustum illum esse non dubium est. Iustus enim cùm dicitur, æquissimus sine dubitatione sentitur. Et vt hoc in isto verbo declaretur inclusum, causa redditur sincera iudicij, Hunc humiliat & hunc exaltat. Humiliat vtique superbum, exaltat humilem: quia ille in se, iste confidit in Domino*. O mira commutatio, ò stateræ iusta conuersio.

Psal. 36. 35.
Hesych. hic.
Psa. 74. 9.
Cassiod. hic.

CORONA STELLIFERA

EX VARIIS EXPOSITIONIBVS CONTEXTA; & variorum Patrum, ac Doctorum atque Auctoris luminibus illustrata.

VERSVS VLTIMVS.

Quoniam nouit Dominus viam Iustorum: & iter impiorum peribit.

238  *Iam, sane, pro operibus ac factis sumi nõ est ambiguũ. Nouit igitur Dominus viam & opera & facta Iustorum, & ideo dignam illis mercedem rependit.* Nihil *enim illam omnia inspicientem oculum fugit Consequens autem erat, vt diceret, Iter autem impiorum non nouit: sed, quod eiusmodi ignorationẽ sequitur, posuit, peribit, ad interitũ & ruinas illos perducet. Iustorum igitur desideria & cogitata nouit Dominus, & illigrata sunt, & illa secundat: impiorum vero iter ac spes peribit & irrita erit ac vana: neque enim successum habebũt eorum desideria.* Rara Authoris naturæ ordinatio, mira iustitia, in qua alta mẽte repositum manet, naturam natura punire, ita vt iter & vita impiorum, vel ex se tabescat, atque in morte deficiat: vel externarum naturarum instrumentis torqueatur, & pereat. Talis est Ecclesiæ Lugdunensis definito: sic enim statuit, *Sicut natura corporis, aut ex semetipsa punitur, velut cùm deficit à sanitate, & succumbit infirmitati,*

Agellius in Psal. 1.
Auctor.
Lugdunen. Eccles. ad uers. Io. Sot.

atque languoris: dum & bonum sanitatis in eo minuitur, & malum languoris ex seipso patitur: aut ex alterius naturæ subtractione quæ illi ad sustentationem, vel aliud solatium valet: velut si ei pœnaliter subtrahatur natura cibi aut potus, aut etiam lucis vel vestimenti, & quidquid eiusmodi est: dum ex hoc & fame ac siti tabescit ac deficit, & tenebrarum horrore affligitur: aut frigoris acrimonia cruciatur, aut certè ex alterius rei natura ipsum corpus hominis punitur: sicut corpora latronum vtique puniuntur in flagellorum, & gladiorum, ac multiplicium tormentorum quæcumque ipsorum natura ex alijs naturis pœnaliter inferuntur.

Ambr. in Enar. sup. Psal. 1. 239 *Quoniā nouit Dominus viā Iustorum. Aduerte sensum,* Non *resurgent impij in iudicio, quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Vias eorum vtique nouit, quorum dirigit gressus, Sunt enim gressus hominum, qui à Domino diriguntur: Diriguntur à Domino, & via viri. Has nouit* Dominus *vias, quæ sunt rectæ: quæ ad illam viam tendunt, dicentis,* Ego *sum via, veritas, & vita. Hæc bona est via. Tortuosa autem est via sæculi.* Non *dignatur illam viam nosse. Illos agnoscit qui sunt ipsius, qui operantur opera eius. Qui autem operantur iniquitatem, his dicit Dominus, Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: non noui vos. Non per ignorantiam, sed per id, quod indigni sint scientia Dei, nesciuntur. Pulchrè autem ait, Et iter impiorum peribit. Separauit Latinus, vt iter diceret, & tamquam discreuit iter, à via:* Græcus *autem in vtroque viam dixit.* Non *otiosè tamen Latinus, quia & Dominus, Ego sum via, dixit.* Non *dixit, Ego sum iter. Perire autem iter impiorū dixit, non ipsos. Seruat eorum substantiam: qui si conuertantur, solum iter impietatis amittent: quod nec ab initio fuerit, nec erit. Quod accidens, igitur perit: quod substantiuum, manet. Pereunt autem ita impij, quomodo dicitur, Anima quæ peccat, ipsa morietur: vt peccati aculeo, non omni substantia sua dissolutione moriantur.*

Auctor. Pereunt ergo impij, seruata substantia, & sic moriendo viuunt, & viuendo moriuntur, vt nescias, an vita eorum dicenda sit vita, an mors: damnatur enim, vt Cain ille impiorum caput, infinita morte. Nouum tibi videbitur, quod mortis supplicium afferam infinitum? Sed nouum quidem non est, nam à Philone Hebræo est vsitatum, sic enim de fratricida loquitur, *Quoniam igitur nouum erat facinus, oportebat nouam pœnam in id statui. Et quam tandem? Vt semper moribundus viueret, damnatus morte infinita quodammodo. Sūt enim duæ mortis species: altera, mortuum esse, quæ quidem bona est, aut indifferēs: altera ipsum emori, malo omnino, & quò diuturnior, eò grauior.* Sic grauior æstimabatur pœna productior à Bethuliæ viris, dicentibus, *Sit finis noster breuis in ore gladij, qui lōgior efficitur in ariditate sitis.* Philo in lib. de premijs & pœnis.

Iudith. 7. 17.

240 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, Christus dicitur cognoscere viam Iustorum, non solum quia causam approbat: sed etiam quia sæpe ambulat, Noui omnia itinera eius, & sæpe ambulaui. Est enim via ista, via ad domum Patris sui. Ideo ipse est Dux omnium volentiū ad Patrem suum ire. Iter impiorum peribit. Iter dicitur perire quia ambulantes in eum pereunt. Cuius ratio duplex est, vna ex parte itineris, quia via peccatorum est mundus, qui est sicut mare tempestuosum, & ideo vix aliquis euadit ad vitam, nā, In itinere contemptorum vorago. Altera ratio est ex parte ducis, qui est diabolus, vnde Chrysostomus super illud Matthæi, Lata est via: dicit sic, Duæ viæ sunt nobis à Domino propositæ ante oculos, vna vitæ, & alia mortis: vna salutis, & alia perditionis. Via vitæ & salutis Christus est. Via verò perditionis & mortis dux diabolus est. Ille itaque ad vitā nos vocat, hic ad mortem trahit. Ille ad salutem, hic ad perditionem.* Anglicus in Psal. 1.

Concinit cum præmonstrato Ducum discrimine discrimen circa exercitus Duces ab Auctore Apophtegmatum relatum. *Quùm enim seniores Numentini victis suis, ignauiam exprobrarent, qui nunc eos fu-* Auctor. Lib. 5. Apo. vbi de Scip. Min. nu. 19.

gissent,

gissent, quos toties in fugam verterant, Numantius quidam respondisse fertur, Nunc quidem oues eędem sunt, sed alius Pastor. Significans Scipionem esse causam mutatæ fortunæ bellicæ, licet ijdem essent milites. Pari etiam lege, a duce diabolo, de quo legitur, *Inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum*: idest, *In omnes homines diffusos per omnes partes orbis terrarum*: pendet totius Babilonyci exercitus perditio. Nec mirum quòd inuidum perditionis ducem, & pallidum vexillũ mortis sequentes, in mortem irruant, & in perditionem ruant, *Imitantur enim illum, qui sunt ex parte eius*: nam vt Hugo subdit, *Imitantur diabolum filij perditionis*. Ideo iter impiorum iure peribit, dum exercitus impiorum, & perditorem impium ducem sequitur, sectatur perditum.

Sapien. 2. 24.

Hugo Cardin. hic.

Sap. 2. 25.

Hug. Card. hic.

Arias Montanus in Ps. 1.

241 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit. Significatur examen exactũ bonorum, & malorum, non ex humano iudicio, quod sæpe fallit & fallitur: sed ex diuino, de quo Paulus, Nouit Dominus qui sunt eius. Est vocabulum poëticum, pro gratum habet, & curat. vt in Psalmis. Tu cognouisti sessionem meam.* Mirum reuera est propheticum Oraculũ, ac diuinum effatum, quo Iudæos supra reliquos mortales exaltans, sic asserebat, *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ*. Dices, quomodo hoc stare potest cum omniscientia omnes numerante, omnia cognoscente, & cum ea notitia, quæ etiam cognoscit omnia volabilia cæli? Respondet ad hoc Remigius, & distinctè docet, tunc dici, quòd Deus cognoscat, quando eligit & approbat: tunc è contra, quòd non cognoscat, quando nec eligit nec approbat, sic enim ait, *Cognoscere Dei, est eligere, & approbare: non cognoscere, est reprobare, & non eligere, sicut dicturus est impijs in die iudicij, Amen, amen dico vobis, nescio vos. O Deus omnipotens, cuius incomprehensibilia sunt iudicia, vniuersas Gentes permittens in errorem idolatria degere, vnã solummodo plebem ex omnibus cognationibus terræ fecisti tibi adhærere. Sed quia & ipsi noluerunt in præceptis tuis ambulare, minaris eis mala, & dicis, Idcirco quia me dereliquistis, fabricando vobis idola, Visitabo, id est, puniam, vel vlciscar, super omnes iniquitates vestras.* Hac ergo iusta Dei mulcta & punitione iter impiorum peribit, quod Deus nec nouit, nec approbat: via autem Iustorum, quam approbat & nouit, & prosperabitur, & ad vitæ dirigetur portum, & ad gloriæ terminum ducetur.

Auctor.

Amos 3. 2.

Remig. Altisiod. in c. 3 Amos.

242 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Quemadmodum dicitur,* Nouit *salutem medicina, morbos autem non nouit, & tamen etiam morbi arte medicinæ agnoscuntur: Sic dici potest nosse Dominus viam Iustorum, viam vero impiorum non nosse, non quia aliquid Dominus nesciat, & tamen dicit peccatoribus, Non noui vos. Iter autem impiorũ peribit. Pro eo positũ est, ac si diceretur, Iter autem impiorum non nouit Dominus. Sed planius dictum est, vt hoc sit nescire à Domino, quod est perire: & hoc sit sciri à Domino, quod est viuere, vt ad scientiam* Dei, *esse pertineat: ad ignorantiam verò, non esse: quia Dominus dicit,* Ego *sum, qui sũ, Et qui est, misit me.* Explicemus Augustini doctrinam cum doctrina Augustini, ipse enim ita componit verba Dauidis cum verbis Salomonis, *Vias, quæ à dextris sunt nouit Dominus: peruersa vero sunt, quæ à sinistris sunt: & ideo* Nouit *Dominus viam Iustorum, & via impiorum peribit. Hanc enim non nouit Dominus, quia sinistra est sicut dicturus est etiam illis ad sinistram constitutis,* Non *noui vos. Quid autẽ est, quod ille non nouit, qui vtique nouit omnia, siue bona hominum, siue mala? Sed quid est, Non vos noui, nisi tales vos ego non feci? Quemadmodum illud quod dictum est de Domino Iesu Christo, quia non nouerat peccatum: quid est, non nouerat, nisi quia non fecerat? Ac per hoc, quod dictum est, Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus, quomodo intelligendũ*

Aug. Episc. Hip. in Ps. 1.

Auctor.

Idem Aug. Episc. Epist. 47.

est, nisi quia ipse fecit vias dexteras, id est, vias Iustorum, quæ sunt vtique opera bona, quæ præparauit Deus, vt dicit Apostolus, vt in illis ambulemus. Vias autem sinistras peruersas, id est, vias impiorum, non vtique nouit, quia non eas ipse fecit in homine, sed homo sibi. Propter quod dicit, Odiui autem ego peruersas vias malorum, ipsæ sunt a sinistris. Sinistræ autem ideo dicuntur, & sunt, quia ad sinistram ducunt, vbi iter impiorum peribit.

Aug. Eugu. in Enarrat. sup. Ps. 1.

243 *Quoniã nouit Dominus. Nouit Dominus viam Iustorũ, eos prospiciẽs, beneficia præstans, eos vbique protegens: iuxta id, quod alibi dicitur, Quid est homo, quia memor es eius? Hebraicè, Quia nosti, protexisti illi. Quod autem ait, Et iter impiorum peribit: confirmat superiora, agens de finibus bonorum, ac malorum. Dixerat malos, sicut puluerem dissipandos, & in cinerem resoluendos: nunc dicit, iter eorum in ruinam, perniciemque tendere, & ad impia tartara mitti. Meta viarum scelestorum, inquit, ruina est.*

Auctor.

Si motus ex Philosophorum doctrina idem est cum termino, & à termino sic specificatur, vt motus ad lumen, in lumine terminetur: & motus ad tenebras, in tenebris constituat metam: ac motus in cœlum, pro meta habeat cælum: & motus ad tartara, tartara habeat pro meta: quis neget motum scælestorum, qui in tenebris fit, in infernalibus tenebris terminari? Vide cum Salomone lucidum Iustorum motum, Iustorum lucidam viam, *Iustorum semita, quasi lux splendens.* Audi & Lyrę sonum hũc motum celebrantem, hanc lucem extollentem, *Qui enim facit veritatem, venit ad lucem.* Vide huius formæ fluxum, ac lucis progressum, *Procedit, & crescit.* Audi Areopagitam hunc lucidum progressum sic prosequentem, *Dicendum itaque est, vt intelligibilis lux bonum ipsum dicitur, quod omnem supercælestem spiritum spirituali impleat luce, omnẽque ignorantiam pellat, erroremque abigat ex animabus, quibus se insinuauerit, eisque sacræ lucis consortia tradat, spiritualesque illarum oculos purget, obductamque ignorantiæ caliginem tergat, tradatque illis primum quidem exiguũ consortia luminis: deinde vbi illa degustauere lucem, maioreque eius tanguntur desiderio, se se eis magis infundat, & copia vberiore lucis infulgeat, quia dilexerunt multum: semperque eas ad interiora intendant, quantum aspirare ad ea pro captu suo possunt.*

Prou. 4. 18.

Lyran. hic.

Prou. 4. 18.

Dionys. Ar. de Diuin. Nomin.

Vide & terminum lucis, lucis à summo Sole commutatæ in splendidum diem, *Vsque ad perfectum diem:* & audi Pontificium Decretum, *Illa est dies, quam verus Sol illuminat, qui nescit occasum, quem non obtenebrat nubes, non obscurat nebula, non obumbrat turbo, quæ rectè Vna dicitur, quia nullius finis termino angustatur.* E contra, oculos dirige in tortuosam viam impiorum, *Via impiorum tenebrosa.* Et vide tenebrosum eorum motum à Chrysostomo descriptum, *Per tenebras duras, rudes, asperas, strigosas, siue callosas, per inopiam consilij in desperatione ipsorum:* & audi terminũ luctuosum a Lyra deploratum. *Nesciunt vbi corruant scilicet in infernum, quem casum modo nolunt attendere.* Heu, si modo attenderent inferni mala, illucque viuentes descenderent, non quidem illuc morientes corruerent.

Greg. Pap. in Psalm. 7. pœnit.

Chrysost. in enarr. sup. c. 5. Isaiæ.

Nic. de Lyr. in c. 4. Prou.

244 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum id est, approbat opera eorum, scilicet, Iustorum, vnde dicitur,* Nouit *Dominus qui sunt eius. De impijs autem non dicit, non nouit, sed quod deterius est, & eorum mala declarat magis, scilicet, Iter impiorum peribit.* Nescire *autem Domini, penitus est reprobare, iuxta illud, Nescio vos.* Possumus *quoque viam Iustorum, id est, Christum intelligere, qui est caput Iustorum, quem Deus Pater approbat, quia omne iudicium dedit Filio: & similiter approbat qui eum imitatur, vt dicitur, Volo* Pater, *vt vbi ego sum, illic sit, & minister meus: & item, Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ. Iter quoque impiorum, id est, caput eorum, id est, diabolus cum sectatoribus illius,*

Beda in cõment. sup. Psal. 1.

ibunt

Auctor. *ibunt in ignem illum, qui praeparatus est diabolo & angelis eius.* Sic adimpletur Ciceronis decretum, (Cic. in Lælio.) *Improbis poena statuenda est, nec minus ijs, qui secuti erunt alternm, quam qui ipsi fuerint impietatis authores.* Nam & diabolus, qui infernus dicitur, vt ciuis inferni, & peccator, qui mors dicitur, vt habitator in regione vmbræ mortis: & ille suggerens mala, & iste consensiens malis, pari pœna puniri sic (Apoc. 20. 14) decernit Ioãnes, *Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis.* Sed si stagnum ignis describit infernum, quomodo infernus mittitur in infernũ? Respondet Andreas Cæsa- (Andr. Cæs Cappad. Episc. c. 26. in Apocal.) reæ Antistes, *Mortem & Infernum in stagnum ignis coniecta esse, vel illud significat, quod scriptum est, nempe, Nouissimè verò inimica destruetur mors, aut nequam spiritus. Hi enim sunt, qui grauissimam, deterrimamquè peccati mortem concilitant, quorum etiam domicilium est infernus, ad quem amandant omnes quotquot hic sibi obsequentes habẽt, & a Iudice ad ignem condemnantur. Vt enim ciuitas dicuntur, qui illam inhabitant: ita mors quoque, & infernus, qui horum incola, vel caussæ quoque sunt.*

(Bellarm. in Psal. 1.) 245 *Nouit Dominus viam Iustorum. Quia, scilicet, via Iustorum approbatur a Deo, qui falli non potest.* Nouit, *accipitur pro notitia approbationis. Et iter impiorum peribit, Significat viam impiorum frustra esse susceptam, quæ non ducit ad optatum locum. Itaque hic via, no sumitur pro via materiali, sed pro cursu vitæ.* Formidabilis prima (Auctor.) fronte se se auribus offert tuba sic (1. Cor. 9. 24) tonans, *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium:* quomodo enim vnus tantum accipit brauiũ, si Aquila volans vidit turbam magnam beatorum, & palmas victoriæ in manibus eorum? In ea est D. Thomas opinione, vt putet vnum accipere, qui pertinax in cursu perseuerat, sic enim ait, *In cursu* (D. Tho. lec 5. in c. 9. epi. 1. ad Corin.) *spirituali vnus tantum, scilicet, perseuerans, accipit brauium, quia qui perseuerauerit vsque in finẽ, hic saluus erit.* Sed aptius ad propositum respodet Anselmus, *Omnes quidem* (Ansel. hic.) *currunt, sed vnus accipit brauium. Currunt enim Iudæi, currunt Hæretici, currunt nonnulli Christiani, qui ad vitã nõ sũt prædestinati, quia omnes isti in fine premium sperant se adepturos, & ad illud tendunt per vitæ præsentis stadium. Sed vnus prædestinatorum Christianorum populus, qui legitimè currit, accipit brauium: quoniam sola vnitas eorũ, qui sunt corpus Christi, palmam cõsequitur. Et quia non omnes, qui currunt, accipiunt brauium, ideo, Sic currite, faciendo quæ ad cursum pertinent, & vitando, quæ impediũt, vt comprehendatis illud.* De tali autem impio audaci in cursu malo, meticuloso in bono, valet illud quod Valla dicebat, *Hic Myrmicoliones inuenit.* (Valla.) Cùm enim Myrmicolio sit formicaleo, hic primus formicaleones composuit, formica enim est in ingressu per viam virtutis, leo autem in vitiorum aggressu, & ita in eo oraculum impletur, *Myrmicolion perijt: nam iter* (Iob 4. 12. ex Greg. Pap.) *impiorum peribit.*

246 *Et iter impiorum peribit.* (Bradamachius in Ps. 1.) *Idem verbum apud Hebræos, quod in priori parte huius versus positum est, pro via, idẽ per iter* דרך *Derech, & similiter in Græca translatione.* (Auctor.) Sapiens Filius sancti interpretans verba Parentis dum pigri & vias malas, & itinera praua, & errantes discursus, & virtutum odium, & vitiorum amorem describit, sic illum sermocinantem, immo somniantem introducit. *Dicit piger,* (Prou. 22. 13) *Leo est foris: in medio platearum occidendus sum:* Vel cum Chaldæo, (Chaldæus.) *Leo in vijs, & in plateis Sicarij:* & ibi trepidans timore, vbi non est timor, viã virtutis deserit, vel diaboli timens incursus, vel hominũ insidias pauens: vitij autem iter impauidus terit, perditionis semitas indefessus calcat, ad tartareas pœnas perditus ruit. Audiamus Bedã pigri sermocinationem sic referentem. *Dicit sæpe in animo suo is,* (Bed. in c. 22 Prouerb.) *qui ad agenda bona opera piger est, & ad confitendam fidem, quam corde tenet timidus, Non audeo fidem, quam noui, foras profiteri, ne me per-*

secu-

secutor impius, quia fidelem audit, perimat. Timeo ad exercendas virtutum actiones in publicum progredi, ne fortè me vel antiqua hostis aduersitas grauior tentet, vel etiam homo quilibet peruersus derideat, conuitijs confundat, iniurijs afficiat, aut sicut multos Iustorum, qui ab eius vita discordant, tormentis ac morte consumat. Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. Quod est aperte dicere, & verba, & opera virtutum, vbi ostendi foris ceperint, statim persequutio vel hominum, vel spirituum immũdorum insurgit, nec valeo tentationibus obsistere, sed in ipsis boni propositi vincor incaptis. Breuius autem, Glosa & multo & grauius hos timidos his coloribus, hisque vmbris describit affectus. *Dicet piger, ad opera bona, & ad confitendam fidem, quam corde tenet timidus, Non audeo fidem profiteri, ne me persecutor puniat, vel perimat. Timeo ad exercenda virtutum opera in publicum prodire, ne forte me vel antiquus hostis aduersitas grauius tentet, vel quilibet peruersus derideat, conuitijs confundat, iniurijs afficiat, aut sicut alios Iustos consumat tormentis.*

Glosa ordinaria hic in c.22. Prou.

247 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Vide prudentiam Prophetæ, reddit ad principiũ Psalmi, reddens simul rationem separationis Iustorum ab impijs.* Nouit, nõ *de notitia simplici intelligitur, sed de salutari, immo beatorũ est sermo, quia Dominus insipientibus dicet cum fatuis Virginibus, Nescio vos: & de Iustis, Firmum fundamentum stat, habens signaculum hoc*, Cognouit *Dominus, qui sunt eius.* Ex eo nam*que, quòd Deus prædestinauit viam Iustorum, & via impiorum ex se peribit, fiet, quod impij, nec in iudicio discussionis meritorum, nec in congregatione Iustorum, ad cælestem patriam permanebunt.* Non sine causa Moderator Orbis disposuit, vt Iuppiter medius locaretur inter Saturnum, ac Martem: idque factũ est, auctore Beda, *Vt Iuppiter frigore Saturni, & ardore Martis hinc inde tẽperaretur.* Iudex autẽ summus medius stabit inter oliuas & arma, inter premia & pœnas, inter coronas & catenas, & inter cæli dona & inferni damna: vt illa Iustis, hæc tribuat peccatoribus. Sic illum Aquila Volans videre meruit descendentem de cælo, *Amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt Sol.* Quid autem figuratur in nube, qua vtitur pro amictu, nisi arma, tonitrua, fulgura, fulmina, procellæ, & tempestates? Quid vero in Iride, nisi pax, serenitas, triumphales Arcus, atque Coronæ? His ergo Iustos premijs ditat, & ornat: illis impios punit, atque damnat: reddens vnicuique secundum opera eius. Ideo subdit Ioannes, *Et facies eius sicut Sol*: Sol scilicet iustitiæ, inquit Remigius, *Cui Deus Pater dedit iudiciũ, qui que omnia iustè iudicabit. Is ergo ius suum vnicuique tribuẽs, premia pijs reddit atque coronas, impiis autem poenas atque catenas.*

Caiet. in Psal. 1.

Auctor.

Beda in libello de Ratione Compun. cap. 5.

Apocalyp. 10. 1.

Apoc. 10. 2.

Remig. in 4. c. Malachiæ.

248 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum: & iter impiorum peribit. Bonorum viam dixit Dominum nosse, iter autem impiorum perire confirmat: quasi Dominus vtrũque non nouerit. Sed allegoricè dictũ est, vt hoc sciat* Dominus, *quod in beatitudine permanebit: hoc nesciat, quod peribit.* Nam *& ipse dicturus est in iudicio suo peccatoribus,* Ne*scio vos. Quia si hoc ad litteram velis aduertere, quomodo ignorare poterit, quos creauit? Sic & Ad[a] locutus est post peccatum, Vbi es Adam?* Nõ *quia* Deus *in paradiso eum esse non nouerat, sed indignus diuinæ cognitionis, eo quod ceciderit increpatur. Iter impiorum peribit, Nam sicut beatorum via est Dominus: ita peccatorum iter diabolus esse cognoscitur, qui sine dubio peribit, quando cũ sequacibus suis æterna poena damnabitur. Via autem dicitur, quòd per eam vnusquisque transeuntium viatur: Iter, quasi, iter actus, quod agẽdo iteratur. Quod tamen vtrumque pro locorum qualitatibus reperis esse variatum. Nam & viam peccatorum superius dixit: & iter in bono positum est, sicut ait in alio Psalmo, Et illic iter est, in quo ostendam illi salutare Dei. Item Isaias*

Cassiod. super Ps. 1.

Pro

Propheta dicit, Principium Sion dabo: & Ierusalem consolabor in itinere. Hic, iter in malam sumitur partem, via in bonam. Iusti enim per hanc viantes viam, *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cùm ambularent:* Gregorio dicente, *Quòd electi quique sic ad bona tendunt, vt ad mala perpetranda non redeant, Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: nam Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectum diem. In eorum namque animis bonum desiderium, atque intellectus lucis intimæ, iam pars diei est: sed quia vsque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad regna cælestia perducti, in ea luce, quam desiderant, iam minus aliquid non habebunt.* Econtra pro impijs iter in malū sumitur, est enim quod agendo iteratur: & est illud, de quo anima peccatoris, per Ieremiam ita increpatur, *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas* Vbi Eligius hanc iterationem damnat exemplo eius, qui modo ad lauacrū, modo ad volutabrū recurrit: modo peccata plangit, & modo ad plangenda redit: sic dicens, *Sicut lauatur, & non est mundus, qui plāgit quæ gessit, nec deserit: & post lacrymas ea, quæ fleuerat, repetit: Sic animam pœnitentem, atque iterum delinquentem sermo diuinus increpat dicēs, Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.*

Auctor.
Ezech. 1.12.
Greg. Pap. lib.1.sup.Ezech.ho.5.
Ierem.2.26.
Eligius Niuioconensis Episc. lib.ō de filio prodigo.

248 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Non dixit, inquit, disperdet peccatores, sed viam ipsorum, hoc est, eorum actionem. Non enim auersatur naturam, sed odio habet vitium. Sibi similis Dauid, Iter, inquit impiorum peribit.* Sicut apis & aculeo armatur, quo amaricat, & pungit: & mel meditatur, quo indulcat, & vngit: & sicut medicus odio habet morbum, amat ægrotum: Ita & iustus Iudex aculeo odij peccatum & pungit & punit: & melle amoris naturā indulcat & seruat: vnde à Deo edoctus dicebat homo secundum cor Dei, *Perfecto odio oderam illos.* Vbi Augustinus nunc quærit, *Quid est perfecto odio?* Nunc respondet, *Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, vt nec propter vitia homines diligas. Vt hoc in eis oderis, quod iniqui sunt: hoc diligas, quod homines sunt.* Ita ergo naturæ Author in peccatoribus non auersatur naturam: & mali Vindex vitiū sic odio habet, vt non malos homines perdat, sed iter malorum.

Chrysost. in Cat. Græca
Auctor.
Ps.138.22.
Aug. in En. sup. Ps.138.

249 *Et iter impiorum peribit. Impiorum studia perditioni vnà cū operarijs tradentur.* Discrepare videtur ab Aureo ore Diodorus, dū ille Conditorem naturæ decernit non auersari malorum naturam: & iste etiam operarios malorum asserit tradi perditioni. Sed mirum non est duos aureos calamos describere tale discrimen, cùm ab eodem Salomonis stylo vtrumque scribatur, dum hinc legimus, *Diligis omnia, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*: & indè, *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Concordat autem Cantachuzenus discordes scripturas, his verbis, *Quemadmodum qui honesta agunt, quibus artibus ad hæc agenda excitātur, eæ quoque artes celebrantur, vt si medicus medicinæ præclarè vtatur, vel fabrili artificio faber: Ita cùm aliqui deterioribus rebus addicti sunt, ea quibus deprauati sunt, vnà cum ipsis vituperantur. Quo igitur pacto, peccati & impietatis faciunt Hæretici authorem Deum, qui nihil odit eorum, quæ fecit, nec aliquid odiens constituit? Amat in impio naturam, & idcirco, dum puniendo eam, abigit, amorem suum declarat: amat hominem, vt artifex fabricam: sed odit opera mala, quibus fabrica vrgetur in lapsum, & cogitur in labinam. Et quia mala opera odit, malorum operum non potest amare factorem.*

Diodor. in Cat. Græca.
Auctor.
Sap. 11. 22.
Sap. 14. 9.
Cantacuz. hic.

250 *Nouit Dominus viam Iustorum, approbando, & in eis sibi complacendo: & iter impiorum, id est, ascendentium malorum angelorum, quando ad similitudinem Dei eleuare voluerunt thronum suum, peribit, id est, numquam adipiscetur,*

Dion. Cart. in Ps. 2. In explan. iuxta sensum litteralem.

quod

Auctor.

quod adipisci optabant. Hinc illorũ Principi atque Duci hironicè improperabat Isaias, *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* Bernardus expendens nomen Luciferi, ex eo colligit, quod in veritate non stetit. Si enim Isaias Seraphim vidit super solium stantes, Seraphim autem ardens, vel incendens interpretatur. quid mirum si ille, miser, qui vt Lucifer lucẽ habuit, ardorem tamen non habuit, in veritate non stetit? Et si Lucifer in ortu matutino, vt mane transit, & lucem amittit apparente Sole; en ipse ante Solem iustitiæ & cadit, & nõ adiiciet, vt resurgat. Audiamus Bernardum & Luciferi nomen interpretantem, & cum Lucifero sic loquentem, *Quid festinas mane oriri Lucifer? Quid gloriaris super sidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Breuis omnino erit gloriatio tua. Sequitur Sol iustitiæ, quem te esse vana æmulatione iactabas, cuius feruore pariter & splendore ad nihilum redactus omnino dispareas. Frustra quoque speras venturum in fine sæculorum Dominum, tamquam veri Solis ortum in damnato illo, quem assumpturus es homine præuenire & extolli super omne quod dicitur, aut colitur Deus: quia & tunc aduentus eius illustratione penitus destruetur.*

Isaias 14.12

Bern. ser. 3. de verb. Isa.

251 *Quoniam nouit Dominus viam iustorum. Docet neminem posse Deum latere. Alibi etiam ait, Nouit Dominus viam immaculatorum: itẽ alibi, Nouit Dominus eos, qui sui sunt. Nam, cùm vt alibi dixit, Ipse sit via: necesse est, vt omnes videat, qui per ipsam, id est, per mandata eius incedunt. Peccatores verò quãquàm non minus nouerit, quàm Iustos: tamen veluti cognitione sua indignos, ignorare simulat. Hac ratione, cùm peccasset Adam, interrogauit, Vbi esset: quod obseruauit etiam in Cain, & in multis aliis. Et iter impiorum peribit. Virtutes Iustorum permanent, veluti eorum diuitiæ quadam, ac Corona. peruersa autem impiorum scelera, atque actiones delebuntur, atque inanes reddentur. Actiones enim, itineris nomine, iterũ expressit.* Hinc maximam differentiam cernere licet inter Piorũ nomina, & impiorum. Illorum nomina in æternum viuent, horum in sæculum sæculi peribunt. Illorũ scripta sunt in cælis, & hinc Rex cæli Discipulos solabatur, *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis:* & notante Beda. *Salubriter intelligendum est, quòd siue cælestia, siue terrestria quis opera gesserit, per hoc quasi litteris annotatus apud Dei memoriam sit æternaliter affixus:* istorum è contra, in terra iacent scripta, & a libro viuentium sunt deleta, sic Basilio obseruante, *Quidam autem sunt, qui scribuntur quidem non in vita, sed secundum Ieremiam in terra, vt secundum hoc intelligatur duplex quadam descriptio, horum quidem ad vitam, illorũ ad perditionem.* Quod *autem dicitur,* Deleantur *de libro viuẽtium intelligitur de his, qui digni putabantur in libro Dei conscribi. Et secundum hoc fieri dicitur scriptura mutatio, quãdo à virtute delabimur in peccatum, vel è contrario.* En, quàm nominũ vel lamentanda, vel celebranda mutatio: celebranda cum à peccato vehitur ad virtutem: lamentanda, cùm à virtute labitur in peccatum: per hunc in terra per illam nomina scribuntur in cælo: æterna viuunt per istam, immortalia pereunt per illam.

Euthy. sup. Psal. 1.

Auctor.

Luc. 10. 20.

Beda hic.

Basil. relatus à D. Th. in Catena aurea. sup c. 10. Lucæ.

252 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Verbum noscendi apud Hebreos, pro curam gerere, & recognoscere sumitur, Dominus probat, gratam habet, curat, recognoscit, id est, bene fortunat, numerat viam, viuendi rationem studia, opera Iustorum. De notitia non simplicis intelligentia, sed beneuolentia & approbationis, de qua Apostolus, Cognouit Dominus qui sui sunt. Impii autem cum sua viuendi ratione peribunt, & infelicem exitum consequẽtur. Abibunt impii in interitum sempiternum, ad perniciem æternam peruenient, tollentur de medio infeliciter, per metonymiam. Vel, vt nuda sit methaphora iter, id est, viuendi ratio, modus, actiones, cogitationes, studia, conatus vniuersi im-*

Genebr. super Ps. 1.

piorum peribunt, id est, plene dele buntur, non modo non perturbabuntur, non modo suos fines non assequuntur, non modo euanescent sine fructu, verum etiam luctuosum exitum consequentur. Discrimen hoc descriptum inuenies in duobus diuersis Paradisi lignis, in ligno vitæ immortalitatis fonte, immortale Iustorum premium: in arbore scientiæ boni, & mali, mortalitatis origine, immortale impiorum supplicium. Non meum est, sed Mosis Barcephæ decretum, sic enim statuit, *Cum soleat quæuis lex duabus fere muniri rebus; pena, scilicet, denuntiatione, & premij pollicitatione: pro cohortando Adamo ad obsequendum legi, vocata est arbor illa Arbor vitæ: vt quantum mortis nomine à rebellando deterretur, tantū vitæ vocabulo ad parendum impelleretur: eaque gratia, premium quoque planè ex aduerso poenæ responderet ceu morti.* Sic vitæ fructum Pij ex planta obedientiæ legunt, & mortis fructum impij ex planta inobedientiæ colligunt, nam iter impiorum peribit in æternum.

Auctor.

Moses Barcephæ par. 1 de Parad. cap. 20.

253 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, id est, vt suam approbat. Et iter impiorum peribit. id est, non nouit. Sed planius dicitur, quia hoc est nescire, quod perire: & scire, manere & esse.* Aduocetur pro causa hac Philonis doctrina, qua scientiæ lumen animæ oculū esse demonstrat, dum dicit; *Scientia visum auditumque prabet.* Cum ergo scientia Dei sit causa rerum, & eadem scientia sit oculus Dei; quid mirum non esse, quod ipse nec nouit nec videt: & esse illud, quod ipse videt, & noscit? Pereat ergo iter impiorum, quia Mundi sūt oculi Dei ne videant eorum malum: æterno tempore viuat via Iustorū, quos Deus nouit scit, videt, prouidet, amat, *Oculi enim Domini super Iustos.* Vnde Ambrosius, *Si apud nos oculis iudicium committitur, quibus simul & gratia venustatis, & rerum mensura comprehenditur: quanto magis Deus omnia, quæ probat, vidit, & quæ videt, probat, secundum quod scriptum est, quia Oculi Domini super Iustos?* Impios autem nescit, non videt, nō approbat, non probat, vnde & illorum iter in æternum peribit.

Glosa interlinearis super Ps. 1.

Auctor.

Philo Heb. in lib. de Temulentia.

Ps. 33. 16.

Ambr. lib. 1. Hexam. c. 9.

254 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Ideo impij & peccatores non resurgent, quoniam non nouit Dominus iter eorum. Et huius antecedētis consequens ponit. Et iter impiorum peribit, id est, mala opera eorum ad damnationem æternam illos deducet.* Ex malis, vel bonis operibus, vel perditio pendet, vel salus. Ea lege, qua salus, vel perditio Ephraitarum in transitu Iordanis, pendebat à pronunciatione Scibboleth, vel Sibboleth nam Galaaditæ custodes fluminis, dicentes Sibbolet, iugulabāt: dicētes Schibbolet liberos emittebant: eodem statuto mortales in transitu Iordanis, id est, in hora mortis, nam Iordanis interpretatur, Riuus Iudicij, si spicam operibus plenam pronūciant, liberi emittuntur: si vero spicam paleæ, & operibus vacuam ostentāt, iugulantur. Non est mea, sed Lyrani interpretatio, qui sic intonat. *Per Galaditas, qui aceruus testimonij interpretantur, confusibiliter debellantur. Per aceruos vero testimonij dicta sacra Scriptura significantur, per quæ prædicti viles & confusibiles declarantur: & in transitu Iordanis, id est, mortis, iugulo mortis æternæ iugulātur. Quod autem per Iordanis transitum mors significetur, patet: quia Iordanis. Riuus iudicij interpretatur. Totus vero decursus vitæ præsentis est quidā defluxus vsque ad transitum mortis, qui est particulare iudicium hominis. Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie. Causa verò dictæ iugulationis est, eò quod in fine vitæ non possunt dicere Sebibboleth, id est, spicam, quæ absolutè sumpta significat spicam granis bonis plenam, per quā signantur opera bona, quorum defectum patiuntur. Sed dicere possunt Chebboleth, quod interpretatur spica paleæ, quæ secundum veritatem dici possunt spicæ plenæ paleis vanitatis, & cenodoxiæ.* Sic, sic sola fides spica foecunda, & granis operū plena in-

Haim. sup. Psal. 1.

Auctor.

Iudicum 12. 6.

Nic. de Lyra in c. 12. Iudicum.

ter gladios tuta, homines saluat, transitum aperit, à morte liberat: at fides sine operibus, quasi paleę spica, mortua est, nec potest à gladijs inimicorum saluare. Ita Zeno asserit, ita salutis iter tutum, hac duce demonstrat,

Zeno Episc. Veron. ser. 3. de Abraham.

Sola fides inter gladios tuta, inter feras amica, in ignibus frigida, sola fides praeferenda, id est, operibus ornata, qualis fides Abraha. Mutabis verbum, *Praeferenda*: in Proferenda, si enim hanc profers fidei spicam, eamque plenam, Iordanem mortalitatis liberè transis, & ad immortalitatis palmam victor perueenis.

Hilar. sup. Psal. 1.

155 *Quia cognoscit, inquit, Dominus viam Iustorum, & via impiorū peribit. Consilium Iustorum, idcirco peccatores non adeunt, quia viam Iustorum* Dominus *cognoscit. Cognoscit autem, non ignorationis scientia, sed dignatione noscendi. Neque enim hac in Deo passionum humanarum damnatio est, vt aliquid aut cognoscat, aut nesciat. Beatus Apostolus Paulus, qua ratione à Deo cognosceremur exposuit, dicens, Si quis est in vobis Propheta, aut spiritualis, cognoscat quae scribo vobis, quia* Domini *sunt: si quis autem non cognoscit, non cognoscetur. Eos ergo noscendos à* Deo *ostendit, qui quae Dei sunt cognouerint: tunc cognoscendi, cùm cognouerint, dignationem scilicet cognitionis per meritum religionis cognita consequenter: vt quod cognoscitur, non ignorantis profectus intelligatur esse: sed cogniti. Absolute autem Dominus ostendit in Adam atque Abraham peccatores se ignorare, cognoscere autem fideles. Namque Adae post peccatum dictum est, Vbi es Adam? Non quod Deus, quem adhuc in paradiso habebat, in paradiso esse nesciret: sed quòd dum, vbi sit, interrogatur, indignus cognitione Dei, per id quod peccauit, ostēditur. Abraham ante diù ignoratus, scilicet ad quem septuagenarium Dei iā sermo fuit, cùm se per oblationem Isaac fidelem Domino probasset, tali in diuinam familiaritatem dignatione suscipitur, Nunc cognoui quia times Dominum* Deum *tuum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Non ignorabat vtique Abraha fidē, quam à degenerādo Isaac credenti, & ad iustitiam deputauerat: sed qui magnum timoris sui dederat filium offerendo documentum, nunc cognoscitur, nunc probatur, nunc dignus est qui non ignoretur. Sic itaque Deus & agnoscit, & nescit, cùm Adā peccator nescitur, & Abraham fidelis agnoscitur: dignus scilicet, qui à Deo nihil vtique ignorāte noscatur. Cognita ergo est Deo Iustorum, non iudicandorum via: & idcirco peccatores, qui iudicandi sunt, ab eorum consilio submouentur. Impij autem in iudicio non resurgent, quum deperdita eorum via, iam fuerint iudicati per eum, qui ait, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*.

Auctor.

Hinc Abrahæ Deo obediēti in prompta immolatione vnigeniti, ac amati filij, dictum est,

Gen. 22. 12.

Nunc cognoui quod timeas Deum. Si tamē vera est Ambrosij doctrina,

Ambro lib. de Noè, & Arca. c. 4.

Neque enim Deus *cogitat sicut homines, vt aliqua ei noua succedat sententia*. & si ab æterno omnia nouit: quomodo dicere potest, Nunc cognoui? Metonimia est, qua causa ponitur pro effectu, vt Glosa docet,

Glosa inter lin. in c. 22. Genes.

Nūc cognoui, id est, cognoscere feci te. Similiter in sequentibus dicitur, Vocauit nomen loci illius. Dominus *videt, id est, videri fecit: significans per efficientem id quod efficitur, vt frigus pigrum, quod pigros facit*. Id ipsum breuius intonat, & Lyranus,

Lyr. in c. 22. Gen.

Nunc cognoui, id est, alios cognoscere feci. Quærit autem acutè Abulensis, Quomodo fecit hoc cognosci ab alijs, cùm nullus hoc viderit, nisi Abraham, qui hoc agebat, & Isaac qui ad patiēdum hoc paratus erat? Respondet,

Abulens. in c. 22. Genes.

Quod Deus dedit cor credulum omnibus Gentibus *in circuitu, vt cum Abraham, & Isaac ista recitarent, omnes firmiter assentirent*. Cognoscere autem fecit Deus in figura figuratum, in vmbra lucem, in pictura viuum exemplar, in vnigenito Abrahæ Vnigenitum Dei. Hinc Augustinus, & quidem bellè, sermocinationem refert, qua sic blandè Pater luminum Patrē alloquitur cunctarum

Aug. ser. 73. de tempore.

Gentium, *Pater deuote Pater, ecce spirituali præsagio meum præuenisti consilium, quod enim paraui pro toto mundo, tu iam deliberasti in filio tuo: quod in Vnigenito meo disposui, tu in tuo unico perfecisti*. Sicut Zelotes pictor in secreto cubiculo, & sub cæco velo, vel telam, vel tabulam artificiosè depingit: sed eam quam solus cognouit, omnium oculis exponit, expleto iam opere, agno scendam: Ita & Deus depinxerat iam ab æterno perfectam obedientiæ Ideã, perfectamque figuram in Abrahæ tabula, quam sub carnis velo in proprio filio in medio annorum viuificaturus erat Nouerat illam solus, nec alijs patebat, est enim, *Notum à sæculo Domino opus suum*. Vt autem etiam alijs figura redderetur nota, illam in Montis theatro declarauit Angelis, cælis aperuit, hominibus manifestauit, & sibimetisi expertam fecit, dicens, Nunc cognoui, & nunc cognoscere feci, quòd timeas Deum, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me. O illustre spectaculum, o illustres spectatores, & Dei notitia, & cælestium, ac terrestrium oculis dignum. O illustris Abraham, ò illustris Isaac, ò digni Dei notitia, & de quibus dicatur, Nouit Dominus, approbando, & approbauit noscendo, viam Iustorũ. Vos autem impij, bis mortui, eradicati, flammis vltricibus, addicti, & notitia indigni, en vestrum iter & nomen in æternum peribit.

Auctor.

Actu 15. 19.

Hug. Card. sup. Ps. 1.

256 *Nouit Dominus viam Iustorum: per approbationem. Omnia quidem nouit per scientiam, sed non per beneplaciti approbationem. Viã enim impiorum sic non nouit, Vnde sequitur, Iter impiorum peribit, quia Dominus illud non approbat, sed reprobat*. Sortem finxit Euripides, *Anima filiam, quaquò diuiti aut illustri non contribuens honorẽ præcipuum, pauperem abiectumque surrigit*. Nec magis ad viuũ poterat depingere electorum, & reproborum varias sortes, quæ ab animabus eorum, vel benè, vel malè operãtibus genitæ sunt, bene enim operantes approbantur: reprobantur autem, qui operantur male, & ex sententia Ecclesiastici, *Anima nequam disperdet, qui se habet, & in gaudium impiorum dat illum, & deducet in sortem impiorum*. Vbi varias sortes sic explicat Hugo, *Anima superbi, qui non est quis, quia ab ea, Qui est, seperatus est. Disperdet eum, qui se habet, id est, possessorem suum, vel potius custodem suum. Nequitia enim, propter quam simul corpus redditur in inferno, ab anima est. Et in gaudium inimici dat illum, id est, diaboli, non quod diabolus gaudeat vnquam, sed dicitur in gaudiũ, quia in hoc impletur desideriũ eius. Et deducet in sortem impiorum, id est, in æternam damnationem, quam sortiti sunt sibi partem, Hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Sicut æterna gloria dicitur sors bonorum, de qua Psalmus, In manibus tuis sortes meæ. Vtraque dicitur sors, sicut ad modum sortis, sine personarum acceptatione datur ei, qui dignus est, hoc, vel illud*, Hæ autem sortes non casu accidunt, sed à diuini iudicii notione distinguntur, & ab illo diuiditur, hinc sors Iustorum, & inde impiorum, secundum Ecclesiæ Lugdunẽsis decretum, quo ita statuitur, *Per sortem, diuini Iudicij dispositio rectè intelligitur, dicente Salomone, Sortes mittuntur in sinũ, sed à Domino temperantur. Et omnipotẽs Deus duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei, id est, omnium electorum: & alteram cunctarum gentium, omnium videlicet reproborum. Et vtrasque partes Iudicij sui sorte distinxit, vt alij essent in partes sortis Sanctorum, alij vero in partes sortis impiorum. Esse etenim duas sortes, id est, sortem Sanctorum, & sortem impiorum, apertè Scriptura nos docet, cùm dicit Apostolus de prima, Qui dignos nos fecit in partẽ sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, quæ est vtique sors populi Dei. Et de altera in libro Ecclesiastici legimus, Anima nequam disperdet eum, qui se habet, & in gaudium inimici dat illum, & deducet illum in sortem impiorum, manifestè*,

Auctor. Euripid. apud Rhodigin. lib. 27. lect. antiqu. cap. 22.

Eccli. 6. 4.

Hugo hic.

Lugdun. Eccles.

scilicet, reproborum.

Iansen. sup. Psal. 1.

257 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Ob eam verò causam intenti legi diuinæ in perpetuum florentes, ac beati erunt: improbi vero sempiternis supplicijs cruciabuntur, quoniam* Dominus *Deus modum viuendi Iustorum, singulariter amat, eumque cura habet, dirigit, & approbat. Et iter impiorum, peribit, institutum autem impiorum simulcū impijs peribit, quando sublatis de medio impijs emarcescere faciet Deus omnem eorum gloriā, perdetque omnes eorum cogitationes, studia, & actiones.*

Auctor.

Naturæ Mystes dispositionem naturæ admirans, dicebat, *Cùm innumerabilia dederit mortis signa, salutis securitates nullæ sunt.*

Plin. lib. 7. c. 51.

Ast, maior datur nobis materia, & causa, non admirationis, sed timoris, circa æternæ salutis negotium, nunc dicente Prospero, *In remotissimo ab humana cognitione secreto præfulicis huius electionis abscondita est: & de nullo ante ipsius finem pronunciari potest, quod in electorū gloria sit futurum:* & nunc asserente Bernardo, *Propositum Dei super illos manet immobile, & misericordia Dei ab æterna, & vsque in æternum per glorificationem: similiter, & in reprobis terribilis est super filios hominum, & vtrinque stat fixa sententia æternitatis, & in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt: Sed nescit homo vtrum sit dignus amore, an odio.*

Proper. lib. 2. de vocat. gent. c. vlt.

Bern. serm. 2. de Ascen. Domini.

Vis ergo aliquod signum, vel lætum æternæ salutis, vel mæstum secundæ mortis? Si in lege Domini ambulas, & iustitiæ vias tenes, ad vitam tendis: si vero exlex viuis, & male viuis, ac iter teris impietatis, tendis ad mortem: te enim cœcum cęco ducente duce, fouea excipit. Ille autem à legis luce ac Duce, sic inuitatur exemplo, inuitatur & voce, vt ambulet per vias vitæ, *In vijs iustitia ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Et voci harmonicæ sic additur Lyræ sonus, *In vijs iustitia ambulo, id est, ambulare facio: in medio semitarum iustitia, quia virtus consistit in medio. Vt ditem diligentes me diuitijs spiritualibus, quæ sunt thesari veri.*

Prou. 8. 20.

Lyran. hic.

Sicut datur pulchritudo vera, & non vera: Ita diuitiæ veræ, spirituales sunt: non veræ corporales. Has Chrysostomus cum meretrice deformi ex natura, sed ex arte formosa sic componit, *Sicut plerumque meretricis vultus, cùm fœdus & turpis est per naturam, fucis & coloribus pigmentarijs prostituitur ad decipiendos eos, qui ignorant, quanta fœditas sub velamine fuci illius contegitur: ita & diuitiæ faciunt.*

Chrysost. in hom. de diuitijs & paupertate.

258 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Ideo Iusti sunt beati, quia viam illorum, id est, opera illorū Deus nouit, id est, approbat, & sibi placent. Sed iter impiorum peribit, quia illos Deus non nouit, id est, non approbat, nec sibi placent. Opera enim Iustorum, non solùm dicuntur bona, sed digna merito: quia Deus approbat illa. Sed malorum opera nō approbat, quia illa sunt mala. Et hinc omnibus operibus sine caritate, vel Dei amore factis, non premium, sed pœna debetur.*

Incognitus sup. Psal. 1.

Si pauper lapidē philosophicum, quasi cæleste donum inueniret, quo vile metallū conuerteret in aurum: nonne ex se pauper, ex philosophico lapide sic diues euaderet, vt diuitem quēlibet sine illa, pauperem æstimares? O lapis, non philosophicus, sed theologicus, o amor de cęlo delapsus, vt Iustorum repleas thesauros. Is qui te habet, etsi ex reliquo pauper, diues est: qui te non habet, etsi ex reliquo diues, pauper est, de quo ęnigma Salomonis verificatur, *Est quasi diues, cùm nihil habeat: & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Si vis Oedipum qui hoc dissoluat ęnigma; adhibe Augustinum, is enim dicit, *In caritate, pauper est diues: sine caritate, diues est pauper.*

Auctor.

Prou. 13. 7.

Aug. de laudibus caritatis.

259 *Nouit, id est, amat, iuxta dictum Moysi, Noui te super omnes.* Errarunt Poetæ amorem depingentes oculis orbatum, fingentes cęcum, cum plures habeat oculos, quàm Argus: acutiores, quàm Dorcas: corrigit illorum errorem regius Propheta, qui verum Deū

Ioan. Dam. in cat. Græca.

amantem describere volens, scribit noscentem. Nouit, id est, amat, quia vt docet Chrysologus, *Semper amoris oculus acutius intuetur*. Et vt quidam cecinit, *Quid non sentit amor? primi vidistis amantes*. Hac forte de caussa Gallus, qui dormientes excitat, humani cordis nomine appellatur, vbi enim nos legimus, *Quis dedit gallo intelligentiã?* Pagninus vertit, *Quis dedit cordi intelligentiam?* Et pulchrè quidem gallus cor dicitur, quia de ipso scite inquit Philo Carpathius, *Hic est enim primus ille animi affectus, qui cunctis animabus insertus est a natura, quique omnia docet ac monet.*

Chrysolog. serm. 78. de sepe. Christi manifest.

Iob 38. 36. Pagninus.

Philo Carpathius in c. 8. Canticor.

260 *Nouit Dominus viam Iustorum. Sinodoche est, quia ex eo quod præcedit, id quod est consequens intelligitur, cognitionem enim solet amor consequi. Iter vero impiorum peribit, quoniam scelera impiorum bominum finem habebunt, quando Dominus viã Iustorum, hoc est, cõuersationem optimam agnoscet, atque æterna munerabit vita.* Obseruabat Origenes notũ discrimen inter populum priorẽ ex circumcisione reprobatum: & secundum, ex Gentibus congregatum, vt hereditatem consequatur æternam: in illis dignoscens & Iustos, & iniustos, hi enim hereditate priuantur, illi in hereditatem introducuntur. Introducuntur quidem, non à Moyse, vel Iosue, sed à Iesu, qui terræ promissæ portiones, non temerè, sed consultè, ac præuio examine distribuit electis. Sic ergo ait, *Et Moyses hereditatem non dat in clero, nec sorte distribuit, nec potest per plebes, & domos, ac familias, & nomina, & merita singulorum diuina sorte pensare, hoc solus facit Iesus: cui omne Iudicium Pater tradidit, ipse scit quomodo populum suum non modo per tribus, & familias, & domos, verùm, & per nomina vnumquemque digna & competenti mansione dispensit.*

Isidor. Clar. in Psal. 1.

Auctor.

Orig. hom. 21. in Num.

261 *Quoniam nouit Dominus viã Iustorum. Hæc est caussa, cur Iusti, qui non abeunt in via impiorum, in via peccatorum non stant, in cathedra pestilentia non sedent, sed qui legi vacant diuina, perpetuò beati futuri sint: improbi verò, qui contraria faciunt, perpetuis cruciandi pœnis, quia Deus Iustorum viuendi modum amat, approbat, curat: at verò institutum reproborum simul peribit cum ipsis: & eorum Deus gloriam, studia, actiones perdet. Nouit Dominus viam Iustorum. Notitia diuina tametsi se extendat ad omnes etiam improbos, Nouit enim Dominus cogitationes hominum, quoniam vana sunt: tamen vt approbationem includit, & familiaritatem, solos respicit probos.* Cuilibet horum amator Iustorum dicit, Noui te ex nomine, horum nomina vocat, qui nominum reproborum nec memor est per labia sua. Quærit Theophilactus, cur eodẽ die, quo puer circumcidebatur, nomen etiã illi imponebatur? immo cur circumcisio antecedebat nomen? Respondetque, & bene, *Quia prius suscipiendum est signaculum Dei, & tunc humanum nomen. Seù quia nullus, nisi prius abijciat carnalia, dignus est, vt nominetur miles Dei, & in libro Calorum scribatur nomen eius.* Sic Diuus Paulus, cùm primùm carnis operibus renuntiauit, veteri nomine deposito, nouum accepit, vt sub nouo duce Christo Domino deinceps militare crederetur. Vnde Chrysostomus, *Quemadmodũ Dominus, qui seruum mercatus est, ostendere volens se Dominum serui, nomen illius immutat: Ita & Spiritus sanctus facit, vbi Paulum captiuũ accepit, vocabulum eius mutauit, vt etiam inde disceret Paulus se habere Dominum.*

Lorin. sup. Psal. 1.

Auctor.

Theophilactus in c. 1. Luca.

Chrysost. hom. de Cõuers. Pauli.

262 *Quoniam nouit Dominus viã Iustorum. Id est, progressum eorum per viam præsentis vitæ, notitia approbationis. Viam autem peruersorum nouit notitia reprobationis. Ideo subditur, Et iter impiorum peribit, quia iter eorum per viam præsentis vitæ in mortem terminatur ad damnationem animi, & in futuro iudicio ad damnationem animæ simul & corporis terminabitur. Et sic omnino peribunt peruersi, absque spe redeundi.* Hos terminos Anna statuens, ita canebat, *Dominus iudicabit fines terræ*. Vel ex Septuaginta versione, *Dominus iudicabit extrema terræ*: & ex

Lyran. sup. Psal. 1.

Auctor.

1. Reg. 2. 10. Septuagita.

Au-

Augu.tract. 112. in Ioã.

Augustini explanatione, *Intelligitur extrema terræ extrema hominis, quoniam non iudicabuntur quæ in melius, vel deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur.* Ad hoc respiciebat Iob dum statuebat, *Lumen illius super terminos terræ.*

Iob 37. 3.

Hos autem terminos Decretum Pontificium sic firmat, *Quia anteactam vitam Deus non iudicat, quando posteriora peccatorum respectu superna pietatis illustrat. Hinc Moyses ait, Primogenita Asini mutabis Oue. Per asinum quippe immunditia, per ouem vero innocentia designatur. Asini ergo primogenita oue mutare est, immunda vitæ primordia in innocentiç simplicitatem conuertere: vt postquam illa peccator egit, quæ vt immunda Dominus despicit: ea iam agẽdo proferat, quę Dei sacrificio imponat. Quia ergo post praua opera peccator conuertitur, & ab actionum suarum tenebris iuxta finem aliquando reuocatur, rectè nunc dicitur, Et lumen illius super terminos terræ.* O terque, quaterque beati, qui in termino vitæ hoc lumine ditigentur in viã pacis.

Greg. Papa lib. 27. mor. c. 11. vel 14.

Niceph. in Cat. Græca.

263 *Quoniam nouit Dominus viã Iustorum, quod Græce ὅτι dicitur interim est redditio causæ, vt hoc in loco. Interim affirmatio quędam est, & ponitur pro vero. Nonnumquã autem narrationis quidam modus est, & vacat. Illud autem, Nouit hoc significat domesticos suos, & notos facit, inuisit, honorat. Et iter impiorum peribit, id est, impiorum actiones delebuntur.*

Auctor.

Hæc oppositio inter impium, & Iustum à Salomone apertè desumpta apparet, *Non contristabit Iustum quidquid acciderit ei: impij autem replebuntur malo.*

Prou. 12. 21.

Si autem cum Hæbreo legas, *Non tanget Iustum*: nonne hoc priuilegium simile illi Ceruæ Augusto sacratæ, cum inscriptione, *Noli me tangere*: nouum videbitur, cùm Apostolus ex opposito dicat, *Sancti per fidem secti sunt, in occisione gladij mortui sunt*, nam quomodo non tacti, si occisi, & secti? Dici posset Iustum imitari Anaxarchum, & sicut iste Tyrannum illudens, dicebat, *Tunde, tunde pellem Anaxarchi, Anaxarchũ enim non tundis*: ita & ille, ex Bernardo, *Exul à corpore, dolores non sentit corporis, neque hoc facit stupor, sed amor. Vbi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus patentibus ad introeundum. Turris enim fortissima nomen Domini, ad ipsam currit Iustus, & exaltabitur*: Vel cum Tigurina, *Extra telorum iactus est. Sed si opponas numquid non feritur? non pulsatur? numquid non patitur fortunæ tela? Ita quidem, sed non refert, quam multa in ibi conijciãtur sagittæ, & volatilia cùm nulli penetrabilis illa sit.* Et ex Isidoro Pelusiota, *Timoribus periculis, ac denique omni mutatione superior est, non quod nihil patiatur, hoc enim fortasse fieri nequit: sed quod multo maius atque admirabilius trophæum efficit, quia ea impetum facientia, & volitantia tela mitis contemnat.* Quod autem Isidorus & cælesti luce, & fide duce cognouit: cognouit & Seneca rationis tantum ductu, naturæ ducatu, sic enim philosophatur, *Quid igitur? non erit aliquis, qui Sapienti tentet facere iniuriam? Tentabit, sed non peruenturam ad eum: maiore enim interuallo à contactu inferiorum aductus est, quàm vt nulla vis noxia vsque ad illum vires suas proferat. Etiam cùm potentes, & imperio editi, & consensu seruientium validi nocere ei tentent: tam circa Sapientem omnes eorum impetus deficient, quàm quæ neruo tormentisue in altum exprimũtur, cùm extra visum exilierunt, citra cęlum tamen flectuntur.* Ita moralis Philosophus, & quidem bellè, pulchra sunt autem præcipuè vel verba illa, *A contactu inferiorum aductus est*: quæ si Glosam dixeris verborũ Salomonis, *Non tãget Iustum*: vel illa, *Citra Cælum tamen flectuntur*: quæ si eadem cum ijs dixeris, *Extra telorum iactus est*: à scopo veritatis, si mea non errat opinio, tu non errabis. Si autẽ idem Annæus breuius conclusit omnia, dicens, *Talis est Sapientis animus, qualis mũdi status super Lunam*: Ibi enim habitantes, Plutarcho si præstatur fides, *Quomodo Achillem, Minerua nu-*

Hebræus.

Ad Hebr. 11. 37.

Anaxarch.

Bern. serm. 61. in Cant.

Prou. 18. 10

Tigurina.

Isidor. Pelusiota lib 3. epist. 352.

Senec. lib. Quod in sapientem nõ cadit iniuria c. 4.

Senec. in epist. 59.

Plutarch. in

trimen-

Opusc de fa cie orbis Lunæ. *trimentum respuentem, nectare & ambrosia instillatis, aluit: ita Lunam quoque, vt quę Minerua dicitur, atque est, quotidie ambrosiam exhibendo, istos homines nutrire, quemadmodum ipsos deos Pherecydes ille priscus pasci putauit*: quid de Iusto in cælo conmorante dicet Augustinus? *Calcari non potest nisi inferior: sed inferior nō est, qui quamuis corpore multa in terra sustineat, corde tamē fixus in cęlo est.*

Augusti. lib. 1. de serm. Dom. in mōte c. 6.

Orig. hom 13. in c. 9. Iesu Naue. 264 *Laebis interrogatur iter: Iter autem & laudabile, & culpabile in Scripturis habetur. Quod difficile non est probare, sicut dicitur in Psalmis, Et iter impiorum peribit. Et alibi, è contrario, Iter rectum facite pedibus vestris. Potest ergo intelligi etiam hic, quod iter impiorum fuerit primò Ciuitas Laebis, quo destructo, atque subuerso, postmodum Israelitis regnantibus, ad iter perducta sit rectum.* Sic inter temporum vices à Salomone distinctas, & illæ dantur, *Tempus destruendi, & tempus ædificandi.* Vtrumque enim pęnitentiæ virtus efficit, viria destruēs, ædificansque virtutes. Non mea est inuentio, sed Olympiodori, ait enim, *Qui pęnitētiam facit, demolitur ac destruit anteactę vitæ peccatum. Et bonum quidem nobis pulchrumque est, tolli procul à peccato, superędificari autem super fundamentum Apostolorum.* Apostolis enim data est potestas soluendi super terram, & in cælis ædificandi.

Auctor.

Eccl. 3. 3.

Olympiod. in enar. sup. 3. c. Eccle.

Remig. sup. Psalm. 1. 265 *Nouit Dominus, id est, probauit, & dilexit viam, id est, vitam bonam. Iter impiorum peribit, sicut illius qui dixit, Ponam sedem meam in Aquilonem.* Quis non miretur Regem pacificum sic tempora distribuisse, *Tempus occidendi, & tempus sanandi*: vt belligeros redderet temporum Explanatores? Et certe, si dixisset, Tēpus vulnerandi, & tempus sanandi, congrueret & cum vulnere medicina, & cum plaga sanitas: at cum occiso, quis locus est sanitati? Numquid medici, vel gigantes inter medicos, eum suscitabunt? Respondet Olympiodorus id totum in Principe æterno verificari, qui impios perdit, Iustos sanat, atque coronat, sic enim ait, *Principi ac Domino tempus est perdendi homicidam, curandi verò ac sanandi eum, qui bene de se meritus fuerit, minusque etiam, ac clementiùs corrigendi eum, qui leuius in se deliquerit.* Respondet Hieronymus, *Sanat, ad pęnitentiam prouocans, occidit autem peccata.* Respondet Nyssenus, *Sicut occidendo vermes in corpore natos, corpus sanatur: sic occidendo inuidia, vel iræ bestiam, sanatur anima: & occidendo veterem hominē, sanatur nouus.*

Auctor.

Eccle. 3. 3.

Olympiod. in enar. sup. c. 3. Eccle.

Hieron. in com. sup. c. 3 Eccle.

Nyssenus hom. 4. in Eccle.

Rodulphus sup. Psal. 1. Auctor. Ex Plut in vita Agis. 266 *Nouit, id est, approbat, & acceptat.* Refert Plutarchus olim orta contentione inter Draconis caput & caudam, hac contendente non semper ab illo duci, sed etiā aliquando ducis loco fungi: ridicula lite proposita ante tribunal Iouis, serio statutum fuisse, vt alternis vicibus ductoris subirēt onera, & honores. Id autē, ꝙ ille finxit, verū apparuit inter Hebręū populū atque Gentilem. Ille multo iam tempore caput fuit, fuit & Deo notus, ab eo electus, approbatus, amatus: hic autem, ecōtra ignotus, reprobus, & inuisus. At cùm omnia tempus habeant, mutatis inditionibus, mutati sunt Duces, & Gentilis, qui cauda erat, dux est & caput: Hebræus, qui caput erat, erat vt cauda, vt Mosis vel prædictio, vel imprecatio impleatur in eo, *Constituat te Dominus in caput, & non in caudam*: nam ex Oleastro, idē est, *Dare in caput, & facere superiora: & dare in caudam ac inferiora: id est, aut æstimari, aut vilipendi.* Et idem Legislator definiens tempus, quo Gentilis superior euasurus erat, & caput: Hebræus autem inferior & cauda, ita subiecit, *Ipse erit in caput, & tu eris in caudam*: id est, eodem interprete Oleastro, *Ipse erit superior, tu inferior: aut ipse erit honoratus, tu vero despectus.* Quod totum Rabi Samuel Marochianus breuibus verbis & grauibus ita expendit, *Erunt Gentes in caput, & populus incredulus in cauda.*

Deuter. 28. 13.

Oleast. in anno. 1. sup c. 28. Deut.

Deut. 28. 44

Idē Oleast. Ibidem.

R. Samuel Maroch. in lib. de Aduentu Messiæ c. 16. Ruffinus in Psal. 1. 267 *Quoniam nouit Dominus viā Iustorum. Nouit, id est, approbat. Iter autem impiorum peribit. Ac si diceret,*

Iter impiorum non nouit Dominus: vt hoc sit nesciri à Domino, quod est perire: & hoc sit sciri à Domino, quod est manere. Duobus enim modis scire Dei accipitur: aut scire, id est, cognoscere: aut scire, id est, approbare. Secundum hoc autem, quod scire Dei dicitur noscere bonos, & malos nouit Dominus, sicut scriptum est, Ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur: neque enim impium quemquam iudicaret, si nequaquam cognosceret. Et tamen iniquum nescit, quia facta eius non approbat. Et nouit ergo, quia deprehendit: & non nouit, quia hunc in sua sapientia speciem non recognoscit. Hinc dicturus est eis in iudicio, Amen dico vobis nescio vos. Iuxta hoc verò, quòd scire dicitur approbare, nō nouit Dominus nisi bonos: vnde scriptum est, Nouit Dominus qui sunt eius. Quos ideo nouit, quia præsciuit & prædestinauit eos conformes fieri imaginis filij sui. Quia ergo omnipotens Deus operationes Iustorum sic nouit, vt approbaret: actiones verò impiorum sic non nouit, vt reprobaret: dicitur rectè, Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit.

Auctor. Distinguit D. Thomas scientiam simplicis notitię, & scientia approbationis: docetque hanc esse tantum bonorum, illam verò etiam malorum. Discriminat & mala ac malos, & bona ac bonos: & sic decernit, *Malum cognoscitur à Deo, non per propriam rationem, sed per rationem boni. Et ideo malum non habet in Deo ideam, neque secundum quod Idea est exemplar, neque secundum quod est ratio.* Et hoc Ruffinus adumbrat dum asserit, *Et nouit, quia deprehendit: & non nouit, quia hunc in sua sapientia speciem non recognoscit.* Idem autem est impios nesciri à Domino, ac perire: & Iustos sciri à Domino, ac manere: hæc enim scientia Dei secundum quod est causa rerum, scientia dicitur approbationis, de qua scriptum est, Nouit Dominus qui sunt eius: quos ideo nouit, quia præsciuit & prædestinauit eos conformes fieri imaginis Filij sui. Noscit Dominus virtutum cōmorantes in Paradiso: extra Paradisum commorantes non cognoscit. Quod si opponas, Nonne extra Paradisum degebat populus, cui Deus dicebat, *Tantummodo vos noui, ex omnibus cognationibus terræ?* Et tamen hi incolæ terræ erant, non tamen adhuc Paradisi ciues. Iterum, auteni dicam, id asseri de habitantibus in Paradiso. In Paradiso enim virtutis habitantes, Dei notitia digni sunt, illosque tantum cognoscit, & approbat, vtpotè positos in Paradiso ab ipso plantato in terra, ad imaginem cælestis Paradisi. Non est meum inuentum, sed Philonis, qui explicās verba, Plantauit Deus Paradisum in Edem ad Orientem: pro eodem accipiens Paradisum & virtutem, ita subnectit, *Ergo terrenam virtutem seminat ac plantat Deus humano generi, quasi imago effigiesque cælestis virtutis. Paradisus certè figuratè dicitur virtus, locus autem proprius Paradisi, Edem, id est, deliciæ: & ad Orientem est huius Paradisi plantatio, nam nec occidit, nec extinguitur, sed perpetuo suapte natura lux eius oritur.* Cum ergo in hoc tantum Paradiso, in quo Iusti commorantur, imago reluceat illius Paradisi, in quo Beati lętantur: mirum non est, quod tantum habitantes in Paradiso, Patri lumi-num noti dicantur.

D. Tho. 1. p. q. 15. ar. 3. ad 1.

Philo Heb. lib. 1. allegor. legis.

207 *Quoniam nouit Dominus viā Iustorum, & iter impiorum peribit. Nouit, inquit, omnia ante iudicium iustus Iudex, & neque demonstrationibus, neque confutationibus indiget: quapropter pro dignitate vnicuique tribuens: hos quidem præconijs & coronis dignos iudicabit, hos verò æternum in supplicium mittet. Via impiorum peribit, ab Apostolicis verbis non abhorret, Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: Iustorum enim virorum etiam opus lucidum manet, cum impijs verò & nefarijs hominibus etiam improbitas eorum simul destruitur.* Iudex humanus labijs interrogat reos: diuinus autem palpebris explorat, *Palpebræ eius interrogant filios hominum:* id est, ex Genebrardo,

Theodor. in Psal. 1.

Auctor.

Psal. 10. 6.

Probant, explorant, examinant, pernoscunt, perfectè sciant. Anthropopathcos, per oculos, & palpebras Dei vim cuncta intelligentem exprimit, quasi eis fixis, & à sua natura naturalis, firmiter vnumquemque spectet. עַפְעַפָּיו, *Apaphè enim dicuntur à continua velitatione.* Est autem velitatio, leuis pugna, more velitũ, quorum officium est præliũ eminus iaculis & fundis auspicari: & vbi Plautus dicebat, Verbis velitationem fieri, compendio volo: Iudex Diuinus dicet, Palpebris velitationem fieri volo, ex oculis enim emittet fulgurantes sagittas, quæ abscondita tenebrarum illuminabũt, & latentia vitia, vel virtutes sic prodent, sicut Iudices per examinationem & interrogationẽ, ea quę sunt in homine cognoscũt. Subdit autem Dauid. *Dominus interrogat Iustum & impium.* Diuersa tamen erit responsio, sicut diuersa fuit & vita: nam Iusti læti respondent, quia innocentes: impij tacent, & terrentur, vt noxij. Hoc autem his coloribus describitur ab Anglico. *Sicut in scholis ille qui bene respondet, solet habere vultum hilarem, quando habet responsionem in promptu, & gaudet quod habet occasionem respondendi: qui verò non sic, fert vultum anxium. Et in multis cernimus, quòd quando nescit respondere, tunc mouetur ad impatientiam, quasi fieret ei iniuria, quod subtiliter interrogatur: sic & hic Nam qui aduersis nõ frangitur, nec anxiatur, ostendit se habere responsionem in promptu, & ideo audacior effectus dicit illud Iob, Vocabis me, & ego respondebo tibi. Secus est in alijs qui turbantur, quoniam Deus apponit eis subtiliter, & timor aduersitatis pro certo, & impatientia sunt non solum signum quòd non habent responsionem in promptu, sed etiam causa, vnde Iob, Auferat à me virgã suam, & pauor eius non me terreat; non enim possum metuens, respondere.*

Plautus in Asinaria.

Psal. 10. 7.

Anglicus in Psal. 10. vers. 6.

266 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Verbum,* Nouit, *non super cognitione sumpsit, sed super cura; atque prouidentia, & amore.*

Theodorus Antioch. in Psal. 1.

Et quidem amor, ac prouidentia Dei, ex hoc pulchrior apparet, quòd oculos super Iustos aperit, super impios claudit. Quemadmodum & videntes, & cæcos produxit natura, vt ex tali varietate pulchrescetet: ita pulchrior apparet Authoris naturæ prouidentia aperiens oculos super Iustos, claudẽsque super iniustos. Vnde Æneas Gazæus bellè philosophabatur, dicens, *Hæc vt euenirent, oportuit concedi, vt ei quod pulchrũ est, eo quod deforme est opposito, quantopere excellit pulchritudo, vnde esset suus naturæ decor, cognosceremus. Perfectior enim penes eos est, & plenior boni cognitio, qui malorum aliquid experti sunt.* Non aliter prouidentia Domini Iustos noscit, noscere facit, oculis replet: impios autem nescit, in tenebris derelinquit, *Excæcauit enim illos malitia eorum:* eosquè non amabiles reddit, damnat, punit.

Auctor.

Aeneas Gazæus in Theophrasto.

Sap. 2. 21.

269 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum. Et propriè loquitur; quia quando aliquis scit quod perditum est, reparatur: quando vero nescit, non reparatur. Iusti autem per mortem dissoluuntur, sed tamen Deus nouit eos, Cognouit Deus qui sunt eius. Nouit scilicet notitia approbationis, & ideo reparantur. Sed quia nõ nouit viam impiorũ notitia approbationis, ideò iter impiorum peribit.* Ex Arca Noë & Coruus egressus est, & diuina Columba: hæc in figura electorum, ille in symbolum damnatorum. Sicut enim de Coruo dicitur, *Egrediebatur; & non reuertebatur:* Ita inquit Bruno, *Per hunc illi figurantur, qui pro suis offensis ab Ecclesia separati, ad eam vlterius redire despiciunt.* Et sicut Columba bis egressa est, & bis regressa: ita & electorum animæ si forte cadunt, forte resurgunt, dicente Cypriano, *Recepta igitur columba, paucis etiam diebus interiectis iterato emittitur ex arca, quæ reuersa, non tantum firma vestigia, sed & insignia sua pacis & victoriæ, per illa olea folia, quæ suo ore portabat, ostendit: duplex ergo illa emis-*

D. Tho. in Psal. 1.

Auctor.

Gen. 8, 7.

Bruno de laudibus Ecclesiæ c. 2.

Cyprian. ad Nouat. Hæret.

fio duplicem nobis persecutionis tentationem ostendit, prima in qua qui lapsi sunt, victi ceciderunt: secunda in qua hi qui ceciderunt victores extiterunt. Nulli enim nostrum dubiũ, vel incertum est, fratres dilectissimi, illos qui prima acie, id est, Deciana *persecutione vulnerati fuerunt, hos postea, id est, secundo prælio ita fortiter perseuerasse, vt contemnentes edicta sæcularium principum, hoc inuictum haberent, quod & non metuerunt exemplo boni pastoris animam suam tradere, & sanguinem fundere, nec illam insanientis Tyranni sæuitiam recusare.* Pendenda Cypriani verba, *Insignia suæ pacis & victoriæ per illa oleæ folia, quæ suo ore portabat, ostendit:* & recolenda, quæ Valerianus de Olea refert, nempe hieroglyphicum fuisse & pacis, & victoriæ, & felicitatis: hinc enim Iustorum felicitas cognoscetur, quia etsi aliquando ab arca gratiæ, peccando, egrediũtur, reuertũtur tamen, in ore gestantes oleam spei, ac verba confessionis, & sic reparant lapsum, victoriam obtinent, & felicitatem perpetuã consequuntur. At impiorum casus non reparatur, quia non habent in ore oleam, symbolum spei, immo eorum cuilibet improperat Deus, *Et dixisti. Desperaui, nequaquam faciam: adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo.* Et eo modo quo desperati ambulant, eodem præcipitantur in profundum laci, numquam reparandi, nam ex Cypriano, *Immortales miseri viuent inter incendia, & inconsumptibiles flamma nudum corpus adlambet. In proprio adipe frixa libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes: sera erit illa confessio, & cũ clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium; semel Christus descendit ad inferos, vlterius non descẽdet, non vltra videbunt Deum in tenebris sigillati, inregressibilis erit illa sententia, & immutabile iudicium, & stabit damnationis huius immobile constitutum.* Nunc si quis labitur, & labendo, secundum præsentem iustitiam damnatur, peccatum enim cum consummatũ fuerit, generat mortem: mobile est constitutum, mutabile iudicium, regressibilis sententia, non sigillatur pœna, remedium remanet lacrymarum, pœnitentiæ datur spatium, qui cecidit, resurgit: qui auersus est, reuertitur. & qui confractus fuerat, reparatur, Qui autem in infernũ descendit. nec ipse ascendet vltra, nec Christus vlterius illuc descendet, sed obliuiscetur illius misericordia, & in perpetuum desperati, immortales miseri viuent inter incendia, & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget.

Pierius Valerianus li. 53. cap. de Olea.

Ierem. 2. 25.

Cypr. de Card. operibus Christi cap. de Asc.

270 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum: Dominus enim, qui iudex est, idem ipse est testis omnium humanorum actuum, Ipse cõsiderat, attendit, nouit, & approbat opera Iustorum, & bonam eorum conuersationem habet placitam, & acceptã. Et iter impiorum peribit. Impiorũ autem hominum actus & studia non nouit Dominus, vt approbet, aut remuneratione Iustorum remuneret: neque permanebunt ante illum, sed ad perditionem æternam perducet operatores suos, marcescentque & peribunt impij in prauis itineribus suis, per quæ ambulauerunt in carne viuentes.* Non videtur Amos Propheta in cribri concussione seruasse metaphoram: introducit enim seuerum Iudicem ita loquentem, *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticũ in cribro, & non cadet lapillus super terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei.* Cur enim ex cribro concusso, non potius tritici, quàm lapilli & paleæ, quàm gladij timendus erat super terram casus? Respondet Remigius, *Per cribrum intelligi Iudicium, per concussionem sententiam, per lapillum Iustos, per lapilli grauitatem fidei firmitatem, qua sic stabiles stabunt in dextera Iudicis, vt concussi non cadant, nec pereant: vbi peccatores le-*

Titelmanus in Psal. 1.

Auctor.

Amos 9. 9.

Remig. Altisiodor. in c. 9. Amos.

Malach. 4.

Idē Remig. Altisiod. in cap. 4. Malach.

uet tanquam quisquiliæ, à vento iræ in Gehennam proijcientur, de qua dicitur, Ecce dies veniet succensa quasi caminus. Et eodem Remigio interprete. *Dies hic tempus iudicij vniuersalis est, qui Sanctis erit lux, peccatoribus autem tenebræ. Quæ dies erit succensa quasi caminus, vt omnes impij vertantur in stipulam, & camini huius crementur ardoribus. Cumque eos inflammauerit, atque combusserit, non relinquet in eis germen malitiæ, vel radicem. Hoc de impiis dicitur quid passuri sint in die Iudicii. Sequitur, & dicit quid, è contrario, timentibus nomen Domini venturum sit. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Sol Iustitiæ* Christus *est, cui Deus pater dedit iudiciū, quique iustè omnia iudicabit, vt nec vitia, nec virtutes latere patiatur: hic orietur timentibus Deū, occidet autem & obscurabitur conuertentibus se ad blasphemias: vnde damnati dicent quod scriptum est in libro Sapientiæ, Lumen iustitiæ non luxit nobis, & Sol non est ortus nobis. In huiusmodi Solis alis est sanitas, vt sanatos per poenitentiam protegat, & ad caulas gregis sui in humeris suis reportet.*

Valentia Episc. Christopolit. in exposit. sup. Psal. 1.

271 *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit. Dominus nouit & acceptauit viam & bona opera Iustorum, quia secundum legem Dei fuerunt facta. Et ideo dedit eis perfectum premium & felicitatem quoad corpus & animam. Sed iter impiorum peribit, eo quod vita ipsorum non fuit secundum legem Dei, immo contra legem, eo quod abiecerunt, & recesserunt à lege Dei, & steterunt in via peccatorum & diaboli, & finaliter sederunt in cathedra pestilentiæ & obstinationis, decedentes absque finali pœnitentia, & infideles mortui sunt in sua infidelitate. Et ideo sicut via legis diuinæ & praeceptorum duxit Fideles & Iustos ad illam summam beatitudinem: ita via peccatorum duxit impios & infideles in infernum.*

Auctor.

Comparabat Chrysologus Ecclesiam agro, credentes spicis, Iustos spicis plenis, peccatores vacuis, mortem messi, iudicium areæ, discussionem ventilationi, quæ Iustos sic separabit ab iniustis, vt illi, quasi triticum ad horreum cæleste portentur: isti tāquam quisquiliæ in gehennam proijciantur. Vnde & dicebat, *Quod latet in herba, manifestatur in spica: & quod celatur in gramine aperitur in fructu: Sic quos credentes putamus pares, fide dispares inuenimus, sic iudicij prodit messis, quod Ecclesiæ germen occultat iuxta illud dictum Dominicum, Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Tunc ergo fideles nomine, opere infideles, *Comedent fructus viæ suæ: & suis consilijs saturabuntur:* Vel ex Septuaginta, *Sua ipsorum impietate implebuntur.* Vbi Hugo adhibita verborum expositione, *Comedent igitur fructus vitæ suæ; id est, iuxta opera sua remunerabuntur, quæ enim seminauerit homo, hæc & metet:* addit & monitionem, *Videat ergo quilibet quid seminet: nam si malum seminat, malum metet: & è conuerso, Non semines malum in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum. Item videat vbi seminet, vtrum in carne vel in spiritu, Nam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, metet vitam æternam. Suisque consilijs saturabuntur: id est, adinuentionibus suis, id est, merito earum saturabuntur, & implebuntur tribulatione & angustia.* Plenitudo autem, quæ Hugoni tribulationis & angustia visa est: Septuaginta interpretibus impietatis apparuit: acrior enim materia tormentorū erit impietas, qua damnati intrinsecus æterno tempore pleni erūt, quàm omnia tormenta ignis, grandinis, niuis, glaciei spiritus procellarum, & pænarum infernalium, quas extrinsecus sustinebunt.

Chrysolog. serm. 97. de parabola zizaniorum.

Prou. 1. 31.

Septuaginta.

Hugo Car. hic.

Sed eo modo quo Rhetores Peroratione vtuntur, per quam res dispersè, & diffusè dictę, vnum sub aspectum subiiciuntur: Eodem & ego, latius dicta in hac Stellifera Corona, arctius in calce operis enumerabo, & omnia ad decem capita, cum eodem Valentia recapitu-

Idem Valētia ibidem.

labo. Is enim sic ait. *Ex toto ergo isto psalmo possunt colligi x. conclusiones.*

Prima conclusio, quod solus cultor diuinæ legis est beatus, probatur, quia sola diuina lex est via perueniendi ad beatitudinem.

Secunda cōclusio, quod nullus impius, siue infidelis, aut peccator, aut hæreticus potest esse beatus, probatur, quia quilibet talis agit contra legem.

Tertia conclusio, quod nullus obstinatus, & finalis impœnitens potest esse beatus, probatur, quia talis sedet in cathedra pestilentiæ.

Quarta conclusio, quod solus obseruator diuinæ legis, erit tanquam lignū vitæ, faciēs fructus meritorios.

Quinta cōclusio, quod solus Christus est verum lignum vitæ, à quo sumuntur fructus fruibiles, & quo est verè fruēdum, à quo obiecto fruibili non excluditur Pater, *& Spiritus sanctus. Item etiam ipsa crux dicitur lignum vitæ.*

Sexta conclusio, quod quilibet iustus non solum est tanquam lignum vitæ, inquantum agit opera vitæ, sed etiam dicitur cultor ligni vitæ, inquantum fruitur Christo.

Septima conclusio, quod Synagoga Iudæorum non est tanquam lignum vitæ, sed ficulnea arida, & maledicta inquantum in ea Christus non reperit fructum.

Octaua conclusio, quòd soli iusti resurgent in iudicio ad vitam gloriosam.

Nona conclusio, quòd licèt Deus nouerit omnia, notitia discretionis: tamen sola opera iustorum nouit, notitia approbationis.

Decima conclusio, quòd iter impiorum semper peribit, eo quòd deuiat à lege diuina.

Explicit Corona Stellifera in Psalmum primum.

Pauimus hucusque animum Stellifera Cæli Dauidici depicta CORONA, quæ ex varijs manibus varijsque luminibus circa Psalmum Primum apparuit iā contexta. Restat aliud nihil, nisi oculos pascere varijs eiusdem Psalmi & Cæli Versionibus. easque, nunc Primo adiuuante Motore, describemus: & Stella maris reuelante, pandemus.



CÆ-

CAELI DAVIDICI
VARIAE VERSIONES.

Aſsimilantur quattuor CAELI Dauidici Verſiones Quattuor Cęli Aetherei vel Aetherei conuerſionibus.

1 
Æli Dauidici, Cęli moderatore fauente, & Cęlorum Regina adiuuante, armonicos motus,&canoras Verſiones aggreſſuri,abOriēte,vnde aſtrorū ac cęleſtiū motus orbiū, principiū facilè ſumpſit, etiam nos & initium dicendi ſumemus, & ad varias Pſalmorum Verſiones tum oculos, tū aures dirigemus.Et quidem prima fronte in primis duobus Pſalmis ſe ſe offerunt quattuor ſpirituales in quattuor orbis partibus verſiones, quæ ita ad omnes homines extēduntur, ſicut in nomine Adā omnes continentur. Vt enim Auguſtinus philoſophatur, ***Quis neſciat, quòd de Adam exorta ſunt omnes Gētes: & in eius vocabulo quattuor litteris, quattuor Orbis terrarū partes per Græcas appellationes demonſtrantur? Si enim Græcè dicātur Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, ſicut eas pleriſque locis ſancta Scriptura cōmemorat, in capitibus verborum inuenis Adam: dicūtur enim Græcè quattuor memorata mūdi partes, ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία. Iſta quattuor nomina ſi tamquam verſus quattuor ſibi inuicē ſcribas, in eorum capitibus Adam legitur.*** In quattuor ergo varijs Cæli Dauidici Verſionibus, varij filiorum Adam deſcribuntur ſtatus.

Aug. tra. 10. in c. 2. Ioan.

2 Oriētis circulatio, primò Beatū nobis profert virū, & ab omnibus vitiorum vinculis abſolutum, quia non abijt in via impiorum, in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit: & omnibus virtutum luminibus illuſtratur, quia legem Domini habet pro luce, rerum diuinarum commemorationem, pro duce: pro radice, caritatem: pro fructu, opera bona: pro folijs, verba: & pro ſecūdo ſucceſſu, flores vitales, ac meritorias actiones. Immo ſi vera ſunt, quæ ſupra à nobis ex multorū Patrum doctrina dicta ſunt, quod Beatus vir his colorib⁹ deſcriptus, vel ille ſit, qui ſolus, & per antonomaſiam, Beatus eſt: vel ille, qui illius particeps eſt: vel ille de quo canitur, ***Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ***: Vel illi de quibus ſubtexitur, ***Præ participibus tuis***: Vel caput, vel membra: vel Sol, vel radij: vel fons, vel riui: vel radix, vel rami: vel centrum, vel circumferentia: vel mare, vel flumina, quis ambiget & illum, & iſtos in Oriente verſari in Paradiſo, qui in orientali plaga plantatus eſt, & ridentes florere, & folijs vernare, ac fructus dare? Hinc Philo explicans verba, ***Plantauit Deus Paradiſum in Eden contra Orientem***: in tali plātatione Plātas inuerſas virtute florentes agnoſcens, ſubdit, ***Non ſtirpium terreſtrium, ſed cæleſtium virtutum, quas à ſuo incorporeo lumine numquam extinguendas Plantator ille accendit.*** Intereſt autem nimiū inter has plantas, & illam: inter hos viros beatos, & Beatum illum Virum: & inter hæc lumina, quæ mu-

Pſal. 44. 8.

Ibidem.

Geneſ. 2. 8. ex Philone.

Philo Heb. in lib. de cōfuſione linguarum.

tuato

tuato resplendent lumine: & illud, quod splendet, Non mutuata luce: nam illa in oriente nascuntur: hoc Oriens dicitur, & Oriens est, de quo Zacharias, *ECCE VIR, ORIENS NOMEN EIVS.*

Zach. 6. 12.

Vbi idē Philo ita philosophatur,

Philo ibid.

Noua appellatio, si intelligatur de homine, qui constat ex anima & corpore: sin autem de illa incorporea Deum referente imagine, fateberis ei nomen hoc inditum aptissimè. Hūc enim antiquissimum Filium rerum Pater exoriri voluit, quem alibi Primogenitum nominat. Hic ergo Beatus Vir, qui & Oriens est, & Oriens dicitur, in hac prima Oriētali Versione relucet primus, vti ipsemet per os eiusdem Dauidis fatetur, *In capite libri scriptum est de me.* Nam per libri caput, testantibus Augustino, Cassiodoro, D. Thoma, Hugone, Haimone, Treuero, & Ruffino, libri Psalmorum initium denotatur. Vnde Ruffinus, *Attende quid in capite huius libri scriptum sit de Christo, Dicitur enim ibi, Beatus Vir, qui non abijt, & cetera.* Hæc ergo prima Orientalis versio, & quidem felix, sicut alias omnes partes, & ordine præcedit & dignitate: ita & nos, eo motore adiuuante, Versionem hanc felicem auspicabimur.

Psal. 39. 8.

Ruff. in comm. sup. Psalm. 49.

3 Prouerbium autē in reliquis verum, *Extrema gaudij, luctus occupat*: & in Versionibus verificatur Orientalem enim occupat Occidentalis, quæ omnes influxus producit infelices, parit infaustos, pluit enim super impios laqueos, turbinat illos vt puluerem, atque sic proijcit à facie terræ, vt damnabile iter illorum dispellatur & pereat. Nec minores immittit Aquilo calamitates, immo ab ipso panditur omne malum. Fremunt Gētes, meditantur inania populi, astitunt reges, in vnum conueniunt Principes, circumueniunt Iustum, dirumpunt legum vincula, iugum proijciunt, irridentur à cælo, subsanāntur à Domino, audiunt Tonantis vocem, & fulminibus tacti conteruntur. Magis tandem salutaria ab Austro veniūt, etenim inde Dominus venit, quem Pater fœcundo mentis obtutu generat, cui Filij nomen tribuit, cuius vocē grato affectoque hauriri animo, quem heredem instituit vniuersorum, cui ferream virgam tradit, ad quem adorandum Reges inuitat, vt ei inseruiant hortatur, vt disciplinam apprehendant propositis premijs monet, & non apprehendentes, præscripta pœna, & morte descripta deterret.

Prou. 14. 13.

4 Hoc iniecto freno, his calcaribus admotis, hisque varijs, atque contrarijs Versionibus, nunc ad spatium curriculumque virtutis iucundum mortales inuitat, & vrget: nunc ad sempiternum interitum præcipiti celeritate ruētes reuocās, saluti restituit, & tales, atque tam varios producit effectus, quales Iulianus Episcopus describit, nam, vt ipse fatur, *Per consilia, veniunt ab ignorantia naturali, tamquam à parte Oriētali: per obsequia, redeunt à feruore concupiscentiæ, tamquam à plaga Australi: per subsidia retrahuntur a frigore malitiæ, tamquam à climate Septentrionali: per remedia, educuntur ab Occasu vitiorum, tamquam à plaga Occidentali. Hanc et futurā numerosæ prolis lætitiam, Spōsus eius per Prophetam promiserat. Isaiam, Ecce ego, inquit, adducam ab Oriente semen tuū, & filios tuos ab extremis terræ. Dicam Aquiloni, Da: & Austro, noli prohibere.*

Iulian. Epi. Toletan. in commen. in Nahum.

5 Verum enimuero, cùm tria reperiri in motu naturali ex Parepateticorum Principe iam acceperimus, nēpe, sursum, vnde est motus: dexterum, à quo est motus: & anterius, ad quod est motus: etiam tria in hac spiritali circulatione, ac Cæli Dauidici musica Versione, & dulciter audire, & suauiter reperire fas erit. Si quæras, vnde sit iste motus? En locum signat, & Authorem clarè designat, dicens, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum*. Si anterius, ad quod est motus, requiras? Cū Paulo, & ego, verecundè quidē, & reuerenter nimium repetam, *Quæ retro*

1. Cæl. t. 13.

Iacob. 1. 17.

Ad Phil. 3. 13.

tro sunt, obliuiscens: ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatū prosequar brauium æternæ vocationis. Quemadmodum enim virtus occulta magnetis, ferrum, & graue & durum, occulta quadā, ac mira vi, aligerum quodammodo reddit, & quoquo versus attrahit: Eodem modo & natura boni, & cælestium rerum pulchritudo, cor meum attrahit, & efficit, vt sēper ad maiora feratur. Id enim, quod Nyssenus theoricè docet, in me practicè experior, *Attrahit enim ad se natura boni omnes, qui ad pulchritudinis eius radios sanis possunt oculis respicere: ita fit vt cælestium desiderio semper ad maiora, vt Apostolus ait, consurgat, ac semper ad altiora peruolet.* Si demum à Philosopho, quòd dexterum sit petamus, sic ipse nos docet, *Dextrū est, vnde est principium eius qui secundum locum mouetur: Cœli autem principium circulationis, vnde ortus Astrorum, quare hoc vtique erit dexterum, vbi autem occasus, sinistrū.* Quod exponens D. Thomas, ait, *Principium motus, & dextera pars Cœli est illa, vnde Astra oriuntur, & dicitur, Oriens: vnde Oriens dicitur dexterum Cœli, & per consequens Occasus, erit sinistrum eius.*

Nyssen. de vitaM ofis.

Arist. lib. 2. cœli tex. 15.

D. Th. hic.

6 Hæ autē omnia optime quidem conuenire Psalmi primi duabus partibus summè oppositis, quis non videt? Prior enim pars huius cæli Dauidici, & dextera est, quæ ad Beatos spectat, immo ad beatitudinis pertinet Authorem, de cuius gloria scriptum est & concinitur, *Beatus vir.* Hoc enim præter ea, quæ prædiximus, in auribus Basilij Christū sonat, qui & Oriēs, & Vir à Zacharia sic appellatur, *Ecce vir, Oriens nomen eius:* & ex Glosa Giliberti, *Oriens est & splēdor lucis æternæ, qui femineo, sed Virgineo circumdatur Vtero, & carne vestitur.* Cùm illo autem Oriēte, ceu cum Sole Iustitiæ, & corporis mystici summo Capite, etiā Iusti & Beati, vt mystica membra, & lumina, sic oriuntur, vt quilibet eorum dicatur, *Beatus vir.* Dum enim ex Oriente vir beatus procedit, dum Sol Iustitiæ in vultu illius rutilat, dum illustratur radijs virtutum, dum gratiarum luce vndequaque circumdatur, dum ad illū criminum tenebræ appropinquare non possunt, dum non abit in concilio impiorum, dum non stat in via peccatorum, dum non sedet in cathedra pestilentiæ, dum in lege Domini voluntas eius, dum lux Dei relucet in qualibet actione illius, dum cum cælitibus habet consuetudinem, dum rerum diuinarum contemplationi vacat, dū alta petit continua meditatio cordis eius, dum tanquam planta Solis, riuis donorum Spiritus irrigatur, dum folijs virentibus vestitur, dum ornatur depictis floribus, dū fructibus candidis & rubicundis coronatur, & dum omnia prospere in peregrinatione illi succedūt, meritò sperare potest illi prosperiora in Patria reseruatum iri.

Zach. 6. 12. Gilib. serm. 21. in Cant.

7 Hæc ergo est dextera, à qua Beatus vir inchoans motum, virtutis stadium percurrit: hæc est per quam inceptus motus peragitur, & hæc demū est, in qua felix beatitudinis terminus reperitur. Quilibet enim Iustus, instar Beniamin, à summo omnium Patre, omniū Iudice, & nunc filius dexteræ dicitur, & postea in dextera illius in æterna beatitudine collocabitur. Vtinam sic reuocarentur ad dexterā, quos turbo impietatis & egit, & redegit ad sinistram. Non sic impij, non sic, sed quemadmodum à sinistris vitiorum motum cęperūt, sinistrumque iter firmo animo tenuerunt: Ita ad sinistram leuamque Iudicis statuentur, in cœco locabuntur occasu, in profunda stygea mergentur, tamquam pulnis proijcientur à facie terræ, & dānabile iter illorum in æternum peribit. O motus diuersi, ò viæ oppositæ, ò termini toto cælo contrarij, quos gentilitatis in vmbris etiā Poetarum Princeps, & cecinit, & defleuit.

Gen. 35. 18.

Matt. 25. 33

Dextera, quæ magni Ditis sub mœnia ducit
Hac iter Elysium nobis: at læua malorum.

Æneid. 6.

Exer-

Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Quis enim hic, luce clarius, non discernat descriptos & virtutis & vitij gressus, & dexteræ & sinistræ vias, & terminos, vel beatitudinis, vel damnationis oppositos, quos sacer Poeta, & regius Propheta diuersis coloribus, luminibus diuersis, diuersis descripsit & vmbris, dũ hinc Beatum virum: & inde miseros impios ad sempiternum ignẽ damnatos depinxit?

8 Audiamus Dionysium vtrorumque lumina & vmbras ita cõferentem, *Idem est dicere, non abijt in consilio impiorum, ac dicere in cõsilio piorum permansit, nam via nomine pro operatione vsus est, quia per eam, sicut bonorum, ita & malorum ad terminum peruenitur.* Sicut hinc scriptum est, Viæ Iustorum pulchræ, & semitæ pacificæ: & inde via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant. Est enim via, quæ videtur homini bona, noui ſſima autem illius ducunt ad mortem. Faxit Deus. vt sicut nos motus naturam imitãntes, Cęli Dauidici Versiones à dextera Orientis parte, Christo Domino fauente, diuina Sapientia duce, & magna Matre adiutrice, ad Dei gloriam omni conatu, totisque viribus, nisuque omni, nunc aggredimur: Sic & nobis tale exoriatur diuinũ lumẽ, quale ad tam sublime opus agendum, vel peragendum requiritur, vt illustret intellectum accẽdat animi affectiones, adaperiat oculos, manum regat, & insuper, pedes sic dirigat in viam pacis, vt in illam perueniant mansionem, de cuius gloria canitur, Posuit fines tuos pacem.

Dionysius Carthusian. in Psalm. 1.



CAELI DAVIDICI
PARS ORIENTALIS.
Et variæ illius Verſiones.

In Pſalmi Primi, Verſus primi, Partem primam.

1 Ex Vulgata, Beatur Vir,
2 Ex Scholio Græco, Irreprehenſibilis ille vir.
3 Ex Theodotione, & Quinta, & Sexta Editione, Perfectus ille iunior.
4 Ex Hebræo, Felicitates, vel felicia illi viro.
5 Ex Caietano, Beatitudines viri.
6 Ex Thargum apud Pagninum, Bonum viri.
7 Ex Felice, & Vatablo, Laudes viri.
8 Ex Chaldæo apud Eugubinũ, Bonitates illius viri.

Verſio Prima ex Vulgata. Beatus vir.

CIRCVLVS I.
Cur Pſalmus primus Titulo non prænotetur?

1 Nequã in hoc ſublimi Dauidico Cęlo micantes Stellę lucidos radios pãdant, & Verſiones variæ variũ lumen expandant, tenebræ ſunt fugandæ, & vmbræ diſcutiendæ, quę ex tituli defectu obortæ, primatus & principatus illius gloriam adũbrant. Cur enim, qui & primus eſt inter Pſalmos, & qui Odarum atque Hymnorum & dicitur, & eſt facilè Princeps, non vt Princeps inſcribitur, nec debito ac regio titulo inſignitur? Et certè, ſi Titulus, ex Chryſoſtomi ſenſu ſimilis eſt vel ſtatuis, quas *Ducibus exercitus victoriam aſſequutis, Reges ponere ſolent in honorem victoria: vel Columnis, & inſcriptionibus, qua aurigis, & athletis eriguntur, inſculptis characteribus ac notis, quibus Victorum laudes exarari conſueuerunt:* Si ex Hieronymi ſententia, *Inſcriptiones, aurea ſunt Pſalmorum claues:* Et ſi ex Auguſtini opinione, *Titulus eſt frons aperta, eſt ianua ſublimitate ſacramẽti decora, eſt patens intrantibus porta, eſt postes inſcripta, eſt nota manifeſta, & lingua eſt, qua docet, quid intus agatur, cuius domus ſit, & quis prędij exiſtat Dominus atque poſſeſſor:* qua ratione, quo ordine, quoue conſilio, Pſalmus qui primas gerit, & oſtio caret, & clauẽ nõ pręfert, & inſciptione non ſignatur, ſed ſtatua orbatur, & ſpeciali nomine nõ inſignitur, & ex defectu ianuæ eſt imparatus, qui ad viri beatitudinem eſt paratus?

Chryſoſt. in Pſal. 3.

Hieronym. in Procem. Pſalm. Auguſtin. in enar. Pſ. 58.

2 Hic autem grauis defectus tãtò magis erit perſpicuus, quantò ex Hilarij doctrina, Tituli Pſalmorum aſſimilantur clauibus diuerſis diuerſarum portarum eiuſdem Vrbis, niſi enim cuiuslibet portæ, ac feræ propria adhibeatur clauis,

nec fera poterit aperiri, nec porta attoli: Ita si in hac cælesti Vrbe, ac libro diuino ex Psalmodica harmonia composito, vbi tot portæ ad sunt, quot & Psalmi: Psalmus qui tituli claue caret, & fores claudit, & seras non aperit, & mentem non admittit. Audiamus Hilariū, ita nos docentem, *Est autem diligēs perpensumque iudicium expositionis Psalmi vniuscuiusque præstandum, vt cognoscatur quavnusquisque eorum claue intelligentiæ aperiendus sit. Nā liber omnis similis est vrbi pulchre & magna, cui ædes cōplures diuersaq. sint, quarum fores proprijs clauibus, diuersisque claudantur, quæ cum vnum in locum congesta, permixtæque sint, volenti vnamquamque ædem aperire, maximam ignaro afferūt difficultatē, vt claues vniuscuiusque ædis inueniat: sicque aut familiaris scientiæ cognitā clauem cito ex copia illa congesta in vnum varietatis eligere, aut ingentis laboris aptam & congruam clauem aperiendi vniuscuiusque aditus inuenire: quia ratio & qualitas non sinat, non suas claues claustris disparibus coaptare. Itaque secundum Domini misericordiam aperiendi vniuscuiusque Psalmi clauem reperturi, huius ipsius primi Psalmi aditum propria sua, & congrua claui pandamus.* Quod si ab illo quæras quęnam sit clauis, quæ aditum primi Psalmi pandit. Respondet ipse, & nunc personam demonstrat in hoc Psalmo loquentem, nempè Prophetā, cuius ore Spiritus sāctus loquitur: officio oris eius ad cognitionem nos sacramenti spiritualis erudiēs: nunc monstrat fidem aduentus Domini, sine qua Psalmorum liber non potest intelligi.

Hilar. in Prologo in Psal. Explanationem.

3 At ego de hoc insigni Psalmo repetam illud, quod præfatus est Ambrosius de summo Domino. *Cum Dominus dicitur, vnus agnosci tur, si non exprimitur: & Dominus definitur, non iam per adiunctionem personæ: sed per vniuersitatē naturæ.* Et simul addam, quòd sicut Rex noster, Regnorum, quorum est Dominus, non addens nomina, sed per Antonomasiam Regem tantū se nominat (Yo el Rey) regna non nominans, Innominatus splendet, ceu Sol inter Reges: eadem etiam lege, eadēque forma, Psalmus iste Psalmorum Dominus, Psalmorū Princeps Psalmorum caput, Psalmorum & Rex, dū titulos respuit omnes, omnes titulos vnit: dum inscriptionem amittit, vniuersas admittit descriptiones, hac enim arte, hac figura, Chrysologo testante, clarè demonstrat, quòd iolus, *Psalmorum Psalmus, Titulorum titulus, argumentum generans argumenta, & tota causa sequentium est canticorum.* Ea lege, qua Rex aureas claues cubicularijs tradēs, & simul ditans honoribus, ipse omnium Dominus clauem non gestat: Eadē & Psalmus iste Hymnorum Rex, dum clauem respuit, dū alijs Psalmis claues relinquit, solus omniū portarum Dominus, solus omniū ostiorū clauis apparet. Audiamus Rauennæ Antistitem hæc definiētem: *Et sicut clauis aulæ regalis, vbi primam ianuam patefecit, penetrales reddit intimas, ac multiplices mansiones: ita Psalmus iste, vbi reserauit aditus intelligentiæ primas, psalmorū omnium pandit mysterium, pandit secretū.* Nec prætermittēda est Haimonis, & Cassiodori excogitatio, qua Tituli defectū ad primi Psalmi perfectum sic valere demonstrāt, *Psalmus hic ideo non habet Titulum, quia Capiti nostro Domino Saluatori, de quo absolutè dicturus est, nihil debuit proponi, dum ipsum rerum omnium constat esse principium. Et licet alij Psalmi de ipso multa dicant, nemo tamen de eius, quę fuit in terra conuersatione sic loquitur. Et quoniam ad hunc, quæ dicenda sunt, respiciunt cuncta, meritò caput sancti operis ponitur, qui Princeps rerum omnium esse monstratur.* Meritò ergo Psalmus primus, & Hymnorum Princeps, qui de summo omnium Capite philosophatur, Titulo, tamquā capite non prænotatur.

Ambr. lib. 9 in c. 19. Lucæ.

Petr. Chrysol. ser. 44. in Psal. 1.

Idem Idē.

Haimo. & Cassiod in Psalm. 1.

CIR-

CIRCVLVS II.

Beatus verè dicitur, qui Bene est auctus.

Arist. lib. 1. Post.

4 CVm ex Aristotelis doctrina, Notio nominis sit ianua scientiæ, sit & intelligentiæ clauis: non aberrabit à via disciplinæ, qui nominis huius, *BEATVS*, descriptionem conabitur aperire. Beatus ergo, secundum Isidori ac Remigij ethimologiam, idem sonat ac *Benè auctus*. Qui enim est Beatus, iam feliciter peruenit ad terminum augmenti, iam planè attingit desiderij vota, iam complete perfectionis culmen tenet, tenet & metam. Adeamus Anglicum ipsumque audiamus philosophantem, *Augentur Electi de virtute in virtutem proficientes continuè, donec sint in fine quantitatis virtualis sibi debita. Et tunc sunt Beati simpliciter, quasi sint bene aucti.*

Isidor. lib. 3 orig. lit. B. Remig. rel. ab Anglico in Psalm. 1. ver. 1.

Anglic. ibi.

5 Distinguit autem idem Cardinalis virtutem augmentatiuam, quæ extendit corpus in altitudinē, à virtute nutritiua, quæ illud expādit in latitudinem: & sicut illa dū viget, ab hac nutrimentum detrahit, & in altum crescenti tradit: ita hæc, dum illa friget, exerit virtutē extensiuam, & impinguat in latū. Eadem lege, duo in homine reperiuntur amores, ijque sunt, Dei amor, & amor sui: quorum alter, nempe amor Dei, vim habet augmentatiuā, quæ eleuat in altum & augumentum corporis facit in ædificationem in caritate: alter vero, nempe amor sui, vim habet nutritiuam, & carnem impinguat, atque dilatat, Nemo enim carnem suam odio habet, sed nutrit, & fouet eam. Hinc fit, vt qui hac nutritiua augetur potentia, etsi carnalibus affluant delicijs, ac temporalibus repleatur bonis, beatus verè non sit, quamuis talis dicatur, talis figuretur, ac fascinatis oculis appareat talis, nam eiusmodi fascinū aperit Isaias, *Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*. At qui diuinæ caritatis virtutem exercet, augumentatiuam potentiam eò ducit, vt subtrahat humano amori nutrimentum, in altitudinem augeatur, ad sublimia se extendat diuini amoris culmen attingat, & qui ea forma hunc finē sibi præscribit, vt verè secūdum altitudinem, augeatur & crescat, hic bene auctus euadit, & omnium votis dici potest Beatus. Definiatur hoc ex Alcuini Decreto, *Verè Beatus est, qui & certè credendo, bene viuit: & bene viuendo fidem veram custodit.* Dum enim per fidem rectè credit, nutritiuam exerit vim: dum benè viuit, augmentatiuam exercet virtutem: per caritatis eminentem viam ducitur in altum, augmentum perfectionis adipiscitur & vsque ad cælum extollitur, dum in ea perficitur, cùm ex eiusdem Alcuini sententia, *In præceptis Dei caritas obtineat principatum*.

Isa. 3. 12.

Alcuin. lib. de Quatuor virtutibus c. de Fide.

Idem ibid. c. de Caritate.

CIRCVLVS III.

Beatitudo est esca, qua omnes capiūtur, quam omnes cupiunt.

6 HOdie nobis beatus Dauid, Beatum prodit in mediū, vt beneuolos, & attentos redderet Auditores, dum & Beati pulchrū proponit nomen, & immensum beatitudinis appetitum, pulchra pandit per media adimplendum. Et sicuti hoc eloquenti exordio Psalmum hūc eloquenti stylo expendebat Chrysologus: ita & ipse, vestigia eius terēs, Hymnum eundem exordiar exponendum. Quā uis verùm sit, varios pisces varijs escis inescari solere: attamen verū magistra nos docet, quòd etsi homines pisces sint inæquales, æquali tamen beatitudinis esca & libenter trahuntur, & liberè piscantur, & sine pænitentia capiuntur, dum à terra extracti, trahuntur in cælū: & ex aqua sublati, subleuantur ad astra. Nam beatitudinis voci mortalesomnes dant aures, ora figunt, aperiunt oculos, corda pandunt, &

quæ dicuntur ſic ſenſibus commendant, & communiter optant, vt D. Auguſtinus omnibus dicat, & verum dicat, *Omnes beati eſſe vultis miſeri eſſe non vultis.* Hæc autem beatiratis magnes, hæc felicitatis eſca, nõ alibi reperitur, quam in Cælo: non alibi guſtatur, quàm in Dei verbo, de quo Chryſologus ſic loquitur cum Verbo, *Verbum tuum, Domine, ſanitas eſt, verbum tuum vita eſt, verbum tuum vbi acceſſerit, inde confeſtim fugit dolor, infirmitas mox recedit, verbum in quo Petrus, cum laxaret retia, piſcium multitudinem capit, ſine quo & ignorantiæ noctem pertulit, & nullum fructũ peruigil piſcator inuenit.* Hoc verbum in Scriptura proponitur, quæ eſt menſa cæleſtis, quæ nos alit virtutis cibis, ſalutis epulo, pane diuino, vitalibus deliciis honeſtatis, & beatitudinis pabulo: in qua eſca communis exhibetur, & in commune proponitur, vt ægras mortalium mentes moderatione pia, pro ætate, pro ſexu, pro tempore, pro viribus, ad ſalutem perpetem diuina curatione perducat.

Aug. lib. 4. Trin. c. 3.

Chryſolog. ſerm. 15. de Centurione

7 Perducit autem per tutam virtutis viã, via enim virtutis inoffenſo pede ad terminum beatitudinis ducit. Hinc Plato, Euſebio teſte, præcepit, *Cogendos Poetas carminibus dicere bonum virum beatum, ſiue pauper ſit, ſiue diues: malum miſerrimum, quamuis ditior ſit Myda, & Cynira.* Subdit Euſebius, *Multo ante Dauidem Spiritu ſancto commonitum conſcripſiſſe, docuiſſeque, Pſaltertum incipiendo, Beatus vir.* Et iure optumo à beatitudine initiũ ſumpſit, tamquam à fundamento domus, à carina nauis, à corde animalis. Hæc omnia Baſilius, & demonſtrat, & docet, dicens, *Sicut qui architectonicæ artis ſunt periti, fundamenta ſubſternunt primùm, futuræ molis ædificiorum in ſublime erigenda correſpondentia: non ſecus onerariam nauem facturi, carinam prius compingunt & agglutinant tantam, quæ ſatis ſit tranſmittendis mercium vectorumque oneribus: quin & in animantium generatione cor, quod natura præmolitur, ac vice fundamẽti præſtruit: ipſo etiam numnatura ductu conſtitutionem accipit æquabili proportione reſpondentem, ac futuro congruam animali. Quod itaque ad domus molitionem eſt fundamentum, ad compingendam nauim carinam, quod cor in conſtituendo animantis corpore eſt: vim nihilo diſparem obtinet circumciſum hoc ac breue procemium, ad vniuerſam ſupellectilem, atque apparatum Pſalmorum.*

Plato apud Euſeb. Ceſ. lib. 12. de Præparat. Euang. c. 15

Baſil. in ho. ſup. Pſ. 1.

CIRCVLVS IV.

Beatitudo præmittitur, vt premium: promittitur, vt Corona.

8 STrenuus ac prudens Dauid manu fortis, & bellorum peritiſſimus, antequam tuba caneret, & priuſquàm ad præliũ mortales inuitaret, dubius animi, verituſque ne trepido pectore homines reſponderent, *Se nolle labores ferre:* quaſi nihil fructus à laboribus repottaturos, præter ipſos labores: Beatitudinis mercedem proponit, futuræ felicitatis Coronam præmittit, beatitatis promittit donam, vt premij ſpes homines promptiores efficiat ad labores, & ad bella capeſſenda reddat alacriores. Hãc ex Chryſologo ſimilitudinẽ hauſi, ita enim & ipſe philoſophatur, *Sicut dimicaturo cum beſtijs, & grauiſſimorum certaminum pericula ſubituro, pronuntiantur ante brauia, premia, Coronæ: Propheta beatitudinem ſic premiſit, vt prouocaret hominem ad totam, quam poſt enumerat criminum vincere ſeritatem.* Animæquior ergo eſto, o tu, qui delicatus es miles, exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta, cõſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce, & ſi timebas, Labores ferere, reſpice laborum fructus, Coronas aſpice, mentem eleua, aures erige, & audi monentem te Eccleſiaſticum, atque dicentem, *In opere illius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius.*

Adagium ex Diogeniano.

Chryſolog. ſerm. 44. in Pſal. 1.

Eccli. 6. 20.

lius.

lius. Idque verum apparet ne dum de fructo, quem Rabanus in futuro promittebat legendum, *Nam tribulatio præsentis temporis immensum gloriæ pondus in futuro operabitur in nobis*. Sed etiam de præsenti, qui cum magno fænore colligitur a Beatis.

Raban. lib. 2. in Ecclesiastic. 3.

9 Eo discrimine, quo dantur vites temporaneæ, ac serotinæ dantur: Eodem & Christi felices serui, à seruis mundi infelicibus discriminantur. Hi nimirum decepti, & vana spe fulti, serotinas colunt vites, quæ aut sero, aut numquam, vel efflorescunt, vel fructibus coronantur: At seruorum Dei opus & vita illi assimilatur viti, quæ ita splendet inter arbores, vt Phœnix floret inter plantas, & quę vt Plinius memoriæ prodit, *In sola Narbonensi prouincia inuenta est*, *vno die deflorescens, ob id tutissima*: & tutissima quidem, cùm intempestiui flores in ea videantur, quando ex ea aurei & cari fructus egrediuntur. Hinc Syrus vertit, *Velut laborem exiguum laborabis, & statim fructus eius comedes*. Tædet hos fructus singillatim cum Palacio enumerare, immo diminuta eius despicitur operatio, qua laborat, vt pauperes reddat. Ideo omnes colligam in vnum, & asserens beatitatis fructum à Dei seruo, etiam in lacrymarum valle ex hac planta legi, hinc eum appellabo Beatum, & prædicaui satis. Status enim omnium bonorũ aggregatione perfectus, nedum in re, sed etiam in spe possidetur ab eo decretante Augustino, *Beatitudo duplici modo tenetur, spe, & re*. Et re ergo, & spe, Iustus & est, & dicitur Beatus vir.

Plin. lib. 14. c. 3.

Syrus.

Aug. in lib. 10. cõfessionum.

CAELI DAVIDICI
VERSIO SECVNDA.
In Psalmi Primi, Versiculi primi, Partem primam. Ex Scholio Græco, Irreprehensibilis ille vir.

CIRCVLVS I.

Quomodo possit homo dici beatus si irreprehensibilis esse non potest.

1 ADmirans, quidem, video, & stupens audio eumdem Beatum à prima versione astrui sed à secunda sic destrui, vt cum Ecclesiastico dici possit, *Vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest nisi labor?* Et certe, si Beatus non est, nisi qui irreprehensibilis est: irreprehensibilis autem nec dicitur nec est, nisi qui immunis à peccato & est, & dicitur: Omnis autem homo, vno excepto Deo & homine, vna excepta Virgine & Genitrice, & peccator dicitur, & peccator est, Chrysologo statuẽte, *Estne homo, qui corde non peccet, non cogitatione delinquat, non offendat dubitatione, non lapsum trepidationis incurrat? Moyses dubitat, Aaron deniat, Petrus negat, & quis iustus?* Et quis, addam ipse, sic poterit esse beatus, vt loco miraculi talis prædicetur, Beatus irreprehensibilis ille vir? Quis autem inficias eat, peccatum reddere hominem reprehẽsibilem, si Petrum, Petrum ipsum ob peccatum in simulãdo, vel dissimulando Iudaismo, tam acriter audiat reprehensum à Paulo libere testãte, *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat?* Aut quis neget, omnem mortalem peccato obnoxium esse, cùm & Salomon asserat,

Eccli. 34. 28.

Chrysolog. serm. 91. de Annunc. & concept. D. Ioannis Baptistæ.

Ad Galat. 2. 11.

Non

3. Reg. 8. 46 Abulens. q 18. in c. 8. l. 3. Regum.

Non est homo, qui nõ peccet? Occurrit Abulensis, & docet, *Istud dictum moderatè sumendum esse, quia alioquin concluderetur de Christo & de Beata Virgine quòd peccauissent, & non solum originaliter & venialiter, sed etiam mortaliter & actualiter, quia ista littera intelligitur de peccato mortali actuali: sed intelligendum est quòd dicatur, quasi communiter, scilicet: quòd rari homines sunt, qui non peccant aliquando mortaliter.*

2 Occursus ergo illius, recursus erit pro nobis, vt vnà irreprehensibilem agnoscamus ac beatum, hominem à peccato mortali non maculatum. Nec enim ad hanc beatitatem requiritur immunitas à veniali, oritur enim hic riuus, ex vena corruptæ naturæ, cumque Anglicus Doctor trahit ex fomitis fonte, vnde non potest homo cursum illius, vel euertere omnino, vel diù diuertere. Cùm autem hanc qui bibit aquam, nec maculam propriè causet in anima, nec correctionis subiaceat præcepto, nec gratiæ habitu spolietur, nec à iustitia deseratur, nec odio dignus sit: irreprehensibilis sic dici potest, sicuti Iustus dicitur, nam qui peccatum veniale committit, iustitiæ nomen non amittit, *Septies enim cadet Iustus, & resurget.* Ambiges, si cadit, quomodo Iustus? Et si Iustus quomodo cadit? Quia ita surgit cadens, vt casus sit eleuatio, lapsus status, & vinci victoria, sic decertante Gregorio, *Iustorum certè casus, quodammodo status eorum est, quia aliquando permittuntur cadere, vt semper valeant fortius stare: permittit Deus, vt in malis corruãt, ne summa virtutis dona per elationem perdant.*

D. Th. in 1. 2. q. 89. ar. 3 in corp. 3. p. q. 79. ar 4. ad 2. 1. 2. q. 89. a. 1

Prou. 24. 16

Greg. Papa lib. 8. in lib 1. Reg. c. 1

CIRCVLVS II.

Iusti ex casu in venialia, fortiores & pulchriores resurgunt.

3 Si pictoribus data potestas est coloribus non viuis hominẽ viuẽtem depingere: detur & mihi libera facultas ex poeticæ fabulæ vmbra, nẽpe Anthæi cum Hercule luctantis, propheticam describere figuram, & Iusti figurare luctam, qui dum in terram manu culpę deiicitur, inde humilior surgens, & tutior redditur, & pulchrior editur, & noua fortitudo roboratur. Hanc ipse fabulam in medium non afferrem, nisi ab Eusebio hisce siue luminibus, siue vmbris reperissem descriptam, *Refert autem & traditio sæcularium, habuisse quemdam in exercitio vsuque certaminis hoc genus virtutis ac roboris, vt quotiens in luctamine succumbens, virium suarum amicam & nutricem terram impulsu aduersarij contigisset, toties de solo surgens, magis ac magis in aduersarium præualeret: ac sic deiectio prostrati, occasio fiebat triũphi: dabat enim quodammodo infirmitas fortitudinẽ, lapsus palmam, ruina victoriam.* Haud dispar vel est, vel dici potest Iusti casus, eiusque deiectio. Ipse enim euersus, reuertitur: cadens, non cedit: victus, non prædatur: & tangẽs terram, a terra sic vires trahit, & cum hydria humilitatis robur haurit, vt feliciter vertat ruinam in firmitatẽ, casũ in elationẽ, lapsũ in victoriã, imbecillitatẽ in fortitudinẽ, & præcipitiũ in tutamen atque triũphũ. Canamus & nos triũphale carmẽ, *Cùm ceciderit nõ collidetur, quia Dominus supponit manum suã.* Vel ex Hebræo, *Cùm ceperit cadere, non cadet.* Incipit enim cadere tũc iustus, cùm vel tentationis initia sentit, vel in peccatum aliquod veniale incidit, quod viã disponeret ad mortale: sed non cadit, quia continuò, & tentationem expellit, & a culpa sic resilit, vt non cadere, sed fortius videatur stare. Repetamus in dubia causa Pontificium Decretum, *Iustorum certè casus, quodammodo status eorum est.* At quis non videt decretum hoc obscurum, clariori Glosa debere illustrari? Et certè, si casus est, quomodo status erit? Et si status dicitur, qua ratione casus dici potest? Ex certaminum lege lis definietur,

Euse. Emiss. in Homil. 8 de Pascha.

Psal. 36. 24

Hebræus.

Greg. Papa in l. 1. Reg. cap. 5.

cùm iustus viuens in certamine semper sit, currat semper, semperque luctetur. Cursorum lex est, vt lapsus non ei imputetur, qui labendo, sic reparat cursum, vt calcaria ex casu, & stimulos videatur addidisse, vnde non tardius, nec segnius, sed ocyùs, atque velociùs reparat cursum. Et luctantium lex est, vt qui non retrorsum deijcitur, nec toto corpore antrorsum abijcitur, sed flexis genibus cadens, & resurgit audacter, & euadit fortior, & agonem renouat, & aduersariū deijcit, non palmam amittat, sed brauium ac victoriæ premiū mereatur. Et Iusto, qui & luctator, & cursor est, eadem lex est posita, is enim ex leui lapsu, & ex veniali casu instanter reparato, ac humiliter deplorato, non cecidisse, sed stetisse ex omnium votis est iudicandus, & talem de eo sententiam proferebat Gregorius, Iustorum enim casus, quodammodo status eorum est. Non mea est, sed Ambrosij glosa, sic enim fatur, *Ergo si currentium non soluitur cursus, cùm fortè aliqui ceciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina: quin etiam post vnū aut alterum lapsum, gratia maiore vicerunt: Quanto magis agonem pietatis ingressi, non debent vnius prolapsionis offensione censeri, cum beatus sit, qui se potuerit reparare post lapsum: quoniam post mortem quoque resurgere, munus Beatorum est.* Et hæc postrema verba possunt ex Chrysologo confirmari, is enim pendens symboli articulum, *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos:* sic ambigit, *Esto viuos, mortuos quemadmodum poterit iudicare?* Statimque respōdet, *Sed illi viuunt, qui nobis mortui computantur. Ergo resurrecturos eos confitemini ad iudicium, quos infidelitas existimat deperijsse.*

Ambros. in Apologia Dauid. c. 2.

In Symbol. Apostol. Chrysolog. serm. 57. in Symb. Apo.

4 Mutetur Ambrosij verbum, & vbi is asserit, *Munus beatorum est*: dicatur à nobis, Manus beatorum est: id enim euenit, quia Dominus supponit manum suam. Et vbi Anthæus supposita terra, a terra genitrice vires reparans, in stadio apparebat fortior, surgebatque generosior contra Herculē: Ita iustus cadens in supposita Dei manu, resurgit victor, nec tangitur a tormento malitiæ, etsi ipse malitiam leuiter tangat. Tormentum enim malitiæ est, in malitia iacere: at in malitiam cadere, & statim surgere, contra militiæ leges non est, iusto nomen non aufert, nec conqueri potest, eum cadente cecidisse Coronam, *Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, nec tanget illos tormentum malitiæ.*

Sap. 3. 1. ex Ecclesia.

5 Sed qui possem hic antiquū Adagium non nouiter recensere, *Pulchrorum, etiam autumnus pulcher est?* Vernis quidem diebus nil non tenerum elucet, nil non lucet nitidū, cùm omnia adhuc in flore sint, rideant omnia: At in autumno, cùm in culmos aut caulem omnia exorrescunt, decrescūt omnia, omniaque lugent, omnia horridiora videntur: Iusti autem qui inuersæ plantæ & figuram referunt, ac formam habent, & florentes, & deflorentes, & coma exornati & calui, & virtute decori & in leue malum lapsi, & pulchri apparent, & decoris ornatum sic non amittunt, vt si fides Chrysostomo non denegatur, *In ipsis etiā erratis sua virtutis signa præseferūt.* Et licet Aurei oris sensus, non ad autumnum, sed ad infirma corpora, eaque in ipsamet infirmitate pulchra, tendat: cùm tamen a nostro non sit instituto alienus, ideo similitudine ab eo allata non est a nobis silentio obuoluēda, *Quemadmodum, inquit, præclara corpora, etiam in aduersa valetudine, multa nobis formæ suæ vestigia ostēdunt: sic etiam Sanctorum animæ in ipsis etiam erratis, sua virtutis signa præseferunt.* Quidni, cùm Iustus dū infirmatur, ad manum habeat sanationem, vt infirmus, & medicus: vt languens, & medicina: vt redēptor, & reus? Nam, & Chrysologi sententia. *Ipse sibi donat veniam, qui sibi peccata per Christum remitti posse confidit.* Notanda verba, *Ipse sibi*: non enim ab alio præstolatur remedium, cùm confidentia,

Adagium ex Plutar.

Chrysost. hom. de ver. Isa. Vidi Dom.

Idem ibid.

Chrysolog. ser. 57. in Symbolum Apostolorū

quod

quod sibi peccata per Christum remittantur, citam, & salutarem ei præbeant medicinam.

CIRCVLVS III.

Iustorum etiam mors peccati mortalis, pulchra per pœnitentiam redditur.

6 ADdam præterea, & meritò, nedum Iustorum animas veniales infirmitates non deformare, sed nec ipsam mortem, quã deformis iniquitas mortalis in alijs parit, ad illas deturpandas nõ præualère, nam & deformis mors in formoso eorum visu splendet formosa, dum illa per pœnitentiam reformatur. Morali Philosopho de pœnitentia morali asserere licuit, *Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.* Et vera quidem asseruit, vt verum fatear, attamen eius sententiam est diminuta, nam Penè, in Verè, poterat commutare. *Pœnitentiæ* tamen sacramẽto locum reliquit, per quam verè mutatur vile & deforme animal in integrę innocentiæ formosam ouem, sicut dispositum a Mose legimus in lege. *Primogenitum asini mutabis oue.* Sic enim cerimoniale præceptum, ad pœnitentiale mandatum Cellensis aptat, dum Magdalenæ exemplum tibi proponit, te vtiliter docet, tibique salubriter idem repetit, quasi dicẽs, Vade, & tu fac similiter, *Magdalena, nonne primogenitum asini in se interfecit, cùm sordes criminum ad fontem lauit, cùm vitam mutauit, cùm Christũ amauit? Mutauit primogenitũ asini. & accepit primogenitũ Dei.* Vbi plus ipsa fecit, quã Legifer iussit: præcepit enim ille, vt primogenitus asini mutaretur in ouem: ipsa verò præualuit, & mutauit in Deum. Nec mirum nam Christus Ouis dicitur, in quẽ amor illam transformauit, & ad quem per pœnitentiæ gradus de virtute in virtutem ascendens, victrix peruenit. Plus etiam Prodigus fecit, quàm lex imperauit, vnde si in gloriam eius legimus, *Surgens venit ad Patrem:* resurrectionis celsitudo non alium cognouit terminum, Chrysologo si credimus, nisi cœlum, sic enim ait, *Surgens venit ad Patrem suum. Surrexit iste, mentis & corporis de ruina: surrexit de profundo inferi, cæli alta contingens: apud cælestem patrem filius surgit plus de venia, quàm corruit de reatu.* Aspice cum Paulino Paulum plus de venia surgẽtem, quàm ceciderat de reatu, nã *Cecidit persecutor, vt Apostolus surgeret.*

Seneca.

Exod. 13. 13

Petr. Cell. lib. de Pani. cap. 8.

Luc. 15. 20.

Pet. Chrys. serm. 3. de duob. filiis.

Paul. ep. 10.

7 Vbi repetendum est mysterium, quod Bachiarius exprimit circa verba Deuteronomij, *Est, & Ramoth in Galaad:* sic enim ait, *Gaad interpretatur Excelsa mors: verè enim excelsa mors pœnitentia esse dicenda est, cùm mortificatis membris deducatur homo ad excelsa cælorum, vnde ceciderat.* At si ille æqualitatem tantùm ponit descensus atque ascensus, & resurrectionis atque casus: Bernardus ad gradum sublimiorem eleuat Prodigum, videns illum a paterna pietate adeo exaltatum, vt & senior, atque innocens filius ei etiã inuideat, dicens, *Prodigus filius ad filiorum numerũ adspirare timebat, beatum se reputans, si vel in mercenariorum numero recipi mereretur. Minimè tamen sufficere potuit paternæ pietati, nisi tam copiosam ei misericordiam exhiberet, vt posset, & ille, qui numquam à patre discesserat, senior filius inuidere.* Causam autem maioris exaltationis Tertullianus venatur ex more nobilium, vt patuit in Isaac. sicut enim his epulę cariores sunt, quæ venatu capiuntur, quàm quæ domestica lautitia apponũtur: Ita Regi regum carior Prodigus fuit quia venando illum Lucrifecerat, & nimium laborando a cæno ad cælum reuocauerat. Notetur Tertulliani sentẽtia, tamquam Digna Cedro, *Cariorem fecerat, quem lucrifecerat: magisque de regressu suo,*

Bacharius in epis. de recipiendis lapsis. Deut. 4. 43.

Bern. serm. contra vitiũ ingratitudinis.

Tert. lib. de pœnit. c. 8.

quàm de alterius sobrietatate lætatur. Idipsum cõfirmat ex oue,quæ perierat iam inuenta, *Grex vna carior non erat, vna illa conquiritur,vna pro omnibus desideratur,& tandem inuenitur, & humeris Pastoris ad ouile deducitur, multum enim errando laborauerat*. Clarè demonstrans laborem impensum in quærendo perditam ouem, cariorem iam inuentam reddidisse, non secus ac esset acquisita de nouo, nam ex Chrysologi sensu,*Super eùm perdita reperimus, nouum capimus cumulum gaudiorum, & est iucundius nobis inuenisse perdita, quàm non perdidisse seruata*.

Idê Ibidê.

Chrysologus sermone 168. de Parabola cētum ouiũ.

CIRCVLVS V.

Pęnitentia est scala Iacob, in qua mutantur figuræ.

8 Circa Platonicæ scalæ corpus sępè alibi recensuimus formam à nostrate eximio Poeta additam, *D'vna in altra sembiãza*: & de pænitentiæ scala idipsum liberè vsurpabimus, nam qui descēdens per eam, ipsamque detestans, in vile iumentum mutatur: salubriori consilio, per eam ascēdens, in ouem, immo in Dei filium cõmutatur. Non est meum inuētum, sed præmonstrati Bachiarij excogitatum, qui sic te, ò homo, ad pænitentiam hortatur. *Eia, eia, quid dubitas? scalam illam Iacob, vnde delapsus es, dum velis ascendere, adhuc posita, nondum subtracta est. Et licet in ruina tua omnia membra collideris, tamen iterum conare ascēdere: donec dum veneris ad illum gradum, vnde cecidisti, fortiter te serues atque custodias* Sed si in gradu vltimo scalæ Dominus est innixus, in illum per pænitentiam trāsformaberis, scriptum est enim, *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*. Hoc Hugo Cardinalis cõcinnè ad rem explicat. *Ibunt de virtute infusa, quam hic habent: in virtutem, id est, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam: in Sion, id est, in speculo.* De speculis cõmunalibus sic Philosophabatur Agapetus, *Sicut exquisita specula tales monstrant vultum formas, qualia ipsa sunt archetypa, nitidas, videlicet, nitentium: tristes, tristantium: Eodem pacto, iustum Dei iudicium nostris actionibus assimilatur*. At si mea non me fallit opinio, vti & non fallit, non quidem Deus, sed nos speculum sumus, in quo figura cernitur Dei, & vbi qui Deum considerat, transfertur in Deum, vnde dicitur, *Nos autem faciem Dei speculantes*: Vel ex Græco, *Quasi in speculo intuētes, in eamdem imaginem trāsformamur: Sic pænitens in hoc speculo mutat formam, mutat primogenitum asini in ouem, mutat iumēti imaginem in imaginem Filij* Dei, & sic mutatur, ex Chrysostomo ac Theophylacto, *Vt fiat quasi speculum iubar diuinum emittens, quasi Sol alios illuminans, & quasi Deus diuinæ consors naturæ*.

Emblema.

Bachiar. in epist. de Recipien. Lapsis.

Psal. 83.7.

Hugo Cardinalis hic.

Agapetus Diac. in Capitibus Parænuseu Admonitorijs nu. 14.

2. Cor. 3. 18.

Græcus.

Chrysostomo & Theophylactus hic.

CIRCVLVS VI.

Pęnitentia adulteros conuertit in virgines.

9 Hanc rarā miramque trāsformationis formam in pęnitente Dauide temporis tractu natam, atque productam, & omnibus notā, sic Bachiarius pandit, eique sic plaudit, *Deinde ipse Dauid, cùm in adolescentia sua cum adultera deprehensus sit, in fine Bute cum virgine reperitur: vt intelligamus, quòd post peccatum, longa castitas imitatrix est virginitatis*. Hinc ansam sumens te monendi, teque docendi, Zelotes, subdit, *Sed & tu imitare Dauid, vt quem habuisti in corruptela vitio collegam, habeas in pœnitentia labore consortem*. Accidere sæpe solet, vt inter multos expeditos velocesque cursores, cum tāta celeritate vnus præcedat alios, cum tali celeri cursu alios à tergo relinquat, vt terrā non tangens, & per aera volans,

Bachiarius Ibid.

Idê Ibidê.

aliger æſtimetur: at ſi dum æmulos impiger ac feliciter antecedit, piger & infeliciter præpeditus cedere eum ſic incipiat, vt victus in ſtadio cadat, cedatque propterea æmulantibus palmam, & præcurrētibus ad metam vſque coronam: vbi idem ipſe denuo à gloriæ cupidine excitatus conſurgit, vbi à victoriæ deſiderio inflammatus reparat caſum, & vbi à premij ſtimulis ſuppunctus alacrior atque velocior incitatur ad curſum: quis neſciat eum ſic reparare ruinam, ſic releuare lapſum, & ſic inopinatum reficere defectum, vt iudicari poſſit, vel curſum potius fuiſſe, quàm caſum: vel caſum calcaria addidiſſe cedenti, periculum flammas accendiſſe cordi, & defectum ſic pedibus alas addidiſſe, vt rapidiore motu moram redimens, & velociore niſu tarditatem reficiēs, & præcedentes præcedat, & viam noua velocitate carpens, ad brauiū perueniat primus, primuſque arripiat victor coronam, & rapidior victoriæ lauream rapiat immortalem? Ita quilibet Iuſtus, quilibet Sanctus, dum viam mandatorum dilatato corde percurrit, ſi quando fragilitate naturæ, non vitiorum prægrauatus onere, cadere incipiat, nō quidem cadit, ſed generoſior ſurgit, atque iterum cupiens reparare curſum, inſtaurare ruinā, cæleſtem mereri gloriam, paradiſi beatitudinem cupiens poſſidere, æterni Patris deſiderans inhabitare domum, ad regnum cæleſte peruigili fide geſtiens accedere, & optās luce ſpiritus vmbras iam interpoſitas fugare, aut alacrior currit, volat promptior, meritum ſtudet augere, & duplicare Coronam. Non meum eſt commentum, ſed Ambroſij inuentum, ita enim fatur, ita meas vmbras illuminat, & ita mea lineamenta colorat, *Sancti Domini, qui conſummare pium certamen geſtiunt, & currere curſum ſalutis, ſicubi forte, vt homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine: acriores ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo maiora reparantes certamina,* Ambroſ. lib. 1. de Apol. Dauid. cap. 2. *vt non ſolum nullum attuliſſe æſtimetur lapſum impedimentum, ſed velocitatis incentiua cumulaſſe.* O mirā Iuſtorum gloriā, nec morte caſuram, nec caſu morituram, qui de morte triumphantes redeunt, de caſu clariores reſurgunt, aligeri euadunt, ad altiora petunt, aquilis leuiores, vt ad cæleſtia peruolent feliciores, Ex guſtu cognoſcentes, quod, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* Ad Rom. 8. 28. Et per ea quæ Gloſa addit, *Cooperantur in bonum etiam peccata.* Gloſa hic.

10 Heroas olim, præclara ad facinora obeunda præſtantes, non à morte victos, non ferreo ſomno ligatos, non collocatos in obſcuris, ſed aligeros, ſed ſumma luce perfuſos, inter fulgentia ſidera, inter aurea aſtra, cum Hercule, cum Caſtore ac Polluce, Antiquitas cæca ſic putauit eſſe translatos, vt Angelicus Doctor ad hanc fabulam puter arcum intellectus direxiſſe Iſaiam, dum Luciferum illudens, vel cum Babylonico rege ludens, aiebat, *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſoliū meum, ſimilis ero Altiſſimo?* Iſa. 14. 12. Vbi ita philoſophatur D. Thomas, *Imbuerat ſtolidos hominum animos ea cogitatio, vt crederent Principes atque Aeroes, cum è vita exceſſiſſent, inter aſtra referri, aut inter Deos numerari, quomodo Aeroes, atque Hercules, Caſtor & Pollux infixi cælo, atque ibi ſplendere, & humana conſpicere æſtimarunt.* D. Thomas in cap. 14. Iſaiæ. Quod autem ipſi ſomniantes finxerunt, vos aſſerite vigilantes, & lætantes aſpicite Iuſtum, non vt Luciferum mane ortum, & in Nocturnum commutatum, ſed ex oppoſito, in occaſu merſum, & quaſi Veſperum obſcuratum, vt matutinum Luciferum erigere caput, ex vndis emergere, flammigerum ſurgere, expādere fulgentem comam, & ſic luce perfuſum radiare, vt mutatis conditionibus, eiulatus mutetur in cātum, eique dicatur, *Cùm te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer:* Iob. 11. 17. Vel ex Hebræo, *Obſcuratio tua* Hebræus

erit vt Lucifer matutinus. O raram conuersionem Vesperi in Luciferum, in quo Boetij carmen lætum impletur,

Boetius.

Et qui prima tempore noctis,
Agit algentes temporis horas,
Solitas iterum mutat habenas
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Hanc peccatorum obscurationē, hanc in Luciferi matutini conuersionem, sic Paulus extollit, *Eratis enim aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino*. Vbi Anselmus, *Eratis tenebræ, id est, obscuritas nigredinis peccatorum: sed nunc, id est, postquam ad gratiam accessistis, facti estis lux secundum fidem & iustitiam & puritatem vitæ, & hoc in Domino, lux enim estis, sed lux illuminata à vera luce, quæ Deus est.*

Ad Ephes. 5. 6.

Anselmus hic.

CIRCVLVS VII.

Beatiores stellæ, id est, animæ, velo pęnitentię opertæ, quam innocentes.

11 STellas nunc lucido velo opertas, nunc apertas, & absque velo Poetæ fingunt, & adhuc, vt opinor, lis est sub Iudice, an pulchriores velatæ, an speciosiores absque velo iudicandæ sint. Idemque dubium, ac idem pendet iudicium, an Iustorum animæ, quæ velut Stellæ innocētes & candidæ velo pœnitentiæ non eguerunt, an quę illo apparent opertæ, beatiores vel possint, vel debeant æstimari. Sed dum hæc anceps repeto, in Gregorium magnum, fortuito, & vt mihi fas est credere, non sine diuino Numine incidens, lætus perlegi sententiam in fauore pęnitentium ab eo sic latam, *Cùm omnes velint esse beati, diuersi de beatitudine diuersa sentiunt, & desideriorum suorum errores sectantes, ad beatitudinis portum per deuia peruenire proponunt. Sed quicquid illi existiment, istud est ratum, istud est Catholicum, quod illi solùm sunt beati, quorum remissæ sunt iniquitates & tecta sunt peccata.* Si ergo hi, quorum tecta sunt peccata, quasi stellæ velo opertæ, solum ex Pontificio Decreto beatitudinis titulo gaudent: quis non dicet, eas esse irreprehensibiles, de quibus sic beatis ac rectis dicit Apostolus, *Quis accusabit aduersus electos Dei*? Deficit, deficit culpa per pænitentiam, vt Ambrosius probat, *Omni enim, qui pœnitentiam egerit, & lacrymis proprijs peccata defleuerit, bene dicitur, Deficit iniquitas tota: ideo deficiente materia iniquitatis, deficit materia reprehensionis, & iure dicitur, Irreprehensibilis vir*. Sic vbi senior Filius, ceu innocens Stella, radios expandebat in sphæra paternæ domus, Patri dicens, Numquam mādatum tuum præteriui, velum indulgentiæ ei addit Chrysologus, demonstraus id non ex innocentia, sed accidisse ex venia, sic enim fatur, *Hoc tibi non innocentia, sed Patris venia dedit, quia multa caritate delicta filij maluit tegere, quā nudare*. Dum autem pænitentem Prodigum velat, gloriosiorē reddit, nam gloria velat iuxta oraculum Isaiæ, *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & quasi lana alba erunt*. Vbi Caietanus, *Per albedinem niuis & lanæ, significatur gloria, nam peccata, quæ merebantur vindictam, reddētur per diuina gratia largitatem, materia gloriæ*. Hinc obseruat Chrysologus Patrem Prodigo filio, nō quamlibet dedisse stolam, sed stolam primam, nempe, *Illam, quam Adam perdidit immortalitatis gloriam sempiternam*. O pænitentiæ statuam gloriosam, innocentiæ stola splendidam, niue ac lanæ gloria velatam.

Gregorius Papa in Ps. Pęnitentiales. Psal. 2.

Ad Rom. 8.

Ambros. ser. 9. in Ps. 118. de littera Thau.

Chrysolog ser. 4. de duobus Filiis.

Isa. 1. 18.

Caietanus hic.

Chrysologus ser. 5. de duobus Filijs.

CIRCVLVS VIII.

Animæ pœnitentium, sicut velatæ statuæ, maioris pretij sunt, quàm innocentium.

12 SEd ab Astris ad Artifices si descendas, inuenies apud

Plin. lib. 36. cap. 5.

Plinium, *Praxitelem duas fecisse Veneres, alteram velata specie, quam ob id quidem prætulerũt optione: non velatam alteram etiam eodem pretio detulisse, immensa tamen differentia famæ*. Sic hominũ, immò animarum statuarius, & innocentes animas formauit, & pęnitentes: illas absque velo, has velo opertas, & vtrasque amoris simulachra & figuras. Sed velatas prętulit optione, velatæ resonant immensa differentia famæ, & pro velatis datur pretium maius. Hinc Ecclesiasticus, *Est qui multa redimat modico pretio, & restituēs ea in septuplum*. Idque ex Lyræ tono, idem sonat, ac si diceretur, *Est qui multa redimat, id est, peccata: modico pretio, id est, parua pænitentia respectu peccatorum: & restituens ea in septuplum, id est, multipliciter, vel in Septenarium gratiarum Spiritus sancti, nam vbi abundauit delictum, aliquando superabundat & gratia*.

Eccli. 20. 12

Lyranus hic

13 Vide statuas duas Magdalenam cum velo, Martam absque velo: hanc innocentem, illam vero pænitentem: & considera diuersitatem pretij vtriusque, atque inter vnam, & alteram diuersam nimiũ famæ celebritatem, ex quo æstimare poteris practicè, quod theoricè describebamus. Vide & Magdalenam, quæ ex pulchro & beato numero pænitentium vna est, immo est & prima, quam noster Psaltes & lætabundus extulit, & beatam cecinit, *Beati quorum tecta sunt peccata*. Siue id agat Deus, vt Chrysologus docet, *Per vim amoris delicta non videns:* Siue id eueniat, vt Victor dicit, *Indulgentia sua dono nuditatis turpitudinem operiendo*. O pretiosum velamen, o gratiosum operimentum. Tu si nõ primam, secundam ad minus mereris beatitatis palmam. Hanc ergo in fauorẽ illius aureus stylus protulit sententiam, *Prima est felicitas in peccatorum turpitudinem non venisse: sed felicitas est secunda, peccatorum veniam peccatis latentibus inuenisse. Hoc Propheta senserat, qui dicebat, Beati, quorum remissa sunt iniquitates: & quorũ tecta sunt peccata*. Sed prima felicitas est Angelorum, secũda hominum. Et si inter homines reperies Baptistam, qui in peccatorum turpitudinem non venit, tanta est pænitentię virtus, vt possit te in illum transformare, vnde Nouariensis Episcopus te hortatur, *Ipse tibi esto Baptista*.

Psal. 31. 2.

Chrysolog. ser. 3. de duobus filiis.

Victor Cartenuensis Episc. de Pęnit. c. 6.

Chrysolog. ser. 34. de filia Archisynagogi.

Laur. Nouar. Episc. hom. de Pęnitentia.

CIRCVLVS IX.

Lacrymæ & confessio maculas culparum, auro operiunt, & pretiosiorem animam reddunt.

14 SI marmorea statua, in qua materiam superabat opus, casu, indelebili macula sic obducitur, vt & candorem perdat, & eius pretium pereat: vbi aurifex illustris atterit primum, deinde splendenti eam operit auro, quis ignorat, quod ita reparat lapsum, vt perditio vertatur in lucrum, damnum in donum, iniuria in honorem, macula in munditiam? Idem & vos iudicium ferte de viuæ statuæ figura, quam anima gerit, vbi si marmoreo candori æquatur innocentia, maculas præseferunt culpæ, aurificis locum tenet amor, & aurum repræsentant lacrymæ: quis non videt, quod dum maculæ auro operiuntur, statuæ pretiosiores reddũtur? Si huius assertionis fide iustiorem quæritis, en se Gregorius offert, *Quia ad pretium æternæ salutis, peccatorum turpitudines atterũtur, flendo deaurantur. Et dum eadem commissa attentius lugemus, in iustitiæ splendorem membra deaurantur*. Bone Deus, & quis philosophicum hunc non æstimet lapidẽ, diuinumque nõ extollat operimentum, quo summus Pater prodigum ad se reuertentem redimit osculo, claudit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fædaret? Hinc Chrysologus, *Pater sic curat filij vulnera ne filio cicatricem, nauum filio ne relinquat, Beati, inquit, quorum remissa sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata*

Greg. Papa lib. 3. in cap. 6. 1. lib. Regum.

Chrysol. ser. 3. de duobus filijs.

cata. Et paterna pietas non cumulate satisfecisse putat innocentiam reparando solam, vult insuper, & perditam reparari gloriam, pristinum restituere, & honorem. Hinc stola prima induit illum: hinc dat annulum in manu eius: & hinc redditei, vt æstimat Augustinus, *In stola prima dignitatem, quam perdidit in Adam: & in annulo pignus Spiritus sancti.* Sic, sic Spiritu principali confirmat illum, annulo oppignorat, gratia stabilem reddit, innocentiæ stola exhornat, gloria & honore coronat.

Augustinus relatus à D. Thoma in catena sup. c. 15. Lucæ.

15 Sacerdotibus tale onus, & onus graue imponebat Deus, *Portabitis iniquitates sanctuarij:* Vel vt Origenes legit, *Portabitis iniquitates sanctorum.* O nouum onus, o admirabile mysterium! Quomodo coniugi potest terra cælo, & iniquitas cum sanctitate? Si iniquitate premuntur, quomodo sancti dicuntur? Et si sanctitatis pēnis eleuātur, quomodo plūbea iniquitate grauantur? Respondet Origenes, & legis cautelam notat, quæ sanctorū peccata sacerdotes portare iubet, nam si sacerdos cōfessarius est, qui confitetur peccata sanctus est. Sic ergo fatur, *Ideirco cautè, & significanter sermo legis designat, quia Pōtifices & sacerdotes, non quorumcūque, sed sanctorum tantummodo sumūt peccata. Sanctus enim est, qui peccatum suum per Pontificem curat.* Sed qua arte, immo, qua gratia illud curat? Curat vtique, dum pęnitens, non se irreprehensibilem asserit, sed reprehensibilem astruit: & non se peccatorem negat, sed se peccatorem accusat. Chrysologus in hac lite sententiam ferat, *Et quis est peccator, nisi qui se peccatorem negat? Magis ipse peccator est, immo, vt verius, dicam, ipse tam peccatum est, qui se iam non intelligit peccatorem. Et quis iniustus, nisi qui se indicet iustum? Si cupis misericordiam, confitere peccatum. Et intra domū misericordiæ cum Christi venia, ne eum tua iustitia extra domum misericordiæ puniar is exclusus.* De incantatis domibus finxerunt Poetæ asseruerunt & Prophetæ, quòd ca-

Num. 18. 1.

Origenes.

Origenes hom. 10. in Numeros

Chrysolog. serm. 30. de Matthæo.

rū lumen calcantes in nouos homines cōuertebantur, vnde & Deus per Zachariā dicebat, *Ponā Ierusalem superliminare crapula.* At in domum misericordiæ ingrediens peccator dolēs, & peccata cōfitēs, mutatur in innocentem, & sanctior euadit per veniam, quàm fuerat antę culpam. Si fideiussorem tam diuitis ac dignę promissionis quæritis, adest Archiepiscopus Rauennates, asserens, *Apud calestem Patrē filius surgit plus de venia, quàm corruit de reatu.* Sed quo peruenit hęc sublimitas, qua pœnitens de venia surgit? Si Baptistam consulis, pro termino habet cœlū, sic enim peccatores hortatur, *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum celorū.* Et si Damianū adis, inuenies pœnitētiæ & cæli immediatos esse confines, ita enim fatur, *Inter pœnitentiam & regnum calorum nihil est medium.* At plus vltra præsumit pænirentia, nec sibi sufficere putans confinium cęli, sublimius erigitur supra cælum, surgens plus de venia, quàm corruit de reatu. Sed si graue reatus pondus in statera iustitiæ locatum, traxerat hominem in profundum, quodnam illi opponetur pondus tanti oneris & grauitatis, quo possit illa supra cælos erigi? Non quidem aliud nisi cælestis Parentis amor, qui videns pœnitētem, *Cecidit super collum eius.* Si casus causā quis quærit, Chrysologus illam reddit, *Vt amoris onere, onus tolleret peccatorū.* Sic, sic supra cæli confines pænitens surgit, dum confinium habet cum Rege cælorum: & eorum fines ita coniuncti sunt, vt collum collo, os ori, & mutuò vniātur amplexu: nam, *Cecidit super collum eius pietatis affectu, peccata redemit osculo, clausit amplexu.* O mirum amoris onus, quo Pænitentia ductus, qui corruit de reatu, surgit de venia: & qui longè erat, non regno cælorum appropinquat, sed confiniū statuit cū Rege cælorum: qui prope sit, qui collū collo iūgit, qui vnit os ori, & qui sic illi adhęret, vt fiāt osculo vnus Spiritus, & stricto ab illo claudatur amplexu.

Zachar. 12. 2.

Chrysolog. ser. 3. de duobus filijs.

Matt. 3. 2.

Petrus Damianus ser. 50.

Luc. 15. 20.

Chrysolog. ser. 3. de duobus Filijs.

Idē Ibidē.

Ver-

VERSIO TERTIA.

In Psalmi Primi, Versiculi Primi, Partem Primam. Ex Theodotione, & Quinta, ac Sexta editione. Perfectus ille Iunior.

CIRCVLVS I.

Concordantur versionum Toni, vir & iunior, iunior & perfectus.

1 DIssoni, prima fronte, videtur Ioni, *Beatus vir, & perfectus iunior: dissugnant toni, vir & iunior & perfectus: nam si vir, quo modo iunior? Et si iunior, quomodo perfectionis attigit metam*, cũ Paulus asserat, *Quando factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli?* & cum de iunioribus, in Prodigo figuratis statuat Chrysologus, *Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ nil relinquunt?* Sed cum eodem Chrysologo omnem discordiam ad c n cordiam reducemus. Adolescentior illæ planè, non ætate, sed sensu: at iunior noster, non sensu iunior in medium deducitur, sed ætate: is enim, & vir dicitur & iunior, & puer & perfectus, & iunior & senex, senectus enim venerabilis est, non illa quidem quam annorum numero spatiisque metimur: sed illa, qua, Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Sic enim Bernardus Abbas & demonstrat & docet, *Quamcumque ætatem Dei gratia præmaturam, cum multos videamus iuniores super senes intelligere moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare virtutibus.*

1. cor. 13. 11

Chrysolog. ser. 1. de duobus Filiis.

Idem Ibid.

Bernardus Epist. 42.

CIRCVLVS II.

Nõ minus mirabilis Deus ad perfectionis culmen pueros acerbos extollens, quàm ætate maturos.

2 SVmmis olim laudibus extollebatur à Plinio Phidias, ille, sculptorum facile princeps, dù ad magnitudinem eius amplificandam, non Iouis Olympii pulchritudinẽ, nõ Mineruę Athænis factæ amplitudinẽ, extollit sed paruum scutum, in quo Amazonum prælũ cęlauit, & alias imagines multas ac miras insculptas, vnde ita concludit, *Hæc sint obiter dicta de Artifice nunquam satis laudato, vt noscatur illam magnificentiam æqualem fuisse & in paruis*. Idipsum nobiliori tamen modo de summo Sculptore videre mihi videor, non enim mirabilior in Moyse iam sene: quàm in Samuele puero: nec admirabilior in Petro, quàm in Ioanne iudicatur, vnde subdit Bernardus, *Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata, Et sicubi huiusmodi puer senex promotus inuenitur, opus Dei est*. Nec melius, ni fallor, dicere poterat, ex hoc enim clarè noscim' Dei magnificentiam ęqualẽ fuisse & in paruis. Si fuit admirabile pictoris opus, non minus in paruo scuto quàm in amplitudine magna: quis non æstimet mirabiliorẽ Dei artem, dum in tabula rasa pueri ac iunioris consummati in breui, tempora multa depingit, seniles mores, canasque figurat virtutes? Vertit moralis Philosophus litem hãc

Plinius lib. 36. cap. 5.

Bernard. Ibid.

Seneca Ep. ea 74.

inter ſenes & iuniores in rem ſuā, eamque ſic dirimit, *Sapiens nihilo ſe minoris æſtimat, quòd virtutes eius ſpatio breuius clauduntur, & ex duobus Sapientibus, qui ſenior deceſſit, non eſt beatior eo, cuius intra pauciores annos terminata eſt virtus maior, quam longior*. Concordant ergo ſoni, ſi Ambroſio præſtatur fides, *Beatus vir, & perfectus ille iunior: cuius ſenectus venerabilis, non canis, ſed meritis albeſcit*.

Ambroſius lib. 3. Epiſt. 11.

CIRICVLVS III.

Iuuenis mortuus vitijs, quaſi Phenix eſt paruula & ſenex.

3 IN Dauidica Schola doctrinā hanc apprehēderat Ieremias, dum ſuum quoque adoleſcentem cum viri habitu, ſic produxit in ſcænam, *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius*: Vel ex Ambroſio, *Sedebit ſingulariter*. Dic amabo, ò Propheta, quomodo vir, ſi adoleſcens? & quomodo adoleſcens, ſi vir? Mediolanenſis Præſul aperuit mihi & ſenſum loquutionis, & ſemitam reſponſionis. Ea enim lege qua immortalis Phęnix, dum ligna colligit, dum rogum fabricat, dum Solem aſpicit, dum alas excutit, dū ignem accendit, & voluntaria moritur, & renaſcitur naturaliter, & filia de nouo fit, quæ mater fuerat: iure optimo dici poteſt, & grandeua & iuuencula, & ſenex & paruula: Ita adoleſcens iſte, ſingularis Phęnix, iugum portans, vitijs moriens, virtutibus renaſcens, & puer eſt, & grandeuus, & adoleſcens & vir. Vnde ſubdit Ambroſius, *Antequam graui oneretur ſarcina peccatorum, tulerit iugum in iuuentute, ſingulariter ſedebit, non enim pluribus conferendus*: en Phænicem depingit. Statimque ſubnectit, *Quaſi is, qui facile non inueniat æqualem, ſingularibus donatus præmijs*: en ſingularem auem, en adoleſcentem & ſenem, en perfectum en & iuniorem, en virum beatū, en iuniorem felicem.

Thren. 3. 27.

Ambroſ. ſer. 19. in Pſal. 118. ver. 2.

Ambroſ. Orat. de Obitu Valentiniā

Idem in Pſ. 118. ſer. 2. ver. 1.

CIRCVLVS IV.

Quomodo poteſt iunior vel dici, uel eſſe perfectus.

4 SEd ſi ambiges cum Pontifice Leone, *Hæc ſit perfectorū vera iuſtitia, vt numquam præſumant ſe eſſe perfectos*: & ſi addes cū Auguſtino, *Iſta eſt perfectio hominis, inueniſſe ſe non eſſe perfectum*: quomodo congruit hic iunior & perfectus? Hauriam ipſe reſpōſum ex Philoſophantium doctrina, qua docetur motum talis eſſe naturæ, vt idem ſit realiter cum termino: incipit enim in termino à quo imperfecta forma, quæ per media fluens, in termino ad quem recipit perfectionem. Eadem etiam forma, Perfectus dici poteſt, & eſt, iunior viam ingrediens perfectionis, ſemper tendens ad terminum, & indeſinenter implens præceptum, *Eſtote perfecti*. Audi Nyſſenum hanc regulam te docentem, & ſimul te hortantem, vt minora aggrediens, extendas te ad maiora: vt parua non dedignans, attingans & magna, *Nam, etſi totum conſequi nequeas, tamen in rebus omnibus, quæ natura bona ſunt, non paruum eſt lucrum, vel partem earum aliquam conſequi, ita vt ad altiora ſemper in virtute, ac bono velis aſcendere: idipſum forſan humana natura perfectio eſt*. Perfectio eſt, quæ acquiritur per profectum: & fructus eſt, quem paulatim producunt flores, quia ſicut nos terminus coniungit perfectioni, ab imperfectione motus, ſic ſeiungit.

Leo Papa ſer. 2. de Quadrageſima.

Auguſt. ſer. 50. de tempore.

Matt. 5. 14.

Gregorius Nyſſen. in lib. de vita Moſis.

CIRCVLVS V.

Idem Iustus, & imperfectus dicitur, & perfectus.

5 CVm ergo perfectionis natura talis sit, qualis & definita est, non verebor ad Orbis huius sonum, *Perfectus ille iunior:* contrarium pugnantemque addere tonum, Imperfectus ille iunior: vterque enim verus est, vterque concinnus, & inde magis consonans, vnde forte videtur magis dissonans. Audi hanc ex contrariis harmoniam à rapto in tertium cęlum, *Non quod iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Quid dicis, o Doctor Gentium? Vel verum fateris asserens, Non quod perfectus sim: & falsum subdis addens, quicumque perfecti sumus vel verum, confiteris dicẽs, Quicumque perfecti sumus, & falsum erit, Non quod perfectus sim. Et conueniam te cum Chrysostomo, *Nam si non assequutus es, si non es perfectus, quomodo iubes perfectos hoc sequi, quod & tu sapis, qui non es perfectus?* Respondet primò Chrysostomus, *Hæc enim perfectio est; hæc est vera perfectio, qua sibi minus confidit.* Respondet Anselmus *Erat perfectus viator, sed nondum perfectus patriæ comprehensor.* Respondet Bruno. *Erat perfectus in virtute, sed imperfectus in Dei cognitione.* Respondet Ambrosius, *Duplex est forma perfectionis, alia medios, alia plenos numeros habens: alia hic, alia ibi: alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuram.* Respondet Fulgentius, *Fuit perfectus spe futura glorificationis, fuit autem imperfectus onere corruptionis.* Respondet Augustinus, *Apostolus & imperfectum, & perfectum se dicit: imperfectus cogitando quantum ad iustitiam illi deest, cuius plenitudinem adhuc esurit & sitit: perfectus autem, quia, & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & vt perueniat, bene procedit.* Breuiorẽ tamen, & ad motus ac termini a n bis descripti, aptiorem reddunt, & Clemens, & Doctor Angelicus responsionẽ, *Quod sit liberatio à malis initiũ est salutis, soli qui vitæ fines attigimus, iã perfecti sumus.* Perfectus ergo iunior est, dum viam aggreditur perfectionis.

Ad Philip. 3. 12.

Chrysostomus hic.

Ansel. hec

Bruno hic.

Ambrof. lib. 3. Offic. cap. 2.

Fulgen. lib. ..ad Monimum c. 15. Aug lib. 3. con. duas Epist. Pelagianorum.

Clemens Alex. lib. 1. Pædag c. 6 D. Th. lect. 2 in c. 3. ad Philip.

CIRCVLVS VI.

In Scala Iacob perfectio figuratur.

6 QVemadmodum in scala Iacob perfectio figuratur, per quam, vt Zeno docet, *Ascendunt iusti, qui probis moribus per gradus diuinorum obseruantia præceptorum, quotidie spiritualis itineris gloria feruntur in cælum:* Ita iunior, qui in hac scala vitæ pedem ponit, & virtutis apprehendit iter, perfectus pariter dicitur, atque imperfectus: imperfectus, quia nondũ ad terminũ ac metã peruenit: perfectus, quia perfectionis viã est ingressus. Hinc est, quod Psaltes, qui hic iuniorem & perfectum describit, & beatum: alibi beatitudinem illius in ascensione constituit ac locauit, *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit:* Vel ex Hebræo, *Semitas altas, disposuit.* Quæres quænã sint huiusmodi ascensiones, quæ ad altiora promouent, ad superna extollunt? Euthymius ita respondet, *Ista sunt bona quadam cogitationes, per quas veluti per scalam ad alta & diuina dona conscẽdimus.* Et Nyssenus sic docet, *Quòd magnus ille Moses, cùm semel per scalam, in qua Deus innixus erat, vt Iacob dicit, ascendere cœpisset, numquam stetit, numquam terminum motus nouit, sed semper de gradu in gradum ascẽdebat, neque desistere poterat altior gradus.* Et bene dixit, cùm enim ascensus iste sit caritate duce, quæ

Zeno Episcop. Ver. in Serm. de Somnio Iacob.

Psal. 83. 6.

Hebræus.

Greg. Niss. de vita Mosis.

altiorem viam demonstrat: & hæc non terminetur nisi in Deo, qui est immensus, & infinita gaudet perfectione: qui fieri poterit, vt actibus caritatis nostræ, qui finiti sunt, deficere possit semper altior caritatis gradus? Cùm ergo, vel cæpisse perfectionis motum, perfectionis mereatur nomen: & rectè, & iure dicitur perfectus ille iunior qui viam perfectionis adoritur, & per scalæ huius gradus eleuatur. Idipsũ apparuit in Orbis creatione vbi, si quæras, cur nõ dixit Moses, Factũ est mane, & vespere, sed vespere, & mane, dies vnus? Respõdet Gotfridus, *Bene post vesperum sequitur mane, quia vesper significat perfectionem operis, mane autem in choationem.* Quasi diceret, dum ad vesperam perfectionis te peruenisse putas, reuertere ad mane inchoationis, & obserua præceptum, *Cùm consumatus fuerit homo, tunc incipiet: & cum quieuerit, aportabitur*: Vel ex Regia, *Tunc idigebit*; id est extremam suam inopiam fateri cogetur, quæ ex quiete oritur, dum ad anteriora non extendit seipsum. Hinc Leo Papa docet, *Quantumlibet quilibet iustificatus sit, habet tamen dum in hac vita est, quò probatior, & perfectior esse possit.* Ex quo fit, vt cor Iusti anxium, varijs arctetur motibus desideriorũ, & fluctibus fluctus, & affectibus nouos semper addat affectus, nũquam quiescens, ne aporietur, sed semper vltra vadẽs, & proficiens, donec in mortis littore fluctum cum flatu cõstringat. Hinc Chrysolog. explicãs verba, quibus quasi coloribus eximius pictor Lucas iustitiam parentum Baptistæ depinxit, *Erãt amboiusti ante Deũ, incedentes in omnibus mandatis Dei*: clarè demonstrãt perfectæ iustitiæ viam in continuo, nec vmquam intepellato motu ascensus huius scalæ locatum esse, ita enim fatur, *Incedentes, dixit, vt eos ostenderet cucurrisse virtutibus, non stetisse: & ambulasse in via iustitia, non sedisse: nec remansisse in itinere mandatorũ, sed ad mandatorum plenitudinem peruenisse.* Hosque beatitatis Coronam, ac felicitatis brauium hoc pertinaci cursu obtinuisse demonstrat, subdens, *Ascendisse iustificationum vertices, extollet mandatorum, nec in aliquo titubasse, est gratiæ singularis, est vnica felicitatis insigne.* Pendatur Verbum, *Felicitatis insigne*: & antiquorum mos recolatur, quo benemeritis insignia tribuebantur magistratuum, vnde scribit Tacitus decreta fuisse Narciso quæstoria insignia à Claudio Cæsare: nec solum signa & ornamenta ob virtutem quęsita, sed insignia laudis dicuntur & gloriæ, vnde Cicero, *Insignia virtutis multi sine virtute assecuti sunt*: At Iusti incedentes in omnibus mandatis Dei, & euntes de virtute in virtutem, virtutis ac felicitatis insigne, iure optimo sunt assecuti.

Stephanus Cantuar. apud Gotfridum in Allegorijs sup cap. 1. Genesis.

Eccli. 18.6.

Regia.

Leo Papa in serm. de Ieiunio.

Luc. 1.6.

Chrysolog. ser. 91. de Annunc. & Concep. D. Io. Baptistę.

Idē Ibidē.

Tacitus.

Cicero App.

CIRCVLVS VII.

Perfectus dicitur iunior, qui perfectionis ingressus est viam.

7 CVm Adagium verum sit, *Dimidium facti, qui bene cæpit habet*: Cui mirum si iunior, qui bene cæpit perfectionis iter, dimidium habens facti, & iure dici possit, & sit perfectus? At si bene incipere nullus vmquam potest nisi à cælo: en Iuuenes, Paulus senex, sic hortatur, & roborat, *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet*: vt in Deo fisi, bono animo sint, pro cõperto habentes, vt Tridentinũ statuit, *Quod Deus nisi ipsi homines illius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet.* Explicat ergo Paulus, nedum, quod nos dicebamus, non posse homines bene incipere, nisi à cælo, sed nec aliquid posse perficere nisi è cælo: vt enim clare demõstrat Augustinus, *Cum diuinitus adiuuatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionẽ adiuuatur, sed vt perficiat vsque in finem.* Inde Ecclesiasticus te docẽs, vt magister te monens, vt pater tale tibi consilium præbet, *Fili, a iu-*

Ad Philip. 1.6.

Cõcil. Trid. sess. 6. c. 13.

Aug. lib. 4. Aduer. Iulian. c. 3.

Eccli. 6.18.

iuventute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam. Vbi te ita Palatius interpellat, *Disce Iuuenis, & vsque ad canitiem semper licebit sapientiam inuenire, & in ea perficere. Cùm enim sapientia sit dilectio Dei, eius luce resplendens, ab eius gratia dimanans, vt in gratia dimanans, vt in gratiis, dilectione, & fide licet semper, dum viuimus proficere: Ita & in sapientia semper vsque ad canos proficere licebit.* Et quid mirum? vel cui nouū? Facit hoc amor, facit, cui nemo frenum, metam ponit nemo, vbi enim cetera modum habent, modus diligendi Deum est, ex Bernardo, *Sine modo diligere.*

Palatius hic.

Ber. in trac. de diligédo Deo in principio.

CIRCVLVS VIII.

Christus non bibit vinum senectutis sine lacte infantilis ætatis.

8 VT autem hunc summum perfectionis gradum pes possit attingere attingat etiam nūc adhuc infans virtutis viam. Hinc Sponsus Sponsam inuitans, vt in illius hortum descendens ascenderet, proposito cibo alliciens, exposito poculo attrahens, sic addebat, *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo* O nouum deliciarum genus, quis audiuit vmquam tale? aut quis vidit huic simile? Lac quidem dulce est, & vinum suaue: si tamen vino misceatur lac, vel lacti vinum, quis nesciat ex tali mixtione ita corrumpi, vt nec palato sit gratū, nec saluti aptū. Sed, ò salutare & cæleste documētum. Comedit cælestis Sponsus lac vino mixtum, non enim disiunxit ætatem infantiæ à senectutis ætate, Si vinum lac senum est, & lac est vinum infantium, vtrumque simul aut comedit, aut respuit, altera enim ætas sine alia apud Deum non inuenitur, sed qualem quis se gerit erga Christum dum coma nigrescit, talem se geret etiam cū canescit: & si gratum illi offert cibum in iuuentute, nō minus gratū offeret etiam in senectute. Id totū & eleganter & breuiter docebat ibi Ambrosius, cùm dicebat. *Paruulos consolationis sua lactat vberibus, vt ablactati in deliciis, in plenitudine perfectæ ætatis adolescāt.* Sic, sic quos paruulos lactat, adultos inebriat, canos replet bonis, perficit senes.

Cant. 5. 2.

Ambro lib. 1. de Caim & Abel c. 5

CIRCVLVS IX.

Ab vberibus, immo, à ventre matris cursus virtutis est capessendus.

9 INitia operum, & optima, & quàm cita, variis coloribus descripsit antiquitas. Aliquando Tertullianus ad Adagium illud, *A linea incipere*, arcum tendens, dicebat, *Age igitur ad lineas, rursus & ad gradum.* Aliquando Aristophanes eodem sensu, sed diuersis coloribus, *A repagulis, dixit, siue carceribus:* sumpta methaphora ab his qui cursu certāt in stadiis: nam iis linea quædam ducitur, ad quam ex æquo stent, donec currendi signum accipiant. At de puerorum motu per cæli viam, non à carceribus, non à repagulis, non à lineis, sed ab vberibus, immo à ventre matris cursus est auspicandus. Hinc Dauid, *In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus.* Sic legit Ambrosius, & sic admirabundus exclamat, *Tantum valet institutio, vt vincat naturam.* Verum, ipse canā, Tantum valet Christi gratia, vt vincat naturam, atque adeo eiusdem Archiepiscopi auctoritate fretus, id asseram, quod ex ipso hausi, qui ita aiebat, *Habet & Christus qui in pueritia sua æui maturi vicerunt, vt Daniel puer spiritu valido, seniores illos redarguit Iudæorum, & de victoria iure deiecit in mortem. Habet & alios, qui priusquam nascerentur, in matris ventre luctati sunt. Denique Iacob fratrem supplantauit Esau, & malum vicit, atque ita* de

Adagia. Tertul. lib aduer. Marcionem.

Aristophanes in Vesp.

Psal. 21. 11.

Ambrof. li. de Cain. & Abel c. 2.

Ambr. in enarrat. sup. Psal. 37.

de vtero matris exiuit, vt victoria insigne monstraret, & pedem sentoris degeneris, victor inuerteret.

10 O miram Dei prouidētiam in puerorũ educatione, cùm enim Iacob ab eo eligeretur, vt grandeuus luctaretur cum Angelo, dispo suit, vt antequàm nasceretur, cum fratre in angusto stadio vteri materni agonem aggrederetur, & virtutis ac victoriæ ornatus insignibus egrederetur. Quis huic neget perfectionis nomen? Quis paruulo nondum nato, perfectionis titulũ non concedat? Et quis in gloriam noui triumphi, pro ætate immaturi, maturi pro virtute, hymnum non canat, Perfectus ille iunior? Et sane sic, qui infans, nedum iunior luctans cum Esau, Esau vicit: grandeuus vir, ac luctator, & Angelum vicit, & Deum. Vtramque victoriam breui encomio extulit Hoseas, *In vtero supplantauit fratrem suum: & in fortitudine sua directus est cũ Angelo*: Vel ex Septuaginta, *Praualuit erga Deum*. Vbi obseruat Lyranus, fortitudinem datam Iacob, & per quam præualuit, homini, Angelo, & Deo, recte dici fortitudinem suam, *Id est, quã habebat à natura sua, & non datam à Deo ad horam.* Notandum verbũ, *A natura sua*. Si enim vera est Philosophorum doctrina, illud haberi à natura, quod à natiuitate, vel à ventre matris habetur, iure à natura data asseritur Patriarchæ fortitudo in lucta, qua ad Deum, & ad Angelum inualeret, quia in fratrẽ iam ab vtero inualuerat, & à repagulis, & à carceribus materni vteri arduum auspicatus fuerat luctandi agonem. Hose. 12. 4. Septuaginta Lyran. hic.

CAELI DAVIDICI
VERSIO QVARTA.
Ex Thargum apud Pagninum, Bonum viri.

CIRCVLVS I.

Bonus nunc dicitur vir, qui iam perfectus iunior dicebatur, Bonum enim & perfectum idem sũt.

1 IVre, ni fallor, encomia Iusti ita commutãtur, vt modo perfectus vir dicatur, modo vero beatus appelletur. Vt enim nos etiam Angelica docet Schola, *Omne ens inquantum est ens, est in actu, & quodamodo perfectũ, quia omnis actus perfectio quadam est: perfectum enim habet rationem appetibilis & boni. Vnde sequitur, omne ens, inquantum huiusmodi, bonum esse.* Cùm autem hæc bonitas, & perfectio transcendentalis, communis sit omni enti, merito ad Iusti imaginem depingendam, & bonitatis magnus candor, & perfectionis magnus additur rubor, vt singularis appareat vel viri, vel iunioris beatitudo. Declaremus hoc totum cum D. Thoma, sic enim ipse loquitur de bono. *Modus, species, & ordo, tamquam generalia bona sunt in rebus à Deo factis, & ita hæc tria, vbi magna sunt, magna bona sunt: vbi parua, parua bona sunt: vbi nulla, nullum bonum est.* In beato autem viro, iuniorique perfecto iam descripto, in quo apparet bonitas magna, modus magnus, magna species, & ordo magnus, magna simul perfectio, & beatitas admirabitur magna.

D.Tho. 1. p. q. 5. ar. 3. o.

Idem ibid. art. 5.

2 Basilius tres distinxit beatorũ species. In primo gradum summũ bonum est, de quo ait, *Est sanè quiddam, quod peculiari ac primaria* Basil. hom. sup. Ps. 1.

acceptione beatitudinis prædicari debeat beatum, quod vere bonum est. Hoc ipsum est Deus. Re vera enim, id beatum, quod per se bonum, ad quē respiciunt omnia, quod vniuersa cupidè expetunt, thesaurus numquam exhauriendus. In vltimo vero gradu deceptos, collocat mundi amatores ac rudes, nam rudes & amantiores mundi vim boni ipsius ignorant, ipsi enim,

Idem ibid.

Sæpe, quæ nullius sunt momenti admirantur, & beatitudinis habent loco, vt diuitias, sanitatem, vitæ splendorem, quorum nullum ipsa sui natura extimandum est bonum, eo quòd possessores suos nihilo meliores reddere valeant. Medium autē locum tenet verè beatus vir, bonus ac perfectus iunior, qui vera possidet bona, vnde ait, *Beatus igitur ille, qui quæ plurimi sunt habēda, possidet, quique eorum particeps est, quæ nullis queunt modis conuelli & auferri.* Notanda verba, *Thesaurus nūquam exhauriēdus.* Est enim Deus thesaurus lucis, qui ea lege, qua non mutuato splēdet lumine: eadem & mutuati luminis detrimenta non sentit, dum lumen bonitatis varium, variè diffundit in varios,

Iacob. 1. 17.

Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum:

Alij.

Vel vt Alij legunt, *Omnis donatio bona. vel boni.* Sicut ergo, Alia est clarita Solis, alia Lunæ & alia Stellarum: Ita alia claritas est Angelorum, qui ex Nazianzeno,

Greg. Naz. Orat. 2. in Pascha.

Lumina quædam sunt participata, & vocantur Angeli lucis, primario Dei fulgore collucentes. Alia Apostolorum, nam ex Hieronymo,

Hieronym. apud Pac. lib. 4. c. 34.

Pater est luminum, qui dixit, *Vos estis lux mundi.* Alia aliorum, in quibus diuersitates gratiarum sunt.

CIRCVLVS II.

Summum bonum diuersimodè diffunditur in diuersos.

3 HInc Petrus Cellensis, ab eadem omnibus bonis referta manu, varias sic varijs distribuit sortes, sic & partes.

Petr. Celle li. de panib. cap. 19.

Plena est manus Dei, cui tam in promptu est, vniuersæ creaturæ suæ desideria reficere, quàm etiam singulorum votis respondere. Ex profusione enim sua, numquam fit pauperior, qui dona suorum suorum largitione extat semper gloriosior. Recipit enim, cùm erogat: refluit, cùm effluit: quia idem donat, & donando accipit: quia & suum est, quod dat, & suus est cui dat: suum est quod erat, suū est, quod Creaturæ suæ donat. Cum aliquid creat, suum est: cùm aliqua creata creaturæ suę donat, nec vires excutiuntur creantis in creatione omnium, nec opes exhauriuntur donantis in distributione suorum munerum. Is ergo vniuersæ familiæ gentium panes frangit miserationum suarum, & cum incomprehensibili quidem æterni mysterij profunditate, Tribubus, & populis, & linguis, & nationibus competentes dimensus esset portiones, vnum tandem, in quo communicaret omnis conuentus fidelium, panem destinauit ad inferiores partes terræ. Hinc & priuata singulorum exatiauit desideria, & vno misericordiæ suæ gustu, omnes impleuit esurientes animas. Quod ex Bernardo miro confirmatur modo,

Bern. ser. 5. de sanctis.

Sunt enim Sancti de cælo, sunt Sancti de terra: itemque eorum, qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, alij iam in cælo.

CIRCVLVS III.

Iugum Dei senibus graue, Iuuenibus leue.

4 HOc autem bonum hisce coloribus describitur à Ieremia,

Thren. 3. 27.

Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Vbi si cum Hilario legas,

Hilarius in Psal. 118.

Bonum est iuueni viro, cùm fert iugum graue à iuuentute sua: & conferas

Matt. 11. 30.

Pheciæ verba cum verbis Principis Prophetarum, qui ad iugum leue nos vocans, T*ollite iugum meum, inquit, iugum enim meum leue*: Iure poteris repetere verba Gregorij, N*umquid aliud iudex nuntiat, & aliud praeco clamat?*

Greg. hom. 37. in Euan.

Si enim graue, quomodo leue? Et si leue, quomodo graue? Forte pro vario statu subeuntium iugum: variatur, & iugum. Nam qui in senectute illud tollit, graue onus tollit: qui autem in iuuentute, vsu terit, ac leue reddit. Hoc docet Seneca, *Cogita, inquit, compeditos primò egrè ferre onera, & impedimẽta: deinde, vbi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fort ter ferre docet, consuetudo facile*. Idem, & Ambrosius dicit, *Non solum tollere iugũ verbi, sed in iuuentute debemus tollere. Si enim serò tollas, incipies magis pœnitentiam lapsorum habere, quàm tenere gratiam. Hoc enim debilitatis est remedium, illud robur salutis medicina vulneri quaritur, gratia sanitati: ideoque, ait, Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua*. Vbi Archiepiscopus Mediolanensis pro eodem accipit, Bonum est viro, ac sanum est, virtus enim, quam in iuuentute discimus, sana est, nec vllo morbo laborat. At si quis ætate senior ad pietatem animam applicet, virtutẽ nanciscitur infirmiam, debilẽ, ægram, multis morbis obnoxiam, atque ita grauẽ, vt de ea dici possit, quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam.

Senec. in li. de Tranqu. animi c. 10.

Ambros. in Ps. 118. ser. 1 ver. 2.

CIRCVLVS IV.

Virtus grauis lapis, a Iuuenibus leuiter eleuatur, a Senibus vel egrè, vel vix.

5 ET forte hæc monita dirigit Ecclesiasticus ad illud, quod Hieronym' his verbis refert, *Mos olim fuit in vrbibus Palestina, vt in pagis oppidisque, rotundi ponerentur lapides grauissimi oneris, ad quos iuuenes exercere se solerent, & pro magnitudine virium quisque subleuare conaretur, atque adeò alij ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros & caput, nonnulli etiam supra verticem, seu iunctis, seu seorsim adductis in altum manibus, pondus eleuabant*. Virtus ergo, vel Christi iugum, aut onus, alijs quidem leue est, alijs vero graue: graue senibus in vitijs enutritis ab adolescentia, qui imbecilles, ac propemodum virtutibus destituti, in illo ferẽdo, & eleuando, probari dum contendunt, non demorabuntur proijcere illud. Cõtingit enim illis, quod idem Hieronymus de se ipso sic, refert, *In arce Athenienſium iuxta simulacbrum Minerua vidi sphærã æneam grauissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi mouere vix potui*. Idipsum inueterati dierum malorum experimento cognoscunt, cùm in senectute onus pænitentiæ, potius quam virtutis eleuare volunt, nam adeo graue sentiunt illud, vt in illo eleuando, probari dum contendunt, non demorentur proijcere illud. At iuuenes ab infantia ad onus eleuandum assueti, vix onus sensient in senectute, & de quolibet eorum verificabitur, *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua, eleuabit enim se supra se*: Ita legit Basilius, & ita exponit, *Habitator etenim suus se eleuat supra se, quia Deum exurtens anima à terrenarum se obtutibus erigit, & in diuina contemplationis arca suspendit, atque in altum contemplationis cælestibus desiderijs pennas librat, vnde non modò onus eleuat, sed ad ipsum vsque pietatis Auctorem totus iam aliger volat, & virtute duce, à terrenorum affectuum pondere liber, vitijsque eradicatis, cælum victor ingreditur. Tanta consuetudinis vis est*.

Hierony. in com. sup. c. 13. Zachar.

Hiero. ibid.

Thren. 3. 28

Basil. in op. de laude vitæ solit.

CIRCVLVS II.

Tyronibus clypei duplò grauiores in initio tradebantur, leuiores in bello: ita iuuenes virtutis onus in adoleſcentia ſumentes, in ſenectute non ſentiunt.

Vegetius li. 3. de re militari.

6 VEgetio referente iam nouimus militiæ magiſtros tyronibus ſuis, & clypeum & gladium duplo grauiorem tradere ſolitos, vt tempore belli, & gladium & clypeum leuioris ponderis aſſumentes, nec onus, nec pondus brachia, nec defatigationem ſentirent manus. Hac lege, hac arte, & hac induſtria & gratia, iuuenes in tyrocinio virtutis paleſtram ingredientes, & onus præceptorum Dei ſubeuntes, dum fortiter illud amplectuntur, ac dum aſſiduè illud ferunt, & vſu leue illud ſentiunt, & conſuetudine iam facile experiuntur. Contra vero ſenes duplo grauius onus & iugum in imbecilla infirmaque ætate aſſumentes, vel debiles cadunt ſub onore, vel defeſſi proijciunt nouum onus. Audiamus Hilarij ſententiam ex Domini exercituum ſtatuto prolatã, *Vult Dominus longi prælij militem, vult eum Christi ſeruum, quem ne ipſa quidem præteritorum criminum recordatio polluat, nam in his, qui iam prouectioris ætatis crediderunt, ineſt quidem per donum gratiæ præteritorum indulgentia, ſed non abeſt per conſcientiæ naturam geſtorum recordatio. Bonum, inquit, iuueni ferre iugũ graue. Onus iſtud maturi ad obediendum anni ægrè ferunt. Ceterum ætas tenera grauis oneris moleſtiam per virtutis incrementa non ſentit.* Quo nihil aptius, meo quidem iudicio, dici poterat, vt par demonſtraretur miles mortalis Imperatoris, & immortalis. Sicut enim illi duplo grauius clypei pondus in immatura ætate ſumptum, in matura leue redditur, & nullius ponderis: Ita & huius ætas tenera, grauis oneris moleſtiam per virtutis incrementa non ſentit.

Hilarius in enarr. ſup. Pſal. 118.

CIRCVLVS VI.

Bonum duplex iuuenis habet, ab incunabulis virtutem amplectens: oppoſitum euenit in ſenibus.

7 BOnum viri. Hoc vnum bonum, duplicem, ex omniũ votis, includit ſenſum, vel enim pro facili ſumitur, vel ꝓ perfecto: vtrumque autem metet in ſenectute, qui prudens, illud ſerit in iuuentute. Ea enim forma, qua in pleno, non minus dierum, quàm vitiorum, vt videre eſt in ſene, & inueterato dierum malorum, nec locum habet vegeta bonitas, nec ſedem reperit perfecta virtus, nec ſuis partibus integra iuſtitia reperitur, hæc enim inconſtans eſt, & inualida, niſi multo labore, multo ſudore, & multo, ac diuturno tempore ſit parta: Eadem & norma, ſed ſuperiori oppoſita dum iuuenis ætate, ſed ſapientia ſenex: par uulus annorum numero, ſed prudentia grandæuus: nigros proferens in corpore capillos, ſed canos geſtans in animo ſenſus: qui ante cæpit proficere, quàm viuere: ante arma rapere, quàm membra durare: ante aciem petere, quàm lucem haurire: ante vincere mundum, quàm mundum noſcere: & ante ſuperare naturam, quàm a vitijs, & ab hoſtibus impugnari: dum ab incunabilis amplectitur ſapientiam, a ventre matris in virtute verſatur, a nutricis vberibus bonitatẽ haurit, perfectã ſic illam reperit in ſenectute, ac ea numeris omnibus abſoluta ſic fruitur, vt in ea natum cenſeas, in ea educatum, perfectũ in ea vixiſſe, & conſummatum in ea ſtudium, atque ſtadium conſũ-

Ambrof. in Pf. 118. fer. 1. Verf. 1.

masse. Explicet tandem,& coloret Ambrosius has diuersas dotes,hæc munera sic diuersa. *Ei, qui post decursa iuuentutis annos iugum tulerit, non est statim perfectum bonum, stimulant enim eum peccata sua, exagitat consitentiam consuetudo peccandi, & vsus erroris stabilem facit. Luctandum est multum huiusmodi viro, vt abolere faciat inueterata, atque diuturna. Huic in periculo par est, illi in bono. & sedebit ille singulariter, quasi is, qui facile non inuenit æqualem, singularibus donatus premijs, & solus, segregatus à meritis plurimorum.*

CIRCVLVS VII.

Bonum viri iusti non potest sermonibus explicari.

Plato in Apologia Socratis.

8 NEmo miretur hæc videris Ambrosium docere, cũ Platonem audiat eadem præmonere, sic enim fatur, *Id vnum cogitare verum est, viro bono nihil mali accidere posse, neque viuenti, neque defuncto, nec res illius a dijs negligi.* Quis autẽ valeat bonũ viri, vel breuius, vel elegantius explicare? O Isaias, tibi hoc delegatum est munus, vt viri moderati beatitatem, vt Iusti felicitatem describeres, *Dicite iusto quoniam bene.* Notanda est cum

Isai. 3. 10.

Forer. hic.

Forerio, *Construo illa, quæ non minimam emph sim habet, generale enim documentum edicit, quod alia mente reponendum esse sua illa breuitate significat quasi dicat, Discite ò mortales hoc sentite, hoc prædicate, quòd iustum esse sit bonum, id est, amabile, volupe, iucundum, vtile, & gratum, hæc enim omnia significat vox hebræa,* טוב ton

Hebrea vox

Et cum ipse legat, Dicite iusto quòd bonum: addite vos, Bonum viri iustum esse. Sed supplete cum Lyrano concisionem, *Quoniam bene erit sibi in retributione.* Nec dedignemini hanc addere retributionis iustam mensuram, quã vt Seneca simul dicit, & docet. *Iacet intra nos Spiritus, sedet bonorum, malorumque obseruator, & custos: hic prout a nobis tractatus est. ita ipse nos tractat.* Et multo melius cum magno Theologo has definite mensuras, nam, *Deo, tamquam certissimo funi omnes, tam sapientes, quàm fortes: tam diuites, quàm pauperes hærent, vt enim Dei mensuram, vita nostra mensura sequitur: ita vita quoque nostra, mensura Dei respondet.* Ille ergo, qui singulariter non inuenit in meritis æqualem, singularibus etiã donatur premijs: & de eo dicitur, Bonum viri, cùm enim ipse longã mensuram totius vitæ, & omniũ dierum Deo tribuerit: ei addit prodigus Remunerator Deus, & longitudinem dierum, & æternam gloriæ retributionem.

Lyran. hic.

Seneca in ep. 41.

Greg. Naz. in orat. de se ipso.



CAELI DAVIDICI VERSIO QVINTA.

Ex Caietano, *Beatitudines viri*: Ex Hebræo, *Felicia illi viro*: Ex Chaldæo, *Bonitas illius viri*.

CIRCVLVS I.

Quomodo nunc plurale, nunc singulare, nunc beatitudinis, nunc felicitatis vsurpatur nomen.

1 NON minus discordãtes videntur hæ versiones in titulo, quàm non concordantes in numero. Ibi singulare sonat. Beatus, Irreprehensibilis, Perfectus, Bonum, Bonitas: hic resonat plurale, Beatitudines, Felicitates, felicia, laudes: inibi intonatur beatitudo, Felicitas hic auditur: quomodo ergo harmonicam formabunt concordiam, si discordes voces, discordes, & sonos reddũt? Dicendũ quod Hebraicum nomen, אשכר Aschare, vel deducitur a radice, תאר Touar, quod est adiectiuum, diciturque de vno, & de pluribus, prout adiecta vocabula talia exigunt: vel à דבר Dauar quod est substantiuũ, a radice, אשר Ascher, quod ex se habet singulare, & plurale, & ex signis singularitatis & pluralitatis appositis, debet dignosci. Interpres Vulgatæ accepit in singulari, accipitur ab aliis in plurali, ita vt radix, quæ pro illo protulit germen vnum, plura proferat & pro istis. Et si is colligit vnam, hi plures legunt beatitudines, felicitates multas. Neque hæc varietas translationũ mysterio vacat. Cùm enim beatitas, & felicitas siue in via nascatur, siue noscatur in patria, vna formaliter, & dicatur, & sit: insita autẽ est tanta aggregatione virtutum, totque bonorũ surculis, vt merito, nunc ille in singulari, tamquam ad formam respiciẽs: nunc isti in plurali, quasi ad altitudinem perfectionum dirigentes oculos illam variè extulerint, verterintque sic variè, vt esset diuinus cursus, non discursus humanus. Cur autem felicitas loco beatitudinis ponatur, magna quidem difficultas esse videtur, quæ ex eo manat, quia vt Plutarchus de Solone refert, cùm Crœsus aurum, argentum, omniaque quibus abũdabat ambitiosè ostentasset, dicẽs, *Nonne beatus tibi esse videor? Respõdit, Immo felicem te iudico, beatum omnino negauerim: nam beatum dicimus, qui ad extremum diem in felicitate permanserit.* Quo ergo sono ad consonantiam reuocabuntur hi soni, Beatitudo hinc, felicitatis inde? Profectò non alio nisi felicitatẽ a felicitate, & beatitatem a beatitate in Choris propriis collocando: nam illa cantat in via, hæc in patria canit. Hinc Dauid duplicem describens iusti beatitudinem, duplicem reddit & vocem, modo præsentem in virtute & iustitia locatam: & postea futuram in visione & gloria constitutam modo præsentem, quæ & habetur & labitur, nisi Ioannis monitum impleatur, *Tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam*: quod est dicere, si Ruperti sequaris consiliũ, *In humilitate certo pede consiste, ne moto pede, corruas, & corruendo coronam tibi paratam amittas*: Et postea æternam, quæ, & stabilis est, & status est omnium bonorum aggregatione perfectus, vnde nec potest vmquam ab aliis auferri, nec a beato, aliquo casu, vel incursu, amitti.

Plutar. in vita Solonis

Apoc. 3. 11.

Ruper. Ab. lib. 2. Comment. in c. 2. Apocal.

Ideo

Ideo Psaltes vtramque Iusto felicitatem adscribit, affirmans, vtraque quodammodo felices Iustos donari, ac propterea nunc felices format adhùc certantes, & dubios in via:& nunc beatos figurat iam inconcussos in patria, atque regnantes in æterna gloria.

CIRCVLVS II.

Felicitas Iustorum non minuitur per mortem, sed augetur.

2 FElicitates autem in plurali numero Iustum solantur, quoniam illum, & in vita & post mortem,& in terra & in cælo, & in anima & in corpore,quasi certatim beatificare conatur. Naturæ indagator Plinius hęc de pictore Archesilao refert, *Ab hoc factam Venerem genitricem in foro Cæsaris, & priusquam absolueretur festinatione dedicandi positam. Deinde eidem a Lucullo .S. LX. signum Felicitatis locatum,cui mors vtriusque inuiderit.* (Plin. lib. 31. cap. 12.) At ipse dicam caritatis atque felicitatis iustorum signis in templo Dei dicatis, ipsis viuentibus mors non inuidet, sed fauet: non filum incidit,sed annectit: non tollit, sed sustollit:non minuit,sed cumulat: non hominis naturam tantùm regit,sed supra naturam hominum Iustum eleuās erigit. Nam, *Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: (Sapien. 4. 7.) Vel ex Græco, *In requie erit*. (Græcus.) Et iure dicitur, *Prœoccupatus*, qa bene occupatum numquam occupat mors, ne forte, si superueniens,præuenerit,perfodiat domū, & sanctum germē extinguat. Ideo, vt Bernardus optime docet, *Iustus mortem, etsi non cauet, tamen non pauet. Moritur quippe iustus, sed securè, quippe cuius mors, vt præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris.* (Bernardus in Epist. 105) Inde fit,vt caritatis,& felicitatis viua signa incæpta quidem, sed nondum perfecta,& absoluta dicata in vita,non inuidente morte,sed perficiēte, in refrigerio, & in requie collocatur, *Bona proinde*, subdit Bernardus, *Mors iusti, propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem.* (Bernard. Ibid.) Hæc ille,fausta prædicens,serenitatem lucis,nouitatem regni, & requiem opulentam promittit Iusto post mortem.

CIRCVLVS III.

Panis, quo cor Iusti in hac vita confirmatur, duplicem faciem habet, gratiæ,& gloriæ.

3 PRæcepta varia de panum vel compositione,vel oblatione,ab eodem Deo legimus nūc data Moysi, *Pones super mensam panes propositionis*: (Exod. 25. 30.) Vel ex Oleastro, *Panē facierum*: facierū vtique, vel quia ante eius faciem semper erāt, vel ex eo, quod quattuor angulis figurati,quattuor facies referebāt: (Oleaster hic in 1. Adnotat.) nunc lata per Ezechielem, *Facies tibi panes numero dierum, quibus comedes super latus tuum*. (Ezech. 4. 9.) Si autē quæras,quid panis? quid mensa? quid facies? quid latus figurant? Dicam, quod mensa est anima, panis Spiritus, facies gratia & gloria, latus sinistrum sæculum pręsens,& dexterum futurum. In vtroque autē, sed diuersis modis felicitate potitur Iustus,& vir beatus. Audiamus Cellensem, qui colorat, quæ ego figuraui. *Non est in præsenti latus dextrum,in quo quiescentes pane mūdo & nudo, facie ad faciem, sed gloriā Domini contemplando satiabimur: nō in mensura & pondere sicut nunc accipientes breuem & modicam retributionem, sed sine mensura totum videntes, & totum bibentes, quod est gloriæ, quod est gratiæ, quod est pacis, & quod est iubilationis. Interim super sinistrum quiescentes, quibus nos possumus consolationibus foueamus, quibus possumus consolemur, donec a latere sinistro in dextrum conuertamur.* (Petr. Cell. lib. de Panib. c. 18.) Mathematici docent per lineam intersecantem illud fieri, vt quod erat dextrum, transeat in sinistrū:

& quod finiſtrum erat, euadat dextrum. At ipſe de Iuſto dicam cum Bernardo, quod iure gloriatur, & canit, *Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: laua enim leuat, & dextera ſuſcipit. In laua merita: in dexterâ premia continentur. In laua ſpes plena gaudio, in dextera res plena gaudio.* In vltima verò linea rerum, lineæ tali lege interſecantur, vt hoc finiſtrum dextrum euadat, & præſens gaudium in futurum tranſeat. Vnde ſubdit Celleſis, *A præſenti namque tribulatione & dolore liberati, eſt à ſiniſtro latere in dextrū conuerti: futuris gaudijs, & beatitudine recipi, eſt in dextero latere dormire, ſupponitur læua ſponſi interim ſub capite noſtro: ne deficiamus in via, panes apponuntur, & ſi non quales erunt in patria exultantium, ſaltem quales meretur inopia exulantium eſurientiū: anima enim eſurienti etiam amara dulcia ſunt, nā hoc appetit eſuriēs, quod ſatur faſtidit.*

Bernardus ſer. 4. in Vigilia Natalis Dom.

Idē Petrus Cell. ibidē.

CIRCVLVS IV.

Iuſtus ſimilis viri bis parturienti fructus, nempè in terra & in Cælo.

4 Vitis priuilegium eſt, ex decreto illius, qui naturæ à ſecretis fuit, nec dabitur alteri, quòd bis parturiat, *Vitis ſola bis parturit, cùm primum emittit vuam, iterum cùm digerit.* Et Iuſtorum vita hoc ab Auctore gratiæ ſingulari dono ditata eſt, vt bis felicitatis parturiat vuam, primam in via, in Patria ſecundam. Hinc Pſalmorum Pater, iuſti felicem vitam viti huic concinnam canens æquabat. *Vxor tua, ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.* Cui Zeno Epiſcopus ſuauem addebat ſymphoniam, *Hæc timentis Deum vxor, totius domus ſuæ, lateribus diffuſa fecunda vitis modo, ſe per omnia operum noſtrorum latera extendit.* O vitem verè vitalem, quæ ſola bis parturis, quæ ſola geminos producis fœtus, & fructus. O Iuſtum verè beatum, qui nedū fructus comedis, ſed & labores, & cithara perſonante gaudes, dum audis, *Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit:* Et choro reſpondente lætaris, dum ſperas, *Quia labores fructuum tuorū manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Dicet fortaſſe aliquis cum Zenone, *Quòd nō cōſequitur intellectus humanus dicti huius intelligentiam, ex laboribus enim fructus eſt, non ex fructibus labor: deinde labor miniſterium corporis eſt, fructus verò merces laboris.* Et ipſe etiam cum Zenone ænigma ſoluam dicamque, *Labores fructuum animam noſtram in vita alentem eſſe bona opera, caſtitatis, miſericordiæ, patientiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum noſtrorum vitia laborandum eſt. Horum laborum fructus in æternitate eſt, ſed labor æternorum fructuū hic comedētus eſt: hi enim in præſenti animam ſaturant, hi in futuro ſuis fructibus proſequuntur.*

Plinius lib. 6. c. 25.

Pſ. 127. 3.

Zeno Epiſc. Ver ſer. in Pſal. 127.

Pſ. 125. 2.

Zeno ibidē.

Idē ibidem.

5 Vbi videre mihi videor Zenonem duplicem nobis proponere vitis fructum, vnum in guſtu virtutis, alterum in fruitione Domini virtutum: primum in merito, in premio ſecundum: illum in labore, hunc in renunciatione laboris. Nec mirum, ſi labor virtutis fructus dicatur, & fructus beatificans iuſtos, eorumque deſiderium explens, cùm, & Plato ſic aſſerat, *Vera virtus cupiditates, quæ meliorem efficiunt virum, explet.* Illius ergo fructus beatum in hac vita Iuſtū reddunt: illius vero effectus beatū in futura vita conſtituunt, ita vt vita Iuſti vitis dicatur & ſit, quæ ſola bis parturit, & partus illius binos ſic Propheta deſcribit, *Beatus es, & bene tibi erit:* Vel ex Chaldęo, *Beatus es in præſenti, & bene tibi erit in futuro.* Cōfirmetur hoc ipsū a Zenone *Vtriuſque huius tēporis beatitudinem Propheta demonſtrat, dicēs, Beatus es, & bene tibi erit. Quorum alterum in præſens obtineas, quod beatus es: quod vero bene tibi erit, repoſitum eſt in futurum, quia interim labor futurorum fructuum mādücetur.* Sic enim philoſophatur & Eſaias Abbas, *Qui negotiatur, lucrum faciet,*

Plato in Gorgia.

Pſ. 127. 2.

Chaldæus.

Zeno. Ibid.

Eſaias Ab. Orat. 16.

nec

gaudio animæ Deo ser uientis.

nec considerat quos labores pertulerit. Miles pro Rege suo pugnans, mortem despicit, vt corona donetur. Hæc istius mundi sunt opera, & qui ea faciunt, gaudent. Quod cum ita sit quonam gaudio affici debet animus ille, qui Dei se addixit seruituti: & in eo studio se nouiter gerit, cum considerat Angelos sibi ex hac vita discedenti obuiam venturos gratulaturosque, quòd ex potestate tenebrarum fuerit liberatus. Tunc comedet, quorum nunc labores manducat.

6 Quæret fortasse aliquis, qui fieri potest, vt ij labores, qui sunt sudoribus mixti, fructus dicantur suaui melle referti? & quomodo possunt vmquam conuenire in vnum angustia & latitudo, luctamen & leuamen, tribulatio & cõsolatio, amaritudo & dulcedo, tristitia & gaudium, & malum insuper, atque bonum? Hæc quidem non noua inquisitio est, sed nimis antiqua & à Dauide sic proposita, *Multi dicunt quis ostendit nobis bona?* Et ab eodem Dauide sic exposita, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Quemadmodum nobilium virorum gentilitia stemmata, res a maioribus præclare ac fortiter gestas sub quadam imagine adumbrant: Non aliter Deus ac Dominus exercituum, quasi argumentum præbuit cælestis gloriæ atque felicitatis, lætitiam & felicitatem, qua in terris, ex dono gratiæ Iusti fruuntur: in quorum forte, non Solis iubar, sed vultus Dei, velut insculptus, etsi occultus exprimitur. Hinc Bernardus cum Deo loquens, nosque docens, dicebat, *Adhuc signatum est super nos lumen vultus tui Domine, & licet non plenam, habent tamen lætitiam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebis eos lætitia cum vultu tuo.* Sed quis silentio obuoluet, quæ idem subijcit, dum modum explicat, quo in labore fructus, in ieiunio satietas, & in fletu risus obuiãt sibi, & in corde Iustorum osculantur? Declarans enim ipse verba Ioelis, *Conuertimini ad me in toto corde vestro:* quærit, Quando? Et subdẽs, In ieiunio, fletu & planctu: admiratione plenus, ita exclamando, inquirit, & inquirendo exclamat, *Mira res, itane in ieiunio tu versaris, in fletu degis, & in planctu habitas? Iustus autem in lætitia & exultatione: qui verò nondum Iustus est, nonnisi in ieiunio fletu & planctu resipiet?* O quam benè nobiscum agitur pro statu isto, vt dum comprehensores reuelata facie Deum videntes beatificantur: viatores sub virtutis suaui velo, velo ex ieiunijs pallido, ex flagellis purpureo, ex zelo puniceo, & ex margaritis lacrymarum candido, Deum velatũ contemplantes, felicitentur.

Psal. 4. 7.

Bernard. ser. 2. in Festo omnium Sanctorũ.

Ioel. 2. 12.

Bern. ibid.

CIRCVLVS V.

Deus amicis in terra cibos dat, dabit in cælo potum.

7 INter fercula & pocula, quæ amicis atque conuiuis Sponsus & liberalis parat, & prudens pocillator propinat, dicens, *Comedite amici, & bibite & inebriamini carissimi:* Eam mihi videre videor differentiam, qua amicis & caris esculenta: carissimis verò & amicissimis exhibeat pocula. Sicut enim inter cibum & potum, illud omnes ex gustu agnoscimus discrimen, quòd quæ mandimus, cum labore aliquo dentibus terimus: at quæ bibimus, nulla difficultate in stomachum demittimus: Eadem ferè forma, eademque lege cælestis Architriclinus in hoc sæculo commorantibus cibum parat, amicissimis vero in beata mensa accubantibus cratera miscet. Peregrinantibus dicit, Comedite amici: regnantibus, Bibite & inebriamini Carissimi. Nos enim terimus cibos cum difficultate, illi pocula exhauriunt cum facilitate. Explicetur hoc totum mellifluo Bernardi eloquio, dulcique stylo, *Prius comedũt, dum in carne adhuc corruptibili degunt: postmodum, ve-*

Cant. 5. 1.

Ber. ser. 52. ex Paruis

ro, carne exuti, & in cælum translati, iam bibere dicuntur ea, quæ prius comederant, quia iam sine specie cõtemplantur & sine labore, quæ prius per fidem crediderant, dum in corpore positi peregrinantur à Domino, vt in sudore vultus sui vescerentur pane suo. Nec mirum, quòd tã varium sit inuitamentum Sponsi illius, qui transfigurat se in multiplices formas, & in figuras varias se transformat, desiderabilis tamen semper, semperque amabilis, *Caput enim eius aurum optimum, & comæ capitis eius, sicut elata palmarum, nigræ sicut coruus.* Si tamen quæras qua arte, quaue gratia varium caput illius modo fulgeat auro, & modo nigro tegatur colore? Ne mireris super hoc, nam varium est, quia variorum caput est: & immortalibus splendet aureus, mortalibus sublucet fuscus. Comprehensores enim dum Fontem lucis, nimia luce aspiciũt circumfusum, aspiciunt & aureum, quia beati sunt, & felices: viatores autẽ non reuelata facie gloriam Domini speculantes, pænitentiæ obnubilati velo, lacrymarum obducti nube, vel subfuscum respiciunt, vel nigrum: nigrum, sed pulchrũ, nam nigredo non sic ei aufert pulchritudinem, quin dicere possit, Niger sum, sed formosus. Audiamus Bernardum has varias qualitates in vno eodemque capite admirantem. *Etenim vtriusque est caput vnum, sed non vno modo membris omnibus exhibetur, quibusdam enim exhibetur caput hirsutum spinis, inclinatum in Cruce, vt humilientur pariter, pariter compungantur: quibusdam gloriosum apparet, vt ab ipso glorificentur.* O varietas rara, o cara satietas.

Cant. 5. 11.

Bern. ser. 5. in Festo omn. Sanct.

CIRCVLVS VII.

An in Cælo, an in terra speciosior Sponsus appareat.

1 ADhuc sub Iudice lis est, pendetque in libra iudicium anceps, an dulcior & spectabilior Sponsus discernatur dum in cælesti patria Sanctos glorificans, se illis offert auro redimitus, flauis comis ornatus, lumine amictus & ætherea luce coruscus: an amabilior atque delectabilior decernatur, dum in terrestri incolatu Iustos beatificãs, denigratus apparet, caput demõstrat spinis crudelibus haustum, crines sanguine cruẽtos, & sanguinolẽta sub ipsis cõpressos oculos, eosque luce carentes: arentem linguam, & felle venenatam: pallentem funere vultum, collum comem, manus clauis fixas, tractos lacertos, ingẽs lateri vulnus, fossos pedes, arctus cruentos, lacerum corpus, & vndique diua pluens sacrũ cruorẽ, sanguineumque fluorem? Profectò ignoro an possit in hac dubia lite iusta proferri ab aliquo iusto sententia. Vnum tantum scio, quòd si Iustus in patria beatior, in exilio mirabilior æstimatur. Si omnium votis admirabilior æstimatur ars, quæ in organis singulariter fabrefactis ex aquarum decursu emittit sonum, quam illa, quæ argutis digitis sonum excitat: quis non decernet mirabilius esse cor Iustorum, dum ipsorum quilibet, quasi nouum & viuum organum, gratioso decursu lacrymarum, dulcem reddit sonum, choros agit suaues, cælestem canit symphoniam, diuinam personat melodiam, & vel inuenit, vel nouum efficit in terra paradisum? Sic Cellensis, *Aqua hæc paradisum irrigat, Ecclesiam, vt sit sine macula, lauat, aut facit, aut inuenit paradisum.* O lacrymæ potentia, ò mira cælestis regni architectonica.

Petrus Cellensis lib de Pan. cap. 12

9 *Erat homo peccati seruus, captiuus mortis, ac mancipij nexu malo Genio deuotus, erat idolorum vernula, vitiorum sentina, ac fortibus criminum vinculis illigatus. Sic tyrannis talibus, tantisque præstabat homo malam, & miseram seruitutẽ.* Sed lacryma fluẽte omnia fluunt, peccati seruitus soluitur, mors in vitam transit, dæmonum cadit potentia, idolorum æs diffunditur, vitia eliminantur, criminum vin-

Ex Chrysologo serm. 6. In Ps. 99.

cula dissoluuntur, seruitus in libertatem conuertitur, atque in Cælum inferi commutantur. Augusto sermone magnas hasce virtutes, mirabiles hosce effectus, excelsos hosce affectus vel aperit, vel claudit Petrus Cellensis, aiens, *Qui irrigatur Paradisus est*. Immo lacryma ipsa de tam rara metamorphosi, sic gloriatur, *Ego sicut aquæductus exiui de paradiso:* Vel ex Græco, *Exiui in Paradisum*: Vel ex Tigurina, *Vt aquæductus in Paradisum pertineo*. Trahit ergo lacryma è Cælo regnum, & vel facit in terra, vel inuenit Paradisũ. O lacrymæ lætæ, o aquæductus gloriæ, o felices æmula Paradisi, quæ rigant Cælum, terram diluũt, extingunt gehennam, delent in omne facinus lata diuina promulgatione sententiam.

Petrus Cellensis ibidẽ.

Eccli. 24. 41.

Græca. Tigurina.

CAELI DAVIDICI VERSIO SEXTA.

In Psalmi Primi, Versus primi, Partem primam. Ex Vatablo, & Felice, *Laudes viri.*

CIRCVLVS I.

Beati laudatorem vel expetunt, vel petunt.

1 Diximus supra hebraicũ verbũ אשרי Aschre vel deriuari à radice מאר Touar quod est nomen adiectiuum, & sic Vulgata accipiens, vertit, Beatus vir: vel à דבר Dauar, & est substantiuum, & sic beatitudines significat, atque laudes, vti hic accepit Vatablus, & transtulit, *Laudes viri*. Sed ipse de nouo petam, immo repetam cum Bernardo, *Ad quid ergo Sãctis laus nostra? ad quid glorificatio nostra, ad quid nostra hæc ipsa solẽnitas? Quo eis terrenos honores, quos iuxta veracem Filÿ promissionem honorificat Pater cælestis? Quo eis præconia nostra? Pleni sunt.* Pleni verè, sed in illa plenitudine, laudatores vel expetunt, vel exoptant. Peruenerat Alexãder ad eam mortalis gloriæ, quæ inanis est, plenitudinem, vt eo modo quo Sol, quorum per verticem transit, in eos diffuso lumine, aut nullam vmbram, aut valde exiguã facit: ita & ipse rerum secundarum euentu, & excessiuo dominationis splendore, omnem inuidiæ vmbrã peremit, atque extinxit. At in tanta gloriæ plenitudine, se laudatore, vel ita cupidum, vel sic ostendit indigum, *Vt cùm Nuntius quidam gaudio gestiens, porrectaque manu, rem prosperè gestam narraturus, Quid mihi, bone vir, dixit, magni nũtiabis, nisi nunties Homerum surrexisse?* Significans omnium rerum à se præclarè gestarum, vel memoriam, vel famam abolendam, nisi contingeret ei talis præco qualis fuit Homerus Achilli. Ita lætitiæ Sol tam altè super capita beatorũ transit, totque radijs omnes vmbras indigentiæ & fugar & pellit, vt de iis iure dicatur, *Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt*. Vbi etsi Forerio videatur similitudo sumpta à mulieribus, quæ onera ingentia imposita capitibus deferunt, quo fortè allusit & Paulus, cum æternum gloriæ pondus demonstrauit: attamen metaphora aptior sumpta est à Sole, & à Sole gloriæ, & à luminis pleno fonte, qui per quorum verticem vel trãsit,

Bernard. ser. 3. de Sanctis

Ex Plut. lib. de Inuidia & odio.

Ex lib 4. Apopht. vbi de Alexãp. num. 36.

Isaiæ. 35. 10.

Forer. hic

sit, vel hæret firmiter, totos illustrat, & omni gaudio sic replet, vt quilibet glorietur, & dicat. Plenus sum. Quid ergo in tanto felicitatis cumulo, & in tali beatitatis culmine remanet optandum? Non aliud, ni fallor, nisi Laudator.

2 Si ergo laudatorem, ô Beati, desideratis, *Lætamini in Domino, & exultate:* quia non Homerus surrexit ad vos celebrãdos, sed Dauid adest laudator, immo, vos laudat scientiarum Dominus. Hinc Augustinus caussam assignãs cur Psalmus iste careat inscriptione, dicebat, *Quia hic Psalmus propriam vocem Dei loquentis inducit, ideo titulum non habet, ne quid diuino eloquio præponeretur.* Sed lætior forte Nuncius est Doctor Gentlum, qui cuilibet Beato dignam linguam laudatricem assignat, *Tunc laus erit vnicuique*: petit Bernardus, *A quo?* & respondet, *A Deo. Magnus laudator, & vehementer ambienda laudatio. Felix commutatio laudis, vbi & laudare beatum est, & laudari.* Tunc, autem, dixit, & iure, nam ex eodem Bernardo. *Alij quidem iam secundum consummationem Sancti vocantur, alij iuxta solam adhuc prædestinationem. Latet ergo huiusmodi sanctitas penes Deum, clausa est, & clausa quodammodo celebratur. Sit ergo horum celebritas in corde Dei, quoniam nouit Dominus qui sunt eius, & ipse scit, quos elegerit à principio. Tu autem illorū lauda virtutem, quorum iam certa victoria est: illos deuotio extollat præconijs, quorum secure potes adgaudere Coronis.*

Ps. 31. 11. | Aug. de titulo primi Psalmi. | 1. cor. 4. 5. | Bernardus ibidem. | Idē ibidē.

CIRCVLVS II.
Laudandi sunt Iusti, quia in eis laudatur Deus.

3 Plato simul monebat, atque docebat, *Hymnos in Deos, & in optimos viros laudationes dumtaxat & poesim tantum illā in ciuitate, quæ hi laudantur admitti oportere.* Et Ecclesiasticus & se inuitat, & alios ad hoc hortatur, *Laudemus viros gloriosos*: Vel ex Syro, *Et ego laudabo viros gaudiosos.* Nos ergo simul & gratiosos viros, qui in terris degunt: & gloriosos Sanctos, qui in cælis regnant, laudibus extollamus, etsi omni laude nostra superiores extent, vtpotè sic gratiosi, & gloriosi sic, vt Regi gloriæ summam pareant gloriam, *Multam enim gloriam fecit Dominus:* Vel ex Tigurina, *Dominus per hos multam gloriam sibi peperit.* Sol, Cælum, & Astra magno splendore ornata, ac maxima pulchritudine decorata, eo tendunt, & ideo à Patre luminum creata sunt, vt in eis tamquam in speculis cernerent mortales illius gloriæ magnitudinem, canerent immortales illius gloriæ plenitudinem, quia, *Sol illuminās per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus eius.* Nam ex Lyrano, *Potentia Dei gloriosa relucet in Solis operibus, quæ sunt illuminare cætera corpora, renouare terram herbis, & floribus terræ nascentia, folijs, & fructibus, & sic de alijs effectibus.* Si ergo in hisce operibus Solis & sensu & lingua orbatis, tanta Creatoris gloria demonstratur, quis enarrabit pro merito gloriam, quam ipse meretur ob tot Soles, quot Iusti sunt, qui fulgebunt sicut Sol in cōspectu eius? Si Sol cælestis illuminat corpora: isti cæcis visum impertierunt. Si ille renouat terram: isti vitæ curriculo iam defunctos, ad vitam reuocant. Et si ille fructibus valles prata, montes, collesque coronat: isti & virtutibus oronantur, & meritis eximijs ac varijs coronantur.

Plato in dialogo de Iusto. | Eccli. 44. 1. | Syrus. | Eccli. 44. 2. | Tigurina. | Eccli. 42. 16. | Lyran. hic.

CIRCVLVS III.
Sicut Cęli spectatores Creatorem laudant, ita Sanctorum admiratores, celebrant Redemptorem.

4 De cælis canebat Psaltes, *Cæli enarrant gloriam Dei.* Sed ab eo petebat Chrysostomus, *Quomodo igitur narrant, dic mihi?*

Psal. 18. 1. | Chrysost.

homil. 9. ad populum de superstitione.

Vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, quomodo igitur narrant? Et ipsemet ad interrogata respondens, dicebat, *Per ipsum aspectum. Cùm enim videris magnitudinem, celsitudinem, situm, formã per tantum temporis permanere: tamquam vocem audiens, & ad aspectum discens, adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile opus creauit.* Sed si multo magis eminet atque splendet in Cælis animatis gloria Dei, qui & visu, & auditu mundo manifestant mirabilia operis eius, multò magis ex his erit & ipse glorificandus. O cæli noui, ò sidera sideribus clariora. Sicut Cæli luminaria ac sidera, cũctis indesinẽter, qui sub cælo sunt, fulgent: Sic & Sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones, omnibus in perpetuum singulari quadam excellentia lucent, omnibus in æternum bonorum operum formam tribuũt, omnibus qui sub Sole sunt, pietatis exemplum ostẽdunt: Angelus enim ad Danielem ait, *Tunc Iusti fulgebunt vt luminaria Cæli, & tanquam Sol, & Luna, & tanquam Stellæ in sæcula.* Duplici autem titulo Dei gloriam enarrant, tum qua qui eos vident, Deum glorificant: tum etiam, quo cæli carent, quia ipsi clara voce concinunt laudes Dei, æmulatores beatarum mentium, & cælestium Citharædorum sectatores. Et Bernardus id iam expertus, *Nihil ita propriè*, inquit *in terris repræsentat cælestis habitatoris statum, sicut alacritas laudantium Deum.*

Orig. in lib. 1. Iob.

Daniel. 13. 3

Bern. serm. 11. in Cant.

CIRCVLVS IV.

Iustorum memoria nedum laudibus, verum etiam encomijs celebranda.

5 INopinatò transiuimus a laudibus Iusti ad iustitiæ Auctoris laudes, sed non immeritò, nam & bonorũ Remunerator ita promisit, ita & exequitur, *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* Vbi Ephræm Syrus hanc commutationem obseruat, & hanc ita colorat, *Sicut hic ipsum honoras, talem ipse transitum præbebit ibi; & quãtum ei hic inseruis, tantum & ipse honorabit te ibi: sicut pecuniam, quã in nundinis exoluis, alibi recipies: ita & in laudibus Deo creditis in vita, & Deo solutis in terra, laudes a Deo cumulata redduntur post mortem, encomia a Deo exoluuntur in cælo.* Idquè, teste Hieronymo, fit cum vsura, *Plus enim accipimus, quàm dedimus, & centuplicato fœnore Christi promissa redduntur.* Sed quis enarrabit centuplicatum hoc fœnus? Salomon hanc summã attigit, non plenè compleuit, cùm dixit, *Memoria Iusti cum laudibus:* Vel ex Hebræo, *In benedictionem:* ex Chaldeo, *Memoria Iustorum benedictio:* ex Aquila, *Memoria Iustorum cum encomijs:* & ex Septuaginta, *Memoria Iusti cum encomio.* Encomium a laude hisce verbis distinxit Rhodiginus, *Laudem vel epænon vocitari aiunt testimonium de aliquo singulari virtute ornato, veluti, quum Aristidem Iusti cognomento decoramus. Encomion verò ex virtutibus compingitur omnibus. In hoc enim per omnia excurrimus, genus commemorantes, necnon educationem, gesta, & id genus alia.* Memoria ergo Iusti cum encomio, id est, cùm Iusti nomen ille tantum ferat, qui virtutis & honestatis omnes partes continet, hunc sanè decet encomium, quod est laus ex omnium virtutum affluentia promanans, & ex omnium cordibus, quasi chordis in vna cithara concordibus fluens. Repetatur, & pro quolibet Sãctorum Ambrosij encomium, *Nemo est laudabilior, quã qui ab omnibus laudari potest, quot homines, tot præcones.*

1. Reg. 2. 30.

Ephrem in Parænasi 41

Hier. in ep. 16. ad Pamachium.

Prouer. 10. 7. Hebræus.

Chaldæus. Aquila.

Septuaginta

Cælius Rhodig. li. 7. lec. antiq. c. 5.

Ambr. lib. 1 de virginib.

CIRCVLVS V.

Iusti per Virtutis templũ, ad honoris templum peruenerunt.

6 Sicut & olim Romæ non patebat aditus ad templum honoris, nisi per virtutis phanum, & iusti eam sequuti viam, laboriosam scilicet virtutis aggressi, nec per aliam ingressi portam, nisi per eam, in qua titulus legitur, *Hæc porta Domini, Iusti intrabunt in eam*, ad summã gloriã peruenere nam vt docet Bernardus, *Non recti, sed peruersi est animi ante quærere gloriam, quam exercere virtutem: & velle coronari, qui legitimè non certauerit. Et frustra ad celsitudinem nititur gloria, qui prius non clarnit virtute.* Sicut ex iure ciuili, *Partus sequitur ventrem*: vnde ancillæ filius seruus nascitur, liber a libera: ita gloriæ partus virtutẽ sequitur, eodem Bernardo iudice simul ac teste, *Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloria est. Fallax gloria, & vana est pulchritudo, quam illa non parturiuit. Ideo Regi gloria sic dicitur, Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Pulchrè non eorum, sed virtutis eorum gloria cõmendatur. Quæ enim sine virtute est gloria, profectò indebita venit, præpropera affectatur, periculosè captatur.* Omnino verum est, quod qui per aliud, quàm per ostium virtutis intrat in templum gloræ, fur est & latro.

Psal. 117. 20

Bern. ser. 1. de natali S. Victoris.

Lib. 1. ff. de Ingenuis.

Idem Bern. ibidem.

Psal. 88. 12.

CIRCVLVS VI.

Ambienda est gloria, sed Sanctorum.

7 Quod ergo eorum memoriam veneramur, laudabile profectò est: sed excitari præterea debemus ad eorum quoque gloriam feruentissimis studijs ambiendam. Dices, quomodo tua oratio meum cupidum animum ad ambitum hortatur, cum Esaias Abbas me ab ambiendo sic terreat, dicens, *Quemadmodum ærugo ferrum consumit, sic ambitio cor hominis rodit?* Sed ille de damnabili, ipse de laudabili loquor ambitione, quam si ambias, nec tibi ambitio in salutem fiet & tibi nouo ordine & lege noua æmulatio in bonum. Si mihi non credis, credas vel Bernardo, qui sic te docet, *Neque enim perniciosa hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ villatenus periculosa est. Nam quod dicimus, Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, huius temporis vox est.* In hoc ergo periculis pleno tempore, nec quærere gloriam licet, sed potius fugienda est concito cursu. Varij varia dicunt, rationem tradentes, cur Christus Magdalenæ præceperit, *Noli me tangere*: At ego cum Bernardo eodem philosophabor, & fatebor, incarnatam Sapientiam gloriam Patris esse, & insuper gloriolam à mortis resurrexisse, ac proinde Mariæ prohibuisse, ne hic gloriam tangeret, donec ad Patrem perueniret in cælo, *Noli me tangere, ait, nondum enim ascendi ad Patrem. Verbum gloria est, nempe Filius sapiens gloria Patris Noli ergo, ait, gloria, noli me tangere, noli interim quærere gloriam fuge potius, & vide omnino, ne me tetigeris, donec peruentamut ad Patrem, vbi sit gloriatio omnis secura.* Interim imitemur & nos Sanctorum vitam, qui gloriam hic tangere noluerunt, sed maluerunt illic & gloria & honore coronari. Addamus & Basilij documentum, reddamus & monitum, & exemplum proponamus cui conformemur, *Beatorum enim virorum vita, litteris tradita, velut imagines quadam viua diuinæ Reipublicæ, ad bonorum operum inuitationem proposita sunt*: & qui in hoc exilio eos imitatur despiciens gloriam, in Patria cum eis laudabitur accipiens honoris & gloriæ gloriosam coronam.

Esaias Abb. ser. de gaudio animæ Deo seruiẽtis.

Ber. ser. 5. in festo omniũ Sanctorum.

Ioan. 20. 17.

Bern. ibid.

Basil. epist. 1 ad Gregor. Nazians.

CAELI DAVIDICI VERSIO SEPTIMA.

In Psal. primi Versiculi primi Par. primam.

Ex Chaldæo apud Eugubinum, Bonitates illius viri.

CIRCVLVS I.

An Dauid femineum sexũ ab hac beatitudine excludat.

1 BEatus Dauid, qui secũdũ cor Dei inuentus est, à lege eius, apud quẽ non est exceptio personarũ, se elongasse videtur, dum virum tantum, & non feminam, prædicat esse beatum, nam Beatus vir, vel Bonitates viri, ex Græco dicitur ὁ ἀνὴρ, & ex Hebræo ההישין, Hehaisch, apud quos æqualiter significatur homo virilis sexus, & præsertim apud Hebræos articulus ה nominibus communiter significantibus masculinum & femininum, additus, demonstratiuus est sexus masculini. Et ly השין hascich siue deducatur à radice אש, quod significat flammeum ac igneum, semper virilem sexum, magis quàm femineum denotare videtur, tum quia Adam solus, & per se subsistens fuit creatus, femina verò, vt alterius adiutorium: tum etiam quia temperamentum virile longe calidius ac siccius est feminæ temperamento, & ignis magis in eo prædominatur, quàm in femina: ac proindè tùm ex Græco, tùm ex Hebraico, tum etiam ex hac versione mulier à viri beatitudine videtur exclusa. Proposuit Basilius nodum, & sic dissoluit, *Cur Propheta virum tantum selegit, quem beatum prædicaret: num feminas ab hac beatitudine excludit?* (Basil. hom. in Psal. 1.) *Absit, Nam vna virtus viri & feminæ est, quando par vtriusque creatio bonosque similis, & quia est vna vtriusque natura, præcipuo sexu vtrumque hominem voluit significare.* Quin etiam obseruant & Hebræi pro quouis homine sexus vtriusque nomẽ id vsurpari, quod ipsi dicunt esse המין שחן Sethem, hamin nomen speciei, quod vnũquemque, siue vnamquamque voluit denotari. Nam ex Chrysologi sensu, *Neque virum separat à muliere Christiana, quos Deus coniungit, natura sociat, & mira similitudine similes reddit habitus, forma componit, & facit Deus, vt sit homo vnus, duo: duo, vnus: alter ipse homo in copula coniugali: ne sit aut singularitas destituta, aut confusa coniunctio.* (Chrysolog. ser. 99. de parabola fermenti.)

2 Confirmatur & hoc ex doctrina Bar-cephæ, is enim dum interpretabatur verba Moysis. *Dominamini piscibus maris,* (Genes. 1. 28) ideo dicebat, *Plurali numero prolata fuisse, vt hæc, & illa, quæ ad Adamum locutus videri potest Deus sub eadem persona, ad vtrumque ipsorum dicta putemus. Nam quod scriptum est in Psalmo, Beatus vir, qui non ambulauit in via impiorum: ad vtrumque sexũ sub solius viri nomine spectat.* (Moses Bar-cepha comment. de Paradiso p. 1. c. 8.)

CIRCVLVS II.

Mulier masculinum animum inserere debet, vt beata dicatur, & sit.

3 DEnotat quidem, ea tamen conditione, vt mulier vi-

rilis sit, si in beatorum numero adscribi cupiat, vtque gestet in feminco pectore cor virile, si viri beatitudine vult gaudere. Præcipiebat Plinius, vt pro insitione surculi, ea legerentur, colligerentur & ea; *Quibus eadem corticis natura, quaque pariter florentia eiusdem hora germinationem succorumque societatem haberent, neue fixura in nodo fieret, repudiat quippe aduenam inhospitalis duritia: & ab humeris arborum orientem æstiuum spectantibus, & è feracibus, & è germine nouello, atque gẽmantes.* Sic, sic apta est & mulier, vt in molli pectore masculinum & firmum inserat animum, est enim inter vtrumque eadẽ corticis natura; cùm vterque & dicatur & sit arbor inuersa. Est pariter florens, ob eãdem imaginẽ, quam gestant & gerit. Succorum habent cõmunem societatem, ob gratiæ participationem, & gloriæ capacitatem. Non nodosam, sed mollẽ habeat mulier naturam, vt animi viri hospitalitate dignetur. Et si ab humero arboris Orientem spectantis surculum petere cupit, *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Si a feraci, *Generationem eius quis enarrabit?* Si à germine nouo, *Creauit Dominus nouum super terram:* Si à planta gemmante, gemmantem Crux ramum exhibet, & membris Crucifixi, quasi magaritis ornatũ. Hac lege, hac arte, quotiescumque mulier, matris Machabæorum æmulatrix, *Fortiter repleta sapientia, & femineæ cogitationi masculinum animum inserens:* id est, ex Lyrano, *Femineæ cogitationi, quæ est mollicie & remissione, masculinum animum inserens, qui tendit ad ardua, & difficilia:* Bonitatis ac beatitatis insito fructu, fœcunda non fœtibus, sed virtutibus, virago nomine, virilis opere, sexúsque victrix, in beatorum virorum albo describetur, & in ipsius triumpho canetur hymnus, Beatus vir.

Plin. lib. 17. cap. 14.

Zach. 3. 12.

Isa. 53. 8.

Iere. 31. 22.

Ecclesia in Festo s. Andreæ.

2. Machab. 7. 21.

Lyran. hic.

CIRCVLVS III.

Mulieres à viris distinguuntur, non sexu, sed sensu.

4 MIrum videtur, quòd omnium Creator, & omniũ Deus à sacrificio similaginis mulieres excluserit, maresque tantum his verbis admiserit, *Mares tantùm stirpis Aaron comedent illud:* cùm manus Creatoris in conditione muliebris sexus, non creauerit vel suæ bonitatis imaginem diuersam, vel similitudinem viro deteriorẽ: cùmque dicatur, Ad imaginem Dei creauit hominem, masculum & feminam creauit eos? Posset aliquis forte per iocum atque ludum & mulieres illudere, & nodum sic soluere, quòd cùm Feminæ vel sint, vel adeo appareant exterius simulatæ, vt similagini iure comparentur, si adderet & similam interius, totæ in similam vel ximiam verterentur. At ipse serius adderẽ, & Bernardi sententiam commutarem, Si non vescuntur cibo fortium, nisi vocati ad opera fortium; hunc cibum mulieribus à lege negari, cùm eis naturá, vel nouerca vel parca fortia facere negarit. Quærit Moses Bar-cepha, cur costa ad mulierem ædificandam, E *sinistra potius corporis parte, quã à dextra sit ablata?* Duplicem autẽ reddit huius dispositionis rationẽ, *Alteram, vt sit viro obsequiosa, eiusque imperio obtemperans: alteram, vt sciatur infirmioris eam natura esse. Nam sinistrum latus dextro imbecillius est, neque enim se se potest absque dextri auxilio subrigere, vt neque femina se absque viro sustentare valeat. Et vero sinistrum arguere imbecillitatem, vel ipsa animantium natura monstrat, quorum omnium sinistra pars imbecillior est quàm dextra. Est itaque in femina temperamentum corporis frigidius, imbecillius, crudius, vt in parte animantium sinistra.* At Petrus Cellensis feminarum aggrediens pa-

Leuit. 6. 18.

Bernardus.

Moses Barcepha in com. de Paradiso par. 1. c. 13.

Idem ibid.

trocinium, non ex earum sexu, sed ex sensu, excludi docet à similaginis cibo, & à fortium mensa, sic enim mysterium aperit, quod in mensa celatur, in cibo latet, & in similagine occultatur, dicens, *Non hac comestione sic excluditur femina, vt mares admittantur propter apparentem tibi vel sexus distinctionem, sed propter latentem mysterij sanctificationem. Non sexum in carne distinguo, sed sensum in animo. Discernat itaque comedentes sensus, non sexus: gratia, non natura: discretio mentis, non membra corporis: habitus animi, non pilus faciei. Virtus quaeritur, vitium respuitur: admittitur constantia, lasciuia eliminatur: patientia recognoscitur, anathematizatur iracundia. Mollis enim & delicata, resolutione malarum concupiscentiarum, anima, non contingit similam, id est, non se arbitratur posse comprehendere diuinam sapientiam, non enim habitabit in corpore subdito peccatis. Sed mares, subigentes, scilicet, aduersarias potestates, subijcientes quidquid aduersatur & extollitur aduersus scientiam Dei, calcantes super serpentes, & scorpiones, comedent similam.* De quolibet ergo istorum iure canitur, Beatus vir. Visne inspicere practicè mulierem à Cellensi descriptam theoricè? Magdalenam aspice à Chrysologo sic depictam, *Non est quod facit hac mulier mollis & carnalis obsequij, sed plena humanitatis est sacramentum. Et quid est quod hac mulier ignota, immo, male nota, onusta luctibus, plena lacrymis, clamosa planctu, nescio ianitore, nullo conscio, ipso ignorante pastore, domui aditus perurrit omnes, transit totas ministrorum cateruas, ipsum conuiuij peruolat ad secretū, & facit domum laetitiae, domum lamentationis & planctus, lacrymis rigat pedes, capillis tergit, vngit vnguento?* Tyrannus amor est, si enim hic imbecilles Ceruos reddit potentes, debiles vertit in fortes, inermes armat, pacificos ad bella vocat, prouocat ad certamina imbelles: quidni Ceruam hanc amorum in virilem conuertat mulierem, ad similaginis conuiuium ducat, immo, cum illa pietatē in cōuiuium introducat? En ipsa paenitentiae ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymarum temperat in mensura, & ad delicias deitatis totas, totam pulsat sui corporis symphoniam, laeta hymnum intonans, *Pellit timorem caritas*: &, *Fortis est vt mors dilectio*. Sicut enim mors per fenestras ingreditur, non expectata: Ita & ipsa conuiuia aggreditur non vocata. Sed quis digne miretur, quo feruore, qua fide, quali ausu, & quanta obsequij nouitate ad sūmū sāctitatis culmē peruenit?

Pet. Cell. li. de Panibus cap. 10.

Chrysolog. ser. 93. de ea quae vnxit Dominum vnguento.

Ecclesia in Hymn. Magdalenae

Cant. 8. 6.

CIRCVLVS IV.
Mulier virilis, à virtutis viribus sic dicitur.

5 HViusmodi Viragines inquirebat Salomon, anhelans, & dicens, *Mulierem fortem quis inueniet?* Vel ex Hebraeo, *Mulierem opum, mulierem industriam, mulierem virtutis, mulierem exercitus*: ex Chaldaeo, *Mulierem bonam*: & ex Septuaginta, *Mulierem virilē quis inueniet?* Sciebat enim, *Virum vel dici à virtute, & virtutem esse immensitatem virium in labore, vel in aduersis, quia nescit tolerādo deficere: aut in prosperis secundisque rebus se aliqua elatione iactare*: & muliebris stellae tenorem agnoscens debilem ac superbam, ideo, non desperans, sed optans, quaerebat, Mulierem fortem, vel virilem, quis inueniet? Et iure id erat in votis, nam vacuum tellus tunc sterile lugebat, cùm huiusmodi fructibus non dignaretur corona, cumque ipse, vt expertus, ita dolēs conquereretur, *Virum de mille vnum reperi, mulierem non inueni*. Quaeres fortè cum Vranio, *Numquid non multa mulieres sancta fuerunt, virgines simul, & vidua, qua pudicitia & castitate, ac bonis operibus Deo placuere, ex quibus plurima illarum martyrio coronata sunt?* Respondebit Salonius, *Fuerunt, & vsque modo sunt plurima Virgines, & Vidua:*

Prou. 31. 10 Hebraeus.

Chaldaeus. Septuaginta.

Ex Isidoro li. Ethimol. 10. & 18. Ex Cassiodoro in Ps.

Eccl. 7. 29.

Vranius apud Salon in Mystic explicat. Eccles. Salomonis.

Salon. ibi

sed hoc dicit Salomon, quia suo tempore de multis viris vix potuit inuenire bonum: de mulieribus verò nullam inuenit, quia omnes eum non ad virtutem, sed ad luxuriam traxerunt. Omnia tempus habent, & vbi tunc maledicta terra spinas has proferebat, & hisce tribulis apparebat armata: nunc pacis fœdera noscens, beatitudine potita, & gratia referta, floribus vernat ornata, & fructibus exultat coronata. Vbi enim Terra nostra dedit fructũ suũ, floribus eius nec rosæ, nec lilia desunt. Et post Reginam Virginum tot Virgines Regi adducuntur, vt super stellas cæli, ne dum super arenam maris multiplicatæ sint, quæ cùm essent natura debiles, & feminæ sexu, sensu virili prædita, gratia stabili roboratæ, & virtute spiritus accinctæ, & Virgines perstiterunt, virosque virilitate sua, vel æquarunt, vel etiam vicerunt. Ideoque maiores præ illis laudes, digniores palmas, sublimiorem gradum, gloriosiorem beatitatem adeptæ, & triũphant lætæ, & exultãt coronatæ. Commune ergo virtutis premiũ beatitas proponitur, vbi commune est bonitatis meritum, & vtrumque exponitur viris, mulieribus non negatur, vtrisque enim manet in cælesti Capitolio repositum, & à Beda sic nobis est proditum, *Cum triumphantibus viris & femina veniunt, quæ tum sæculo sexum quoque vicerunt, & geminata gloria militia, Virgines cum pueris teneros annos virtutibus trãscuntes: sed & cetera Fidelium turba aulæ perpetuæ regiam intrabit.*

Beda ser. 18 de Sanctis.

CIRCVLVS IV.

Virtutis mulieres spe locupletes, beatæ dicuntur, & beatæ erunt.

6 NEc mirum quod vtrique sexui beatitudo sit communis, cùm & sit vtriusque bonitas communis, & cùm tam vir, quàm mulier incolæ sint in terra, & de vtrisque æqua lege dicatur, *Spes alit exules.* Nam ex Philone, *Quid magis homini potest esse proprium, quàm spes, & expectatio bonorum accipiendorum à solo munificentissimo Deo: quod genus solum propriè hominum est, tamquam is, qui non sperat in Deo, extra naturam rationalem cēseatur? Sic Moyses de Seth filio loquitur, cui nomen Enos, quod interpretatur spes, Hic primus sperauit inuocare nomen Domini Dei. Et disertè infert, Hic est liber generationis hominum proborum, scriptũ est enim in Dei libro, solum bene sperantem esse hominem.* Cùm ergo, & mulieres viriles, & virtutis homines sint, & homines dicantur, & spe repletæ expectet beatitudinis possessionem, sperentque æternæ gloriæ coronam, & lętantes repetant illud Pauli, *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*: cur ipsis beatitudinis merces, quæ spei fructus est denegabitur?

Adagium.

Philo Heb. in lib. quod Deter. pot. insid. sol.

Ad Rom. 5. 2.

7 Immo, si mulier nobiliori modo, quã homo, & beatiori etiã loco, quàm Adam creata est, vt n. ex Genesi patet, & sicut Sinaita pandit, *Hominem Creator extrinsecus, nudum, & incompositum, aliũde inducit in paradisum: intus autem è Paradiso fabricatur mulierem ex Adam*: qua lege, quo iure, in Paradiso nata, à Paradisi beatitate erat arcenda? Valeat in hac lite decretum Pauli, qui Tribunum de Romana ciuilitate gloriantem, & dicentem, *Ego multa summa ciuilitatem hanc consecutus sum*: ita interpellauit, *Ego autẽ & natus sum.* Quod enim ille pretio emerat, sibi dederat & natura. Eadem forma si Adam ex priuilegio, & ex gratia Paradisi ciuilitatem obtinuit, & mulier in Paradiso, & creata fuit, & nata: quo vmquam iure quis poterit mulieri beatitudinem negare, quæ eadem bonitate ornata fuit, & vix nata, meruit in loco beatitudinis, in signum possessionis, pedes ponere: & ponere in omẽ prosperum futuri, quo *Deus in hoc honorauit sexum femineum, quia ipse Creator omnipotens prauidit se ex sexu illo incarnandum?*

Anast. Sin. Patriarch. Antiochen. lib. 8. Hexæmeron.

Actu. 22. 28.

Dionysius Chartus. in c. 2. Genes.

CAELI DAVIDICI
VERSIO OCTAVA.
In Psalmi primi, Versus primi Partem secundam.

Prima. Ex Vulgata. Qui non abijt in consilio impiorum.

2 Ex Theodotione, Qui non abijt in consilio alienorum.

3 Ex Pagnino, Qui nõ ambulauit in cõsiliũ impiorũ.

4 Ex Brandamachio, Qui non ingressus est in consilio impiorum.

5 Ex Arabico, Qui non sectatus est sententiã inobedientium.

6 Ex Soholio Greco, Qui non abijt in via præuaricatorum, vel iniquorum.

7 Ex R. Dauid Kimhi, Qui non abijt in via anxiè studentium aggregandis opibus.

Ex Vulgata. Qui non abijt inconsilio impiorum.

CIRCVLVS I.

Sicut aues Solem oriẽtem cãtu excipiũt, sic Dauid Iustitiæ Solem.

1 Vamuis volatilia cæli, omnesque certatim canoræ aues, oriente iam Sole, & die Illucescẽte, Solis aduentum dulci modulamine excipiant: lusciniæ tamen palmam facile omnes cedunt, cuius modulatos cantus, naturæ Mystes talibus depinxit vmbris, adumbrauit coloribus, *In vna perfecta musica scientia modulatus editur sonus, & nũc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, nunc copulatur intorto, promittitur reuocato, infuscatur ex inopinato: interdum, & secum ipse murmurat plenus, grauis, acutus, creber, extensus, vbi visum est vibrans, summus, medius, imus*: Eodẽ etiã pacifico certamine inter omnes canoras Prophetarum voces, quæ Solem iustitiæ exorientem, & beatitudinis fontem excipientes salutarunt, Non dantes silentium ei: præualet Psaltes. Hic illum, vt Hugo notat, primò demonstrat, primò salutat, vt Comprehensorẽ, & primò psallit, *Beatus vir*. Deinde varium, & delectabilem reddẽs

Plin. lib. 10. cap. 29.

Hugo Car. in Psal. 1.

can-

cantum, nunc illum trahit in longum, & iustitiæ Solem laudat, vt Innocentem, *Qui non abijt in consilio impiorum.* Nunc inflexo, vt Viatorem, *Et in via peccatorum nõ stetit.* Nũc distincto, vt Doctorem, *Et in cathedra pestilentia non sedit.* Nunc amore feruentem, *Sed in lege Domini voluntas eius.* Nunc bonitate vitæ gaudentem, *Et erit tãquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Nunc solicita Dei protectione munitum, *Et folium eius non defluet.* Nunc demum electorum exemplar primum, *Et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Sic, sic, *In omni opere dedit confessionem Sancto, & Excelso in verbo gloria, & dulces fecit modulos:* Vel, vt Vatablus intonat, *In omni opere suo laudem summo Numini honorifica oratione tribuit.* Nam vt Iosephus narrat, *Cùm Dauid summa pace frueretur, cantica & hymnos composuit, alios trimetros, alios pentametros, alios hexametros.* Sic enim teste Hugone, *Dulces melodias adinuenit, & delectabilem harmoniam in cantu suo: harmonia enim est dissimilium sonorum in vnum redacta concordia.*

Eccli. 47. 9.

Vatablus.

Iosep. Heb. relatus ab Hug. Card. in c. 47. Eccli.

CIRCVLVS II.

Psaltes nunc sculptor, nũc pictor felicitatem Iusti figurat.

2 SEd post Primogeniti laudes, post capitis descriptionem, & post Solis encomia: ad stellas, ad membra, ad fratres ipse descendit, & illum Beatum Virum esse demonstrat, qui non abijt in consilio impiorum: & eos beatos, quos Genitor summus iã prædestinauit cõformes fieri imaginis Filii sui. Cùm legerim in Plutarcho effatum illud, *Quod omnium in ore versatur, & quod est omnium sermone protritum, quo loquentis pictura nominat, poesis: pictura verò tacentis poesis afficitur:* Nescius sum an Poeta facet picturæ, an verò sculpturæ magisterio hanc, quã præ manibus Odã habemus, vel coloret, vel cælet. Et ideo ne vel neutri arti dignitatem negem, vtramque absque acceptione aliqua exponã. Si Sculptor, demendo? Pictor, addendo, Felicitatis vel statuam, vel imaginem certatim figurant. En lingua sacri Poetæ, nunc celte apparet, & vitia adimit adimit impiorum congressum, adimit inter peccatores statũ, & adimit in cathedra pestilentiæ consessum: & nunc in penicillum conuersa, & lumina legis addidit, & addidit volũtatẽ in lege, & addidit colores, addidit & vmbras, nẽpe, & arbores, & aquas, & fructus, & folia: vnde nũc vitiũ auferẽdo, nũc virtutem addendo, *Virtus enim est, vitium fugere:* Felicitatis vel statuam, vel imaginem in Iusti tabernaculo collocauit. Ita Philoni placuit Abrahamum de Felicitate, sub Saræ vmbra, interrogatum, mystice respondisse, *Ecce in tabernaculo est, id est, Ecce apud meipsũ virtutem habeo repositam, & ideo iam nunc felix sum. Quod enim ex virtute percipimus, felicitas est, vt non frustra eam possideamus.*

Plut. in cõment. de audiend. Poet.

Horat. lib. 1 Epist. 1.

Philo Heb. in lib. quod deter. pot. insid. soleat.

CIRICVLVS III.

Virtus sola sufficit ad felicitatem.

3 ETsi Homerus in eam eat sententiam, vt putet virtutem præstãtius esse bonum, quàm vitia, attamen, & diuitias, & corporis dotes, & quæ sunt externa, huius felicitatis in bonis numerat. At Stoici virtutem sufficere putãt ad beatitatem. Sed Platoni visum est, & cũ eo philosophatur Philo, *Quod sicut nec ignis, nec terra, nec vnum aliquod ex quattuor, ex quibus constat hæc rerum vniuersitas, mundus est, sed elementorum in vnũ congressus, & contemperatio: pari modo felicitatem nec in externis bonis propriè, nec in corporis, nec in anima seorsum examinari, hæc enim singula velut partes, quadam, & elementa sunt, sed in omnium simul cõ-*

Homerus apud Plut. in lib. de Homero.

Stoici apud eumdem.

Philo Heb. ibidem.

gerie

gerit consistit: At meliorem opinionem disces à viris, qui solum honestum bonum esse existimant, quod animæ, inquantum animæ, est proprium: corporis verò bona, quæ vocantur, *Lucra tantum esse, non etiam vera bona persuasum habent*. Anastasius Nicenus explanans verba in laudem Enos prolata, *Sperauit inuocare nomẽ Domini*, ita fatur, *Hoc est dies Deus apud alterum, quoniam enim erat omni virtute ornatus, ipsum Deum nominabant, viro virtutum existimantes tam maximum conuenire cognomen*. Si autem de dijs asserit Seneca, *Nudos videbis deos*: nudos quidem corpore tantum, sed virtutibus diuites: ergo sola virtus beare potest, felicemque reddere possessorem: sicuti vitium solum damnare potest, & infelicem reddere vitiosum. Duplici id auctoritate firmatur. Primo ex Platone, *Nemo*, inquit, *felix esse potest nisi sapiens bonusque sit: & mali homines miseri sunt*. Et alibi addit, *Existimo nos dicturos Poetas, Oratoresque de hominibus circa ea quæ maximè momenti sunt, male dicere dùm scribunt, Iniustos autem infelices: conducereque iniuste agere, si elam*. Secundo ex Seneca, qui talem depingit Deum, talem virtutem, felicitatem talem, *Ergo in virtute posita est tota felicitas. Quid hæc tibi suadebit? Ne quid aut bonum, aut malum existimes, quod nec virtute nec malitia continget. Deinde vt sis immobilis contra malum ex bono, vt qua fas est, Deum effingas. Quid enim extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in se collegit?* Nec meo arbitratu meliora dixisset, si Prophetæ induisset documenta, *Omnis gloria eius filia regis ab intus*. Est enim Beatitas ita ab intus, & ita in sola virtute & gratia locatur, vt nedum externis bonis non egeat, sed etiam a cunctis malis exterioribus obsessa, a cunctis tyrannorum ministris cruciata, prefruatur beatitudine, & beata fruatur tranquillitate. Fidelibus hæc bona proponuntur, & Iustis hæc premia ab Augustino promittuntur, *In nomine Christiano, intrinsecus est beatitudo nostra, nam extrinsecus maledicta persecutiones, & detractiones promittuntur, de quibus tamen magna merces est in cælis*. Et moralis Philosophus demõstrabat aduersus virtutẽ calamitates idem valere, ac nubes aduersus Solem, dicens, *Hoc aduersus virtutes valent calamitates, damnũ, & iniuria, quod aduersus Solem valent nebula, immo minus, quia in calamitate refulget, & aduersitate perficitur*.

Ex Eugubino in Ps. 1.

Anast. Nic. Episc. q. 25. in Script.

Senec. lib. 1 de tranquil. c. 8.

Plato in Alcibiade 1. vel de natura hominis. Idem Dialogo de Rep. seu de Iusto.

Senec. in lib. de vita Beata c. 16.

Ps. 44. 14.

Aug. lib. 1. de serm. Domini in mõte c. 9.

Senec. in epist. 93.

CIRCVLVS IV.

Virtus, quasi Rosa, à spinarum, id est, impiorum contactu, custodienda.

4 CVm ergo ex Nazianzeno *Virtus in medio vitiorum sita sit, velut Rosa inter spinas*, iure beatus dicitur vir virtute ornatus, qui velut Rosa floret in medio impiorum, & in medio nationis prauæ, dum tot spinis & tribulis stimulatus, si non abit in consilio eorum, in via eorum non stat, nec cruentatur ab illis, neue ab eorum aculeis dilaceratur. O Felix Rosa, quæ in medio spinarum posita, a spinis non tangitur, spinarum stimulos effugit, innocens floret, floris tuetur gloriam, vitia arcet, vitiosis non adhæret, impios fugit, malos fugat, & de prauis sic triumphat, vt hymnum in sui gloriam intonet cælum, *Sicut lilium, vel sicut Rosa inter spinas, sic amica mea inter filias*. Vbi Theodoretus notabat, & bene, *Quod improbi, qui filiarum vocabulo hic insigniti sunt, spinæ hic dicti sunt, cùm suo pungant contactu. Sed hoc in maximã iustorum redundat laudem, quòd inter eorum persecutiones, in lily perseuerent puritate atque fragrãtia*. Hinc Iustum & cautum reddebat Bernardus, & eruditum, quando clamabat, *Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus*

Greg. Naz. in præcept. ad Virg.

Cant. 2. 2. Nyssenus.

Theodor. hic

Bern. ser. 48 in Cant.

cinus est malus. O candens lilium, ô tener, & delicate flos, increduli & subuersores sunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his, & minime lædi, diuinæ potentiæ est. Sed a te etiam requiritur, vt non eas in consilio eorum, vt fugias ab eis, vt fuges eos, vtque dicas eis, *Declinate a me maligni:* Vel cum Euthymio, *Declinate à me malignantes: maligni namque homines & dæmones, fidelium atque piorum animos perturbant, & impedimentum eis præstant.* Et iure pro eodem accipit malignum dæmonē & malignantem hominem, quia per ea quæ statuit Cassiodorus, *Sicut Domino, qui se iungit, vnus spiritus est, ita qui se iungit diabolo, est dæmon vnus.* Dæmon quidem vnus, sed punctio duplex.

Ps. 118. 115. Euth. hic.

Chrysolog. ser. 5. de duobus filijs.

CIRCVLVS V.

Fulgienda magis sunt cōsortia hominum impiorum, quàm congregatio luporum.

5 ADmirationem quidem, nec paruam, neque communem, prima fronte parit, incarnatæ Sapientiæ vel prædicto, vel admonitio, *Ecce ego mitto vos in medio luporum, cauete autem ab hominibus.* Videtur enim monitum ex inexpectato, putantibus Auditoribus potius esse dicturum, Cauete a Lupis, quàm ab hominibus cauete. Cur ergo maiorem iubet aduocare cautelam, pro his cauendis, quàm illis? Forte quis cum Seneca dicet, quia homo ferocior est quolibet Lupo, atrocior qualibet fera, *Occurret nobis loco fera, & homo feris omnibus perniciosior.* Sed certè alio spectat sana admonitio, & aliud signum respicit sacra cautio. Lupi sunt sequiētes tyranni, qui aperto bello virtutibus bella mouentiat homines sunt, qui humano affectu ad inhumana vitia, sub amicitiæ specie, homines trahunt: & prudēter quidem ab his potius, quàm ab illis est cauendū, vt enim & discurrit eloquenter, & aducit Chrysologus vtiliter *Aduersa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam: vnde & cauentur tam facile, quàm videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte, virtutes truncat mucrone virtutū, ieiuniū ieiunio perimit, orationē oratione euacuat, misericordiā miseratione prosternit.* Quod autē ipse de hypocrysis morbo asserit, asserite & vos de simulationis malo, quæ ex remedio creat morbū, conficit ex medicina languorem, & facit de placatione reatum. Ab his, vt Paschasius docet præcipit Dominus cauere hominibus, *Non vt tradamur, sed vt non decipiamur vllis insidiarum fraudibus.* Et quis non vidit quàm clarè Pastorque Paterque cælestis in opere demōstrauit esse multo magis timendos homines, quàm Lupos, dùm ipse nonagintanouem oues in deserto relictis, vnam quæsiuit in Ciuitate: nec gregi timet inter Lupos commorantē, timet autem de illa inter homines versate. Poterat hęc tunc profiteri, quod noster Hilarius fatus est, *Montes mihi, & Syluæ, & lacus & voragines sunt tutiores.*

Matt. 10. 16

Seneca in epi. 109.

Chrysolog. ser. 7. de hypocrisi.

Paschasius li. 6. in Mat.

Hilar. in li. con. Auxentium.

CIRCVLVS VI.

Bellum inhumanum hominibus impij mouent, dum illos vt vitia spectent monent.

6 DEscendentes à Monte Moyse & Iōsue eamdem audiebāt vocem, harmoniam eamdē hauriebant, sed non idem de ea iudicium ferebatur ab eis. Et dum personat idem sonus, diuersus videtur diuersis, dicit enim alter, *Vlulatus pugnæ auditur in castris.*

Exod. 32. 17

Alter verò excipit, *Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantiũ ego audio. Bone Deus, quomodo idem sonus adeo varium in auribus pariter distantibus, parit sensum, parturit tonum? Quomodo cantantium, si pugnantium? & quomodo pugnantium si cãtãtium? Verè sic est, nulla enim pugna damnabilius impugnat, quàm Syrenum cantus, qui incautos incantat, ad scopulos peccatorum trahit, allisos mergit, & immergit elisos.* Si autem cũ Philone legas, *Vocem hortantium ad potationem ego audio*: & cum eo subdas, *Hoc est, non inuitos furore laborantes audio, sed vltro sibi accersentes insaniam*: clarè videbis, ebrios hosce & insanos, sic vitulo immolare, & sic inter conuiuia pro salute illius reliquos ad bibendum ex necessitate inuitare, vt consortes vltro ad impietatem & hortentur, vt sacrificent Baccho, & trahant ad immolandum Veneri, & penè cogant vt sacrilegis vitijs offerant sacra. Audiamus Philonẽ hæc subnectentem, *Proinde orat Deum ne vmquam hortator fiat ad pocula, hoc est, ne vmquam sponte praecedat in via ferente ad ruditatẽ, & insipientiam.* Et qui huiusmodi est, à nostro Psalte, Beatus dicitur, qui non abijt in consilio impiorũ. Et certè cùm ille, ex Basilio, beatus sit, *Qui, qua plurimi habenda sunt possidet, quiue eorum particeps est, qua nullo possunt modo conuelli, aut auferri: hunc quomodo cognoscemus? Qui non abijt in consilio impiorum.* Impietas enim cantus est, qui ad impietatem inducit, & cantus est, qui audientes incantat, consortes trahit ad pugnam, detrahit ad perditionem, & allicit sic ad planctum, vt tunc vigeat, tunc vincat, tũc triumphet, cùm ducit choros, cùm ea duce impij choreas ducunt, & impijs adhærens, adhæret diabolo, euadens impius vnus, & dæmon vnus, scriptum est enim, *Qui communicauerit superbo, induet superbiam:* Vel ex Vatablo, *Qui habet cum superbo consortium, euadet eius similis.* Superbus autem per antonomasiam diabolus est, & qui cum eo cõmunicauerit dœmon est vnus, superbus est vnus. Et quidem iure, nam si alimentum ita conuertitur in alitum, vt ex vtroque fiat vnum: & si peccatum, atque peccator, ex Sinaità, cibus est diaboli, quid mirũ si in diabolum peccator sic cõnuertatur, vt diabolus sit vnus? Sic ergo fatur, *Audiuimus Christum dicentem Serpenti in maledictione, Terram comedes: hoc est, materiales, terrestres & limosos sensus peccati. Cibus enim serpentis fuit maledictus & condemnatus in ineffabilibus Christi operibus, vt & serpens & eius cibus essent maledicti, serpentis enim cibus est peccatum.*

Philo in lib. de Temulẽtia.

Idem ibid.

Basilius ho. in Ps. 1.

Eccli. 13. 1. Vatablus.

Anastas. Sinaita lib. 11. Anagogic. cõtempl. in Hexęmeron



CAELI DAVIDICI VERSIO NONA.

Ex Theodotione, Qui non abijt in consilio alienorum.

CIRCVLVS I.

Iusti sunt Aues Paradisi, qui pedes non habent, vt abeant in consilio alienorum.

1 IN Molucharum Insulis Aues nascuntur & volant, quæ & re, & nomine cælestem gloriam terrigenis reuelant, vel enim Paradisi, vel Dei dicuntur Aues, quod vbi nascăturnesciŧur, vnde veniant non est no, rum, quo se recipiant ignoratur, corporis specie cælum referunt, terrenum cibum respuunt, celesti rore vescŭtur, in terrestri paradiso degŭt, pedibus vel carēt, vel eorum vsum non habent, & exanimes dŭtaxat in terra reperiuntur. Psalmographus autem beatus beatam animam, quasi raram auem in terris, sic figurat, vt Auis Dei dicatur à Deo, *Vna est columba mea.* Paradisi incola nominetur & sit, *In Paradiso Dei fuisti*. Ex aquarum fonte nascatur, quia vna est ex pulchro eorum numero, quibus Rex summus, *Dedit potestatem filios Dei fieri*. Sed vnde veniat ignoscit, noscit quo vadat, speciosa apparet in corpore, in anima speciosior, bis pulchra laudatur, *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra.* Rore superno viuit, *In omni verbo, quod procedit de ore Dei*. In cælo degit, *Nostra conuersatio in cælis est*. Et vel Auis Dei, vel Paradisi vocatur, quia etsi pedes habeat, non habet in pedibus motum, cùm non abeat in consilio impiorum. O Paradisi auis, o Ioseph castus, nonne tu absque pedibus apparuisti, cùm ad aliena incitamenta, & immobilis perseuerans & victor victam repellens intonuisti, *Quomodo possim hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Et iure, nam ex sententia Oleastri, *Excedit Iustorum vires peccatum, & mirum valde est considerare quantum potest Iustus in bonis, quàm parū in malis.* Verè Dei Auis, æmula Dei: & Paradisi Auis, ęmula Beatorū, nam & omnipotentis Dei, & potentiam Beatorum excedit vires peccati virus, nec ille enim, nec isti peccare vel possunt, vel valent, vel volunt.

Cant. 6. 8. — Ezech. 28. 13 — Ioan. 1. 12. — Cant. 4. 1. — Matth. 4. 4. — Ad Philip. 3. 20. — Gen. 39. 9. — Oleast. in annot. sup. c. 39. Genes.

CIRCVLVS II.

Iusti nec pedes, nec vires habent pro malo.

2 DE Aquila Imperiali Plinius refert, quod antequā prædam eleuet in sublime, prædæ pondus in imo experitur prudens, expendit solers: & vbi vtrisque positis in statera, tandem agnoscit onus excedēs vires, prouida respuit abstinens deserit, sobria despicit, leuis alta petit, & ab onere expedita, ad superna reuertitur. O Aquila, o Ioseph. Tu ad pondus adulterij eleuandum pedes non habes, viribus cares, noxium cibū respuis, noxam effugis: sed fugiens, pallium in aliena manu dimittis, vt in trophæum victoriæ signum pendeat ex Turri diabolica iam deuicta, dum tu inuictus euadis, & coronaris triumphans. Comitamini, ò fideles, hunc triumphantem, æmulamini gloriosi facinoris exēplum, & Iustorum infirmam fortitudinem, & fortem infirmitatē

sic

ſic apprehendite, vt in malo impotentes, in bono omnia poſſe fateamini. Talem Iuſtorum vitam ab iniuſtorum morte, toto cælo diuerſam, diuerſis coloribus idem Oleaſter ita deſcripſit. *Iuſti omnes peccati neruos extendunt, & tam graue & magnum faciunt, vt vires eorum omnino excedat, & ſic dimittunt, nec ſe poſſe, aut ſcire facere fatetur. Et licet iuſti optime ſciãt bona facere, mala verò facere ſe neſcire fatetur.* Confirmat hoc Epiſcopus Dunienſis, dum aſſerit, *Bonus vir eſt, qui eò perduxit effectu animum, vt non tantum peccare non velit, ſed etiam non poſſit.* O impotentia potens, quæ diuinam ſapis omnipotentiam, Deus enim omnipotens cùm ſit, peccare non poteſt. Nam ex Angelica ſchola, peccare nõ eſt operari, & facere ſed eſt a perfecta operatione deficere: eſt & naturã deſtruere. Vnde & Maximus docebat, *Propterea Deus factus eſt homo perfectus, natura nullatenus immutata, dempto peccato, ſiquidem de natura nõ erat.* Peccatũ itaque, De natura non eſt, ab Authore naturæ non eſt productum, a ſummo bono eſt alienum, alienum à Chriſto, & à Chriſtiano ſic debet eſſe alienum, vt eò perducat animum, vt non tantum peccare non velit, ſed etiam non poſſit. Immo plus vltra extenditur, vt nedum non poſſit peccare, ſed neſciat, dicente Chryſologo, *Caritas neſcit peccare.*

Oleaſter in annot. 2. ſuper c. 39. Geneſ.

Martin. Epi. Dun. lib. vnico de moribus.

Ex D. Th. 3. p q. 25. ar. 3. ad 2.

Maximus Confeſ. & Mart. cent. 1. capitũ Oeconomic. c. 11.

Chryſolog. ſer. 94. de ea quæ vnxit Dominum vnguento.

CIRCVLVS III.

Alieni, ſunt & ſpiritus fornicationis, & mulieres.

3 Beatus ergo cenſetur, & eſt, qui non abijt in conſilio alienorum. Sed cur alienos nunc vocat, quos impios ante vocauerat? Si impium Chryſologus cenſet eum, *Qui adorat lapidem, ſeruit ligno, qui Deo viuo, Deo vero ſeruire contempſit:* nonne tibi videbitur alienis ſeruire laſciuum, qui Deo viuo non obedit, Dominum non colit, Creatorem contemnit, Venerem adorat, Spiritum fornicationis honorat, nec ſeruat latas à Spiritu ſancto leges, *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli:* Vel ſecundum Chaldæos, *Et annos tuos alienis?* Quaſi iubeat, vel ex Solonij, & Gregorij magni gloſa, *Ne ſpiritibus immundis te committas, ita vt honorem illum, quo ad Dei imaginem conditus es, mulieribus deturpandum, & commaculandum tradas:* Vel ex Lyrani luctu, *Ne des honorem tuum, id eſt, Deo debitum cultum, qui propterea honor tuus dicitur, quia honor eſt in honorante, alienis, id eſt, idolis.* Quis ergo hinc non diſcernet beatum eſſe virum, qui non abit in conſilio alienorum, qui ſpiritibus immundis non ſeruit, qui efferis mulieribus non ſe ſubdit, qui idola hęc infernalia non adorat, qui pedes non habet vt à Deo abeat, & qui hoc præceptum Dei cuſtodit & ſeruat, *Longe fac ab ea viam tuam?* Sequere in tali fuga Auguſtini tubam, *Contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam.*

Chryſolog ſer. 44. in Pſal. 1.

Prou. 5. 9.

Chaldæus.

Solonius in myſtica parabol. Salomonis expoſitione. Gregor. Papa in 1. p. Paſtor. Admon. 13.

Prou. 5. 8.

Auguſt. ſer. 250. de tempore.

CIRCVLVS IV.

Martyrij genus eſt alienas fugere, fugere fornicationem.

4 OLim, qui durum martyrij certamen, qui efferum tyrannorum vultum, qui truculentas miniſtrorum manus, qui ignis voraces flammas timentes, a foro theatri ad feras ſolitudinis fugiebant, fugientes pugnam, fugabant coronam: pauentes pænas, præmio carebant, & in deſertis nemoribus incluſi, à Martyrum triumphali numero erant excluſi. At multo diſpar eſt conditio eorum, qui fugiunt à domibus meretricũ, qui illarum fallentes mores abominatur, qui horreſcunt familiaria organa diaboli, qui flammas tarta-

rei ignis abominãtur,& qui tyrannicos mulierũ vultus, Ioseph imitantes,effugiunt, *Qui reliquit vestimentum,ne relinqueret pudicitiam:* fuga enim hæc victoria est, imbecillitas hæc triumphum parit, & qui sic fugit, martyr euadit, & ad accipiendam martyrij coronam aliger volat. Sententiam hanc legi & ab Augustino latam,& sine sanguine scriptam, *Habet & pax nostra Martyres suos, nam libidinem fugere,pars magna martyrij est. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam,si vis obtinere victoriã: nec tibi verecundum sit fugere,si castitatis palmam desideras obtinere. Nam & beatus Ioseph, vt impudicã dominam posset cadere, pallium reliquit, & fugit.* Nec melius ad rem propositam de martyrij diuersitate poterat proferre sententiam, nam in causa fidei, qui fugit à certamine, palma priuatur: at in causa castitatis,qui à muliere fugit, corona donatur. Sic de casto Ioseph addã cum Ambrosio, quòd vbi,*Vestem exuit, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuuijs. spoliatus quidem,sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris: beatior dicitur, cùm in carcere mitteretur, quia subibat pro castitate martyrium.* Fugit ergo, & coronatur, quia martyrium castitatis à fidei martyrio est diuersum : in hac, fugiens, à Corona fugit: in illo, fugiens, ad Coronam currit. Et iure, nam si coronatur,qui legitimè certat,hoc certamen, si creditur Augustino,cetera superat,nam,*Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria.*

Ex Oleastro in Annot. 2. sup. cap. 39. Genesis.

August. ser. 250. de Tẽpore c. 1.

Ambros. in libro de Ioseph Patr. cap. 5.

Augu. ibid. cap. 2.

CIRCVLVS V.

Martyrium castitatis longius & vehementius.

5 GRauius inde, ex Pontificio Decreto, Martyrium dicitur, vnde,*Fit cruciatus vehementior, & pœna productior.* Ex quo Augustinus summis laudibus extollebat Laurentium,quia,*Diu viuere permissus est, imò tarde mori compulsus est, in illa longa morte.* Illibata ergo integritas corporis militans sub albo vexillo, impugnans hostem prolixo bello, per varia discrimina tendens, & per grauia certamina contendens, si pudicitiæ florem ad senectutem vsque seruat intactum, ad martyrij gloriam euehitur, & Martyrum, Hieronymo teste,Coronam meretur, *Habet enim pudicitia seruata martyrium suum.* Mira æstimatur Nazaræorum laus, quorum pulchritudinem hisce coloribus describit Ieremias, *Rubicundiores ebore antiquo,sapphiro pulchriores.* Quis enim vestrum non mirum æstimabit & nouum, dum vel videt, vel audit ebur naturæ dote album, Authoris naturæ dono cãdidum productum in lucẽ; à Prophetæ penicillo rubrum depingi, pingi & purpureum? Sed certe, si verum est,quod Naturalis dicit,& experientia docet, niuem & ebur antiquitate rubescere: asseremus & nos persimili etiam modo Virginitatis ebur, dum diu seruatur illibatum & purum, absque sanguinis effusione, sanguinis martyrio ita colorari, vt ex Ruperti sensu, dicantur, *Rubicundiores ebore antiquo, quod videlicet os casti animalis est, & cùm fuerit candidum, maiorem ex rubore pulchritudinem habet.* Id tamen vt eueniat,requirit Sapphiri visionem, nam, vt idem subdit, *Sapphirus cæli sereni speciẽ habet, & ipsa specie bene cælestes designat mansiones.* Fugere ergo debet vir beatus ab alienis,à terra effugere, & in cælum volare, vt possit ab his laqueis expediri, & felicitate frui,nam ex Tertulliano. *Prima felicitas,prima Virginitas est.* Felicitas enim virginitatis est, vel hominem restituere in statum primæ felicitatis: vel in gloriæ statum eleuare, docente Basilio, *Virginitas vitam nostram de corruptione ad sanctitatis gloriam colligit.*

Leo Papa in natali S. Laurentij.

Aug. tract. 27. in Ioan.

Hieronym. ad Demetriadem.

Thren. 4. 7.

Ruper. Ab. in Thren. c. 85.

Idem ibid.

Tertullian. li. de exhortat. castit. c. 1

Basil. lib. de vera Virginitate.

CIRCVLVS VI.

Abire ad alienam, est ad Serpentes & feras ire.

6 NE appropies foribus domus eius. Considerans, & stupens Ecclesiasticus æque imprudentem ac promptam audaciam Incantatoris, qui diris serpentibus immanibusque feris prælium non timet inferre, & ad pugnam audet fatuus prouocare, admirabundus quærebat, *Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestijs?* Eadem admiratio inuadet Iustos, iuuenē videntes familiarem cum feminis habere consuetudinem, atque mulieribus appropinquare, quę sanè serpentes sunt, & serpentibus noxiores: ex tali enim appropinquatione, indignus redditur miseratione. Si enim cum Rabano, in Serpente, diabolum cognoscas: in bestijs, malignos spiritus: & in viro iniquo, malignantes mortales: Vel si cum alijs recognoscas in serpente & in bestijs, & in malignantibus alienam mulierem, inuenies illam ita in summo malignam ferā, ita in extremo efferam belluā, & ita in excessu veneniferam serpentem, vt ex Epiphanij sententia, commutet cum serpente etiam nomen, *Eua enim citra aspirationē, Hebrais mulierem: cum aspiratione serpentem significat:* nec differt à serpente nisi per, H, quæ secundū aliquos, non habet locum in albo litterarum. Et certè aspirata non indiget littera, quia tot mala cum effectu spirat, vt aspirationem in nomine non requirat: ipsa enim est qualibet fera efferacior, & quolibet serpente deterior, nam, *Commorari Leoni & Draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequā,* Et iure, nam illæ mortem inferunt subitam, ista tardam: in ore illarum finis efficitur breuis, & ideo leuior: in huius autem dentibus longior & deterior, vnde à Nazianzeno dicitur duplex malum,

Eccli. 12. 13

Rabanus Maurus hic.

Epiph. lib. 3 con. Heres. Tom. 2.

Eccli 25. 23

Hugo Cardinalis hic.

Mali sunt dracones, malefici & aspides
Duplex malitia mulieris inter feras.

Greg. Naz. in sententijs

Malignantis naturæ eam esse quis abneget? Si enim malignus, idem est, ex D. Thoma, ac malus ignis: cedat Chymæra, cedat Æthna, Vesuuius cedat flammifero igni ac pestifero, quem ista apertis faucibus eructat & vomit, *Ignis enim est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Quid ergo fiet de eo, qui foribus eius appropinquat, & qui abit in consilium alienæ?* Id terè, quod Hugo in fortē ipsius cadere, Distico est complexus, quasi in vtre congregās aquas maris.

D. Tho. in 1. Io. 5.

Iob 31. 12.

Hug. Card. in c. 25. Eccli.

Femina corpus, opes, animā, vim, lumina, vocem,
Polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

CIRCVLVS VII.

Fugienda meretricis domus, ceu pestiferi incantamenti locus.

7 NE ergo appropies foribus domus eius. Domus meretricis, etsi vel mortis tabernaculum sit, vel imaginem refert viuā illius domus, in qua miseri pestilētia afflati congregatur, quo contagioni corpus, & morti animam momento temporis traditur, vel palatijs magica arte sic fabrefactis, vt qui vel limen improuidè tāgit, quasi ebrius euadat, & obstupescat: vel ostium vltro ingredienti, egressionis viæ sic occludantur, & euasionis semitæ sic intercludantur, vt qui volens illò ingreditur, nolens ibi sepeliatur vidēs, viuēsque. Sic, sic & hæ superioris inferni domus & fores, in quibus titulus legitur, *Qui descendit ad inferos non ascendit:* superliminari descripto similes sunt, de quo sic Zacharias præscius minabatur, *Ponam Ierusalē superliminare crapulæ:* ebrius namque, tam infeliciter euadit,

Iob 7. 9.

Zacha. 12. 2

qui illud tangit, vt de eo verificetur, *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa:* Vel ex Septuaginta, *Oculi tui cum viderint alienam, os tuum tunc loquetur peruersa.* Vt enim Basilius asserit, *Quodnam pecus, ita vt ebriosus, visu & auditu delinquit?* Nam vino obrutus familiarissimos suos non agnoscit, & sępe etiam ad extraneos, ad necessarios accurrit: non sponsam, non filios, nō familiares, non honorem, non animam, non Deum lasciuus agnoscit, sed tantū alienam, in quam nunc deperit, & pro qua in æternū peribit. Et adeo pestiferæ sunt, vt nos Cyprianus & moneat, & obsecret, vt à tali contagioso consortio concito cursu fugiamus, longeque absimus, dicēs, *Separamini deprecor, separamini à contagione pestifera. Respicite quanta mala feminarum propinquitas acquirat, nonnisi corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciuiam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, ripas erigit, præcipitia instituit, in periculis nauigat, naufragijs velificat, interitum fouet, confusionem meretur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, occupationes inflammat: & cateruatim simul in fascem glomerans vniuersas indagines captionum, per infinita dedecora multiplices mores inuehit in perniciem perditorum.* O malorum Iliadem, o morum Syllam, o bonorum Charybdim. Sed totam hanc malorum congeriem ita summatim. Os aureum cōprehendit, dum petens, *Quid est mulier?* Subdit, *Fons sceleris.* Si ex Secretarij naturæ decreto, *Damnantur in primis fontes, qui cænum faciunt, quique malum colorem bibentibus:* O quot iuuenes ex huiusmodi fontibus hauserunt colorem flauum! O quot capillorum miseram iacturam fecerunt, ob aquas malas è talibus fontibus haustas! O quantam cæni copiam hi fontes gignunt, cùm scriptum sit, *Omnis mulier fornicaria, quasi stercus in via!* At fons mihi videtur nō communis, non angustus, sed fons maris, de quo legitur, *Redundat fluctus eius in conculcationem, & in lutum.* Si fluctus corruptionis feminas, quid metes nisi vitia? Si fluctus cupiditatis concipis, quid paries, nisi ignominiam? Si rabiem cōcitas, quid porriges nisi furiam? Si lasciuiam pascis, quid nutries nisi petulantiam? Si casus exaltas, quid ædificas nisi ruinas? Si ripas erigis, quid nisi præcipitia cōstruis? Si in periculis nauigas, & in naufragijs velificas, quid nisi interitus foues, & confusionem mercaris? Si thesaurizas opprobrium, quid nisi criminationes exaggeras? Et si accusationes inflammas, nonnè glomeras in fasces vniuersa genera captionum? O fons sceleris! O mare fluctibus redundans in conculcationem, & in lutum! O *mulier multiuola*: quæ, *Multos vult, multa vult, multum volat, & per multa discurrit!*

Prou. 23. 33

Septuaginta.

Basil. hom. de Ingluuie & ebrietate.

Cyprian. li. de singular. Clericor.

Chrysost. relat. ab Anastas. Niceno in quæstio. script. q. 63. Plin. lib. 31. cap. 3.

Eccli. 9. 10.

Isaias 57. 20

Eccli 9. 3. Hugo Car. hic.

CAELI DAVIDICI VERSIO DECIMA.

Ex Pagnino, qui non ambulauit in consilio impiorum: & ex Bradambachio, Qui non ingressus est in consilio impiorum.

CIRCVLVS I.

Qui ambulat in consilio impiorum, in labyrinthum ingreditur, vnde non egreditur.

1 NEmini mira videatur, varietas Versionum, qua, hic non ingressū in viam impiorum, il le non ambulantem in ea beatum existimat: adeo enim deceptoria sunt eorum consilia, adeo funibus contentæ viæ, vt in tam cęcum labyrinthū vltro ingressis, egressus vltra non pateat, errantibusque, claudantur ostia, semitæque subuertantur, & cuilibet eorum improperetur, *Egredere, & abi post vestigia gregū*. Aperiat Aponius huius ostia labyrinthi. *Si semel de caula recta fidei fuerit egressa, incipiet post vestigia gregum peruersi dogmatis, de vnius in alterius gregis septa discurrere. Et qui forsitan caput erat gregis Christi, in alienis gregibus cauda efficitur. Propheta enim loquens mendacium, ipse est cauda. Omnis enim, qui in populo recta fidei est, etsi in inferiore loco, vel ordine sit, rectam fidem tenendo, caput est: a quo capite si recesserit, quamuis magnus inter hæreticos videatur, cauda efficitur.* Amica tamē connexio est, & indissolubilis vnio inter terminum, a quo motus incipit, & motū, vbi enim dicitur, *Egredere:* statim subditur, *Et abi:* quia siue in bono, siue in malo, principijs est, vel instandum, vel obstandum.

Cant. 1. 6.

Aponius li. 2. in Cantica Cantic.

CIRCVLVS II.

Adhibenda est medicina præseruatiua, vt malorum consilia in principio arceantur à nobis.

2 SIcut dantur apud medicos peritos corporis medicinæ præseruatiuæ, dantur, & curatiuæ: istæ, quæ contractos purgant vitiatos humores: illæ, quę efficiūt, ne contrahantur. Ita in spiritualibus morbis peruigili conatu est insistendum, vt locus non detur medicamini curatiuo, sed præueniatur à præseruatiuo. Hinc sapiens te monet. *Ante languorum adhibe medicinam*; id est, vt Hugo Cardinalis docet, *Antequam morbus peccati fiat chronicus per consuetudinem, adhibe medicinam*. Quæres fortè de qua loquitur medicina? En ipsemet pandit eam, atque demonstrat, *Ante languorem humilia te.* Quasi dicat, *Medicina, quam præcepi, vt adhiberes, non alia est, quàm pœnitentia humilitas*. Sed quis non præcognoscet signa, & Symptomata indicantia languorē, esse consortia malignantium, & colloquia mala, quæ, & mores bonos corrumpunt, & ad mala perpetranda pertrahunt, & rotam natiuitatis inflammant, vt inflammatū a gehenna, in gehennam detrahāt? Adhibe ergo, prudens, ante hunc mortalem languorem medicinā

Eccli. 18. 21

Hug. Card. hic.

Eccli. 18. 22 Idem Hugo ibidem.

sa-

ſaluratem, poculum vtile præpara,

Iſai. 9 1. ex Septuaginta.

Hoc primum bibe: Principijs obſta, humilitatem aduoca, rumores purga, inflationem attenua, elationem deprime, faſtum depone, diabolum expelle, pedem illius fuga, & dic cum Pſalte,

Pſal. 35. 12.

Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris nõ moueat me. Inter marina monſtra, & illud numeratur, quod a Philoſopho proditum eſt memoriæ,

Ariſtot. li. 4. de Animal.

Habet enim dextrum pedem paruũ, & ſiniſtrum magnum: & propter hoc fert totum corpus ſuper ipſum, quando ambulat. Sed inter monſtra rerrena enumerantur ab Anglico

Anglicus in Pſ. 35. ver. 12.

ſuperbi, ſic enim ait, *Duo pedes, duæ ſunt affectiones, ſeu amores .ſ. amor Dei, quo qs gloriã Dei quærit, & iſte eſt dexter: et amor ſui, quo quis gloriã ſuam quærit, & iſte eſt ſiniſter. Iſtũ verò habet ſuperbus magnum: quia ſuperbia inflat eũ, cui & totus innititur, & ideo mõſtruoſus eſt totus, nec diu poterit ſtare.* Quid ergo expectatur, vt cadat? Manus peccatoris, conſortium malignantium, quo vtitur diabolus, vt in ruinam peccati mortalis impellat, vt propellat in exitium ſempiternum. Adhibe ergo ſtatim amaram & inuiſam corpori, ſed dulcem ac ſalutarem cordi medicinam, exere ferrũ medicum, & ſi atrox ſit, impugna tu cõtra te gladium efferum ſimul ac pium,

Marc. 9. 45.

Et ſi pes tuus ſcandaliſat te, amputa illũ. Dices fortaſſe, Abſit hoc a me, qui enim licet homini pedem a ſuo corpore ſeparare, pedem quem corpori Deus ille coniunxit, qui nedum viua, & præcipua enumerat membra, ſed etiã non viuos, & leues, ſic numeratos habet planè capillos, vt nec vnus cadat, vel pereat ſine illo? At certè ſi cum Beda in pede non pedem aſpicis, ſed amicum, amicum ſic baculum cordis, vti & pes corporis,

Beda hic.

Pes enim amicus dicitur propter miniſterium diſcurſus, quaſi in noſtris vſibus accomodatus: iure ſubijcere potes cum Auguſtino, quòd vbi talis pes claudicat, & te ducit ad mala, ibi eſt abſcindendus a te, proijciẽdus abs te. Sic enim fatur,

Auguſt. relatus à Diu. Tho. in Catena ſup. c. 9. Marci.

Hoc ipſo ſeparantur a quibus ſeparantur, quod eis mala ſuadentibus, id eſt, ſcandalizantibus, non conſentiunt: vt ſine his potius veniatur ad vitam, quàm cum eis eatur in gehennam. Abſcinde ergo ſine mora, ſtatim proſcinde, ac proijce abs te ſimulacrum amici, non amicum, ne manus peccatoris moueat te a terra viuentium, & impellat in foueam morientium,

Prou. 1. 15.

Prohibe pedem tuum a ſemitis eorũ.

CIRCVLVS III.

Ab adulantium perſecutione pluſquàm a perſequentium, vt liberemur, eſt petendum.

3 HOc inimicum ferrum, gladium hunc hoſtilem Manu fortis inuocabat contra pedes ſic errantes, contra ſic adulantes amicos,

Pſal. 69. 4.

Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi Euge, euge. Argiuus quidam, videns Alexandrum ingentia munera dediſſe cuidam ridiculo, exclamauit,

Ex lib. 6. Apopht. varie mixt. nu. 103

O rẽ vehementer obſurdam! Fateor me pati non poſſe, cum videam vos è Ioue progenitos, omnes pariter aſſentatoribus oblectari. Siquidem & Iuppiter Vulcanum habet pro morione, & Hercules Cercopibus, & Bacchus Syrenis delectari conſueuit. Tales videmus apud te magnifieri. Quid ipſe dicam de Chriſtianis, quibus poteſtatem dedit Chriſtus Filios Dei fieri, qui Syrenum conſuetudine delectantur, & ab ipſarum cantu trahuntur in bararrũ, nec reperunt Dauidicum carmẽ, Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, Euge, euge? Audiamus Hugonem damna hæc obſeruãtem, & abſque vlla mora opportunum remedium adhibentẽ, ſic enim ait,

Hug. Card. hic.

Notandum quòd quãdo orauit pro conuerſione apertè perſequentium, tempus non determinauit, ſed ſimpliciter dixit, Auertantur retrorſum: quando autem orauit pro conuerſione adulantium,

addidit, statim: in quo notauit, quòd plus debemus desiderare liberari ab adulātibus, quàm à persequentibus, quia periculosior est nobis persecutio adulatoris, quàm apertè sauientis. Et licet Euge dicatur multipliciter, est enim, Irrisorium, Applausorium, Admiratiuum, Commendatorium, & Adulatorium: hoc omnibus deterius æstimatur. Hæc ille, docēs & monens maturandam esse fugā, amputādos pedes, & a nobis proiiciendos adulatores. Sic, sic nam ille in albo scribitur beatorum, & pro illius gloria canitur, Beatus vir, qui ingressus non est in consilio impiorum. Si enim illò ingreditur, nō egreditur: si pedem in tali via figit, non effugit. si cū eis vadit, nō euadit: si consortia eorū sequitur, a consortibus eorum persequitur: & si itinera terit vitiosorum, tormenta etiam sustinebit illorū. Vis tu effugere exitiale hoc malū? Amplectere Nili monitū, adhibe & remedium, *Si consuetudine aliqua mala detētus fueris, eam rescinde, & sine vllo negotio ab anima spinam eradicabis.* Non satis est ad salutem, culpæ spinam proscindere: sed necessarium est illius radicem, nempe consortia mala funditus erudicare: sic enim ab anima & spinam male natam euelles, & vltra ne male nascendi materia mala supersit, efficies, Chrysologo attestante, *Quia tunc erit remissio peccatorum, quando tollitur materia tota peccandi.*

S. Nilus Monachus in capitibus Pareneticis num. 116.

Chrysolog serm. 95. De ea quæ vnxit Dominū vnguento.

CIRCVLVS IV.

Lactari à peccatoribus quàm damnabile malum, quàm detestabile damnum.

4 HInè filius sapiens amplectens Patris doctrinam, sic te paterno hortatur affectu, sic te pio inuitat & dictu, *Fili si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*: Vel ex Septuaginta, *Ne te deceperint viri impij*: Vel ex Hebræo, *Fili mi, si te allicient, vel persuadeāt peccatores, noli lactare*: Vel ex Beda, *Idem est, ad mala perpetranda blandimentis impellere, & commissa fauoribus, & laudibus prosequi*: Vel ex Gregorio, *Peccatores tūc lactare dicuntur, cùm vel perpetranda mala blandimentis ingerunt, vel perpetrata fauoribus extollunt.* O fallax venenū, quod mira quadam dulcedine incautos interimit. Mira res, quod Serpens, etsi callidus dicatur, etsi prudens sit, tamen Cardano referente nouimus, & ipsum lacte inescatum deludi & capi. Quid igitur fiet de te, qui ex beato illorū numero vnus esse debes, cui præcepit numeri custos, & auctor, *Estote prudentes sicut serpentes*: quid inquam fiet de te, si lacte deceptorum decipiaris, nisi vt cum deceptoribus in pessum ruas? Ideo si pacem optas, libenter sequere sanum Regis pacifici consilium, Et si te lactauerint peccatores, Et si te allicient, ne acquiescas eis: id est, ne fugas veneniferum lac eorum. Medicis corporum compertum est, nullum venenum præsentius mortem afferre, quàm illud quod sub dulcis lactis haustu propinatur: tenuis enim ac facilis huius liquoris natura, tota ipsa in venenum emigrat. Et cordium medica experientia docet, adulatorum verba, eorumque cōsilia, & ingredi facilius, & necare damnabilius, & profundius penetrare, & irreparabilius inuadere, faciliusque perimere, nā *Ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Eo enim modo quo regulus, ex Plinii relatu, *Necat frutices, non contactos modo, verum, & afflatos, exurit herbas, rumpit saxa. Talis vis malo est:* Eodem, & malignātium cōsortia, vel solo afflatu etiā lapides sacuarij dirumpunt, & perimunt. Vbi enim, Linguis suis dolosè agunt, per verba adulatoria, vt Hugo inquit, ibi venenum aspidum fundunt, & interimunt.

Prou. 1. 10.

Septuagint.

Hebræus.

Beda hic.

Greg. Papa lib. 4. moral. cap. 25.

Cardanus in serpente.

Matt. 10. 15.

Prouerb. 23 32.

Plin. lib. 8. c. 21.

Hug. Card. in Psal. 13.

CIRCVLVS V.

Christiani a regibus, non a seruis diaboli debent lactari.

5 DE his inferni nutritijs, tale ferendum est, ni fallor, iudicium, quale ab Auicenna iam de puerorum nutricibus fuit latū, sic enim ipse monet, & docet, *Nutrix secundum mores suos consideratur, quoniam sicut ipsam bonis moribus ac laudabilium oportet esse, que tarde a malis animi passionibus patiatur, sicut ira, tristitia, & timore: omnes enim isti corrumpunt complexionem, & permutant, & transeunt in infantem lactatum.* Non dispari lege, & de exlegibus Doctoribus, & de errantibus ductoribus a nobis afferendum est. Si puerum delicatū quæris, aspice Iustum. Si nutritores perquiris, en ei promittitur, *Mamilla regum lactaberis.* Si salutarem vitam ex illis haustam, *Et scies quia ego Dominus saluās te.* Et si copiam liquoris, & morum gloriam, Septuaginta legunt, *Diuitias regum comedes:* & Hieronymus interpretatur, *Has diuitias vbera esse regum, & doctorum māmillas, quibus nascentium in Christo renutritur infantia.* Tu ergo, o Christianè, qui Christi vberibus, quique Regum lacte nutriendus es, si casu vides diaboli nutrices vltro se ingetere, felleum lac propinare, & venenum lætale sic exhibere, *Et si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis:* Vel ex Hæbreo, *Noli.* Et eo modo, *quo Lacones Philippo scribentis, vtrū vellent ipsū venire hostem, an amicum: intrepidi responderunt, Neutrum:* Eodem & tu impijs, qui tibi vel bona nolle & fugere, vel mala velle & sequi, malè suadent, responde audacter, Neutrum. Et si te lactauerint peccatores, Noli. Noli eorum vestigia sequi. Noli voluntatem ad eorum consilia flectere. Et Noli aurē vocibus Syrenum, qui sub amicorum pallio se occultant, qui onera, sub honoris velo exhibent, & qui venenum, sub lactis colore propinant, præbere. Noli, & licet negatio a Philosophis dicatur naturæ malignantis: a Theologis dici posset, beatificantis, Beatus enim denunciatur vir, qui non ingressus est in consilio impiorum. Vis vno verbo rem totam absoluam? Ab impiorum consilio sic fuge, vt a pestifero, velis ac remis, fugeres, nec audeas prope accedere, non loquentem audire, non tangere, nō adire, sed cōsilium Sapiētis obserua, *Attende tibi à pestifero, fabricat enim mala:* Vel ex Iansenio, *Attende tibi à malefico:* Vel ex Vatablo, *Attende tibi a malefactore:* Vel ex Hugone, *Attende tibi a detractore.* Adulator enim, vt detractor infamat, vt malefactor ingerit noxas, vt maleficus incantat veneficijs, obscurat bona, fabricat mala, & omnia molitur damna, nam dæmonis æmulator, quem Deus faciens vocauit mundū, ipse inficiens reddit immundū: & hominem quem Deus in paradiso deliciarum collocauit ad vitam, ipse in hac laboris vita detraxit ad mortem, *Fabricat enim mala:* id est, vt Lyra intonat, *Summa arte ac diligentia malum operatur.*

Auicenna lib. 1. Canonis fen. 3. doct. 1. c. 2.

Isa. 60. 16.

Septuag.

Hieron. lib. 17. Comm. in c. 60. Isa.

Prou. 1. 10. Hebræus.

Ex li. 1. Apopht. Laconū Innom nu. 16.

Eccli. 11. 35.

Iansenius.

Vatablus.

Hug. Card.

Eccli. 11. 35

Lyra. hic.

CAELI DAVIDICI

VERSIO VNDECIMA.

Ex Arabico, Qui non sectatus est sententiam inobedientium.

CIRCVLVS II.

Inobedientes in naui sunt absque gubernaculo, obedientes in portu nauigāt, & Deum habent gubernatorem.

1 QVamuis Platonica doceat schola, Ad particularia descendentē quiescere oportere: attamen in sacræ scripturæ gymnasio, vbi se introductam Sponsa gloriabatur, diuersa lege seruata, ad particularia sic descenditur, vt a consilio impiorū in communi, quod ad omne extēditur vitium, & malum omne cōplectitur: ad eum descendat commonendum, & hortandum, qui inobedinatium sententiam non sectatur. Et meritò, nam vbi inobedientes omnes sunt in eadem naui, & naui in altitudine maris posita, iactata fluctibus, ventorum flatib⁹ excussa, agitata procellis, ac tempestatibus ita concussa, vt nunc canutos contingat montes, nunc nigrantes tangat & valles, nunc motibus quassetur diuersis, nunc ascendat vsque ad cęlos, nunc descendat vsque ad abyssos, nunc feratur ad astra, nunc referatur ad terras, & semper, ac incessanter, quasi fortunę iocus, & mortis ludus, iactetur per maria, leuetur suspensionibus, mergatur in profundo. Iustus ex opposito, cum obedientiæ gubernaculo, & cum eo qui dominatur fluctibus gubernatore, in portu nauigat, tutus incedit, fluctus non timet, aura suaui regitur, tempestates nō pauet, fortunæ incursus non formidat, periculum non expauescit, & de morte triumphat. Est enim ex Io. Climaci sensu, *Obedientia inexaminatus atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortisque contemptio, confectum dormiendo iter, tuta nauigatio.* Ioan. Clim. de inanis vitæ fuga gradu 3. de obedientia.

CIRCVLVS II.

Obedientia est directio nauis ad portum pacis: inobedientia ad scopulos belligeros ducit.

2 ET videre mihi videor inter has pares naues discrimen impar, cùm enim prioris cursus casu dirigatur, & marina discrimina absque gubernatore aggrediatur, & molles campos sulcis non litet rectis, nunc in scopulos ducitur, nūc syrtibus traditur nūc truditur ad tumulos, & nunc turbato cursu illuc contendit, vbi turbo impellit, vbi mare magnum est, vbi arenā, vndæ contrahunt, vbi saxa ingentia fluctus trahunt, vbi facies locorum cum ventis mutatur, vbi incauti merguntur, & vbi demum pereunt minus cauti. At, è contra, vbi nauis altera, signatos in directorio vidēs scopulos, syrtesque notatas, periti nautę ducatum sequēs, tuto dirigitur cursu, pericula fugit ad portū illabitur victorię, Victorias loquitur, & experta cogno- Prou. 21. 28.

scit, vetum esse tũ Hormisdę Decretum, *Obedientia principatum obtinet regularis disciplinæ*: tum Doctoris Gentium statutum, *Quicumque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos*: id est, ex Anselmo, *Quicumque per hanc regulã doctrinæ, & gloriandi in Cruce dirigunt suam fidem, & opera, pax erit super illos, & reconciliatio ad eum.* Et iure dixit gloriandi in cruce, nam si de hac legimus, *Christus factus est obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis: qui hanc regulam obedientiæ vsque ad crucem sequuntur, & ad premium veniũt, & pacem inueniunt.*

Hormisda Papa in ep. ad Possessorem.
Ad Galat. 6. 16.
Anselm. hic
Ad Phil. 2. 8.

CIRCVLVS III.

Ex labyrintho mũdi, obedientiæ filo liberamur.

3. EX labyrintho non dabatur egressus, nec porta pandebatur nisi ei, qui cæca regebat vestigia filo: & ex mundi huius, labyrintho, in quo tot itinerum ambages, occursus, recursus, & inexplicabiles errores cõtinentur, sine obedientiæ filo, exitum inuenire, nemini datur. Hoc filo te ducit non Dedalus, sed Diadocus, asserens, *Obedientiam esse omnium virtutum introducentium principem, vnde sanaa atque aditus caritatis in Deũ efficitur ijs, qui libenter eam amplectuntur. Hæc enim omnes vias virtutum nobis sine vllo errore demonstrabit.* Vis nosse pereuntem, nedũ errantem eum, qui ibi pedem ponit sine hoc filo? Aspice primum Adam, *Hanc enim obedientiam cum abiecisset, decidit in profũdum tartarum.* Vis cum iucunditate aspicere eum, qui obedientia duce è cælo egressus, dux nobis itineris, & salutis factus est? Cõspice Adã secundum, *Hanc.n. cùm amasset Dominus, vsque ad Crucem Patri obediuit: idque cùm nulla ex parte infra illius amplitudinem esset, vt cùm crimen humana inobedientia diluisset, eos, qui obedientes essent, ad beatam & immortalem vitam deduceret.* Notate verba, & documenta signate, vt benedictos Patris ad beatã vitã deduceret: hac. s. vitta coccinea obediẽtiæ. Dum enim obedientiæ Doctor, & ductor, trahens post se Fideles, *Ascendit pandẽs iter ante eos: diuident, & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Nec ipse educit e labyrintho, nec in Cælum ducit, nec per viam salutis conducit, nisi obtemperantes sibi, *Didicit enim ex his, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Vbi & ipse repetam cum Ambrosio, *Si obedientia Filij causa est salutis humanæ, quanta nobis necessitas est obedire Deo, vt digni inueniamur eius salutis, quam nobis per Filium proprium donauit?* Quam enim Dedalus salutem dedit per filum, hanc nobis Deus elargitur per Filium, ea conditione, vt filum obedientię à Filio nobis protẽsum, lubenter capiamus, libere complectamur, teneamus firmiter, & indesinẽter sequamur, donec ab hoc labyrintho per fores mortis deducat, & ducat per portas æternales in cælum. *Vnde & Dominus vsque ad Crucem Patri suo obediuit in hoc, vt eos, quos comperiret in hac vita inoffensum obediẽtia tenuisse callem, ad æternam illam reuehat vitam.* Ita Antiochus Abbas.

Diadochus episcop. photices epi. 41.
Idem ibid.
Idem ibid.
Mich. 2. 13
Ad Heb. 5. 9
Ambr. hic.
Antioch. Abbas S Sabæ hom. 9

CIRCVLVS IV.

Inobediẽtia mortem, obedientia vitam parit.

4 NEc mirũ esse debet si obedientes Paradisus cælestis lætus recipit, quos inobedientes paradisus terrestris mæstus eiecit: ac si vitam per obedientiæ benignitatem recipimus: qui in mortẽ per inobedientiæ malignitatem incidimus. En apparent in arena duæ bellatrices, altera inobedien

tiæ

tiæ armis instructa, ornata altera obediẽtiæ armatura, & cõtra vitã mors ab Antiocho agonothetã in singulare certamen ducitur, & ab eo sanguineis coloribus sic de-
Antiochus Ab. S. Saba hom. 38. pingitur, *Vitam obedientia, & inobedientia efficaciter mortem operatur. Dum enim Adam sui Opificis mandato gessit morem, neutiquam ligni vitalis priuatus est vsu. Contra, a paradisi amœnitate in hanc complorationis & miseria vallem, per inobedientiam relegatus, se, suamque hereditatem æterna addixit morti, audiuit enim, Terra es, & in terram ibis.* O fœcunda obedientia, quæ cælites paris, eisque aperis cælum! O sterilis inobedientia, quæ terrestres gignis, & ad cæca tartara ducis!

CIRCVLVS V.

Obedientiæ virtus melior Sacrificijs.

5 NOuum bellandi genus, vt dum obediens seipsum interimit, vitæ reddatur: & inobediens sibi viuens, moriatur. Dicet fortasse aliquis & incredibile esse, & mirum apparere in vitam obedientem reddi, iam mõrti traditũ.
1. Reg. 15. 22. Sed recolite Samuelis verba, *Melior est obedientia, quàm victima:* & fides surgat, sic enim admiratio cessabit. Cessabit quidem circa nouitatem, sed exurget circa victimam, si enim victima diceba-tur, quæ ab Imperatore post triũphum, in Capitolio dextera victrice immolabatur. Vnde Ouidius
Ouidius 1. fastorum. cecinit,

Victima, quæ dextera cecidit victrice vocatur.

Cùm obediens non mactetur, non cædi tradatur, nec subigatur morti, quomodo victimæ nomine dignus erit? Sed & victima est, & immolatio fit, & omni sacrificio tanto melior, quanto nobilior, quia non caro aliena, nec pecus, sed propria hic anima, & propria hic voluntas immolatur. Intonet Lyra hanc raram, & celebret hanc mi-

ram hostiæ excellentiam, *Melior est obedientia, in qua sacrificatur Deo voluntas propria: quàm victima, in quibus offertur caro aliena: nam quanto de re meliori Deo fit oblatio, tanto magis ei placet.* O gratum volũtatis sacrificium, si enim reliquas hostias non reddit gratas Deo nisi volũtatis caritas, quãto ei charior erit hæc oblatio, in qua immolatur voluntas? Sic de sacrificio Isaac dicebat Chrysologus, *Non expetebatur sanguis filij, vbi tota victima Patris dilectione constabat: nec quærebatur mors filij, sed Patris caritas probabatur.* Lyran. in c. 15. l. 1. Reg. Chrysolog. serm. 10. in Psalm. 28.

CIRCVLVS VI.

Obedientia Duce opera, etsi debilia virtutum, superant fortia, ex propria voluntate facta.

6 COnfirmatur idipsũ à Gaudentio, primum obedientiæ inter omnia sacrificia locum dante, tamquam duci seruandorũ cælestium mandatorum, sic enim fatur, *Obedientiam, quæ & sacrificio diuino præponitur & mandatis Dei omnibus antefertur, populus Hebræorum primum didicit, tamquam Ducem cælestium mandatorum. Sic enim Scriptura testatur, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est: & iterum, Audi Israel præcepta vita. Hoc quod dicitur, Audi, non audientiam simpliciter sonat, sed obseruandæ legis obedientiam prædicat, non enim auditores, sed factores legis iustificabuntur apud Deum.* Sic ergo immediate post Dei notitiam, obedientiæ datur præceptum, obedientiam describens cælestium mandatorum Ducem. Si Chabrias dicebat, *Meliorem esse exercitum Ceruorum, duce Leone: quàm Leonum, duce Ceruo:* Dicam & ego meliorem esse exercitum debilium operum, duce obedientia: quàm fortium, duce propria voluntate. Tu exercitum virtutũ Gaudent. Brixien. Ep. in tract. ordin. ipsius. Rom. 2. 13. Iac. 1. 22. Ex lib. 5. Apopht. vbi de Chabria. nu. 16.

instruis, ieiunia colligis, vigilias, cilicia, flagella, disciplinas repetis, silentium seruas, cōsortia fugis, orationi vacas, lectioni studes, sacramenta frequentas, & similes milites sub vexillo tuæ voluntatis cōuocas: at alter, nec studet, nec sacramenta frequentat, nec orat, nec consortia fugit, nec silentium seruat, nec flagellis cæditur, nec cilicio operitur, nec vigilijs insistit, nec ieiunijs maceratur, sed sub obedientiæ vexillo militat, & talē habet pro duce Leonem: quis inficias eat hunc illi exercitum præponi, cùm de cælo sententia sic lata sit, *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, numquid tale est ieiunium, quod elegi?* Et Ioannes Abbas Raythu sic eā interpretetur, *Ad obedientiam comparata bona omnia, quæcumque sensu proprio & voluntate fiunt, nihil sunt.*

Isa.58.3.

D.Ioa. Ab. Raythu in scholia sup. Grad.1. Io. Clim.cap.4

CIRCVLVS VII.

Obedientia pro martyrio habetur.

7 NEc mirum, sicut enim martyrium inter omnia virtutum opera palmam obtinet: Ita & obedientia, quæ in homine Dei imaginem reformat, in virtutum choro CORONAM gestat. Audi quid tibi consulat Abbas Cellensis, *Christus, qui est Patris Filius, obediens fuit ei vsque ad mortem, mortem autem crucis. Poteris igitur & similitudinem Dei in te repingere, si pro fide Christi poteris occumbere, tunc enim quasi cera sigillum imprimitur, cum morti Christi mors nostra assimilatur.* Vbi ex obedientiæ exemplari, passionis trahens imaginem, quā Martyr imitatur, vtique ostendit obedientiam genus esse martyrij: immò & martyrium, de quo subdit, *Benè ergo resignauit suam Deus imaginem in Martyre suo.* Id apertè docet Antiochus Abbas, *Voluntatem propriam ex te exscindere, perinde est ac si proprium fundas sanguinem, & hæc homini imputatur pro victima.* Et Abbas Raythu, exponens verba Climaci, *Quicumque iugum Christi portauerit*: ita subdit, *Obedientiam intellige, quia sicut per ipsā à Christo Iesu redempti & saluati sumus: ita & nos per ipsam propriè, & singulariter portamus iugum: ipsamque Patres martyrium dicunt, quia seruorum Dei fornax, & exercitatio est.* Sed ea forma, qua fornax ista Babiloniex fornaci apparet similis: Eadem & obedientes, trium Puerorum sic gerūt similitudines ac personas, vt de ijs fas sit repetere cum Zenone, *Trium puerorum martyrium, qui credit interius, potest etiam ipse adipisci martyrium: tanta enim vis certaminis fuit, vt eam ipse quoque ignis horruerit: nam à barbaro Rege nimia crudelitate tribus pueris consulente, fornacis vltra quàm solet, septenario pabulo ignis armatus est. O admirabile incendium, ò verè spectaculum Deo dignum, qui audiunt timent, qui incenderant ardent, qui incensi sunt, sanctificati & incolumes de camino procedunt.* Et cum eodem Episcopo licebit subnectere, & eorum premia, & aliorū vota, *Deum vident, mors transit in vitam, metus in gloriam. Sic quis non optet ardere?* Non dissimile elucet veri obedientis fornax, veræque martyrium obedientiæ. Interius potes etiam ipse adipisci martyriū, dum lex superioris ignem incendit: dum tu in ipso ambulas, & obsequeris: dum flammis incenderis, & rore gratiæ perfunderis: dum Comitem amicum habes Dei filiū, dum sanctificatus & victor de camino procedis: & dum diuite commutatione, & mors transit in vitā, & metus in gloriam, sic, quis non optet ardere? Sic, quis non optet obedire, & vnus esse de numero beatorum, qui non sectatus est sententiam inobedientium? Talis fuit Simon Cyrenæus, qui primus portauit crucem Iesu, nā ex Theophylacto, *Simon interpretatur obedientia: qui igitur obedientiam habet: ille Crucem Christi fert. Sed & Cyrene, quæ vna Pentapoleos est, significat quinque sensus cogendos ad ferendum Crucem.*

Petr. Cell. lib. de Panib. c.4.

Idem ibid.

Antioch. Ab.hom.39

Io.Ab.Raythu. ibid.

Zeno Vero. Episc.de tribus pueris ser. 2.

Idem ibid. ser. 6.

Theophylactus in enarrat.sup.cap. 27.Matth.

CIR-

CIRCVLVS VII.

Christianus est compositus ex tribus elementis, scientia, fide, & obedientia.

7 SI vera est versio Augustini, qui pro eodem accipiens vel testimonia vel præcepta Dei, atque Martyria, vbi nos legimus, *Testimonia tua exquisiui*: ipse sic vertit, *Quia martyria tua exquisiui*: Nemo glorietur de nomine Christiano, si illi gloria tam eximij deest martyrij. Firmetur hæc veritas ex Pontificio decreto, *Christianus ille est, in quo tria ista, quæ in omnibus debent esse Christianis, poterunt inueniri, Scientia, Fides, & Obedientia. Scientia, qua Deus agnoscitur: fides, qua agnito creditur: obedientia, qua credito seruitutis obsequium exhibetur.* Si ergo hoc ternario numero, pro Trinitatis mystico sacramento, veri componitur forma Christiani: quis ignorat, quod is, qui obedientiam inde detrahit, seipsum trahit a numero electorũ? Cùm enim Philosophi doceant, formas imitari numeros, è quibus si vel vnum demas, vel alterum addas, numeri formã vel destruas, vel immutes: merito si à Christia no obedientiam demas, & formam mutabis Christiani, & assumes figuram pagani.

Psal. 118. 22

August. in Côc. 9. sup. Psal. 118.

S. Sixtus Papa in epist. de malis Doct. & oper. fid.

8 Pædagogi munus est instruere puerum Principem, vt quæ Principis sunt, cogitet, eaque pubescente ætate operibus exequatur: Et obedientiæ munus est sic instruere Christianum, vt quæ Christi exemplar demonstrãt, cogitet, & quæ Christiani sunt ea lege operetur, vt propriam voluntatem sacrificans, martyrij coronam candidã mereatur. Non mea sed Antiochi doctrina est, ita docentis, *Inter eas virtutes, quæ hominem velut manuducunt & instituunt ad pietatem, quiddam egregium in se complecti prospicitur obedientia. Iure quidẽ, cùm parens modestiæ sit, ac humilitatis. Quis non talem demiretur, & beatum prædicet? Voluntatem enim propriam à se exscindere, perinde est, ac si proprium fundas sanguinem, sed & hæc homini imputatur pro victima.* O victima incruẽta! o martyrij nouum genus!

Antiochus Monachus in hom. 39. de obedientia.

CAELI DAVIDICI VERSIO DVODECIMA.

Ex Scholio Græco, Qui non abijt in via præuaricatorum.

CIRCVLVS I.

Beatus dici potest, & est, qui idololatrarum fugit consilia, abominatur vitia, abhorret consortia.

1 BEatificato viro, qui obedientiæ deligatus religione, a consilio infrunitorum, qui vincula legis dirupet ant, non est ligatus: nunc beatus prędicatur, qui idololatrarum consortia fugit, hi enim figurantur sub nomine Præuaricatorum, quos alibi, *Præuaricantes*, appellat: Vel ex Hebræo, *Perfidos*: Vel ex Psalterio Romano, ex Ambrosiano, ex Ambrosio, ex Hilario, ex Arnobio, ex Cassiodoro, *Non seruantes pactum*: ex Symmacho, *Deponentes*: ex Augustino, *Insensatos*: ex Apollinari,

Ps. 118. 158.

Psalterium Romanum, & Ambros. Ambrosius. Hilarius. Arnobius. & Cassiod.

Stal-

Symmachus Augustinus Alij apud Ambros.

Stultitiæ seruos: & ex Alijs apud Ambrosium, *Non intelligentes*. Quæres fortè quinam hi sint, non intelligentes, stultitiæ seruientes, insensati,& perfidi? Fallor si huius modi colores non clare adumbrāt obscurum idololatriæ vitio mancipatum idolatrātē. Sed certe, non fallor, nam talis à Chrysologo describitur his nigris coloribus, & his pallentibus vmbris. *Abijt, abijt a se, a Deo impius cùm recessit: nec stat in consilio, impijs cogitationibus qui vagatur. Cumque sua mente semper voluitur, vt ebrius, non se computat, & computat cœlum: qui se scire existimat totum, se nescit: qui si se sciret, numquam cœlum, Solem, Lunam, ligna, lapides adoraret, quæ sunt omnia sua data, & sub dita seruituti: sed adorat lapidem, seruit ligno, qui Deo viuo, Deo vero seruire contempsit*. Horum stulti tiam ignito clauo, & configebat Sapiens & sic lugebat, *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & ex his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est*. Græcus legit Μάταιοι φύσει, *Stulti natura*. Nouam enim ac monstriferam assumunt formam, induunt & naturam: Natura abhorret vacuum, ipsi Dei cognitionem non habentes, & vacui sunt, & vani, vt Guillelmus philosophatur, quia vanum hoc, *Nec confert plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti*. Et vani, ac stulti, quia vbi homo factus est, *Vt Deum cognosceret, cognoscendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur*: Natura eorum vana efficitur, ac suo frustratur fine, cùm ignoret Deum, cuius cognitio finis illius est. *Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam*. Vnde & Zeno statuit, *Infelices, et miseri sūt, qui Deum patrem a quo sunt geniti, respuerunt, tanti immemores honoris, tanta dignitatis ignari. Talem enim Patrem lapsse, quam turpe?*

Chrysolog. serm. 44. in Psalm. 1.

Sapien. 13. 1

Gulielm. Paris. in Ps. 4.

Ex August.

Baruch. 3. 28.

Zeno serm. 1. de Isaia.

CIRICVLVS II.

Insipiens ex naturæ dono prudens, ex inserto vitio imprudens.

2 PSaltes, Athei mendacis describēs cogitationem, eiusque vesaniam depingens, aiebat, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*. Hieronymus & Pagninus legunt, *Dixit stultus in corde suo, Non est Deus*. Stultum, & insipientem, vt Chrysostomus philosophatur, vocat, *Non eum, qui est emota mentis, vel qui delirat, aut sensu minus valet: sed eum, qui malè sentit: non eum, qui insita & communi hominū prudētia priuatus est, sed eū, qui prudentia, quæ vna est ex quattuor virtutibus, peruersa est, quæ quidē prudētia est lucerna animæ regina cogitationū, & magistra eorū, quæ bona sunt, & honesta*. Probat autem, & aureo stylo atrum hunc insipientem, non fuisse naturali orbatum prudentia, quia in corde tantum, non autem lingua ausus est dicere, Non est Deus, idque egit frenatus formidine pœnæ. *Sciebat enim periculo futurum sibi, si id eru ctasset. Quoniam enim qui illis temporibus Deum blasphemabat, vel illū inficiabatur, lapidibus petebatur, testis est Naboth, qui tamquā blasphemus condemnatus est*. Vanus ille amator, in destructo fidei templo, Ita scripsit, *In me manet*: at Atheus in templo orbis destructo, cui idē Chrysostomus improperat, *In domo Dei manes, & domum Dei inficiaris?* Infidelitati templum in corde proprio ædificans, de ea dicit, In me manet, *In corde enim impietatē insculpsit, impietatis templum cor suum constituens; Dixit insipiens, Non est Deus. Si fuisset enim emota mentis, & naturali caruisset prudētia, non in corde solum, sed ore etiam dixisset, Non est Deus*.

Psal. 13. 1.

Hieronym. & Pagnin.

Chrysost. in hom. super Psalm. 13.

Idem ibid.

Emblema.

Idem ibid.

Idem ibid.

CIRCVLVS III.

Athei assimilantur ebrijs, qui numero falluntur, & vnum pro multis sumunt.

3 Ratione orbati, & mente carentes ac stulti, nullum agnoscentes Deum, Deum nullū adorātes, in eadē naui sunt cū his, qui ebrij, & exleges multos sonīāt deos, pariterque delirant. Ebrij, vt Clemens notat, cæcutientes fallūtur, falluntur a vino, & erranr in numerandis obiectis procul positis. Sic enim asserit, *Ebrij numerare non possunt, quæ procul sunt, tā quam sint vnica. Atqui duos Soles videre mihi videor, ille ebrius dicebat Thebanus senex. Motus enim visus à vini caliditate, saptus eius, quod est vnū, multiplicem apprehendit visionis substantiam.* Cùm ergo de Deo dicat sapiens Iob, & verum dicat, *Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul: Procul enim intuerí est, non tam illum ex specie cernere, sed ex sola admirationē operū suorū pensare:* Et cū etiā verum sit Sophocli effatum, *Omnis proiectiò ebrius vacuus est mente:* Cui mirum, si hic insipiens menteque vacuus, atque ebrius, Deum, qui vnus est, & procul est, dū multiplicem existimat, neque vnum, neque multos apprehendat? Ideo dum multos deos adorat ebrius dicit, Non est Deus. Assimilabat Patriarcha Constantinopolitanus dementem Athei mentem adulteræ dementatæ, quæ multos habens viros mentiens, dicebat, à Samaritana edocta, *Nō habeo virum:* dum enim multos habebat, nullum habebat. *Quemadmodum maritorum multitudo efficit, vt non censeatur maritus: ita multorum deorum cultus est impietas, & perinde est, ac si nullum colas.* Consona mihi non videntur verba Pauli, nunc asserentis, *Eratis sine Deo in mundo:* & nunc asseuerātis, *Vidi simulacbra vestra.* O Doctor Gentium, si tot simulachra in Ciuitate vidisti, quomodo Ciues sine Deo esse autumasti? Respondet idem Chrysostomus, & consequenter, *Propterea sunt impij, & sine Deo, quòd cùm multos deos elegerint, ab vno exciderunt.*

Clem. Alex. lib. 2. Pædagogiæ c. 2.

Iob. 36. 25. Ex Gregor. Papa hic.

Sophocles apud Stobæum serm. 18. de Incōtinentia.

Ioan. 4. 9.

Chrysost. in homil. sup. Psal. 13.

Ad Ephes. 2. 12.

Act. 17. 23.

Idem ibid.

CIRCVLVS IV.

Idolatræ deorum vitia imitantes, propria excusabant vitia.

4 Et vtinam, sicut sine Deo vero, viuo, & optimo erant: sine inanibus etiam & iniquis fuissent: nam fortasse non adeò corruptos & inuerecundos sectati essent mores, dum mores deorum se imitari somniabant, putanres per ea, quæ Firmicus refert, *Vt sibi liceret, quod diis suis licuit, vt & se ad consortium talis vita, morum similitudo produceret.* Sic adulter, Iouem, tot adulteriis maculatum: sic cupidus, Herculem, Gerioni cum anima boues auferentem: sic homicidæ, Martis homicidia imitabantur. Quis reliqua prosequatur? Concludam cum Firmico, *Semina penè omnium scelerum à diis suis peccantium turba collegit, &, vt perditus animus impunè facinus posset admittere, ex præcedentibus facinorum exemplis, maiori se auctoritate defendit. O facinorosa cupiditatis triste solatium! O bominum deslenda persuasio! O infelicis imitationis cruenta meditatio! Satanam de cælo fecistis, & errantes animos per abrupta præcipitia crudeli calamitate duxistis, cùm hominibus peccare cupientibus, facinorum via de deorum monstratur exemplis.* Quid diceres, ò Cicero, qui damnabas Homerū, de eo asserens, *Fingebat hac Homerus, & humana ad deos transferebat, diuina mallem ad nos:* Putabas enim, non posse diuina esse nisi diuina, & consequenter, virtutibus ornata, bonitate completa, & à vi-

Firmic. Maternus de errore profan. relig. cap. 13

Idem ibid.

Cicero Tuscul. 1. ex August. lib. 4. Ciuit. c. 26

tijs absoluta, cùm diuinitas inde, & hine malum, vitium, & peccatū sint toto cælo opposita. Quis non videt idololatratas diuina transisse ad nos, cùm hominibus peccare cupientibus, facinorum viam de deorum ostendunt exemplis? Hac ratione fretus, de Tullio dicebat Augustinus, *Meritò displicuit viro graui diuinorum criminum Poeta confictor, & exclamat, non contra figmenta Poetarum, sed contra instituta maiorum.*

Augu. lib. 4. de Ciui. Dei cap. 26.

5 De melle Ponti referebat Plinius, *Quod ab insania, quam gignit, manomenon vocatur: idque æstimatur contrahi flore rhododendri: mel autem exitiale est.* Nec apertius demonstrari poterat à natura quicquid his hominibus idolatris vanis & stultis euenit, nec aptius describi malum, quod illis accidit. Ipsi, quasi apes, ex varijs vanis dijs, quasi taxi taxicis floribus, mel venenatū meditantur, & co trahunt, stupri ex Ioue, parricidij ex Saturno, amorum ex Libero, furti ex Hercule, homicidij ex Marte, lasciuiæ ex Venere. Mel autem hoc, & stultitiam gignit, quia, Dixit stultus in corde suo, Non est Deus: & exitiale venenum est, & mortem parit. A fuga mellei veneni, quod dum placet, nocet: dum delectat, necat: dum gustatur, perimit: & dū mulcet, occidit, his frenis, hisque verbis nos retrahebat Gaudentius Brixiensis, *Nec sufficit, vt à mortifero dæmonum cibo vitam suā custodiat Christianus: sed vt omnia abominamenta Gentilium, & omnes idololatriæ tramites, sicut quadam serpentis diaboli venena, diffugiat.* Si quæris fatuas apes, ecce gentiles: si fallaces flores, ecce falsos deos: si mel venenatum, ecce idolatriæ tramites: & si aluearij tam damnabilis artifices, ecce diabolicos serpentes, sunt enim quædam serpentis diaboli venena. Audite eiusdem Gaudentij monitum, eique obaudite. *Videte quomodo ab omni pollutione escarum, quam superstitio Gentilis inseruerit, vestras animas conseruetis.*

Plin. lib. 21. cap. 13.

Gaudentius Brixien. Ep tract. 4. de lectione Exodi.

Idem ibid.

CIRCVLVS V.

Qui præceptum, quasi margaritum conculcat, idololatra est.

6 Sed repetam cum Apostolo, De his qui foris sunt, quid ad nos iudicare? Domestica pensemus. In eadem quidem naui esse idololatris videre mihi videor esse eum, qui malit propriæ obedire velleitati, quàm velit diuinæ obtēperare voluntati. Vnde versiones diuersæ, & discordes concentus, quibus nunc inobedientes, nunc idololatræ damnantur, & concordes sunt, & conueniunt in vnum. Nō mihi fides præstetur, si Samueli negatur, *Quasi scelus idolatriæ est nolle acquiescere.* Sic dictum est, immo imperatum fuit Saul regi. Sed ob quid? Forte, ob adulteria? Fortè, ob homicidia? Fortè, ob furta? Fortè, ob blasphemias? Minimè verò. Sed quia obtulit sacrificia. O nouum! Ergone ob sacrificia Deo oblata, de idolatriæ scelere Rex damnatur? Ita per omnem modum, nam contra obedientiam litata, non sacrificia, sed sacrilegia sunt: nec sacrificiorum nomē promerentia, sed sacrilegiorum. Et quidem iure meritò, iuxta Gildæ Sapientis decretum, *Non enim agitur de qualitate peccati, sed de trāsgressione mandati. Non ergo sibi sceleratí, dum non Gentium dijs perspicuè litant, supplaudant. Siquidem conculcantes, porcorum more, pretiosissimas Christi margaritas, idolatræ sunt.* Margaritum est mandatū, Non furaberis: si tu furaris, illud conculcas, & idolatra es. Margaritum est mandatum, Non occides: si tu occidis, illud cōculcas, & idolatra es. Margaritum est mādatum, Non mæchaberis: si tu mæcharis, illud conculcas, & idolatra es. Et pari ratione, si quodcumque præceptum, quasi pretiosum & fulgens margaritum conculcas, & transgrederis in idolatrarum

1. Reg. 15. 23.

Gildæ Sapiētis de excidio Britaniæ.

albo

albo tetro inscriberis calamo, obstinationis enim est hæc nundinatio, non commercium caritatis.

CIRCVLVS VI.

Inobediens idololatra est, adorans propriam voluntatem, quasi Lupam vel Leænam.

7 Ambiges, si idololatra dicitur, & est, qui aliquod falsum Numen, & mendax nomen adorat: quemnam inobediens colit deum, quam deam mendacem adorat, vt & idololatra fit, & idololatriæ in crimen incurrat? Nonne inter deas à gentilibus adoratas, & & Lupa, & Leæna enumerantur? Hasce inobediens veneratur, has adorat, has colit. An non Lupa, & Leæna est crudelis immanis, & effera propria voluntas? Eam talem tibi describit Bernardi penicillus, & effera fingit forma, atque imma ni figura depingit. *Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sæuissima. Hæc enim aduersus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quid enim odit, aut punit Deus, præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* Et vbi Lupa vel Leæna nullū poterāt Deo malum afferre, voluntas propria, quo furore Dominum maiestatis impugnent Bernardum audiant, & paueant, qui propriæ inseruiunt voluntati. Sic enim intonat, *Primò namque seipsam subtrahit & subducit eius dominatui, cui tamquam Auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Sed numquid contenta erit hac iniuria? Addit adhuc, & quod in se est, omnia quoque, quæ Dei sunt, tollit & diripit. Immo & ipsum, quantum in se est, Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vendicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum Deū non esse, qua quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem,* Dixit ergo in corde suo, Non est Deus.

Bernardus ser. 3 in Tēpore Resurrect.

Idem Ibid.

CIRCVLVS VII.

Fidelis insipiens, qui præcepta Dei nō custodit, dicit in corde suo, Non est Deus.

8 Sicut Idololatra altaria Dei destruens, altaria construebat idolis: ita agit & fidelis dum propriæ, infidelis contra Deū, obsequitur voluntati. *Per inhabitantem Spiritum sanctum*: Fidelis quilibet, vere templum Dei dici poterat, quod sanctum est, in quo erigebatur altare, scilicet Christus Dominus, vnde subdit Apostolus, *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris:* cùm ergo in corde impietatem insculpserit, idolorum templum cor suum constituit, nec vltra fidelem se esse gloriatur & iactat, cum de damnato numero eorū sit vnus, qui dicit in corde suo, Non est Deus. Audi tonantem Chrysostomum, & time. *Qui in ore dicit, Diligam te Domine: & in corde fratrem habet odio, quomodo Deum diligit, non obediens ei, qui imperat, Diliges Dominum Deum tuū, & proximum tuum sicut teipsum? Dominus dicit, qui diligit me, sermonem meum seruat: qui ergo non seruat, non diligit. Ore dicit Deum, & corde dicit, Non est Deus. Testis est Dominus, qui dicit, Populus hic ore me honorat, cor autem eorum longe est à me, Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, Deum enim non inuocauerunt, Deum fatentur se scire, sed quoniam factis negarunt, inuocantes, non inuocauerunt. Ipse enim dicit, Cur me vocatis Domine Domine, & non facitis quæ dico? Omnis, inquit, qui peccat, non cognouit Dominum. Ita enim filij Heli, filij pestis, Dominum quoque nesciebant, non in eo quod Dominum ore negarent, sed quod turpia facerent in tabernaculo.*

Ad Cor. 3. 17.

Ad ephes. 3. 17.

Chrysost. in hom. sup. Psal. 13.

Et qui dant fænori pecuniam, Deum non norunt. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.

CIRCVLVS VIII.

Deus, quasi cor, à fideli separatur, cùm à concupiscentijs superatur.

9 O Mira nouitas! quomodo potest hoc dicere in corde suo, cùm cor non habeat, & cũ ei Deus improperet. *Audi popule stulte: qui non habes cor?* Sed duplex inferitur in vno pectore cor, cor carneum, & cor spiritus: cor, quo corpus spirat, & cor, quo anima: cor naturaliter innatũ, & cor à cælo datum: cor quod corporeũ est, & cor quod Deus est. Cum illo ergo corde seducto insipiens dicit, Non est Deus, de quo & Propheta conqueritur, Audi popule stulte, qui non habes cor. Et iure ex doctrina Hieronymi, *Stultum vocat populum, qui sapientia reliquit Auctorem.* Fallor si in hoc non sequitur diabolus mirus artifex lapidariorum artem à Plinio descripram Draconidis lapidis in venatione, sic enim fatur, *Draconides ex cerebro sit Draconum, sed nonnisi viuentibus abscisso gemmescit. Igitur dormientibus amputat, & Sotacus, bigis vehi quærentes tradit, & viso Dracone spargere somnifica medicamenta, atque ita præcidere. Encardia cognominatur, & cardisce. Vna in qua nigra species cordis eminet: altera viridi colore, cordis speciem repræsentat: tertia nigrum cor ostendit, reliqua sui parte candida.* Haud dissimili astu diabolus pretiosissimam cordis gemmam, seu encardiam nobis eripere contendit, dum viuimus. Vt autem id perficiat, quod præsumit, somnifica spargit medicamenta, huiusmodi enim sunt peccata, quibus ratio sopitur, concupiscentia excitatur, mentis oculi excæcantur, discursus confunditur, obruitur mens, cognitio Dei offuscatur, & perditur cor. Coloret, quæ ipse figuraui, penicillus Bernardi. *Concupiscentia reuiuiscente sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundũ malorum, traditur captiuus tyrannidi vitiorum, vt carnalium ita voragine desideriorum absorptus, suæ rationis diuinique timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo, Non est Deus.* Fidelis ergo cor habet & cor non habet: habet ex vna parte fidei albedinem, habet ex altera operũ nigredinem. Inde fatetur verbis se nosse Deum, hinc profitetur operibus nescire Deum, dicit se nosse Deum, factis autem negat.

Ierem. 5. 21.

Hieronym. li. 1. cõmẽt. sup. cap. 5. Ierem.

Plin. lib. 37. cap. 10.

Bernard. de Gradib. humilitatis gradu 12.

CIRCVLVS VIIII.

Qui non inuocat Deum toto corde, & non proijcit vitia, non inuenit Deum.

10 QVis non miretur Deum tã malè prima fronte obseruare promissa, vt qui regium, immo diuinum sic oppignorauit verbum, *Ad vocem clamoris tui, statim cum audierit respondebit tibi*: Sponsa eum quærens, non inuenit: clamans, non auditur, vnde & conqueritur, *Quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi?* Sed responsio est in promptu, quia nõ ex toto corde vocauit, nec omnes abijciens falsos deos, vnum verum & solum inuocauit, ideo non respõsum ipsa meruit, sed repulsã. Non est mea responsio, sed Lucæ Abbatis, *Non in toto corde exquirendo, non tenuit eum: & quia non obliuiscendo alios falsos deos, vnum, & verum vocauit: ideo non respondit ei, non enim fecit quod ille dixit, Clamaui in toto corde meo. Dum ergo multi quærũtur ab animo, nullus adeo inuenietur.* Hæc igitur omnia, quæ tunc contingebant, nunc durius contigere approbantur; dum in cordibus idola fabricamus, auaritiam scilicet diligendo.

Isaias 30. 19

Cant. 5. 6.

Lucas Ab. mont. Sãcti Carm. in sũ mariola ex Aponio in cant. cant.

CAELI DAVIDICI VERSIO TERTIADECIMA.

Ex Rabi Dauid Kimhi, Qui non abijt in via auidè ſtudentium aggregandis opibus.

CIRCVLVS I.

Auaritia idolorum ſeruitus eſt, & beatus eſt, qui poſt aurum non abit.

1 CONſonat huius circuli harmonia, cum præcedentis concentu, ſi enim in illo beatus in communi aſſeritur, qui in via idololatranti non abijt: hic beatus æſtimatur, qui non abijt in via auidè ſtudentium aggregandis opibus. Sic enim ab idolorum cultu vniuerſali, ad cultum deſcendit particularem, nam ex ſententia Nili, *Auaritia mater eſt idololatriæ*: & ex Decreto Apoſtoli, *Auaritia eſt idolorum ſeruitus*. Et meritò idolorum ſeruitus dicitur, cùm pecuniæ deſeruiens, Ioui ſeruiat, Iouemque adoret, vt Auguſtinus ex ore illorum docet, qui Iouem pecuniam appellatunt, *Et pecunia, in quiunt, vocatur, quod eius ſint omnia*. Subdit tamen Hipponēſis Epiſcopus, *Sed nimirum hoc auaritia Ioui nomen impoſuit, vt quiſquis amat pecuniam, non quemlibet deum, ſed ipſum regem omnium ſibi amare videatur*. Dicatur ergo Idolorum ſeruitus auaritia, cum motus amborum ad eundem terminum tendat, & ſicut ſimulachra gentiū argentum ſunt & aurum: Ita & auarorum ſimulachra imagines ſunt impreſſæ in argēto vel auro. Hanc paritatis rationem non ipſe reperi, ſed ex Archiepiſcopo Cantuariæ hauſi, ita enim ait, *Sicut qui idolis ſeruit, cultum debitum Creatori imaginatæ creaturæ attribuit: Sic & auarus impendit cultum effigiatæ pecuniæ, dum Deum colere deberet, non pecuniam. Ideoque pecunia quam diligit facta eſt illi idolum*. O deceptorium cōmercium! o proditoriā impiamque nundinationem!

Nilus Abbas in inſtit. ad monach. Ad Epheſ. 5.7.

Auguſt. lib. 7. de ciuit. Dei cap. 12.

Anſelm. in c. 5. epiſt. ad Epheſ.

CIRCVLVS II.

Auaritia idolum in corde colens, conglobat ibi omnes ſerpentes, & vitia.

2 NOnnè tibi videtur pari pęna damnabilis, qui facit idolum, & in abſcondito ponit: & qui vanam pecuniæ effigiem cudit, & in cordis templo diſponit? Audi Nili ſententiam, *Execrabilis eſt qui facit idolum, & in abſcondito ponit: huic ſimilis eſt, qui auaritiæ vitio laborat. Vt enim cultor idoli numen adulterinum, & inutile veneratur: ſic auarus vanam diuitiarum imaginem animo complectitur, & colit*. Colit miſer, ſed in perniciem ſui, non Anguem vnum, ſed Anguium globos, a quibus cor, & tyrannica ſeruitute plectitur, & venenifera feritate mordetur, & indiſſolubili modo ligatur, ac infatigabili noxa & angitur & torquetur. Referente Pierio nouimus, quod, *Pleriſque locis videre eſt anguium globos in vnam quaſi maſſam adſtrictos, de iugorum verticibus, ad ima prouolui*. At Climaco docente legimus, nō de iugis montium, ſed à profunditatibus inferorum inglomeratos ſerpentes à diabolo ele-

Nilus Abb. orat. 3. de auaritia.

Pierius Valer. lib. 15. c. de Caduceo.

Ioan. Clim. de auaritia Gradu 16. Scalę.

uari in cor æmulatorum Iudæ & auarorum. Sic enim fatur, *Merito radix malorum omnium & est, & dicitur auaritia, serpens ille multi sepi idolorum seruitus. Hæc enim & scelera, furta, inuidias, cædes, diuortia, inimicitias, procellas, iniuriarum memoriam, crudelitatem, mala denique omnia inuenit* Quis vmquam vidit, quis aliquando audiuit, serpentes vel numero plures, vel veneno magis exitiali repletos, vel qualitate efferatiores his, quos auaritia effera, conglomerat & iactat?

CIRCVLVS III.

Ne aurum nos mergat, illud in Cęlum mittamus.

3 O Mirum! Auaritiæ serpentes ab inferis ad cor auari magna & leuitate, & celeritate volucres ascedunt: & statim arce occupata, maximo pondere nequitiæ grauati, ad inferos, vnde ascenderant descendunt, auarumque secum præcipitem trahunt. Gentilis ille Philoxenus, cùm videret hoc se onere ad inferna trahi, inuicto corde armatus, solutis vinculis auri, aurum proiecit in pessum, indignabundus quidem, sed corona dignus, aurum perdēs, ac libertatem emens, sic ore auro effatus, *Per deos, hæc bona me non perdent: sed ego potius illa.* O te felicem, si illum in parte imiteris, & si tu a Chrysologo doctus, quod, *Aurum natum in terra profunda, dum suam semper repedat ad naturā, & calestes animos ad inferna deponit, & mores hominum perdit, perdit, & naturam*: tu aurum non in infernum proiicies & perdes, sed per manus pauperum in cælum mittes, vt serues. Hinc idem Rauennę Antistes pendens verba Domini Matthęum sic vocātis, Sequere me: dicebat, *Hoc est, me sequere de supernis ad superna tendentem: & nō aurum de inferis ad inferna mergentem.* Ad inferna demergit aurum natura graue, quod grauius fit auaritia nimis: quod plus habētem deprimit, quàm ferentem: & & vehementius aggrauat corda, quàm corpora: & quod alta mentium semper in terrena demergit.

Ex lib. 3. Apophth. vbi de Philoxeno num. 40

Chrysolog. ser. 29. de Matthæo.

Pet. Chrys. ser. 29. de Matthæo.

4 Idque meritò cū in prouerbio sit, *Nemo cum sarcinis natat*: quomodo poterit quis auri onere pręgrauatus, per aeris tarum mare ad empyreum enatare? O auri pondus, tu in terram corpus trahis, tu animam inficis, tu hominem in iumentum vertis, tu rationem destruis, destruis & naturam. Ad hæc mala fugenda sic te inuitat Chrysologus, *Intuere quid auro grauius, quod cùm mores hominū perdit, perdit & naturam. Aurum Iudaicum populū sic suo captiuauit aspectu, vicit ille cebris, specie perdecepit, vt hoc esse deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficijs cognitum denegarent. Sic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput, caput suum crederent, & omnium rerum Capiti, caput pecudis anteferrent.*

Adagium ex Petro Damiano.

Chrysolog. serm. 29. de Matthæo.

5 Sic, sic, auri fallacis color, mēdacis sonus cor mutat, commutat os, vt qui Deum adorabat vitulū habeat in honore. Ad quod notabat Ambrosius, quæ de fluuio circumiente Euilath, vbi aurum nascitur, Moses narrabat, *Phison, qui latina interpretatione, Oris dicitur cōmutatio, circumiens terrā Euilath, vbi est aurum, & aurum terra illius bonum. Meritò os illic commutatur, vt non teneatur promissorum fides, vbi est aurum bonum. Auaritia enim fœdera frangit.* Et quid mirū, quòd aurum auarum omnia destruat, cùm ex Chrysologi sensu omnibus imperet? *Imperat gentibus, iubet regnis bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, vrbes destruit, subdit populos, arces vrget, vexat ciues, fora præsidet, ius delet, fas nefasque confundit, & ad mortes vsque tendendo fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, soluit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit.* Dicatur, dicatur ergo auaritia omnium malorum radix, quę

Ambros. in enar. super Psal. 1.

Chrysolog. ser. 126. de Villic. iniq.

tot monstrifera germina parit, vt perimat.

6 Contra tot monstra, totque discrimina rerum, vnum, idem Chrysologus, vtile monstrat remedium, idque in sola commutatione consistit, qua terrestria ad cælestia transmittuntur, vnde, & subdit, *Est commutatio sanè vna, si homo prudens illud ante mittat ad cælum, quàm mittatur ab illo, vt stultus, in tartarum. Mittat per manum pauperis, quia quidquid propter Deum pauperi dederit, ad cælum sine dilatione transmittit.* Hac lege, hac arte, & hac diuiti nundinatione, aurum non perit, vt illud Philoxeni, sed te in æternum saluat, & aurum seruat, quod defuit illi At si hunc aureum laqueum non disrumpis, ipse te disrumpet, *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* O vanas hominum mentes, o pectora cæca, quot homines, inquit Anselmus, *Amando diuitias, a diabolo illaqueātur, & cadunt in desideria inutilia, quia non prosunt: & nociua, quia ita nocent, vt mergant homines in interitum corporum, & in perditionem animarum.*

Chrysolog. ibid.

1. Tim. 6. 9.

Ansel. hic.

CIRCVLVS IV.

In iudicio Auari tantum damnantur.

7 Ambiget forte quis, ergo sola auaritia hominem in perditionem mergit? Sola dicam, immo sola, quia talem illam prædixit Saluianus. Vbi enim fiet hominum perditio, nisi in iudicio, in quo dicente Iudice, Discedite a me maledicti: aperietur terra, os inferni pandetur, & ibunt reprobi in supplicium æternum? Sed tale fulmen quorum capita cōfringet? Auaritiæ sectatorum, & auidè studentium aggregandis opibus. Legamus & nos decretū ab eo latū, *Auaris & inhumanitatis crimine reis, Ite, inquit, in ignem æternum. Per quæ tamen tormenta maxima, non atrocissima illa in eis fornicationum, aut homicidiorum, aut sacrilegiorum crimina puniuntur: sed sola tantūmodo auaritia, & abdicatrix misericordiæ inhumanitas Vnde intelligere nos conuenit quid passuri sint, quos præter alia peccata, etiā auaritia reos fecerit: cùm sūmo supplicio afficiendi sint, quos expertes omniū peccatorū, solū auaritiæ crimen morte damnarit.* Nec mirū, nam sicut parum fermenti totam massam corrumpit: ita auaritia fermentum vetus vitij & improbitatis, quemcumque animum fuerit ingressa, reddit immūdum, omnes corrumpit virtutes, & omnia etiam bene parta fermentat. Et quod non minus notandum, quā timendum est, transit etiam, vt Chrysostomus docet, in heredem. *Nam qui scelere acquisitę successit hereditati, etsi ipse non rapuit, habet tamen quod raptum est: ille colligauit, & tu tenes. Peccata thesaurizauit, & irā in die iræ: & tu peccatorum & iræ heres, & de ijs omnino pœna a te exigetur Hæc autem sanciunt quoque leges externæ: eos enim dimittētes qui surripuerunt & sustulerunt, iubent ab illis repetere omnia apud quos ea inuenerint.* O malorum omniū pessimum auaritiæ malum, vitiorū fomes, peccatorum radix, pharmacum pestiferum, exitiale venenū, & diaboli laqueum.

Saluianus Episc. lib. 3. ad Ecclesiā Catholicā.

Chrysost. relatus a Niceno in qst. scrip. quæst. 10.

CIRCVLVS V.

Seruitus auaritiæ qualibet est seruitute deterior.

8 Sed ad seruitutem idolorum reuertentes, vnde plusquàm putaram egressi sumus, quis seruitutis auarorum miserias describet? Diogenes dicebat, *Inter seruos, ac dominos malos, præter vocabula nihil aliud interesse, nisi quod mancipia seruiant dominis, domini cupiditatibus.* In quo significabat vtrosque esse seruos, miseriorē tamen seruire seruitutem dominos, si impij sunt, quàm mancipia. Describit Sapiens ac distinxit hæc duo ge-

Ex lib. 3. Apoph. vbi de Diog. num. 191.

nera

nera seruorum his coloribus,& talibus vmbris, *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas diuitis non finit eum dormire*. Vbi Olympiodorus hæc addit lumina. *Posita comparatione, ostendit felicius eueuire homini seruili conditione subiecto, quam ei, qui liber cùm sit, auaritia tamen seruit. Famulus enim securam vitam ducit, quocumque demum victu alatur, dulci somno reficitur. At qui pecuniis seruit, herum habet importunû, qui dormire eum non sinit, curam scilicet augendi lucri anxietatibus plenam*. Et per ea quæ Theophylus Alexādrinus asserebat, *Diuitiarum cura somnos interrumpit dulcissimos*.

Eccle. 5. 12.

Olympiod. in c. 5. enar rat. in Salom. Eccle.

Theophyl. Alex. Episc. in epist. 3. Paschali.

CIRCVLVS VI.

Auaritiæ radix feras, non flores: angues, non fructus producit.

9 VBi, ni fallor, vti non fallor, circa verba Pauli, *Radix omnium malorum est cupiditas*: idē Auctor nascentes, natosque pandit monstriferos, non flores, sed feras: non fructus, sed angues. Hinc Leo oritur vigilantiæ symbolum, *Somnos interrumpit dulcissimos*. Inde Pantera, *Innoxiis calumnias struit*. Ex vno latere Phænix, quæ adunat ligna, sepulchrum sibi fabricat, ignemque accendit, *Et cum infinitas opes congregauerit, materiam æternis ignibus parat*. Ex altero, insatiabilis Lupi rapacitas & voracitas, *Postquam insatiabilis furor quæsitis opibus incumbuerit, nō repletur auaritia*. Ex vna parte Draco flammis contra flammas pugnans, *Contemnit leges, gehenna flammas despicit, futurum iudicij tribunal habet pro nihilo*. Ex altera Rhinoceros cōtra Elephantem cornu armatus belligerans, *Nec tantum aduersarij contra hostes suos, quantum diuitiæ contra virtutes dimicant*. Sed vbi Aquilæ fugerat memoria, cùm pecunia regina, viles nobiles faciat, & dignitates indignis largiatur?

1. Timoth. 6. 10.

Idem ibid.

Hæc in vrbibus nobilitati prefertur, hæc nouis hominibus antiquam donat familiam. Vbi Vultures prætereo voraces, ac nullo vmquam aureo cibo saturos: sed semper sacra eius fame vexatos? *Numquam diuitiarum desiderium vllis diuitijs satiari potest. Eget semper, qui auarus est, nescit mensuram, cui tantum deest quod habet, quantum quod non habet*. Et vbi Cerberum taceo sulphureas flammas eructantem cupiditatis, & semper ore aperto ad plura inhiantem? *Infernus mortuis non repletur, sed quanto plures susceperit, tanto plures desiderat: imitatur ergo eum auaritia, nec satiari potest, sed quidquid habuerit, plus requirit: minus putat ab eo quod cupit, semper immensa, semper immodica, ardorem pectoris opum magnitudine non restinguens: in conuiuijs, non cibos vorat, sed iniustitiam: in iudicijs vitia miscet atque discordias: non est compos mentis, sed quasi ebria fluctuat, vnam habens mensuram, extra mensuram semper inquirere*. Fallor si ad hoc signum sanctus Maximus arcum non dirigebat, cùm ambitiosas diuitias appellabat, dicens, *Diuitiarum ambitione*. Ambitiosæ quidem apparent & sunt, non minus in affectu, quàm in effectu. In effectu, quis non videt pompam vestium, seruorum cateruam, equorum & curruum appatatum, domus splendorem, dignitatum ac titulorum ostentationem, ac talem mensæ gloriam, vt de eis dicatur, *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*: nam ex Senecæ sensu, *Etiam si vana gloria imagine teneantur, speciose tamen errant*? Hi autem omnes riui ab vno aureo deriuantur fonte, secūdum Ambrosium, nempe a diuitiarum ambitione, *Magna enim illecebra delinquendi est, rerum affluentia*. Sed ambitio earum extenditur ad affectum. Eo ergo modo, quo ex doctrina D. Thomæ, *Ambitio importat appetitum inordinatum honoris, & opponitur magnanimitati per excessum*: & talem importat excessum, atque in tali gra-

S. Maximus

Ad Philip. 3. 19.

Seneca lib de breuit. vitæ cap. 6.

Ambros. li. 1. de interpellatione Iob. c. 5.

D. Thom. 2. 2. q. 131. ar. 1.

du

du inordinatum, vt honorem affectet vltra merita, vltra modum, & quo altius eleuatur, eo magis æstuet sublimius eleuari: Ita diuitiarũ ambitio, affectum accendit in pectore auari, vt ambitiose opes ambiat, & aurum ac argentum ita coaceruet, vt non sit finis acquisitionis eius. Hinc Paulinus de Christo asserebat, *in Euãgelio prædamnat diuites sæculi, dicens, Væ vobis diuitibus*. Prędamnatur enim, nedum quia diuitiæ sunt quasi reatus infernalis supplicii: sed quia infernalem diues prælibatur affectum, nam sicut, *Infernus numquã dicit, sufficit*: ita & illius affectus saturitatem nescit, quod prodigij instar visum est Isidoro, dicenti, *Siquidem incrementum, haud scio quo pacto, decrementum atque iacturam esse existimans, ignem vehementius accendit*. Sicut de flammante cratere Nymphæo, cuius ignis vt Plinius refert, *Augetur imbribus*: dixit nescio quis, *Non tali auxilio*: ita & in cordis cratere cupiditatis flãma & fames incensa, quæ aureo imbre, vel argẽteo magis accenditur, quàm extinguatur affectus, dicere posset auarus, Non tali auxilio: nã ex Iuuenali,

Paulin. ad Militem.

Prou. 30. 16

Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 167.

Plin. lib. 3. cap. 106. Emblema.

Iuuenalis Satyra 13.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,
Et minus hanc optat, qui minus habet.

CIRCVLVS VII.

Auaritię & cupiditatis vastitas, maris vastitatem superat.

10 ET quis scit si ideo auaritia idolorum dicitur seruitus, quia sicut ex Bernardo, *Causa diligendi Deum, Deus est: modus, sine modo diligere*: Sic & pecunia nonnisi propter se amatur, nam *Qui amat pecuniam, fructum non capiet ex ea*: & modus, est sine modo, cũ vnam habeat mensuram, extra mẽsuram semper inquirere? Describebat quondam diuitias Nahum

Ad Coloss. 3. 5.

Bern. in trac. de diligẽdo Deo, in princip. tractatus.

Eccle. 5. 9.

Propheta illasque mari comparabat, *Cuius diuitia mare*: sed etsi verum dicebat, parum dicebat, maris enim vastitatem & inexaustam cupiditatem, auaritiæ cupiditas & vastitas longe superat. Patet hæc veritas, tum ex Nili sententia, *Nec multitudine fluminum mare, nec diuitiarum copia auari animus expletur*: tum etiam ex Theophili Alexandrini sensu, *Mare littoribus clauditur, venientes ex alto fluctus & rabiem intumescentium gurgitum, portus vel manu facti, vel natura firmissimi prohibent: diuitiarum cupiditatem, nisi ratione frenetur, nec consilium temperat, nec lex mitigare potest, nec vlla satiat abundantia*. Causam autem huius defectus, immo excessus, reddidit Victor Antiochenus, quia modus amandi diuitias est sine modo, *Nam facultatum subinde accedentium, maiorem habendi sitim incendit, animumque possessoris auidiorem, & quodammodo egentiorem reddit: qui extra modũ illis acquirẽdis inhiat, & nimis auarè conquisitas detinet*. O auaritia idolorum seruitus, cui causa diligendi pecuniam, pecunia est: & modus diligendi, sine modo est. Dicatur ergo victor, qui aurum vicit: dicatur & beatus, qui ab auri cupidine liberatur: nam ex Chrysologo, *Sicut aurum vincere virtutis est, ita felicitatis est euasisse*. Dicatur & diues, qui dum aurum perdit, seipsum inuenit: nam & idẽ Chrysologus te monet, *Perde vsurã, vt te valeas inuenire*. O mirum ludum, quo lucratur qui perdit, & lucratur seipsũ, qui perdit aurum.

Nahum. 3. 5.

Nilus Abb. orat. 3. de Auaritia.

Theophil. Alex. Episc. in Epist. Paschali 3.

Victor Antiochen. ad c. 10. Euang. Mar.

Chrysolog. serm. 29. de Matthæo.

Idem ser. 28 de Matthæo

CIRCVLVS VIII.

Auaritia est sanguisuga plura habens ora, sed numquam satura.

11 HAnc auteam famem talibus depinxit Salomon coloribus, ex sanguisugæ & eius filiarum auiditate mutuatis, *Sãguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes Affer, affer*:

Prou. 30. 15

Septuagita.

Vel ex Septuaginta, *Sãguisuga tres erant filiæ dilectione dilectæ, & tres ipsæ non saturauerunt eam, & quarta non sufficit dicere satis est.* Sed figura ab eo ficta, tot ænigmatibus apparet inuoluta, *vt* Athanasius putet ænigmata esse. Ænigmata autem Salonius ita soluit, *Luxuria & auaritia diaboli sitim & ardorem imitantur, quia sicut numquam peccando satiatur, sic nec auaritia nec luxuria. Nam quanto quisque magis luxuriatur, tãto amplius delectatur: similiter quãto quisque diuitias accumulat, tanto magis eas semper augmentare desiderat.* Quæres, quænam sunt tria vel quattuor huius auaræ sanguisugæ ora? Isidorus putat, *Os triangulum eas habere, & ex consequenti ora tria.* Plinius indefinite loquitur, *Sugentia ora forcipibus præcidunt.* Cum autem Septuaginta, & tribus & quattuor illas armatas demonstrent: videntur imitari morem dicentis, *O terque quaterque beati*: id est, infinities beati: at auarus absque vlla proportione & numero infelicissimus, etsi infinita aperiret ora, & sugeret sanguineos fontes copiosos a venis, tanquam aureos riuos, & argẽtea flumina, experimento cognosceret, quòd tres ipsæ non saturauerunt eum, & quattuor non dicerent, satis est. Hãc inexplebilem rapacitatẽ talibus Gaudentius vmbris descripsit, *Prædatoris rapacitas nõ comprimit auaritiam, sed irritat, scriptum est enim, Qui amat pecuniã non satiabitur pecunijs.* Sed sicut sanguisuga à venis extracta, & in cinerẽ iniecta, sãguinem vomit: Ita & auarus in cinere mortis, *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus*: Vel ex 70. *De domo eius extrahet eas Angelus.* Explanat hunc locum Niceta, apposita similitudine, *Vt enim, qui noxium aliquem cibum sumpsit, vna cum eo probos etiam euomit: Sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed etiam quas prius iure possidebat, plerumque amittit.* Et quamuis Auctor Catenæ, in Angelo recognoscat vnum ex ijs, *Qui tortorum munere funguntur*: attamen ipse in hac effera Angeli forma mortem aspicio, quæ torquens & discerpens diuitem, omnia extorquet. Ad quod Olympiodorũ aduoco, sic dicentem, *Auaros non somnus excipit, sed horribilis mors, quæ non sinit eos quiescere, sed æterno tradit supplicio.* Cõfundat Christianos Gentilis sententia, *Nemo Deo dignus est, nisi qui opes contempsit: hæ enim efficiunt diuitiæ, inflãt animos, superbiam & arrogantiam pariunt, inuidiam contrahunt, eorũque mentem alienant, vt fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet.* Nec nocituram ipse nouit nisi in breui hac vita, & tamen sic eam damnat auersaturque: quid ergo tu facies, cui nocitura erit in æterna, nescio an dicam morte, vel amara vita, quia ex Gaudentio, *Gaudium cælestis thesauri, malo auaritiæ possessus, possidere non poterit?*

Athanasius in Synopsi ad Prouerb Salomonis.

Salonius in Mystica explicat. in parab. Salom

Isidorus.

Plin. lib. 32. cap. 10.

Virg. Ænei. 2.

Gaudent. Brix. Episc. tract. 3. con. auar. Iudæ.

Iob 20. 15.

Septuag.

Niceta in scholio sup. orat. 9. Nazianzeni.

Auctor Catenæ in c. 20 Iob.

Olympiod. in enar. sup. Salom. Ecclesiasten.

Senec. in li. de paupert.

Gaudent. in resp ad Germinium de Villico iniquitatis.

CIRCVLVS IX.

Auri graue põdus ad ima deprimit auarum.

12 NEc alius terminus auaris auro onustis poterat præscribi, nisi inferni profunditas, & voracitas ima. Cùm enim commune prouerbium verum sit, *Nemo cum sarcinis natat*: quid de illo in aeris marina auri pondere grauato natante, euenire poterit, nisi vt ad inferna detrahatur vsque ad profundum laci? Iudicem interpellemus Chrysologum iam ante relatum, vt ipse in tali causa sententiã ferat, *Aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis. Hinc est, quod plus habentem deprimit, quàm ferentem: & vehementius aggrauat corda, quàm corpora.* Quasi dicat, Baiulus lento gradu graue portat aureũ põdus, & ab auri vectatione pretij spe subleuatur: at auarus diues aurum gestat in animo, & auri sub sarcina incuruatus nimis, & grauiter oppressus iacet exanimis. Vnde idem subdit, *Nascitur aurum in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, per quæ ima ve-*

Adagium.

Petr. Chrysol. serm. 29. de Matth.

Idem ibid.

narum

narum caecis discurrit anfractibus, & dum suam repedat ad naturam, caelestes animos ad inferna deponit, obscurat sensum, alta mentium semper in terrena demergit. Aurum bellum gerit & cum habente, & cũ non habente. O hostile ferrũ, o hominum communis hostis, manus tua est contra omnes, tu enim bellum geris cum paupere, geris, & cum diuite. Si diues te vincit, & despicit, magnæ virtutis declaratur. Si pauper sua sorte contentus, te contemnit, magnæ felicitatis gloriam acquirit. Sed quis est hic, & laudabimus eum? *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris, quis est hic & laudabimus eum? Vel ex Graeco, & beatificabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Vbi optime decreuit Augustinus, *Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, vt paupertatem faciant pretium regni caelorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inueniri. Vis nosse quam locuples sit? Caelum emit.* Quis ergo non repetet Dauidis cantum, Beatus vir, qui non abijt in via auidè studentium aggregandis opibus?

Eccli. 30. 8.

Græcus.

Aug. serm. 28. de verb. Apost.

CIRCVLVS IX.

Auarus quolibet idololatra deterior est.

10 RElígio esset si stylus, quamuis ferreus, reticeret quæ Aureum os, quasi Æneus arcus, aduersus auri amatorem plumbea vibrat spicula. En exponit eum pro signo, viscera pandit, aram latentem aperit, in qua vel auaritiæ immolatur, vel sacrificatur idolis. O idololatria, o auaritia, auaritia idololatrica, idololatria auara. *In idololatria ara beluarum sacratur sanguis, sanguis in auaritia altari immolatur humanus. In illa balantes oues laqueum applicuerunt, vel ensem per guttur transegerunt, & mugientes occiduntur boues: in hac desperati pendent, vel qui laqueum applicuerunt, vel qui ensem per guttur transegerunt. Ibi aurea flamma corpora irrationalium inflammat: hic animæ rationales concremantur, & non minus immolati, quàm immolantis, qui sæpe mortuus, immolat viuentem. Ibi idololatra creaturam Dei pro Deo colunt: hic auarus, quod facit adorat, nam Deus auaritiam non fecit. Illi honori habent idola, quæ venerantur, illa celebrant, tuentur & laudãt: auarus honorat corde, quod vituperat ore: amat in se, quod in aliis odit: & dum erga propriam cupiditatem male pius, impius thesaurizat, & plenè thesaurizantes auaros tuba canente damnat vt impios, execratur vt damnatos. O monstrum immane, o immanem monstri cultorem.*

Chrysost. homil. 18. in cap 5. epist. ad Ephes.

11 Et quidẽ cæca est monstruositas hæc, atque sanguineis lacrymis deflenda, qua auarus atheus in ea est impia opinione, & cogitatione inscitiæ, vt in diuitiarum visione beari se putet, Salomone de illo attestante, *Quid prodest possessori, nisi quod viderit diuitias oculis suis?* Vel Pagninum sequentes, *Et quid bonum est dominis suis, nisi vt videant oculis suis?* Videre enim oculis, claram & apertam significat visionem, qualis est rei, quæ proprijs oculis cernitur: vnde Iusto dicitur, *Verumtamen oculis tuis cõsiderabis*: quod .n. modo videt oculis alienis, quia credit quæ alijs reuelata sunt à Deo, vnde Augustinus, *Ille habet oculos cognitionis, tu habe credulitatis*: tunc facie ad faciem aperte videbit omnia in diuina essentia, & beatus erit. At diues non expectat futuram visionẽ, præsente fruitur, videns enim oculis suis diuitias suas, immo nõ suas, felicem se æstimat, beatum se autumat, deũ se videre putat, & ebrius gloriatur, *Diues effectus sum, inueni idolum mihi*. Quasi diceret, vt Rupertus docet, *Diues effectus sum, quod quærebam adeptus sum*. Sicut enim Iustus intrans in gaudium Domini sui, lætabundus & laudãs canit, Ecce, quod quæsiui iam video: ita & auarus, dum dicit, Aurũ quod quærebã adeptus sum, illud

Eccle. 5. 10.

Pagninus.

Ps. 90. 8.

August. conc. 2. de 2. per Ps. 36

Hose. 12. 8.

Ruper. Ab. lib. 3. in c. 12. Hos.

videns, deum[illegible] videt, & insaniens gloriatur, [illegible] idolū mihi. Audi Cain sic delirantem, *Ecce eijcis me à facie terræ, & à facie tua abscondar.* Quis audiuit vmquam talia? Quomodo poterat in terra degens, a facie terræ eijci? Quomodo a facie Dei, qui cælum & terrā implet, abscondi? Soluit arctissimū nodum subtilissimus Caietanus, dicens, *Eijectio à facie terræ est in hoc, quod terra non respondeat ei secundum vim suam: Absconsio autem a facie Dei, est priuari diuina cura, & à Deo derelinqui.* Parem enim putat auarus vel infelicitatem, vel beatitatem, vel aureis priuari terræ fructibus, vel non priuari: ac non videre Dei faciem, vel videre: æstimat enim miser, iudicat cæcus, abundantiam bonorum temporalium, faciei Dei fruitionem: opum autem indigentiam, faciei diuinæ absconsionem.

Genes. 4. 14.

Caietan. hic

11 Drogo dicebat, *Vendicat sibi pecunia, quod Sapientia sibi dicere solebat, Per me reges regnant, vbi enim pecunia, ibi rex, ibi clientum copia.* At plus vltra fatuus diues audet vsurpare, vt diuitias possidēs vel cernens, beatis æquetur, & gloriæ possideat visionem. Nec sufficit illi hæc gloria, sed genus ex ipso exortum, ab antiquis fontibus æstimat deriuatum: & qui heri pauper & de fæce plebis erat: si hodie diues est, auitam nobilitatē probat, tot sistens testes, quot impendit nummos. Vnde & Symmachus transfert, *Meeum sunt vita antiqua:* Opulentia enim quantumuis recens, antiquam auorum prænobilium numerat seriem, nummorum pretio impudenter mercatā, vt enim Horatius cecinit.

Drogo in lib. de sacramen. Dominicæ Passionis Prouer. 8. 18.

Symmach.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Horatius li Epist. 1. epi. 6.

Notanda autem est differentia inter diuites huius mundi, & diuites cæli: illi enim prius diuitias iactāt, postea captant gloriam: at Iustus primò gloriam, diuitias postmodum, *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Idque ex hoc, quia illa gloria emitur ab hominibus, & extrinsecus aduenit: ista datur à Deo, & est intrinseca. Non mea est, sed Chrysostomi interpretatio, sic enim ait, *Habuerūt iusti gloriam, quæ à Deo proficiscitur: ipsa autem sequebatur. Quid est autem in domo eius? Cum ipso, inquit. Externæ autem diuitiæ non sunt cum eo qui habet illas, sed in manibus calumniatorum, in manibus principum.* Non ergo hi gloriam habent a diuitijs, sed diuitias a gloria: Illi autem a diuitijs emūt gloriam, honoremque mēdicant.

Psal. 111. 3.

Chrysostomus homil. sup. Ps. 111.

12 Sed ex crimine vno, disce & tu omnia auaritiæ mala, crimina omnia. Quærit Theophylactus, *Quare Iudæ, siquidem auarus erat & fur, pecuniarum dispensationem permisit Dominus?* Ad quod respōdet ex aliorum sensu, *Nonnulli aiūt ideo creditam Iudæ pecuniarum dispensationem, seu minorem alijs. Nā pecunijs ministrare minus est, quam doctrina, sicut & in Actis dicūt Apostoli, Nō licet nobis, relicto sermone, ministrare mensis.* Aptior tamen, & ad nostrum propositum accomodatior est ab ipso allata, ex proprio Marte, responsio, *Propter ipsum ipsum, quod fur erat, vt omnem ei occasionem auferret. Non enim poterat dicere, quod propter amorem pecuniarum eum prodiderit. Nā satis consolationis ex marsupio habebat, & neque marsupium gerēs fidelis erat, in suum vsum rapiens ea, quæ in diuinū dabantur. Et caput malitiæ est, quod postea vendidit Dominum. Vides quo ferat auaritia? Ad proditionem.* Si ex fructu cognoscitur arbor, quis vmquam, etsi centum habeat ora, & linguas centum, poterit pro dignitate describere quā noxia sit auaritiæ radix, ex qua talis proditionis prodijt fructus? Hinc idem Bulgariæ Antistes, optimè subdit, *Bene igitur Paulus radicem omnium malorum hanc vocauit, vtpote, quæ prodiderit Dominum, & quotidie hoc faciat.* Facit quidē vade & alios prodit, & auarum prodit.

Theophylactus in enarrat. sup. c. 12 Ioan.

Theophyl. Ibid.

CAELI DAVIDICI
VERSIO QVARTADECIMA.
In Psal. primi, Versus primi, Part. tertiam.

Versio prima. Ex Vulgata, Et in via peccatorum non stetit.

2 Ex Chaldæo, Et in via sceleratorum nõ moratur.

3 Ex Eugubio, In via peccatorum non permansit.

4 Ex Scholio Hebraico, In instituto peccatorum perfritæ frontis non consistit.

5 Ex Arias Montano, In via trita errorum non stetit cum pertinacia.

CIRCVLVS I.

Quomodo de consilio dictum sit abire, & de via dicatur stare.

1 Difficultatem nõ paruam affert, vt verum fatear prima fronte, & parit harmonia Dauidica magnam admirationem, dum impropriè vsurpat voces, & tantum abest vt motus & status proprietates naturalibus induat coloribus, quin potius vestes eorum & habitus ita commutet, vt motui det quæ sunt status, & statui quæ sunt motus, dum in via introducit stantẽ, in consilio ambulãtẽ. Neget hoc ille, qui ex Cassiodoro non hausit ethymologiam viæ. *Via enim dicitur, quod per eã vnusquisque transeuntium viatur: & cõsilium ducitur a consessu consiliariorum.* Qui ergo ambulat vbi sedendum, sedet vbi ambulandum, quomodo dici potest, quod obseruet vel stantis, vel ambulantis decorũ? O admirabile Dauidis artificium. Is benè sciens peccatum & malum esse ordinis priuationem, nã vt Angelicus Doctor docet, *Eodẽ modo quo infirmitas modum, speciem & ordinem corporis priuat, priuat & ipsum modum speciem & ordinem animæ*: ex industria cælesti & arte diuina, dum de inordinato loquitur, ordinem non seruat, confundit speciem, modum perturbat, actus vt chaos miscet, & miscet atque subuertit ea forma eaque arte quam Chrysologus sic explicat, sicque declarat, *Quod in consilio abire, & in via stare dixit, forsitan videtur absurdum: cùm in consilio consistere, & in via abire magis hominum sit in vsu. Peruersa etenim sunt vniuersa peruersis, nec possunt tenere ordinem, quæ per ordinem nõ aguntur.* Et quidem altius rem repetentes, si homo, *Triplici ordini subditur, nempè rationis, hominis gubernantis temporaliter vel spiritualiter, & Dei: & quicquid est contra secundum ordinem, est contra primum, & tertium: & quicquid est contra primum est contra tertium, & non è conuerso: peccatum autem est contra hos tres ordines, vnde punitur triplici pœna, scilicet remorsu con-*

Cassiod. in Psal. 1.

DiuiThom. 1.2.q.85.a.4

Pet. Chrys. serm. 44. in Psal. 1.

Idem ibid.

D. Tho. 1. 2. quæst. 71. ar. 4. in corp.

scien-

scentia, pœna humana, & pœna diuina: meritò non possunt tenere ordinem, quæ per ordinem non agũtur, sed peruersa sunt vniuersa peruersis. Hinc Sinaita comparabat & piscibus peccatores, peccatores enim, *Qui in voluptatum profundo & fluctibus permanent, & peccati virus non deposuerunt, neque Solem iustitiæ aspexerunt, neque alas eo lumba, nempe spiritus acceperunt, nõ possunt euolare in cælum, sed remanserunt reptilia, & non sunt effecti volucres, sicut iusti*. Iniustè ergo incedunt, distorta itinera tenent, ambulant vias non bonas, post peccata sua vadũt, ducem cæcum sequuntur, ambo in foueam cadunt, reptilia sunt non habentia principem, non Deo obediunt, nõ hominibus obsequuntur, non rationi obtemperant, omni ordine destituũtur, ambulant, vbi standũ, & vbi ambulandum stant, peruersa enim sunt vniuersa peruersis.

Anast. Sinaita Anagag. contem. in Hexæm. li. 5

CIRCVLVS II.

Crimina Crinibus comparantur.

2 IDipsum autem videre mihi videor circa peccata & crimina, quod discerni solet circa capillos & crines, nunc enim soluti pendent, corpus contegunt, laxi languent, ad ima descendunt, terram tangunt: nunc victa ligantur, artificiosè intorquentur, constricti vniuntur, in cælum eleuantur, alta petunt, & caput aggrauant, & circumdant, semper oblique nutantes. Talis describitur a Salomone peccatoris inordinatus, nescio an motus an status, *Funibus peccatorũ suorum vnusquisque constringitur*: Vel vt Gilda sapiens legit, *Propriis scelerum suorum criniculis compedituntur*. Dicuntur enim funes per id, quod Bedæ placuit, *Quia is, qui funem facit torquendo semper & inuoluendo fila adauget. Vbi talis est fortitudo operum malorum*. Tortæ semper sunt viæ, distorta itinera, inuolutæ semitæ, actiones inordinatæ, stant vbi ambulandum, ambulant vbi standum. Sed melior est, & aptior metaphora, qua crimina crinibus comparantur. Si criniculi a capite manant, peccata a voluntate pendent, nam iuxta Pontificium Decretum, *Peccatum omne voluntatis arbitrio, non natura vitiis imputatur*. Si crines nunc nimium extensi, nunc coarctati sunt: peccatores nunc breui tempore errant, nunc trahunt iniquitates fune longo. Nunc inciduntur soluti, *Disrumpamus vincula eorum*. Nunc comprimuntur intorti, *Fiat ei sicut zona, qua semper præcingitur*. Nunc laxantur, & languent, *Laxati sumus in via iniquitatis*. Nunc ad ima descendunt, *Descenderunt in profundum quasi lapis*. Nunc connectuntur & stricto fune ligantur. *Funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur*. Nunc victis intorquentur, *Iniustitias manus vestra concinnant*. Nunc con stricti vniuntur, *Et sicut spinæ se inuicem complectuntur*. Nunc in cælum eleuantur, *Posuerunt in cælum os suum*. Nunc alta petunt, *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. Et nunc caput circumdant, & pondere aggrauant, *Multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei*. Nec frustra, vt notat Cassiodorus, *In comparatione delictorum capilli adducti sunt, nã in veteri testamento Sacerdotes ipsa similitudine radebãtur, vt tali emũdatione purgati, carnis vitia disposuisse viderentur*. Si ergo capillorum more variegantur corda peccatorum: quid mirum, si stant in via, si incedunt in statu, cùm peruersa sint vniuersa peruersis, nec possunt tenere ordinem, quæ per ordinem non aguntur? Hinc est quód Ambrosius, iustos ceruis, reprobos æquat vulpibus, sic eos describens, & ex eorum descriptione nos monens, *Ceruorum cursus directior, vulpecula flexuosus, Dirigamus ergo semitas nostras, nec flexuosi serpẽtis sequamur anfractus*. Fluxuosum serpentem vulpis sequi-

Prou. 5. 22.
Gilda Sapiens de excidio Britanniæ.
Beda in c. 5. Prou.

Sixtus Pap. in epist. de malis Doct. & operibus fidei. si tamẽ ipsius est.
Psal. 2. 3.
Ps. 108. 19.
Sap. 5. 7.
Exod. 15. 5.
Prou. 5. 22.
Psal 57. 3.
Naum. 1. 14
Psalm. 72. 9.
Psal. 72. 23.
Psal. 39. 13.
Cassiod. hic
Ambro. ser. 2. in Ps. 118. vers. 1.

quitur, quæ si paruulæ non capiũtur, desperata est salus. Adagium enim est, *Annosa vulpes nõ capitur laqueo.* Ideo, subdit Ambrosius, *Nõ solum tollere iugum verbi, sed in iuuentute debemus tollere. Bonum est enim viro cùm tollit iugum ab adolescentia sua.* Iugum enim sumere in iuuentute sua, non est infirmitatis signum, sed insigne virtutis.

Adagium. Ambrof. ibidem.

Thren. 3. 27

CIRCVLVS III.

Beatus est vir, qui non stat in via peccatorum, in qua omnes decidunt, excepto Christo, & Virgine Matre.

3 SEd altius verba pensantes, & profundum mysterium repetentes, iure optimo Beatum virum describit potius non stantem, quàm in viam peccatorum non venientem: quia in hanc viam ab vtero sic proijcimur, vt omnes fateri teneamur, *Ego natus in communem decidi terram,* & in illam, de qua serpenti dictum est, *Terram comedes.* Vbi Augustinus obseruabat & tempus, *Quando enim dictũ est diabolo, Terram manducabis: dictum est peccatori, Terra es: & in terram ibis: datus est ergo in cibum diabolo peccator.* Sicut ergo triumphatores sub pedibus gestabãt deuictos duces: ita & serpenti dicitur supra pectus tuũ gradieris: Vel ex Lyrano, *Pectore, & ventre repes:* & ita in omnes homines pertransijt. In omnes quidem homines, vno excepto, homine Deo, de quo Augustinus aiebat, *Ipse tam triumphantem naturam hominis portans, Scitote, inquit, quia ego vici mundũ.* Et vna excepta Dei Genitrice, de qua ipsemet serpens ore proprio, vt Chrippus ei attribuit, vel conqueritur, vel fatetur, dicens de illa, *Quantum tempus sufficere possit ad prosequendum quibus modis triumphauit de me.* Et triumphauit, vt Rupertus notabat, vincens, non fraude, vt ipse mulierem vicerat: sed fortitudine, quod inimicitiæ nomine signatum fuit in verbis, Inimicitias ponam inter te & mulierem, *Inimicitia enim manifestã contrarietatis habent intentionem.* Vnde Bernardinus Senensis cum forti Mulierem loquens, dicebat, *Innocens fuisti ab originalibus, & ab actualibus peccatis, nemo ita præter te.* His ergo exceptis, quia exceptio firmat regulam, omnes filij Adam in viam peccatorum & venerunt, & veniunt, atque venient, & ille solus vir beatus dicitur, qui in ea à natura matre, immo nouerca ductus: a gratia oĩum nutrice sic inde deductus ereptus est, vt dici possit, beatus vir, qui in via peccatorũ non stetit. Totum est Chrysologi, sic eleganter philosophãtis, *Non dixit non venit, nemo enim in viam non venit peccatorum, in qua nos lex ipsa natura perducit & mortis: sed ille Beatus, qui non stat in ea, stat ille, ille demoratur in ea, qui leuat onera peccatorum, & onustus viator tardè peruenit, & cælestem clausam sibi inuenit mansionem.*

Sapien. 7. 1.

Genef. 3. 14

Aug in lib. de Agone Christiano cap. 2.

Genef 3. 14 Lyrano.

Augu. ibid.

Chrysippus ferm. 2. de laudib. virg. Mar.

Ruper. li. 3. in Gen. c. 19.

Bernardin. Senen. fer. 4. super Salue Regina.

Pet. Chryf. ferm. 44. in Psal. 1.

CIRCVLVS IV.

Homo a natura hæbet, vt filius iræ, & cæcus in lucem prodeat.

4 HÆc eadem a Doctore Gẽtium sententia, prolata primum fuit, atque lata, *Eramus & nos natura filij iræ, sicut & ceteri.* Sed si in naturalibus neque meremur, neque demeremur, quomodo, & qua lege, natura dicimur & sumus filij iræ? Responderi potest cum varijs, variè. Vel cum Augustino, & Anselmo, nos dici natura peccatores, *Quia per Adam, & peccatum originale corrupta est, & vitium pro natura inoleuit.* Vel cum Chrisostomo, & D. Thoma, *Naturali ingenio, & procliuitate.* Vel cum Hieronymo,

Ad Ephes. 2. 3.

August. Anselmus.

Chrysoft. D. Thom.

Hierony. & Syrus hic.

& Syro, *Natura, id est, omnino, quod enim natura est tale, omnino est tale.* Tales ergo quales filij iræ, ab ira geniti, & ira digni, irata hæc vel mater, vel matertera nos proiecit in via, vt naturæ humanæ dici possit, *Proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die, qua nata es.* Quilibet ergo homo in via peccatorum sic venit, vt Ioannes asserat, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Seducere, vel idem est, ac in fraudem inducere, vnde Terentius, *Me seducere ipsis dictis postulas:* & sic videtur interpretasse Oecumenius, *Nos ipsos fallimus.* Vel a consortio abducere, & sic Lyranus, *Extra societatem Dei ducimur per falsitatem.* Vel extra viam ducere, sic Hugo Cardinalis, *Ipsi nos seducimus, id est, seorsum a veritate ducimus, propria arrogantia decepti: vel seorsum, per superbiā nos ducere contra Deum.* Tota ergo natura humana in hac via cōmuni non inuoluta pannis, naturæ legis abijcitur, omnibus armis nudata, & vt Ioannes Maxentius cōfitetur, *Inarmatus naturæ vigor per malum præuaricationis, nullatenus valuit per semetipsum inde resurgere, quo per propriam voluntatem erat lapsus: quapropter nullum ab Adam hucusque per naturæ vigorē credimus esse saluatum, nisi dono gratiæ.* Beatus ergo ille est, qui etsi in hanc viam peccatorum venit, non tamen stat in ea, sed peregrinatur ab illa, fugit semitas eius, alienatur ab ea, & longe facit ab ea viā suā.

Ezech. 16. 5.

1. Io. 1. 8.

Terent. in Andria. Oecumen.

Lyran. hic.

Hugo Car. hic.

Ioan. Max. de Christo professio.

CIRCVLVS V.

Beatus est qui viatorem imitatur.

5 PEregrinatio, si Climaco præstatur fides, *Est publicū fugiens prudentia, secreta via, amoris copia:* cùm ergo omnis Christianus teneatur fateri, *Aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei:* tenetur fidelis quisque, & prudens, publicam peccati fugere viam: & diligens, per secretam ac eminentem semitam caritatis intrare, vt in beatorum albo, feliciori omine describatur, testāte Chrysologo, *Peccatorū viā viator ille pertrāsit, qui mala huius vitæ videt, sed despicit: sentit, sed calcat: patitur, sed vincit: dum fugit illa, plus currit, vnde illi occurrit cælestis ianitor, cælestis illi māsio se nō claudit.* Desperet homo, nec speret beatitudinis terminum attingere vmquam posse, nisi viatoris sequatur motum, imitetur & mores, *Omnis enim homo,* ex Cassiodori definitione, *qui recipitur in beatitudine, peregrinus dicitur, quia incipit esse, vbi non erat.*

Io. Clim. de peregrin. & somnijs gra. 3. Psal. 38. 13.

Petr. Chrys. serm. 44. in Psal. 1.

Cassiod. in Psal. 38.

6 O felix principium, ô auspicium salutare, quo ad beatitudinis terminum sic peruenitur, vt incipiat mortalis ibi esse, vbi non erat: & quò lubens transeat, atque lætus ascendat de peregrinatione ad patriam, de terra ad cælum, de valle lacrymarum ad paradisum deliciarum, de miseria ad beatitudinē, de morte ad vitam, & de terra morientium ad promissam terram viuentium. Nec sine mysterio huius promissio facta est Hebræis, quia si Hebræus idem sonat, ac transiens, pro transeuntibus disposita est patria, pro peregrinis parata est gloria & pro his, qui dicūt, Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei: reposita est corona. Idque ex Cassiodoro, iure additur, *Vt cognoscas generalem fuisse sententiam, ne quis ab hac conditione putaretur exceptus.* Vnde Ioseph, Hebræi nomine, vt notat Philo, gloriabatur, *Hebræus enim migrator interpretatur, ipse enim à sensibilibus migrabat ad intelligibilia, nec se miscebat improborum studijs.*

Idem ibid.

Philo Hebr. in lib. de Migrat. Abrahæ.

CIRCVLVS VI.

In via peccati beatitudo non reperitur, sed partus dolor, & tristitia.

7 BEatus ergo dicitur, & est vir, qui à via peccati, in qua na

turæ lege genitus eſt,ſemper peregrinatus eſt,& numquam in ea ſtetit,quia vbi peccatorum facies, & vmbra adeſt: inde facies Dei, & beata lux abeſt,ſed in miſerijs deſeritur infelix peccator,ſicut enim Chryſologus aſſerit, *Lucem tenebræ fugiunt, tenebræ luce redeunt abſcedente. Ita,vbi Deus,peccatum nullum:vbi peccatum,non ibi Deus,* Non *eſt Deus in conſpectu eius, polluuntur viæ eius in omni tempore.* Et ſi hic addas, vel ex verſione Hieronymi, *Parturiunt viæ eius in omni tempore:* Vel ex Pagnini translatione, *Dolore afficient:* Vel ex Vatabli traductione, *Dolore afficiēt:* Vel ex D. Thomæ interpretatione *Percutiunt:* quis inter diras percuſſiones, dolores geminatos, cōtinuos partus, & mortis cruciatus relinqui poterit beatitudini locus? Immò, quæ maior infelicitas, quàm in via peccati, vel miſera captiuitate, vel obſtinata voluntate firmiter ſtantis? Plutarchus lumine tantum naturali adiutus, hanc peccatorum infelicitatem etiam in via vitę huius, quæ mors potius eſt nuncupanda, quàm vita, nunc comparat, *Ei qui iam bibit cicutam, tamque ambulet, & expectet, vt eum ſenſu ſpoliet: nunc incauto piſci, qui hamum vorauit: nunc maleficis, cùm ad ſupplicium educuntur, & quiſque ſuam efferat crucem: ſic enim vitioſitas ad ſingula peccata ex ſe ſe fabricatur ſingula tormenta, ſolertiſſima opifex vitæ miſerabilis, & in qua præter turpitudinem, terrores multi, animique motus graues, pœnitentia, tumultuſque continentes inſunt.* Sed Pſaltes noſter hoc vno verbo omnia tormentorum genera complectitur, *Parturiunt viæ eius in omni tempore:* Sic enim continuas noxas in vita exiſtentium, viæ peccatorum apertas deſcribit quaſi partus tortores, vel dolores mortis: ferax enim peccati ſemen ſpinas parit, tribulos gignit, vrticas producit, operit ſemitas, & ſic implicat vias, vt oraculum impleatur *Contritio & infelicitas in vijs eorū:* Vel ex Hebræo, *Præda, & fractura,* Et ex Bernardo: *Contritio oriens ex neceſſitate, infelicitas ex cupiditate.*

Pet. Chryſ. ibid.

Pſal. 9. 26. Hieronym.

Pagninus. Vatablus. D. Thom.

Plut. in comment. de his qui ſero a Numine plectuntur.

Pſ. 13. 3. Hebræus. Bernar. ſer. 11. in Pſ. 6.

CIRICVLVS VII.

Cruciatus animæ ob memoriā peccatorū quàm noxij exitialesque.

8 IN hac inuia via ſtetit firmiter ille Sardanapalus, in eam infelicem animam depoſuit, & in ea ſepulchrum infame cum hac famoſa inſcriptione, vt Theodoretus refert, erexit,

Hæc habeo, quæ edi, & quæ exſatiata libido
Sumpſit opes, & quæ quondam me cuncta habebant,
Non ſunt. Sum cinis, & fuerat cui regia hinc.

Theodor. in Arte curandi.

Subdit autem idem Theodoretus, *Sed hoc quoque falſum ſcripſerunt, qui ſcripſerunt: nō enim habet mortuus, quæ edit & bibit: ſed illa abierunt in fœtidum interitum. Habet autem ſolum iniqua vita fœtorem, qui aſſiduè animam conficit dolore, & mærore malorū ſibi conſciam, & recordantem eorum, quæ geſſit iniquè.* Hoc tamen peccatores ne dū in morte, ſed etiam patiuntur in vita, ſi tamen vita dici poteſt, vbi anima mortua, in corpore, quaſi in ſepulchro portatili commoratur, nam ex Theophylacto, *Græci corpus ſonma vocant, quaſi ſima, hoc eſt ſepulchrum,* de quo, & dictum eſt, *Sepulchrum patens eſt guttur eorum:* non enim habent quod edunt, & de commiſſo peccato nō lætantur, ſed aſſiduè conficiuntur dolore, ob ea quæ geſſerunt iniquè. Ideo in eius miſerabili, & voraci ſepulchro inſcribi poſſet, *Cū interierit nō ſumet omnia:* bis enim peccator perit, & duplici morti ſubditur, primam enim ſuſtinet, miſer, tunc, cùm peccatum committit, quia, *Peccatum cùm conſummatū fuerit, generat mortem:* ſecundā verò, cùm funiculus argenteus rūpitur, & conteritur hydria ſuper fontem: & vtrobique non ſumit omnia, quia & tunc mors cætera omnia aufert, nec aliud relinquit,

Idem ibid.

Theophyl. in enar. ſup. c. 7. Lucæ. Pſal. 5. 11.

Pſ. 48. 18.

Iacob. 1. 15.

quàm conscientiæ morsus, & peccatorum pœnas: & postea afflato spiritu, non sumit omnia, quia delectationis esca vorata, hamo torquetur, aculeo trucidatur. Addatur his vmbris lumina a Plutarcho disposita. *Vt primum quis improbè egit, iam obstrictus pænæ tenetur, & suauitate flagitij, veluti esca illicò deuorata, conscientiam intus corrigētem plectentemque babēs, Agitatur vt mare thymni fluctuat impetu.* Hinc delectatione transacta, & anima ablata, vt docet Cassiodorus, non sumit peccator omnia, quia, *Non aliud secum valet portare, nisi vnde possit ardere: & domus remanet tota, sed onera transmittit ingentia.*

Plut. ibid.

Cassiod. in Ps. 48.

CIRCVLVS VIII.

Non standum, sed subito fugiendum a via peccatorum.

9 ET quidem, malum est inchoare peccatum, idque opponitur beatitudini, vt Anglicus notat, & signatur in prima huius versus parte, Beatus vir, qui nō abijt, *Est enim abire, ab aliquo ire, & importat recursum ab aliquo, talis autem recessus non fit à Deo, nisi per peccatū mortale, quod est auersio a bono incommutabili.* At in hac parte, quam præ manibus habemus, stare in via, significat continuationem: & vbi primum malū, recessu poterat de facili curari: secundum diffilem habet curationē. Nam ex sententia Theophili Alexandrini, *Sicut principium vitæ bonæ, facere iusta: sic exordium cessantium peccatorum eorum impetus cohibere, dum aut ratione frenātur, aut metu ad præcipitia non veniunt.* Eo modo, quo equus dū in teneris annis domitus, freno regitur, a præcipitijs deducitur, ducitur que per viā regiā incolumis. At è contra, subdit idem Episcopus, *Difficile sanantur mala, quæ non statim, vt crescere ceperunt, opprimuntur, facilis est, eorum eradicatio, cùm qui dudum peccauerunt, pænitendo, referunt pedem.*

Ex Anglico Psalm. 1.

Theophyl. Alex. Epist. in epist. paschali 3.

Idem ibid.

10 In planta transplantanda diuersus labor est, exitusque diuersus, si vel recenter plantatam, & quæ vix pedem in terra fixit: vel annosam quercus, altis fundatam radicibus eradicare coneris: illa enim absque labore euellitur: de hac vero, quasi de impossibili conatu prouerbium oritur, *Annosā arborem transplantare.* Idipsum euenit de vita, vel via mala: si statim corrigis, prospere euellis: si in senectam differs, in vanū laboras: vnde canit, & Psaltes, *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.* Audi Ambrosij consilium, obaudi & monitum, *Praueniamus iuuentutis annos correctione congrua. Luctandū est enim diu viro, vt abolere faciat inueterata atque diuturna.* Amplectamur, & Olympiodori documētum, *Ab ineunte pueritia operare virtutem, neque dixeris, nūc adolescentior cùm sim, fruar delitijs, quas babet vita, postea verò cùm ad senectutem peruenero, ad pænitentiā me conuertam: nequaquam enim nosti quid tibi euenturum sit, aut quādo tibi aderit finis vitæ.*

Adagium.

Psal. 118. 9.

Ambros. serm. 2. in Psalm. 118 ver. 1.

Olympiadorus.

11 Quis miserebitur homini, tèr homini, qui voluntariè triremis subditur seruituti, & pro paruo pretio libertatem vendit, quæ nullo auro, nullo emitur pretio, atque tyrannis crudelibus mancipatur? Quis autem tui miserebitur, o peccator, Qui venditus es vt facias malum: & dominorum crudeliū seruiens seruituti, non solum texis vincula, sed praua cōsuetudine cōcinnas, nectis, & insolubiliora reddis, nā ex Philonis sententia, *Vitijs assueti more voluntariam seruitutem subeuntium, vltro sibi acerbos dominos adsciscunt, quamuis ingenui, & ideo cùm vendi non possint, miranda temeritate ipsi emūt dominos.* Explicet sententiam Philonis glosa Ciceronis, *Numquam temeritas cum sapientia commiscetur:* hinc enim patet fatua peccantium obstinatorum stoliditas, vēdunt enim

Philo in lib. de Temulātia.

Cicero pro Marcello.

ani-

Emissen. homil. 6. de pascha.

animam, quæ, ex Emisseno, *Tam copioso munere est redempta, vt homo Deũ valere videatur.*: & ex pretio venditionis, dominos emunt, quot enim vitijs mancipantur, tot tyrannis seruiunt, & si voluntaria seruitute adsuescunt sub illorum potestate, nonne miranda temeritas est, & fatuitas miseranda?

12 Pius Dominus in Cruce orans pro impijs, ac Patri dicens, *Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*: arduam difficultatem attulit, si enim ignoratio, excusatio est delicti, & ipsi ignoranter hoc fecerunt, ergo non deliquerunt, nec venia indigent, cùm venia delicti venia sit. Sed quia ignorantia hæc Iudæorum à consuetudine persequendi Christum ortum duxit, non excusatio est delicti, sed accusatio, sic decretante Arnoldo, *Vsque adeo in hoc malo voluntarii, vt voluntas consuetudinem, consuetudo faceret necessitatem: necessitas vero vsque ad illam vecordiam erumperet, vt nescirent quid facerent.* Reddebat enim illos inueterata consuetudo cæcè oculatos, coactè liberos, & liberè coactos. Ex Emisseni enim sensu, *Habet hoc infelix consuetudo peccandi: vt quanto amplius quisque peccauerit, tanto minus peccata ipsa intelligat.*

Luc. 23. 34.

Arnol. Cor.

nut. in tra de veibo il lo Pater igoolce.

Emissenus.

13 In mancipiorum vultu signantur nomina dominorum: & in peccatorũ corde imprimit consuetudo characterem malitiæ, vnde & perpetui serui Satanæ dignoscũtur, & sunt de numero eorum, *Qui acceperunt characterem bestia.* Talis fuit Esau, qui à Philone nũc dicitur, *Malitia sodalis*: & nunc, *habuisse insculptos malitia characteres.* Ex eodem autem charactere signantur malitiæ mancipati.

Apoc. 19. 20. Philo Heb li. quod det pot. insid. & li. de sacrif Abel. & Cai ni.

CAELI DAVIDICI
VERSIO QVINTADECIMA.
Ex Chaldęo, Et in via sceleratorum non moratur.

CIRCVLVS I.

Qui in iuuentute conuertitur, in via sceleratorũ non moratur.

1 VIdentur hæc verba cõsona illis, quæ posthac Psaltes cantabit, *In quo corrigit adolescẽtior viã suam? in custodiendo sermones tuos*: Vel vt Ambrosius legit, *In quo corrigit iunior viam suam? in custodiendo verba tua.* Vbi proponit & ipse elegans dubium, *Qui potest cognoscere viam suam iunior, vt corrigat, cùm Propheta dicat, Tria sunt mihi impossibilia intelligere, & quartum quod nõ agnosco, vestigia Aquila volantis, viam serpentis in petra, semitas Nauis nauigantis, & vias Viri in iuuentute? Si Salomon fatetur quod non cognoscat vias viri in iuuentute, quomodo potest iunior cognoscere?* Duplici autem modo propositum soluit & ipse nodum. Primò, demonstrans duplicem in hoc iuniore ætatem, alteram annorum, morum alteram: vnde asserit, *Hic autem iunior, qui potest corrigere viã suam? Fortasse iunior sit atate, non moribus, & habeat in primo flore iuuentutis sua senilem intellectum, de quo ait, Canities autẽ est intellectus hominibus, quibus maturitas consilij grauitasque suppetit.* Subdit secundo, *Id quod impossibile videtur, fieri possibile, si custodiat iunior verba Dei: si autem non custodiat, impossibile.* Similis impossibilitas possibilis proponitur ibi a Domino scientiarum dicẽte, *Facilius*

Psal. 118. 9.

Ambro. ser. 2. in ps. 118. ver. 1.

Prou. 30. 19.

Idem ibid

Idem ibid.

Matt. 19. 24

est Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnũ cælorum: nam si diues verbum Dei custodit, & vendit quæ habet, ac pauperibus distribuit, possibile reddit, quod impossibile videbatur. Ita Ambrosius repetit. *Quod in Euangelio impossibile esse dixit, sic intelligendum impossibile esse, quia diuites non custodiunt mãdata Dei: si autem custodiant, fit possibile quod impossibile videbatur. Hic est Camelus qui intrat per angustam viam, quæ illum ante capere non poterat concupiscentem, capit custodientem mandata diuina: custodientem autem verba diuina, quia custodit ea.* Sic enim verba diuina custodiæ dicuntur, quia custodientem custodiunt, & fouentem tuentur.

Ambr. ibid.

CIRCVLVS II.

Scelerati quinam sint, & pessima eorum societas, quàm vitanda.

2 SCeleratum Veteres accipiebant pro contaminato, & scelere polluto, vnde & sceleratam dixerunt portam, qua egressi Fabij ad Cremeram amnem, a Vicetibus sunt interempti: sceleratum & cãpum, in quo Vestales Virgines incestuosæ defodiebantur: Sceleratũ & Vicum, in quo Seruium interẽptum & iacentem, filia carpento superuecta est: de quibus sceleratis & ius ciuile decernit, *Consilia, & conturationes, & latronum conscientiam, quosque alios suadendo iuuasse, sceleris esse instar.* Quomodo ergo non infelix iudicabitur, qui in via sceleratorum moratur, a quibus vel mortem patitur, vel defoditur viuens, vel cælestem Patrem impius calcat, dum à pessimis eorum consilijs & mouetur ad mala perpetranda, & iuuatur ad ea opere implenda, illisque imbuitur?

L. Aut facta ff. de pænis. Glossa hic.

3 Simile mirum comperies in hominum moribus ac Naturales mirantur in Spongiæ natura, hæc enim talis est, si Philoni Hebræo fides non denegatur, vt cùm vndique apertis pateat venis, cùm vndecumque liquoribus influentibus ora pandat, & aquam attrahat, auide recipiat, sitiensque ebibat: vinum tamen ne bibat, foramina claudit, viscera cõtinet, labia stringit, meatus occludit, & omni conatu repellit, respuit, atque repudiat liquorẽ aduenam inhospitalis. Si caussam inquires tam varij effectus, affectus tam contrarij, non ex alio fonte haurire illam poteris, nisi ex spongiæ natali, & ex loco formationis, cùm enim ex maximis vndis genita sit, aquam retinet amicam, induitque illius naturam: vinum autem reijcit, tamquã alienum, vtpote in alio mũdo formatum. Non est meum figmentũ, sed Philonis est documentum, sic enim philosophatur, *Fortè Spõgia ex aquis genita, & temperamento aqueo aquam attrahit: vinum verò, vt alienum respuit.* Non dissimiles in hominibus admirari possunt affectus, effectusque mirari. Homo carnem gestat, veluti Spongiam in aqua iniquitatis conceptam, in mari peccatorum & natam, *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Nam vt docet Ambrosius, *Caro caussa fuit corrumpendæ animæ, ex qua, velut a fonte, prorumpunt concupiscentiarum malarum passionum flumina.* Hinc fit, vt caro in peccatorum consortium incidat, & in culparum vndis corrumpat se se, *Omnis enim homo corruperat viã, id est, vitam suam.* Ex aqua enim malitiæ càro genita, malitiæ trahit aquam, aquam ex qua genita est libenter haurit, & retinet sic lubenter, vt Bibat sicut aquam iniquitatem: vinum autem præceptorum horret, vinum exemplorum bonorum aspernatur, & vinum consiliorum salutarium longe repellit. Mirabilia huius Spongiæ vel hinc antipatiam, vel inde sympatiam contrarijs sed concordibus describit Psaltes coloribus. Dum enim peccatoris variam qualitatem depingit, ita canit, ita diuidit insanos affectus, ita demonstrat non sanos effectus. *Dilexit maledictionem:*

Philo in li. Quod Deus sit immutabilis.

Gen. 6. 12.

Ambros. li. de Noe & Arca c. 5.

Rabanus Maurus in c. 6. Genes.

Psal. 108. 18

num: en aquam malitiæ, quam impius osor sui, insanus diligit. *Et veniet ei*: en malum, quod in eum irruit, vnde, & ruit. *Et noluit benedictionem*: en vinum bonum, quod fatuus aspernatur, & abigit. *Et elongabitur ab eo*: en dona cælestia, quæ respuit, & expellit. *Et induit maledictionem, sicut vestimentum*: en vndarum damna, quibus vndique operitur exterius. *Et intrauit sicut aqua in interiora eius*: en malitiæ aquam, quam tàm auidæ recipit, & admittit interius, vt se dilatet, sinum expandat, poros extendat, & sitiens, omnem exhauriat. Id clarius apparebit si tu leges cum Chaldæo *Intrauit sicut aqua in corpus eius*: Vel vertes cum Hieronymo, *Intrauit sicut aqua in viscera eius*: Sic enim cognosces, quod totum hominem occupat, omnes venas implet, & omnia ossa sic replet, vt meritò repetas cum Euthymio, quod, *Proprijs operibus benedictionem repulit, maledictionem attraxit, & non exterius tantum huiusmodi maledictio eum circumdedit, sed ea etiam, non secus atque aqua, intrinsecus imbutus est*. Sed audiamus Anglicum apertis verbis hanc in conuictu hominum differentiam describentem, *Sæpe conuenit nobis, quod propter nostram debilitatem, quam habemus ad resistendum malo, recipimus super abundantias sociorū, id est, vitia eorum: facilius autem vincimur ex conuictu cum malis, quàm corrigamur ex conuictu cum bonis*. Hæc ille, nec aptius poterat diuersos spongiæ affectus, quos hactenus adumbrauimus colorare.

Chaldæus. Hieronym. Euthym. in psal. 108. Anglicus in psal. 17. ver. 9.

CIRCVLVS III.
Facilius a conuictu malorum mali efficimur, quàm boni a bonorum.

4 EST autem maxima obseruatione dignum Dauidici Regis carmen, in quo lætus repetit cantum de associatione cum bonis, *Cum Sancto, Sanctus eris, cū viro innocente, innocens eris*: & semel queritur lugens de consortio cum malis, *Cum peruerso peruerteris*. Si discriminis rationem requiris, en Anglicus illam assignat, sic enim ait, *Causa est quia multo facilius vincimur ex conuictu cum malis, quam corrigamur ex conuictu eū bonis, & societas vnius mali plus nocet, quàm prodest societas multorum bonorum*. Ad quod probandum affert, & appositè nimis, Philosophicum Problema, *Ab ægritudinibus quibusdam ægrotant appropinquantes sanis: nullus autem ex hoc quòd sanis appropinquet, curatur*. Et subdit, sic accidit in proposito. Talis autem, & tanta vis est in consortio malorum, vt etiā Abraham summus a Lot, qui ex Philonis sententia, typus est hominum voluptatibus deditorum, timuerit ne & ipse contaminaretur, vnde & illi dixit, *Recede a me*. Ita ergo philosophatur Philo, *Quam primū intellectus incipiet seipsum nosse, & in contemplationibus intelligibilibus versari, totam illam partem ad sensibilia procliuem ablegabit, quæ Hebraicè Lot vocatur. Quamobrem Sapiens ille inducitur dicere apertè, Discede a me*. Et Dauid sequens vestigia Abrahæ parentis repellebat a se quoscumque scelerum cōtagioso morbo laborantes, *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem*. Quasi diceret ex Anglici sensu, *Discedite a me, ne vestris corrumpar eloquijs, aut exemplis*. Vbi non iubet discedite a me iniqui, sed, qui operamini iniquitatem, nedum passiuè, sed actiuè, nam vt Augustinus docet, *Magnum donum est inter eorum verba versari, & non excidere*.

Psal. 17. 28. Anglicus ibid. Aristot. in problemat. sect. 7. prob 1. Gen. 13. 9. Philo in lib. de Migratione Abrahæ. Psal. 6. 9. Anglic. hic. August. in enarr. super psal. 6.

CIRCVLVS IV.
Ex consortio sceleratorum, fortes redduntur homines in malo.

5 OPtimè quidem Hetruscus Poeta cecinit, Natura ad

malum inclinat, & inde fit habitus difficilè mutabilis: at ipse asserere non verbor naturam hoc peragere nō inermem, sed malorum hominum consilijs adiutam, iniquorum exemplis armatam, quorum, & auxilio & consilio mala facilius mali aggrediuntur, sequūtur ocyus, execrabilibus operantur, inhærent firmus, efficitque in eis societas mala oppositum eius, quod in optima constitutione corporis exercitatio bona: his enim in bonū proficit, illis in malum. Non est mea comparatio, sed Philonis, ita enim philosophatur, & optimè,

[Philo in li. de Ioseph.]

Sicut bene compacta corpora exercitatione confirmātur, & acquirunt robustam inuictamque habitudinem: sic ferox, & immitis natura occupata sui similibus studijs, duplo fit durior, qui enim cum malis versantur affricant sibi eorum vitia, facile enim consuetudo abit in natura similitudinem. Hæc ille, & hinc oritur quod contra tales firmiter obduratos, sic indignatur Deus exercituum,

[Amos 5. 12.]

Cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra, hostes iusti. Vbi vt Rupertus putat,

[Ruper. Ab. lib. 2. comment. in c. 5. Amos.]

Non incongruè causas reddidit cur dixerit, & fortia peccata vestra, addens, Hostes iusti, cùm hostis ab obsistendo dicatur, & hi verè hostes iusti sūt. Quasi dicat, quia,

[Adagium.]

Vnius manus leuis pugna: isti manibus multis Iustum atque iustitiam impugnantes, fortia reddunt peccata, insuperabiles fiunt in malis, & in sceleribus perpetrandis euadunt inuicti.

CIRCVLVS V.

Scelerati cum sceleratis congelantur, vt aquæ: & in glaciem, quasi in lapidem, conuertuntur.

6 Sicut leues Natura sic produxit aquas, mollesque sic edidit, vt si transferantur de vase in vas, omnem recipiant formam, nullam respuant figuram, cum fluxam retineant qualitatem. Vbi vero frigidus Aquilo surgit, & gelidos circa illas flatus emittit, idipsum illis accidit, quod & Iob descripsit,

[Iob. 38. 30.]

In similitudinem lapidis, aquæ durantur, & superficies abyssi cōstringitur: & Olaus magnus his verbis scripsit,

[Olaus Mag. lib. 11. c. 20. & 22.]

In religione aquilonari muri firmissimi construuntur ex glaciei fragmentis, non secus quā ex saxis ac marmoribus, aduersus quos irritus fit omnis bombardarū impetus, & omnis obsidentium conatus, atque tanta est glaciei durities, vt non solum hebetet, & repellat instrumenta ferrea, sed vincat, & frangat. Ita, & homines aquæ similes, de quibus dicitur,

[Apoc. 17. 15]

Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes: & in aquę similitudinē variant, ex propria natura formas, nam ex Theophylacti sententia,

[Theophy. in c. 6. Ioan.]

Homo est animal suapte natura vertibile: & ex decreto Iob,

[Iob. 14. 1.]

Homo nūquā in eodē statu pmanet. Vbi vero Aquilone spirāte, id est, diabolo suadente,

[Ierem. 1. 14.]

Nam ab aquilone prouenit malum: & vbi cum sceleratis vnitur, sic constipatur & in similitudinem lapidis, induratur, constringitur, vt nedum flatus, sed ictus irritus omnis sit. An nō ictus omnipotēs ille est, de quo legitur,

[Iere. 23. 29.]

Nonne verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petrā? At cum eo non præualet, quia superficies abyssi cōstringitur:

[Prou. 18. 3.]

Et impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: Vel ex Græco,

[Græcus.]

Cùm in centrum peccatorum venerit. Vt vulgo dicitur de eo qui in amicorum conuictu lætus moratur, stat in centro: ita dum impius inter sceleratos viuit, in centro mortuus viuit, vnde diuelli nulla arte humana potest, nam, vt Lyranus lugubri carmine, canit,

[Lyran. hic.]

Contēnit supplicia, contemnit omnem correptionem, pænitentiam, & medicinam.

7 Videre mihi videor, & certè non fallor, quòd omnis medica virtus vires amittit, omnis remedij virtus retunditur, & omnis medicina, etsi efficax, cum eo perit, & inualida reperitur, qui malè si-

bi

bi consulens, vltrò se malis socijs ita ingerit, vt lethali contagione languescat. Aperiet nobis viam ad hanc animę agnoscendam ęgritudinem Auicennæ explanatio de corporis infirmitate. Sicut enim ipse docet, *Inter animæ ægritudines, quasdam esse proprias, & quasdam cum societate, nam vnum membrum alteri in ægritudine associatur: membrum vnum alteri associari est, vt cùm vnum alteri fuerit vicinum, socij sui recipiat superfluitates.* Sic sequentes eius vestigia, dicamus & nos, duplicem ianuam omnibus patere malis, vel enim ex intrinseca & propria dispositione anima infirmatur, vel ex aliena & extrinseca associatione. Ita Anglicus ex corporeis ægretudinibus ad spiritus ægritudines transiens, ait, *Sic est quantum ad ægretudines spirituales, nam quædam sunt nobis propria, quæ ex mala nostra dispositione intrinseca originem habent: quædam vero nobis insunt per associationem alicuius extrinseci. Sæpe enim accidit nobis, quod propter nostras infirmas vires, quas habemus ad resistendum malo, recipimus superabundantiam sociorum, id est, vitia eorum.* Hanc malitiam sociorum, & optabat, & orabat Psaltes consumi, ne Iustum contaminaret, neue in eum serperet, vt Cancer, *Cōsumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum.* Vbi acutè Basilius ad propositum sensum reuocans Dauidis cantum, dicebat, & benè, *Quemadmodum oret pro his, qui corpore laborant, ac dicat, Consumetur, obsecro, laborātium morbus, etenim ne instar cancri vicina quæque depascentis, latius serpat peccatum, orat vt sistat, & finem faciat, ne latius se fundat.* Beatus ergo est, qui in via sceleratorum non moratur, & qui Doctoris gentium plene obseruat monitum, seruatque præceptum, *Profana, & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit:* id est, vt notat Anselmus, *Magis ac magis occupat, & deuorat, ac maculat mentes, in quibus radicare cæperit, sicut morbus qui dicitur Cancer, latius semper occupat, ac fœdat, depasciturque corpus, in quo nascitur.*

Auicen. lib. 1. Canon. ex Anglico in Ps. 17. ver. 29.

Anglicus Ibidem.

Ps. 7. 10.

Basil. in hom. sup. Psal. 7.

2. Tim. 2. 16

Ansel. hic.

CIRCVLVS VI.

Cancros imitantur scelerati, & retrorsum incedunt.

9 CAncri nomen, cùm æquiuocum sit, primò ad animal ducitur, secundò ad morbum deducitur, nam vt Aetius ex Archigina & Leontia refert, *Sicut cācri animalia sunt aspera & dura, & si quid forcipibus suis ceperint, haud facile dimittunt. Ita tumor iste præminet, & tactui renititur, & ægrè tractabilis est, atque vbi semel radices egerit, difficillimè auelli tollique potest. Est enim malignus, ferus proteruus, & quem curatio, manuumque, vel blandissima tractatio, efferare potius, quàm mitigare solet.* Ouidius verò putat sic dici hunc morbum, ex eo, quod Cancri modo serpat, & eius more vitiet quæ attigerit, dum ita cantat,

Aetius relatus ab Aldrouando lib. 11. de Animalib. Exanguib. c. 16.

Vtque malum latè solet immedicabile Cancer
Serpere, & illæsas vitiatis addere partes:

Ouid. Metamorph. lib. 2.

Ex Plinius Cancros Marinos octonos demonstrat, *Qui brachia in contrarium mouent. pedes in orbem, vel obliquum:* & alibi dixerat, *Cancri in pauore etiam retrorsum pari velocitate redeunt, is autem motus ei, qui sit antrorsum, ex diametro conficitur.* Vnde & emblema processit, *Retrocedens accedit.* Ita qui sceleratis, quasi Cancris, & accedit, assidet, a forcipidus eorum sic capitur, vt à Deo recedat, nam ita Chrysostomus decernit, *Cum impio conuersationem existimo esse à Deo auersionem, Deum esse oblitum mei suspicor, quod vna cum ipso viuam. Sancto enim cruciatus, & ad iram prouocatio impiorum impietas.* Accedat ordinatus Anselmi stylus, & hoc describat

Plin. lib. 11. cap. 48.

Idē lib. 9. c. 31.

Chrysosto. hom. in Ps. 13.

inordinatum iter, non antrorsum ad Deum, sed ad vitia retrorsum. *Sicut piscis, qui dicitur Cancer, non in ante, sed retro tendit: sic sermo torū, non auditores eorum ad Deum ducit, sed a Deo retrahit, & apostatare facit.* In sermone autem ipse depingit, non tantum malignantium verba, sed opera: non consilia tantum mala, sed auxilia: & non modo impia documenta, sed exempla non pia, per quæ, vt Chrysologus docet, *Abijt, abijt a se, a Deo impius cum recessit.*

Anselm. Ibidem

Chrysolog. ser. 44. sup. Ps. 1.

CIRCVLVS VII.

Beatus vir non Cancros debet imitari, sed Ceruos.

9 Beatus ergo est & dicitur, nō qui cancrum, sed qui ceruum imitatur, qui mortalibus serpentibus immortale indicit bellū, exitiale denunciat prælium, ex cauernis extrahit, pedibus conterit, dentibus comminuit, in stomachum coijcit, & traducit in nihilū. Cum ergo Deus hos ceruos multiplicauerit, qui serpentes de medio tollant, tum diuinus planè cultus florebit, nihilque prorsus erit, quod aut virtutem impedire possit, aut vitijs alimenta ministrare: dum enim tolluntur impiorum conuictus, omnis vitiorum aditus occluditur, & in hoc triumpho hymnus Triūphatori in Israel cōcinitur, *Vox Domini praparantis ceruos: & in templo eius omnes dicēt gloriam.* Colorat Basilij subtilis penicillus, quod noster rudis calamus delineauit. *Quando aliquem Dei hominem perfectum & absolutū viderimus, vtilitatem ex eius congressu & cōuersatione sectemur: nam vbi Cerui sapientia est, omnium ibi serpentum malitia fugatur. Primùm vox Domini omnibus concinnat & absoluit numeris Ceruos: deinde reuelat condensa, hoc est, locos siluosos, ad quos plerumque venenosa animalia confugere solent. Quoniam igitur perfectus est ceruus, per eum perfectionē, qua est a Domino iustis, qui illi assimilantur, reuelat condensa, & vt nudi, & omnium oculis prodantur, qui vitam nostram suis la debant corruptelis.* Talis ergo est spiritualis Cerui, id est, felicis serui Dei beatitudo, & in tam sublimi statu perfectionis reposita, vt ne dū in via sceleratorum non moretur, ne dum ab eorum consortio elongetur, ne dum a malignantium societate recedat procul & fugiat: sed hos venenatos serpentes fuget, necet, comminuat, superet, vincat, ac de eis triumphator inuictus sic euadat, vt in gloriam eius canatur hymnus, *Vox Domini praparātis Ceruos*: Vel ex Hieronymo, *Obstetricans Ceruis:* Vel ex Aquila, *Parturire facientis Ceruos:* Vel ex Cāpēsi, *Ceruos infirmat*: Vel ex Ambrosiano Psalterio, *Perficientis Ceruos:* Vel ex alijs, *Excidentis cedros*: Vel ex Symmacho, *Multiplicās cāpos.* Tūc.n. Ecclesiæ cāpi vernantibus virtutū floribus multiplicātur, cum excisis peccatoribus, quasi cedris, & inimicis exclusis atque excussis, Dei serui, ceū spiritales Cerui, obstetricante cælo, infirmātur, vt potentes sint: parturiunt, vt filij eorum in altis habitent: & perficiuntur, vt immarcescibilem gloriæ Coronam percipiant. Nam per ea, quæ Hugo Cardinalis obseruat, *Sermo Domini facit, vt homines sint in seruitio Dei strenui, vt Cerui, veloces, audaces, viuaces, trāsilientes, odientes serpentes, id est, peccata, & incolentes montes.* Hi enim & coronabuntur, & requescent in monte sancto eius: & in Tēplo eius omnes dicent gloriam.

Ps. 28.6.

Basil. in hom. sup. Ps. 28.

Ps. 28.9. Hierony.

Aquila.

Campēsis, Psalterium Ambrosianum, Alij, Symmachus.

Hugo Card. hic

CAELI DAVIDICI
VERSIO SEXTADECIMA.
In Psal. primi, Versus Primi, Part. tertiam.

Ex Eugubio, In via peccatorum non permansit.

CIRCVLVS I.

In via peccatorum aliquādo incidisse humanum est, at permanere diabolicum.

1 HOminem natum fragilem, viribus imbecillē, inter inimicorum phalanges positum, in terreno pyraterio expositum, in medio laqueorum ambulantem, & quasi in fune pendulum, aliquando vel rapi, vel capi, vel cadere in via peccatorum, nec nouum est, nec debet esse mirum: quoniam Chrysostomus, vt infirmos confortet, vt soletur & debiles, ita statuit, *Fieri non potest, vt homo viuat absque defectu.* At illum non statim vel dirumpere laqueos, vel e manibus elabi, vel a fouea non surgere: sed in via peccatorum permanere ibique longas moras trahere, immobiliter iacere, & obstinate morari, hoc malum, hoc diabolicum, hoc damnabile nimium ex Decreto Pontificio est, *Damoniacum enim est maligna tentatione vinci, & peccare ex malitia, angelicū eam non sentire, humanum sentire, & vincere.* De Anaxagoræ virtute Plutarchus refert, quòd accepto nuncio de filij morte, respondit, *Sciebam filium me genuisse mortalē:* Et de spiritualimorte peccati sic Doctor Gētium docet spirituales, vt sciant illos, vt potè homines, & mortales, ex fragili natura sic occupari a delictis, vt inde digni sint nedum venia, sed pietate, vnde præcipiebat, *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite* Vbi Chrysostomus verborum vim pendens, ait, *Natura infirmitatem nomine hominis insinuat, sicut & Iob veniā a Deo impetrare volens, dicebat, Quid est homo quod reputas eum, & visitationem peccatorum eius fecisti? Et ea de causa Paulus ad naturam & eius infirmitatem confugit, cum dixit, Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.* Quasi diceret, si homo cum sit, scis illum genitum & peccatorem, naturæ memor fragilis, instrue illum, sic pius & humilis considerans teipsum, ne & tu tenteris, homo cùm sis. Nauigantes in vasto pelago, monstriferis belluis consesso, marinis mōstris superfuso, pyratarum insidijs infestato, latentibus scopulis tecto, ac turbinibus & fluctibus agitato: multos naufragari, profectò, neque nouum, neque insolens est: at naufragantes insanire, & secundā tabulam oblatam respuere, vitam non redimere, mortem nolle effugere, & portum salutis oblatum abominari: hoc lamētabile est, hoc lacrymabile malum. Idem fertur iudicium de hominibus in mari huius sæculi nauigantibus, si in mali mare decidunt, & secundā tabulā, nēpe pænitentiā, vt Hermæ dictum est, respuunt, *Vides in pænitentia peccātium esse vitam, non agentium pænitentiam mortem paratā?* Sic ergo nos Apostolicis monitis in-

Chrysost.

Greg. Papa ar. 1. Pastor. cap. 11.

Plut. lib. de consolat. ad Apolloniū.

Ad Gal. 6. 1

Chrysost. ho. de Nomine Abraham tom. 1.

Hermas discipulus S. Pauli lib. 3. similitud. 8.

instituti indicemus bella peccatis, statuamus criminibus pugnam, cōflictum vitiis nunciemus securi de victoria, quia nec arma pœnitentiæ hostes poterunt superare, nec secundam tabulam apprehendentes deturbare, nec lacrymantes mergere, nec diabolica inundatione pessundare ac mergere.

CIRCVLVS II.

Peccator imitetur equos Græcorum, quiescens post casum.

2 AVdi, o Christiane, vel consilium, vel præceptum a Deo datum fratricidę Caino, illudque æstima etiam pro te latū. Peccasti? quiesce. O quàm pertimescēdus eorum casus, qui labentes in peccatum, non quiescunt à peccando, sed vel noua perpetrāt crimina, vel de suis lapsibus gloriarur, vel digna laude putant, quæ cum scelere commiserunt, vel in malo volutātur, vel in volutabro luti voluuntur obstinati. At alij, si incauti cadunt, cauti resurgunt: & si imprudenter in vitiorum iter deflexerunt, ad virtutis viam mox prudenter reuertuntur. Horum differentiam expressit Ambrosius cum eo discrimine, quod cernitur inter equos, *Plerique equorum, cū ceciderint, se iactare consueuerunt: & quo casus non laserit, iactando se debilitant, & frangunt. Alij, quales Græcorum equorum fertur natura, cum vel in certamine curuli elisi fuerint, vel fortuito ceciderint, nequaquam se mouere consueuerunt, & quamdam tenent quietis & patientiæ disciplinam. His si casus non nocuit, quies prodest, certe non acerbatur offensio.* Nonne multi animalibus peiores æstimandi, qui se in flagitijs suis iactant, & putant insigne esse virtutis, vbi lapsus est criminis? Ideo peccatori, quasi muto, sic dicitur iumento, Peccasti? quiesce. Vnde, & Procopius hoc singulare cadenti offert auxilium, vt quiescat, vt nouos casus euitet, vt peccati iugum abijciat, vt pænitētia adiutrice resurgat, vtq. meliora ac viciniora saluti requirat, sic enim ait, *Vnicum peccati remedium est, quiescere, & non amplius peccato se subijcere.*

Gen. 4. 7. ex Septuag.

Ambros. in Apolog. Dauid c. 9.

Procop. in c. 4. Genes.

CIRCVLVS III.

Quiescens post lapsum, per pænitentiam eleuatur a lapsu.

3 EXpedit quidem equo sub onere prostrato placida quies, vt interim & eques ad nota recurrens præsidia, vel voce tonante, vel freno eleuante, vel virga percutiente, vel calcaribus vrgentibus tandem releuet quiescentē: & mulio onus deponens, sursum se erigit, ne iactatus in lubrico, aggrauet contra se densum lutum, & addens oneri onus, sub onere pereat. Sic tibi, o homo, dum in lubrica via peccati es lapsus, confert quies a nouo lapsu, cōfert præteriti oneris depositio, cōfert nouam peccati sarcinam non adijcere, & confert dicere, *Expectans expectaui Dominum*: vt possis addere, *Et intendit mihi.* Et bene intendit tibi, & omnia tecum exercet genera adiutorij. Nunc enim vocationis gratia te præuenit, *Surge qui dormis, & exurge a mortuis.* Nunc freno iudicij retinet, *Laude mea infrenabo te, ne forte intereas.* Nunc virga, vt corrigat, ferit, nam ex Hieronymo, *Virga enim ad hoc percutit, vt emendet, Ad vocem enim Domini pauebit Assur virga percussus.* Nūc aureis calcaribus amoris te vrget, vt possis dicere, *Caritas Christi vrget nos.* Et nunc onus maximū peccati sic deponit, vt possis deponentis extollere pietatem, *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem & transis peccatum reliquiarū hereditatis tuæ?* Vel ex Septuaginta, *Transcendens peccatum*: Vel ex Remigio: *Transfers peccatum.* O mirū? Cùm dixisset, Quis Deus similis tui?

Psal. 38. 1.

Ad Eph. 5. 14.

Isai. 48. 9.

Hieronym. lib. 2. Com. in cap. 7. Michex.

2. ad Cor. 5. 14.

Michex 7. 19.

Septuag. Remig.

Ruper. Ab. lib. 2. commēt. in cap. vlt. Micheæ.

tui? Nō subtexuit, vt notat Rupertus, *Qui fecisti cælum & terrā, mare & omnia quæ in eis sunt: sed, Qui aufert iniquitatem, & transis peccatum: hoc enim in laudem & admirationem dicitur inexhausta gratia, quæ numquam defatigatur in recipiendis ad se conuersis, quamlibet multum peccauerint, & transit peccatum eorum, ne simul cum mundo damnentur.* Transit ergo peccatum, & secundum Hieronymum, *Transcendit iniustitias, quomodo exterminator in Aegypto transcendit populum Israel, & nō vastauit eum, & grauia peccata nostra, & iniquitates, quæ sedent super talentum plumbi, ipse portabit, & demerget in mare, & parere non faciet.*

Hieron. li. 3 com. in c. 7. Micheæ.

CIRCVLVS IV.

Onus peccati tollens, fortior apparet Deus, quàm mundum creans.

4 Notandū est autem & profundè considerandum, quòd vbi nos legimus, Quis Deus? Ex Hebræo fonte hauritur אל el Fortis, similis tui? Fortè expectabas vt hauriret fortitudinis opera, vel ex creatione Angelorum, vel ex formatione cæli, vel ex terræ tribus digitis sustentatione, vel ex montium de loco in locum translatione? Sed hæc perfecta præterit, & solum peccatum sublatum, & peccati onus memorat iā submersum, quia hoc solum in statera positum, omnia illa superat, & cuncta transcendit. Valeat ad hoc probandum Augustini sententia, *Maius opus est, vt ex impio iustus fiat, quàm creare cælū, & terram.* Et iudicet, qui potest, vtrum maius sit vel iustos Angelos creare, vel impios iustificare. Sed dato, quod vtrumque foret æqualis potentię, hoc tamen, cùm maioris sit misericordiæ, palmam super omnia opera meretur, nam, *Miserationes eius super omnia opera eius.* Ratio autem est, quia in operibus naturæ, vt in mundi & Angelorum creatione, nullam reperiens omnipotens repugnantiā, quæcumque voluit, fecit libens: & quæcumque vult, conseruat lubēs. At in operibus gratiæ, & gratiam ipse præstat, & voluntatem ab homine requirit, ne oblatam respuat. Hoc totum cernitur in Cain, quē Deus, vt conuerteret, ei blandiens, sic alloquitur, *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Peccasti? quiesce.* Vbi ex Seleuciæ Episcopo, *Voce communicat, & ratione quadam consilioque ab eo gratiam init, quare iratus sit. Statuit iam delictis prioribus modum. O viscera misericordiæ, in quibus peccantem visitat, & dulci colloquio gratiam indagantem cupit inire, & beneuolentiam diligenter nititur emereri.*

Augustin. in tract. 72. in Ioan.

Psal. 144.9.

Gen. 4. 6.

Basil Seleuciæ Episc. orat. 4.

5 Et iure quidē optimo, id agit Deus, & tot modis prouocat ad veniā dānatū, peccātē ad pęnitentiā, cùm enim peccatoris animam tenebræ operiant iniquitatum: ille qui lux est, summopere exoptat tenebras inuisas expellere, & lucē atque gratiam spiritus in cæcam introducere terram. Sic in orbis prima molitione, postquam dixit, Fiat lux, & separauit lucem a tenebris: tunc vidēs lucem, quòd esset bona, & lucem laudat, quia luce, vt Anastasius Sinaita dicebat delectatur, *Vidit Deus vita lucem, & dixit, Bona est. Laudat autem quoniam delectatur huiusmodi luce: est enim gaudium super vnū peccatorem, qui pęnitet.* Et est gaudium adeo exuberans, vt etiam cælestē cumulet copiam gaudiorum, *Dum Deus hoc lumine accenso: drachmam perditam sic requirit: vt inuenta hac, de lucro suo, de suo gaudio causam pariat cælestium gaudiorum.*

Anast. Synaita lib. 1. Anagogicarum contemplationum in hexęmeron.

Ex Chrysol. ser. 169. de parabola drachmę perditæ.

CIRCVLVS V.

Morbi peccatorum recentes, sanantur à Medico cælesti libenter, ab inueteratis autem grauatur.

6 Est autem Fideli summopere cauendum, ne diutinus

Eccli. 10. 11 languor hunc Medicum animarũ grauet, scriptum est enim, *Languor prolixior grauat Medicum: breuem languorem præcidit medicus*. Morbus diuturnus medico corporis, qui medicus corporis est, non auri mendicus, magnam molestiam affert, dum vix, & ne vix quidem ab ægro valeat abigere: quãuis auari homicidę de prolixitate morbi lætentur ob lucrum: cælestis tamen Medicus salutem hominis pretio redimi noluit, & clara professione asseruit, seruari hominem nefas esse lucri caussa, cum dixit corrigenti peccatorem, *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*. Et licet non sit opus pretio quæsitum, corona tamen non caret, quam Hieronymus offert, *Per salutẽ enim alterius, nobis quoque acquiritur salus*. Si ergo ex Hugone, *Languor prolixus est dolor, vel pœna veteris peccati, & languor breuis recens peccatum*: inueteratus morbus difficilè redditur sanitati, nec remissionem admittit, nec obtinet pietatem. Et ideo principijs obstandum est, Nam serò medicina paratur, cùm mala pro longas inualuere moras.

Matt. 18. 15.

Hieronym. relatus a D. Tho. in cat. sup. cap. 18. Matt. Hugo Car. in c. 10. Mat.

CIRCVLVS VI.

Consuetudo peccatum aggrauat nimis.

7 QVæres vnde lãguor prolixus medicum diuinum plus grauet, vel onus peccati reddatur magis graue? Dicam breuiter, ex consuetudine peccandi, vnde homo aggrauat contra se dentum lutum. Sic Glosa exponens verba Mosis, *Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est valde*: subdit, breuiter quidem multum, sed ad propositum clarè nimium, *Peccatũ eorũ aggrauatum est nimis, scilicet consuetudine, quasi superposito lapide*. Et fortasse arcum ipsa intellectus erexit, & verborum iacula direxit ad lapidem fugitiuum, quem in Cyzici delubro Argonautæ reliquerunt, & vt Plinius refert, *E Prytaneo, ita vocatur locus vbi sæpe profugum, fixere plumbo*. Bone Deus, quid aliud fideles referunt, nisi lapides eosque viuos, de quibus dicitur, *Aspicite ad Abraham Patrem vestrum: & ad cauernam laci, de qua excisi estis?* Omnes autem hi lapides fugitiui sunt, alij à terra in cælum, *Qui lapides sancti eleuabuntur super terram: Scilicet electi quique, vt Remigius interpretatur, & leues per gratiam spiritus, & nullum pondus peccatorum habentes, non expectabunt imponi fundamento Christi, sed ipsi eleuabuntur & festinabunt contineri lapide angulari*. Alij vero sũt lapides fugitiui à terra in abyssum. Et sic dum lapides tantum sunt, & nunc fugiunt à Deo, nunc redeunt, nunc peccant, nunc de peccato pænitentiam agunt, *Potès est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Cùm autem illos dæmones fixerũt consuetudine, quasi plumbo, tunc actum est de eis, & casus eorum irreparabilis lugetur, *Submersi sunt quasi plumbũ in aquis vehementibus*: Vel ex Oleastro, *Obumbrati sunt, operti sunt, profundi facti sunt, quasi canum & vt plumbũ, quod ima petit*: dum enim plumbo adumbrãtur & operiuntur, ita profundi fiunt, & in cæno sepeliuntur, vt spes omnis fugæ pereat, ipsis iam in consuetudinis cæno obuolutis, & proprio onere in cẽtro sepultis.

Gen. 18. 20.

Glosa interl. hic.

Plin. lib. 36 cap. 15.

Isa. 51. 1.

Zachar. 9. 16 Remigius hic.

Matt. 3. 9.

Exod. 15. 10

Oleaster in Annot. 1. sup. cap. 15. Exodi.

CIRCVLVS VII.

Consuetudo grauitate sua plumbum superat, nec eleuari potest.

8 QVærebat Ecclesiasticus an posset aliquid adeo graue in rerũ natura reperiri, quod grauitatẽ plumbi vel superaret, vel æquaret: vnde, & dicebat, *Super plumbum quid grauabitur?* Et iure. nam per ca quæ Valerianus refert, *Nedum eo infuso, & statuæ, & alta operũ moles firmitate stabiliuntur, sed*

Eccli. 22. 16

Pierius Valer. lib. 48. c. de Plumbo.

suapte

suapte natura est adeo ponderosum, vt difficulter loco dimoueat: vnde ab immobilitate, Plumbeum ingenium, plumbeos homines dicere solemus. Super hoc ergo plumbum quid grauabitur? Non aliud certe, nisi homo plumbeus, hic autem fatuus est, vnde & subdit, *Et quod illi aliud nomen, quàm fatuus?* Vel cum Complutẽsi, *Quàm plumbum?* Vbi inter plumbum & fatuum nomimina mutuãtur, commutantur affectus. Est enim fatuus, non carnosus homo, sed plumbeus, vnde, & Syrus, *Plumbo enim valde grauior est, & quod nomen ei, nisi stultus?* Quorsũ hæc? Vt cognoscas ita nullum per consuetudinem in malo inueteratum, nisi loco miraculi à Christo conuersum: sicut nullum fatuum ab eo legimus fuisse curatum. Hinc de Ægyptijs dictum ma lorum inueteratis, dicitur, *Submersi sunt quasi plumbum*: nam ex Lyrano. *Per grauitatem plumbi intelligitur, quod erant peccatis valde aggrauati, & submersione digni.* Sicut enim grauitas a natura habet, vt deorsum tendat: Ita consuetudo peccandi a iustitia habet, vt in infernũ trahat, in lacum trudat, in aquis vehementibus demergat.

Eccli. 22. 16

Complutensis.

Syrus.

Exod. 15. 10

Lyran. hic.

CIRCVLVS VIII.

Consuetudo in naturam transit, immutabilis euadit.

9 EO modo quo ignis inferni, etsi vehementissimus sit, naturam non destruit, sed torquet: non annihilat, sed cruciat: non euacuat, sed malis replet: nec vincula soluit, sed renouat & nectit: haud aliter consuetudo, quæ ex iure ciuili, *Est altera natura*, mutari aut vix, aut ne vix quidem, absque miraculo potest. Ferat Nilus Abbas contra hoc consuetudinis delictum finalem sententiam, *Magna est consuetudinis vis, ad se nos trahit, nec ad instituta virtutis studia reuerti permittit. Ex consuetudine habitus, ex habitu natura proficiscitur. Naturam porrò mutare difficilimum est. Licet enim vi paulisper inclinetur, celeriter tamen ad seipsam recurrit.* Probat autẽ hoc Nilus, tum exemplo vxoris Loth, *Quæ respiciens retro stetit, conuersa, vt nunc est, in statuam salis: consuetudo enim, cuius illa speciem gerit, eos qui volunt omnino recedere, ad se retrahit.* Tum etiam comprobat exemplo Rachelis, quæ abscondit idola, & resedit desuper. *Vide quomodo animus, qui in huiuscemodi vita rebus longo tam tempore conquiescens, & consuetudinem sequens, idolis insideat, quomodo seipsam in materia informi defigat, rationemque surgere hortantem non audiat, surrecturã se negat, Non possum assurgere.* Caussam reddit Ambrosius, *Etenim inueterati in errore, & in flagitijs inhærentes, sedere dicuntur, quia nolunt assurgere. An ignoramus quod tantam vim habeat consuetudo peccandi, vt excludat naturam? Quæ cùm sit medicabilis ad salutem, tamẽ corroborata tempore passionibus, immedicabilis inuenitur.*

L. si quis ff. de lib. & posthum. & ibi glos.

Nilus Abb. in lib. Ascetico.

Idem Nilus ibid.

Ambros. in enarr. in 1. Psal. Dauidicum.

CIRCVLVS IX.

Mala Consuetudo spolians veste virtutum, extirpanda est, tamquã radix vitiorum.

10 NImium dura ac rudis, immo dira & agrestis nimis apparuit sponsa, renuens & pulsanti & vocanti sponso ianuam aperire, ne, vel tunica se indueret, vel pedes lotos inquinaret. Si tamẽ caussam obstinatæ mentis inquires, consuetudinem immorigeratam apud Lucam Abbatem inuenies designatam. Sic ergo fatur, *Docemur ergo per hanc malam consuetudinem difficile esse, aut vix aliquando eum magno labore expoliatam animam caritatis tunica, reuestiri: qua sola vtique cooperit omnes nuditates animæ, id est, multitudinẽ pec-*

Lucas Abb. Montis Cornelij in summariola ex Aponio in Cantica.

peccatorum. Cùm ergo in conflictu virtutum,& vitiorum, vitium um illud æstimetur pessimum, quod potiori opponitur virtuti: quid mala consuetudine deterius, quæ virtutum reginæ opponitur, & spoliat animam hoc vestitu de aurato circumdato varietate? Amplectamur ergo Dorothei sanam doctrinam,& ex animo sic euellamus consuetudinis malæ mala semina, sicut agricola ex agro, non ramos tantum plantarum abscindit, non surculos incidit solos, non comam, non truncum in sumitate sola obtruncat, sed radices funditus extrahit,& eradicat, *Nisi enim ita fecerit, & summitatem tantum abraserit, denuo pullulabunt: ita opus nobis est affectinem omnem veteris hominis, ac malos saeculi mores amputare.* Nihil *enim peius prauis moribus & mala consuetudine.* Ad hoc respiciens Basilius dicebat, N*on medioeri hoc eget cõtensione, vt consuetudinem suam aliquis per vim contineat: consuetudo enim vetustate firmata, natura vim solet nancisci.* Hæc autem mala & cognoscẽs Dauid,& præcauens, nos hortatur ne in via peccatorum permaneamus nec in ea radices figamus, cũ inde vitia scateant, ac pullulent mala.

D. Doroth. Ab. Doc. 12.

Basil. in ref. ad 6. interr.

CIRCVLVS X.

Vita hac via est, nec in ea sistendum.

11 DIstinxit Ambrosius vias, seiunxit & vitas, *Viam enim diei vita huius cursum in dubium non venit, cùm ipsa Scriptura dicat, In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi: etenim quoniam cursum vita huius currimus, habemus semitam, per quam ambulemus quotidie, donec perueniamus ad finem. Et si non videmur corporaliter ire, progredimur tamẽ. Nam sicut in nauibus dormientes, ventis aguntur in portus, etsi nullus quiescentibus sensus est nauigandi, tamen cursus eos vrget ad finem, & impellit ignaros: Sic vita nostra spatio defluente, ad proprium vnusquisque finem cursu latente deducitur. Vnde dicitur, Surge qui dormis, tu enim dormis, & tempus tuũ ambulat. Et vide, ne dum diu dormis, prateerat tempus. Ideo, etsi dormis, cor tuum vigilet, cor tuum non feriatur, si cor otiosum non sit, non sunt otiosa tempora tua.*

Ambrof. in enarr. sup. 1. Psal.

11 Via quidem est vita, sed sicut Herculi in biuio gradum sistẽti, hinc virtus, inde vitium, duplicis viæ duces occurrerunt: ita & tibi obuiam occurrunt. Quid ergo facies? Herculem sequere, & elige cum illo virtutis viam sub virtute duce, hæc enim est dextera, quæ, licet per semitam laboribus refertã ducat, deducit tamen a periculis,& sic ducit ad felicitatis terminum, vt in te impleatur, Beatus vir qui non abiit in via peccatorum. Ita Ambrosius, *Dua via sunt vna Iustorum, altera peccatorum: vna aquitatis, altera iniquitatis, de qua dixit Propheta, Et vide si via iniquitatis in me est.* Non *solum ergo vita nostra via est, sed etiam in ipsa vita nostra, aut virtutis via est, aut iniquitatis. Caue igitur ne in te gressus suos collocet auaritia, & sis via iniquitatis iterantibus detrita flagitiis. Licet tibi eligere quod sequaris, aut iustos, aut iniustos. Iustorum via angustior est, iniustorum latior: illa sobrietatis angustior, hac ebrietatis latior, vt possit capere fluctuãtes: hac habet saeculi huius illecebras, habet futurorum premia: in istis fructus pratensior, in illis spes tardior, qua enim suauia sunt non differunt diuturnam expectationem, sed prasentem habent perfunctionem: quod autem serum est, labore quaeritur, quod à beata cogitatione via capitur, quod oculos non vidit, nec auris audiuit, qua preparauit Deus diligentibus se.*

Ambr. ibid.

CAELI DAVIDICI
VERSIO DECIMASEPTIMA.
In Psal primi, Versus primi, Part. quartam.

Versio prima. Ex Vulgata, Et in Cathedra pestilentiæ non sedit.

2 Ex Aquila, & Hieronymo, In Cathedra derisorũ.

3 Ex Symmacho, In Cathedra insidiatorum, & impostorum non communicauit.

4 Ex Tertulliano, In Cathedra pestium, vel pestilentiariam non sedit.

5 Ex Hebræo, In Cathedra reuelantium secreta non stetit.

6 Ex Vatablo, In Cathedra elatorum non stetit.

7 Ex Quinta editione, In Cathedra iniquorum non est inuentus.

CIRCVLVS I.

Mala exempla maiorum cathedræ pestilentię comparantur.

1 LÆtatur oculus videns, lætatur & auris audiens, lætatur & os loquēs de Iustorum vita, quæ lucidam viam terit, in die ambulat, noctem ignorat, & tenebras ita eliminat, fugat detrudit, deturbat, vt dicatur, *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* (Prou. 4. 14.) Distinguit autem Gregorius, hanc claram lucem in tres varias luces, nempe Auroræ, Solis, & meridiei. *In eorum enim animis bonum desiderium pars diei est, cùm vsque ad finem vita in virtute proficiunt: ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cælestia regna producti, in ea luce, quam desiderant, iam minus aliquid non habebunt.* (Greg. Papa hom. 5. sup. Ezech.) Sed ò quàm diuersa impiorum nocturna & cæca via est, de qua & subditur, *Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant.* (Prou. 4. 14.) Cùm enim peccant, in tenebris sunt, & in cōsilio impiorũ abeunt, cùm non confitentur peccata sua, sed ea defendunt, tenebrant tenebras suas, & in via peccatorũ stant. Cùm autem peccatum suũ, sicut Sodomæ prædicauerunt, nec absconderunt, tunc in cathedra pestilentiæ sedent, & in profundum malorom iam veniunt. Nam in ambulante initium praui operis indicatur, in stante perseuerantia & assiduitas, in sedente vitiosa in malefactis oblectatio & voluptas, & in cathedra gloriatio de peccato, dum per ea quæ docet Glosa, *Dat alijs exemplum peccãdi, dum dare deberet pęnitentia, & lugendi.* (Glo. in Ps 1) Audi quid in cathedra sedenti

præ-

Ad Titum 2. 5.

præcipiat Doctor gentium, *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina sana.* Inter elementa, quæ Episcopum componunt, nempe exemplum bonorum operum, & doctrina: hæc materiæ locũ tenet, illa formæ: & hæc si deest, Prælati forma abest, mutatur in informis populi figuram, & in eius opprobrium adimpletur oraculũ,

Hos. 4. 9.

Et erit sicut populus sic Sacerdos. Ideo Apostolus de forma primò solicitus, Tito præcepit, *Præbe te ipsum exemplum bonorum operum in doctrina.* Vbi Anselmus agnoscit in Prælato duplicem librum, alterum vitæ, doctrinæ alterum, & efficaciorẽ putat illius libri lectionem, quàm auditionem istius, & vult Apostolum sic Tito præcipere,

Anselmus hic

Ita viue, vt sis omnibus forma bene viuendi: & qui te viderint, legãt in operibus tuis, velut in libro, quid agere debeant. Nihil enim prodest, aliquem exercitatum esse in dicendo, & ad loquendum expeditam habere linguam, nisi plus doceat exẽplo doctrina, quàm verbo.

CIRCVLVS II.

Episcopus debet esse liber virtutibus figuratus.

2 Sicut autem liber vitæ expãsus ab Anselmo, dici posset compositus Ægyptiorum more, mysticis figuris signatus, & notis sacris ea arte descriptus, vt pro vigilante, leonem ostendat: pro abstinente, Camelum: pro solitario Turturem: pro humili, genuflexum: pro casto, Lilium: pro contemplante, Aquilã ante Solẽ: pro victore, Gallum: pro triumphatorẽ, laurum: & pro amante, cytharam vel lyram: Ita, e contra, in libro doctrinæ non figuræ, vel nuda verba: sed operum notæ, sed præceptorum litteræ leguntur, in quibus amor præcipitur, triumphator proponitur, victor declaratur, contemplator ostenditur, humilis eleuatur, solitarius laudatur, celebratur abstinentia, & vigilantia commendatur. Quis ergo inficiabitur, vel primum librum maiori dignum admiratione, vel secundum eatenus æstimari, quatenus concordat cum illo? Nonne duorum librorum species præsefe runt, hinc figuratus, inde scriptus: exemplar ex vno latere, doctrina ex altero? Hic ergo liber, si ab illo discordat, nullius est pretij. Subdit Anselmus, & ita Prælatũ quẽque docet, & monet,

Anselm. Ibidem.

Ita ergo viue, vt sis omnibus forma viuendi, & qui te viderint, legant in operibus tuis, quasi in libro, quid agere debeant. Denique qui impudicus est, quamuis disertus sit, & ad castitatem audientes cohortetur, sermo eius est infirmus, & auctoritatem non habet cohortandi. Sicut e contrario, quamuis sit rusticanus & tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo potest homines ad vitæ similitudinem impellere.

Emblema.

Tritum est enim, atque ore omnium peruulgatum, Moralis Philosophi prouerbium, *Magis mouẽt exempla, quam verba.*

CIRCVLVS III.

Prælati damnantur, qui non formam Christi, sed bestiæ assumũt.

3 INdignabatur Philo contra idolorum sacerdotes, quòd vbi à Sacerdotibus honor pietatis debetur Deo, tamquam merces propria, quæ est merces seruiendi cælesti parenti optimo, cui seruire optabilius est, quàm regnare, nedum esse liberum: ipsi è contra,

Philo Hebræus lib. 1. de Monarchia.

Ad simulachrorum cultum præcipites, confirmabant eam seruitutem litteris, non in cartula scriptis, sed vt mos est mancipiorum, exustis in corpus ferro ignito, ne deleri queant postea, nam hæ non obscurantur vllo tempore. Sed quis non indignetur contra eos, a quibus requiritur, vt forma sint gregis: si loco formæ, de qua dicebat Paulus, *Imitatores*

Ad Philipp. 3. 17.

mei

met estote, fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formã nostram: Vel secũdum Vatablum, *Quemadmodum nos habetis pro exẽplari*: nam vt Chrysostomus adnotauit, *Apostoli erant forma, & typus, speciem eam retinentes, quæ Archetypi, & primarij eiusdem exemplaris instar esset:* pro forma recipiunt & & inustum characterem, de quo scriptum est, *Et acceperunt characterem bestiæ*? Quæres qualis sit hic bestiæ character? En illum tibi aperit Lyranus, *Id est Arma & vexilla secta mahometica*. Si enim hæc secta mediã Lunam gestat in vexillis: Semichristiani eam exprimunt in moribus vitæ, dum dicunt, & nõ faciunt, & in quolibet eorum illud impletur, *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est bestiis mutis*. Heu, quis non videt, lugens duplici ex capite dimidiatum hominem in cathedra sedentem, primò, quia cum in honore esset, non intellexit, id est, secundum Bernardi interpretationem, *Honore ei intellectum auferente*: deinde quia comparatus est bestiæ mutæ: mutæ quidem non lingua, sed opere: non ore, sed manu: non verbis, sed virtutibus: non sermone, sed actione. Si enim, dicunt, & non faciunt, nonne lumen, quod in illis est, tenebræ sunt? nonne dimidiam, & non perfectam ostendunt Lunã? nonne semichristiani ex fide mortua, & integri Pagani ex opere iudicandi sunt, & sicut homines qui ex membrorum defectu à sacerdotio arcebantur?

Vatablus. Chrysost. hic. Apocalip. 19.14. Lyran. hic. Psal. 48.13. ex Hebræo. Bernard. in lib. de consider.

4 Hos non integros homines a sacerdotij dignitate etiam lex antiqua hac lege arcebat, *Homo in quo est contritio manus, vel contritio pedis, vel lippis oculis, non accedet ad offerendum hostias Domino.* Vbi dubium mouet Alexandrinus, & quærit, *Estne cuiquã fraudi, quod debilis sit corpore, aut conditor naturam in crimen vocat, quod etiam inuita corrupta sit?* Cùm ergo in naturalibus, nec mereri, nec demereri possint mortales, ob naturalem defectum, sic excludi à munere, necesse est, vt corporalia vitia, spiritualium sint figura vitiorum. Hanc autem figuram idem Cyrillus sic explicat, *Semper enim ea quæ minus integra sunt, aspernatur Deus. Ineptus ergo ad Sacerdotium est, qui spiritualiter cæcus est, id plane imprudens, & animo ac mente vitiatus. Ineptus claudus, qui ad perfectè incedendum parum firmus est. At vero hominibus ita mutilatis non iure illud insonari possit, Confortamini manus remissæ.* Isti ergo dimidiati homines, qui pedes non habent ad ambulandum per viam mãdatorum Dei, qui manus non habent ad bene operandum, nec oculos ad populum dirigendum proposito exemplo virtutis viuo: & lingua tantum armati sũt ad docendum, & non ad faciendũ ornati, indigni sunt regendi dignitate, & Pastoris officio non sunt digni, *Vir enim linguosus non dirigetur nec diriget in terra:* Nam cõparatur ab Hugone serpenti, quia pedes non habet ad ambulandum in lege Domini, & totum suppletur ei in lingua.

Leuit. 21.20. Cyrill. Alex. li. 12. de adorat. in spiritu, & veritate. Idem ibid. Psal. 139.12. HugoCard. hic.

CIRCVLVS V.

A Principis exemplo bono, vel malo, pẽdet subditorum bonitas, vel malitia.

5 SEd ad dimidiatum in cathedra sedentem redeuntes, & Bernardi sententiam repetentes, Honore ei intellectum auferente: illud nobis in mentem veniat Platonis Prouerbium, *Seruorum animus integer non est, dimidium enim mentis ijs ademit Iuppiter, quos seruituti fecit obnoxios:* nam horum animus ex diuersa radice integritate non potitur: illi intellectum habent, voluntatem non habent, quia dominis subdita est: at isti intellectu carent, & voluntate præualent, quæ cùm corrupta sit, omnia corrumpit, vbi si perfecta foret, vt Seneca sanxit,

Adagium ex Platone lib. de legib.

Seneca in Thyeste.

Rex vult honesta? nemo non eadem volet.

Ex Arist. 6. de Cælo, & Mundo tex. 19.

Saluianus li. 7. de prouid. & gub. Dei.

Et quoniam cōtrariorum eadē est disciplina, e cōtra dicere possum⁹, Rex non vult honesta? nemo eadē volet, ita philosophante Saluiano, *Morbido capite nihil sanum est, neque vllum omnino membrum suo officio fungitur, vbi quod est principale non constat. Dominus autem, quasi corporis sui caput est, & vita eius cunctis quasi norma viuendi.* Norma quidem viuendi est, sed qua minus vtuntur homines vt virtutem, quàm vt vitium imitentur, dicente Isidoro, *Nonnulli sicut prōpti sunt sequi regem in malum, sic pigri sunt imitari illos in bonum*

Isidor. lib. 3. sent. c. 30.

Vnde Thologus, postquam demonstrauit populum ad acris vel panni instar, ab Antistite recipere, & retinere vel mala, vel bona, sicut vel colorem, vel odorem, vel fœtorem, vel pestem, concludit, vitijs impleri facilius, quàm virtute. Hauriamus ex proprio oris fonte cælestes riuos, *Neque enim vel indelebilem tincturam pannus, vel fœtitum aut suauem odorem res admota ita facile contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facile in aere animantia occupat, quod quidem & pestis est, & appellatur: quàm subditi Antistitis improbitate celerrimè impleri solēt, & quidem multò facilius, quàm virtute.*

Greg. Thol. in Apologetico.

Quid aptius vnquam vel poterat excogitari, vel pro beatitudine Prælati depingenda figurari, vt exemplar perfectum effingeretur, eius qui nec in cathedra pestilentiæ sedet, nec inficit vitiorum mortali labe sibi subiectos: sed sanat ore, subleuat opere, & sic inuitat ad virtutes imitandas, quæ in ipso lucent, vt videntes opera illius bona, & glorificent Patrem cælestem, & pedes gregis dirigant in viam pacis. Datur exemplar duplex, alterum lingua expressum, alterum impressum manu: illud aura dissoluit, hoc in æuum perdurat, de quo Selecus dicebat, loquēs de Abelis operibus, *Iustitiæ characterē posteritati delineauit*, Nā virtus à bono exēplo parta diuturnior est, vt impssa ab opere, nō à lingua.

Basil. Seleucus in or. 14

CIRCVLVS VI.

Mali Principes, vt pestilētes, alios inficiunt.

6 COmprobat Dauidis doctrinam Isaias, dum principibus loquens, qui pestem in populo diffundunt, & ad sempiternum interitū proprio exemplo trahunt, ita conqueritur, & sic luget, *Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius, & populus eius & sublimes gloriosique ad eū.* Isa. 5. 14.

Et quamuis secundum Vulgatam, pestis non clare pateat: secundum Septuaginta liquet & patet, dum ita explanantes viam, præcipitia ostendunt, ad quæ mortaliter & ipsi ruunt, & subditos post se trahunt, *Et descendent inclyti & magni & diuites, & pestilentes.* Septuag.

Quod explicans Cyrillus, & caussam irreparabilem ruinarum ponderat, & iustam pœnæ exactionem sic expendit, *Typi quippe, & exemplaria fuerunt alijs vita execrabilis. Itaque ceù auctores & caussa interitus, & sibi ipsis, & alijs omnibus, primi descendent, & præcipites ibunt ad inferos, diuina ira ante alios quodammodo in ipsos insistente.* Gyrill. Ale. in c. 5. Isai.

Religio esset si sententiam Ciceronis subriperem. *Perniciosè merentur de Rep. vitiosi Principes, qui non solum vitia concipiunt ipsi, sed & infundunt in Ciuitatem: neque solùm obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quàm peccato nocent.* Cicero lib. 3. de legib.

Notanda verba, Vitia in ea infundunt: sicut infunditur æs in typis, & inde extrahuntur varia ectypa, vel formosa, vel deformia, pro qualitate varia prototyporum: Ita subditi ectypa sunt, & Principes Prototypi, qui dum formosa exempla proponūt, virtute formosos subditos reddūt: dum vero virtutis pulchritudine orbati apparent, vitij turpitudine populos replēt, quia ex Pontificio Decreto, *Cum his, qui de vicino Doctorem imitantur, in eodem præcipitio corruunt.*

Greg. Papa in c. 2. lib. 1. Reg.

CIRCVLVS VII.

Principe malo excubias circa mœnia ciuitatis agente, omnibus vitijs aditus patet.

7 HInc Regius Psaltes in ciuitate videns & mala, & & vsuras: & dolum, & iniustitias: & talium ac tot malorum caussam inquirens, muros aspexit, & inde lugens ad se reuersus, mutauit cantum in plãctum, & flens, ac lugens dicebat, *Ascendit super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia: & non defecit de plateis eius vsura, & dolus.* Sicut murorũ custodes, & vigiles Principes esse debent, vt Epiminandas opere demonstrabat, sic asserens, *O vocem principe dignam, si vigilare, vt alijs stertere liceret:* Eodem modo & Dauid rex prauum ducem excubias circa ciuitatis muros agentem introducens, scitè infert nullum vitio obseratum esse ostium, omnem virtuti ac pietati interclusum aditum sub malo Rege, tunc enim pacatam vitam iniusti iudices in plateis agunt, quilibet impunè furatur, omniumque malorum collegium ibi pestiferam erigit sedem. Audiamus Agellium nostrum hyronicè talem vrbem beatificantem, *O felicem vrbem, cui tales custodes muris positi sunt, & eiusmodi muris septa, ne virtuti & paci pateat aditus, quæ adeo indefessis peruigilibus & custodibus tenetur, vt die ac nocte peruigilent, neque tantillum quieti concedunt.* At si cum Hieronymo legamus, *Peruersitates, vel peruersitas in medio eius:* Optime princeps cum centro comparatur, quasi eius prauitas & peruersitas, immo, sine quasi, omnium peruersitatum subditorum origo & principium sit, nam sic Horatius canit,

Falsa regula prima
Omnia mendose fieri, & distorta necesse est.

Psal. 54. 12.

Ex lib. 5. Apoph. Vbi de Epaminondanu. 6

Agellius in Ps. 54.

Hieronym.

Horatius.

Et bene Paschasius in ea verba, *Cum falsi testes accessissent:* videns has lineas ab eo centro deriuari, quia *Principes sacerdotum quærebant falsum testimonium contra Iesum:* notabat, *Miser populus, cuius Principes iniqui sunt, & quorum seniores peruersi, quia multi falsi testes in eorum nunquam desunt concilijs: nam princeps qui libenter audit mendacia, omnes ministros habebit impios.*

Matt. 26. 60.

Ibid. ver. 59.

Paschas. in c. 26. Matt.

CIRCVLVS VIII.

Principes boni, vel mali reddunt populos, vel beatos, vel damnatos.

8 PRo coronide hic addatur Platonis effatum, qui duo exemplaria, eaque nimium diuersa proponit, nempe vnum diuinũ, miserrimum vero alterũ, vnde & diuersi redduntur, qui diuersam à diuersis viam insistunt, vel vitam instituunt, *Cum in rerum ordine exemplaria duo sint, diuinum quidẽ beatissimum, quod vero Dei expers miserrimum: non videntes rem ita se habere, stultitia extremaque dementia occupati, latenter huic quidem similes ob actiones iniquas reddũtur, illi contrà dissimiles.* Nec ego exemplaria tam dissimilia noui, quæ possint Principi vel diuino, vel diabolico æquari, vnde populus imitator huius, vel illius, aut damnatur, aut beatificatur. Valeat ad hoc probandum Egisippi gnoma, *Sicut enim boni Principis vita probitatis quadam præscriptio, & per vniuersos viuendi forma est: ita Imperatoris colluuio, lex flagitiorũ est.* Obseruanda sunt verba vtriusque exemplaris. Exemplar boni Principis est præscriptio, quod nomen, vel significat præceptum, vel aliquid propositum, dum enim in Principe forma viua probitatis prætcribitur, proponitur subditis, quasi sub præcepto imitanda. E cō-

Plato in Theæteto.

Egesippus lib. 2. de excidio vrb. Ierosolym.

tra, Imperatoris colluuio, dũ eius vita scelerum sordibus scatet Lex est flagitiorum, nam cogunt subditos etiam ad sordes Principis recipiendas, leges enim sic constringunt hominum vitas, vt Principis quasi animatæ legis sequãtur exẽpla, eisque obsequantur. Tunc, tũc moriuntur virtutes, viuunt vitia, voluptas effluit, honestas perit, misericordia deficit, abundat auaritia, regnat confusio, succumbit ordo, prosternitur disciplina, surgunt Sathanæ cohortes, ordinãtur diaboli legiones, debellantur populi, vastantur Gentes, orbis ducitur captiuus, & nullus per se potest tot malis, totque calamitatibus obuiare mortalis. Sed in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptas redigitur in Theatrum, dũ luxus soluit, libido stimulat, pompa rapit, impellit ambitio, vrget ira, furor implet, succẽdit inuidia, cupiditas inflammat, curæ solicitant, lites vexant, lucra capiunt, vsuræ vinciunt, chirographa ligãt, elidit aurum, & omnia in pessum ruunt. Talis est vis malorum Principum, & tantæ potentiæ pestiferi Antistitis exemplar.

CAELI DAVIDICI VERSIO DECIMAOCTAVA.

Ex Aquila, & Hieronymo, Et in Cathedra derisorum, vel illusorum non sedit.

CIRCVLVS I.

Beatitudinem Dauid sub præterito describit, quia nescitur vitę finis.

1 INitium vniuersale pro hac particulari versione sumamus ex eo, quod Psaltes præterito vtitur tempore in Beati felicitate describenda, nõ autem præsenti. Vnde Ambrosius sic quærit, *Quid sibi vult, quòd maluit dicere, Non abijt, & non stetit, quasi de præterito: cùm potuerit dicere, Beatus vir qui non abit in consilio impiorum, in via peccatorum non stat, & in cathedra pestilentiæ non sedet?* Et respondet statim, *Vide dogma, Non enim statim beatus, qui non est impius, aut peccator, propter incerta exitus. Ergo dum in hac vita quisquam est, non potest definita prædicatione laudari, qui petere adhuc possit errari. Ille autem qui vitam sine offensione concluserit, iure beati appellatione dignus censetur, quia vtitur consortio beatorum.* (Ambros. in enarr. in Ps. 1. Dauidicũ.) Interrogatus quomdam Epapinonda, Quemnã arbitraretur Ducem præstantiisimum, seipsum, an Chabriam, an Iphicratem? *Ita distinctè respondit, Id iudicatu perdifficile est donec viuimus.* (Ex lib. 5. Apopht. vbi de Epaminõda nu. 23.) Sciebat enim quòd deambulatoria eiset humana voluntas vsque ad mortem, & quod posset quis vel ad dexteram virtutum ire, vel ad vitiorum leuam declinare. Beatus ergo & dicitur, & verè est, qui in cathedra derisorum vel illusorum non sedit. Beatus est paterfamilias, qui liberos ita instruit, vt liberi a vitijs sint, & caueant sibi à primis noxis, ne in plura deinde grauiora prolabantur.

Et è contra damnati, vt cum Ambrosio loquar, *Quotiens inter fabulas ebriorum virtutes probro sunt, peccata laudi, bonestas ludibrio, cõtinentia risui, misericordia vanitati. Isti enim sunt morbi, qui mala sua in multos transferunt: & à paucis* (Ambros. ibidem.)

cor-

corruptela ad omnes peruenit. Qui irridendo bonos, plurimorum animis operatur errorem, mentesque corrũpunt. Paueant parentes, qui tali imbuunt pueros disciplina, vel illos errantes non arguunt, ne iusto Dei iudicio ipsi iam senes sic in pueris puniantur, sicut in illis peccare dicuntur. Minatur Deus extremas pænas Heli, & cum eo solo loquẽs, in plurali conqueritur, *Quare calce abiecistis victimam meam?* O iuste Iudex si in hoc non pater, sed filij peccauerunt, quomodo patrem accusas, & patrem damnas? Quia filiorum errores parentibus imputantur. Talis fuit Gregorij admonitio, *Notandum quod plurali numero dicit, Calce abiecistis victimã meam, vt non tantum ad Heli quod dicit, sed ad filios peruenire videatur.* Hæc mala præcauens Iob, *Offerebat holocausta pro singulis filiis, dicebat enim, Ne fortè peccauerint filii mei.* Vbi acutè obseruat Chrysostomus, *Si pro occultis filiorum sacrificabat quanta eos solicitudine in manifestis debebat corripere?* *Non dixit, Relinquam eis patrimonia: non dixit, gloriam eis conferam: nõ ait, principatum emam, agros, acquiram. Sed quid? Ne forte cogitauerint aliquid in corde suo. Quanam illorum vtilitas, nihil hic manentium? Omnium, inquit, Regem eis reddam propitium, & nihil eis amplius deerit, Dominus enim pascit me, & nihil mihi deerit.* Si hanc Eli legem seruasset, non ipse simul cũ pueris perijsset.

1.Reg.2.29.

Greg. Papa lib. 1. moral. cap. 4.

Iob. 1. 5.

Chrysost. hom. 69. ad Populum Ant.

CIRCVLVS II.

Pueri ab Vrsis deuorantur, ob mysterium, & vt in ipsis parentes puniantur.

2 QVærunt sacri Doctores, cur iustus Iudex ad pueros dicentes Eliseo, *Ascende calue, ascende calue*: non Leones, non Pantheras, sed Vrsos miserit lacerandos, *Egressique sunt duo, Vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis, quadraginta duos pueros?* Isidorus ad mysterium occurrens, in Eliseo, Christum Saluatorem nostrum: in pueris, Pharisæos & scribas: in verbo Calue, Caluarium: in ascensu Elisei, Redemptoris assumtionem in cælum: in duobus Vrsis, Titum & Vespasianum: in quadragenario numero paruulorum, annos quadraginta post Christi ascensionem: in eorum laceratione, ciuitatis excidium agnoscit. Sic enim habet, *Eliseus solus Dei is est, qui Saluator vocatur, cui illudunt Iudæi, quia in caluariæ loco assessurus erat in crucem? Sed Christus postquam ascendit in cælum, sicut Eliseus ascedit in Bethel, id est, in domum Dei, quadragesimo secundo anno immisit duos versos de siluis gentium, Vespasianum scilicet & Titum, qui, eos crudeli strage deiecerunt, sicquè sanguis eorum effusus est, vbi Dominum suspenderunt.* Sed in littera sistendo, non apparet modus, quo pueri parui ante vsum rationis possint à iusto Iudice ad mortem damnari, cùm id a legibus etiam ciuilibus caueatur. Respondet ergo Lyranus id factum a Deo, vt in filijs parentes punirentur, qui eos iustorum irrisores & illusores, & verbis instruxerunt & exemplis. *Edocti ad hoc & incitati a suis parentibus idolatris, vt subsannarent Prophetam Domini, & ideo maledixit eis, vt parentes eorum in ipsis punirentur, & vt malitiam parentum amplius non imitarentur.*

4.Reg. 2. 23.

Isidor. relatus à Glosa ord. hic. & idem habetur in Abul. hic q. 41.

Lyran. hic.

CIRCVLVS III.

Vrsi pueros lacerant derisores, vt damnent parentes, qui lingua eos informes reddunt.

3 DIogenes, cùm puerum casu conspiceret indecore se gerentem, zelo incensus, pædagogum illius & verbo correxit & baculo,

Ex lib. 3. Apopht. vbi de Diogene num. 224.

culo, ita dicens, *Quare sic instituis?* Indicans primæ ætatis formatoribus potissimum imputandum esse, si adolescentes aut bene instructi, aut male euadant morati. At Pater humani generis ob malos paruulorum mores, non parentes punit, sed filios. Sciës illos in his multo grauius, quàm in seipsis puniri.

L. isti quidē ff. de eo q metus causa

Nec mysterio vacat non traditos esse pueros vel Leonibus, vel Pantheris, sed Vrsis deuorandos, vt ea lege, qua in Titulo Crucis causa damnationis inscribi solebat, in lingua Vrsi scripta legeretur. Nam licet Vrsa insidians sit, & impia, adeo tamē cum filiis redditur pia, vt informes lingua reformet, sensus aperiat, membra distinguat, similesque parentibus partus reddat. Istorum autem parētes, immo peremptores, etsi homines, hominis naturam exuentes, natos, non quæ homines decent, sed quæ fidelibus dedecent, & quę paganorū vel dæmonum similitudinem exprimunt vel dedocent, vel docent. Huius feræ exemplo sic efferos arguit Ambrosius genitores, *Vrsa insidians licet, vt scriptura ait, est enim plena fraudis fera: tamen fertur informes vtero partus edere, sed natos lingua fingere, atque in speciē sui similitudinemque formare. Non miraris in fera tam pÿ oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrsa igitur partus suos ad sui affingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui non potes?* Sed parce mihi, o Ambrosi, si audeo dicere, Immo sui similes instruunt, illusores enim cùm sint & derisores, derisores, & illusores per oris ministerium reddunt & filios, vnde fit, vt qualis pater, talis & filius, & prouerbium impleatur, sicut mater, ita & filia eius. Quapropter non otiosè notatur à Scriptura, quòd Eliseus, *Cùm aspexisset, vidit eos*: nedum ob ea, quæ ait Abulensis, *Quia aspexit ad eos vultu irato*: Sed quia in eis, quasi in speculis, vidit parentum imagines irrisorum: & ipsi pro peccato parentū puniti sunt, vindicante Domino scelera patrum in filios.

Ambros. li. 6. Hexæmeron. c. 4.

Abulens. in cap. 2. lib. 4. Reg. & q. 41 ibid.

CIRCVLVS IV.

Quomodo non laudandus homo in vita, quia in filijs agnoscitur.

4 PRæceperat Ecclesiasticus, & Deus per eum, *Ante mortem ne laudes*, vel ex Græco, & Hieronymo, *Nè beatifices, neue beatum iudices; vel dicas hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir*. Sed quis non miretur suspendi cuiuslibet hominis laudes, nec laudari, vel beatificari nisi eos, qui filios habent optimos? Quid ergo de Eunuchis erit ab Isaia celebratis? Quid de Virginibus cantantibus canticum nouum ante sedem Dei & Agni? Respondet Rabanus in filiis opera figurari, & in illis homines laude dignos iudicari, *Quoniam in filÿs vir agnoscitur, hoc est, ex bonis actibus hominis, meritum illius probatur*. Sed magis ad literā Ambrosius, quia in filiis miseris vel felicibus, & maximè piis vel impiis, cognoscitur institutio bona vel mala parentis, & eius felicitas tum mundana, tum diuina, *Vnusquisque enim in filiis suis æstimatur, si bene filios suos instituit, & disciplinis salutaribus erudiuit. Si quidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum*. Quod clarè notauit Gregorius, cū de Heli reprobatione loquens dixit, *Magnus nobis timor incutitur, quia Heli filiorum culpa damnatur, cuius peccata propria nulla referuntur*. Cum ergo pater viuat in filiis, non debet laudari nisi post mortem, dum viuens apparet in filiorum virtute. Per ea autem, quæ Iansenius addit, *Non tantum ex filiorum vita agnoscitur vita patris: sed etiam secundum veteris testamenti Scripturas, ex felicitate, & benedictione diuina, qua parentes sibi gratos fuisse posteris declarat*. Tanti enim Rex regum facit parentes pios, vt ob eorū merita, etiā filios beneficiis cumulet.

Eccli. 11. 30 Græcus. Hieronym.

Raban. hic.

Ambros. in lib. de bono mort. c. 8.

Greg. in lib. 1. Reg. c. 3. lib. 2.

Iansen. in c. 11. Eccli.

CIR-

CIRCVLVS V.

Libri sunt specula & liberi, in quibus parentum apparet bona vel mala imago.

5 DRachianus Abbas tale speculum monacho proponit, *In quo seipsum contemplari, & pulchra deformiaque sua exactè prospicere possit: huiusmodi autem liber fuit, cui nomen imposuit, speculum monachorum*. Parentum verò libri, liberi sunt, in quibus, tāquam in speculis, ipsos contemplari, & pulchra deformiaque exactè perspicere possumus. Quod autem ita sit, clare apparebit per ea, quæ Auctor operis imperfecti perfectè obseruat circa verba Matthæi, *Roboā autem genuit Abiam*. Supponens enim Abiam, idem significare, ac Pater meus veniens: subdit, quòd in filio videtur renasci, quasi in speculo viuo, patris imago, vnde sic loquitur, *Roboam genuit Abiam, Abias autem interpretatur Pater meus veniens, vel Patris mei hic. Forsitan hic Abias similis natus fuerat patri suo in corpore, ideo appellauit eum, Pater meus veniens: quasi alter pater veniens, alter pater nascens. Vel Patris mei hic, quasi Patris sui esset imago. Prouidentia autē Dei sic ordinauit eum vocari, quia sicut Roboam capit rectè, postea autē exijt peccator in* Deum, *sic & Abias*. Ita malum exemplar, malum representauit & speculum. Idipsum & de filiabus cum matribus euenit, qualis enim mater eam respicit, talem & imaginem in ea imprimit, vnde, *Prouerbium vulgo dicitur, sicut mater, ita & filia eius:* vbi & notat Procopius, *Particularem rationem esse in filiabus, quia diutius ac crebrius cum matre conuersantur, quàm cum patre filij*: & cecinit Iuuenalis,

D. Drachiā Abb. in speculo Mona. in principio

Matt. 1. 7.

Auctor operū imperf. in Matt. ho. 1

Ezech. 16. 44

Procop. hic.

Iuuenalis.

Scilicet expectas, ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quàm quos habet? Vtile porro
Filiolam turpem vetula producere turpem.

Et Ambrosius de Herodiadis filia rectè infert, *Quid potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris?* Abrosius.

CIRCVLVS VI.

Filios bonos ex malis, vel malos ex bonis parentibus nasci, miraculo adscribitur.

6 ID quidem lege communi euenire cernimus in ordine naturæ, vt sicut ex fructu cognoscitur arbor varia, ex bono bona, & mala ex non bono: sed sæpe ars inoculans vel inserens surculum bonæ in mala, ex malis reddit fructus, cum admiratione, bonos; Ita, communiter dicitur, & videtur, ex malis parentibus malos oriri partus, & Adagium est, *Mali corui malum ouum*. Si tamen aliquando oppositum euenit, id miraculo diuinæ potentiæ est ascribendum. Nō est meum inuentum, sed eiusdem Authoris, *Naturæ regula dicitur, quòd non potest fieri vt de bonis parentibus mali nascantur filij, aut de malis boni: sed quales fuerunt parentes, tales erunt & nati, quia sicut arbor per fructum cognoscitur, & fructus per arborem demonstratur: sic parentes cognoscuntur in filijs, & filij per parentes. Ecce regula humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos: aliquando autem, Vt manifestentur opera Dei, nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos omnino non habens, vt in Euangelio scriptum est: sic homo extra regulam naturæ raro procedit, vt dissimilis nascatur parentibus suis*. Quis ergo neget, dum hæc pro manifestatione operum Dei, tam raro fiunt, miraculo esse adscribenda, cùm fiunt, sicut de Coræ filijs dictum est, *Et factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij illius non perirēt?*

Adagiū, ex Aristophane in Fucis.

Auctor ope. Imper. in Matt. ho. 49.

Numer. 26 10.

Mi-

Lyran. hic.

Miraculum autem fuit, si Lyrano præstatur fides, *Quod quando terra aperuit os suum, & deuorauit Core, filij eius remanserunt stantes in aere, diuina virtute, quousque terra fuit iterum clausa sub pedibus eorũ.* Si caussam quæras, redditur ab Oleastro, *Quoniam non fuerunt participes criminis.* Vbi duplex miraculum videri mihi videor, primum, liberos non fuisse participes in culpa genitoris: secundum, non luisse pœnas cum eo. Hinc idem Auctor bonos malorum parentũ filios & cautos reddit & lætos: lætos, quia non cum ipsis punientur: cautos, ne ipsos imitentur. Vnde subdit, *Est magna filiorum consolatio, si sciant se non daturos pro parentum sceleribus pœnas, nisi sint eorum in malo imitatores.*

Oleaster in in 1. annot. super c. 26. Exodi.

Idem ibid in 2. Adnot.

CIRCVLVS VII.

Quale semen est doctrinę liberis datæ, talis & fructus erit.

7 NAturæ ergo ductu ad educandos filios parentes incumbere tenētur, vt Philo docet, dum dicit, *Hoc natura docet absque præceptore, vt nati curæ sint Genitoribus.* Ad munus autem tale vtiliter, ac laudabiliter exequendum, tres adiutrices debent aduocare parentes, nempe, Naturam, Disciplinam, & Exercitationem. Quod totum Plutarchus demōstrat proposita similitudine agriculturæ, ait enim, *Quemadmodum ad agriculturam, primùm requiritur bonum solum, deinde peritus colonus, denique semina frugi: Ita hic natura solo, agricola magister, semini præcepta atque instituta respondent. Sane beatus, dijsque acceptus est, cui Deus ista omnia tribuit.* Et quidem natura potest exercitatione corrigi, si tamquam periti coloni suo munere parentes fungantur. At semen institutorũ nulla queũt arte emendari, cùm vera sit paræmia, *sicut sementem feceris, ita & metes:* & verissima tum Apostoli sententia, *Quæ seminauerit homo, hæc & metet:* tum Archiepiscopi Cantuariensis glossa, *Quæ seminauerit metet, siue bona siue mala.* Si spinas seminas vitiorũ, spinas metes malorum: si vero virtutum risum, risum leges virtutũ, vnde & Sara dicebat, *Risum fecit mihi Deus, quicumque audierit corridebit mihi:* quasi diceret, ex Lyrano, *Materiam exultationis fecit mihi in partu prolis concepta supra virtutem natura, & quicumque audierit gaudebit de Dei bonitate. Et maxime hoc dicitur, quia de Isaac nata est Beata Virgo, quæ per Filiũ suum gaudium attulit vniuerso mundo.*

Philo in li. de Temulētia.

Plut. in comment. de liberis educādis.

Adagium.

Ad Gal. 6. 7.

Anselm. hic

Genes. 21. 6

Nic. de Lyra hic.

8 Audi Chrysostomum te, ò pater familias tenere admonentem, efficaciterque suadentem, vt hoc morum optimum semen in agro cordis filij tui mane seras, si cupis maturorum morum fructus metere sero. Sic enim nunc te interrogat, *Vis filium tuum esse morigerũ?* Et nunc te monet, *Ab initio eum educa in eruditione & correptione, neque superfluum putes si diuinas scripturas audierit, nam in illis post Dei cultum, hoc primùm audiet, Honora patrem tuum & matrem tuã.* Vbi obseruanda est Philonis adnotatio, quòd post præcepta de honorando Deo in prima tabula legis exarata, in confinio præcipitur, Habeas in honore parentes, *Quia parentum natura videtur immortalis & mortalis essentiæ confinium: mortalis propter corpus corruptibile: immortalis vero, quia gignendo refert Deum genitorem omnium.*

Chrysost. hom. 21. in c. 6. ad Gal.

Philo Heb. in lib. de decalogo.

CIRCVLVS VIII.

Bene natis turpe est male agere, quia à parentum luminibus arguuntur.

9 EO nexu, quo tres Gratiæ amicas manus inuicem extendebant gratæ: eodem vbi summus Genitor immortalis inuisibi-

lis manum extendit ad mortales visibiles genitores: ita genitores ad genitos & geniti ad genitores teneantur sic extendere amicas manus, vt à genitoribus geniti in bonis manu ducantur, & geniti genitoribus in omnibus obsequantur. Hinc Doctor gentium nunc parentes monens, nunc liberos instruens, ita illos docet, ita his iubet, *Filij obedite parentibus vestris in Domino: & parentes educate illos in disciplina, & correctione Domini.* O mirabile magisterium, o cælestem doctrinam, qua omnia præcepta de filiorum educatione in duobus tantum præceptis, in obedientia scilicet liberorum, & in exemplis genitorum recapitulantur. Sic ergo breui sermone sed graui monitu omnia cōcludit Apostolus, Non multis præceptis adolescentulos filios onerauero, sed omnes præceptiones hoc cōpendio concludam, vt sicut relatiui sunt patres & filij: ita & patres bono exemplo eis præcant, & filij obsequentes imitando sequantur: nam eorum lumina sequentes, impossibile est, vt honesti spatio, curriculoque exorbitent, Valeat pro hoc doctrina explananda celebre Prouerbium, *Benè natis turpe est male agere.* Sicut enim qui malè agit lucem odit: ita filij obscuro loco nati, in obscuro enutriti solo, non erubescunt agere mala: at benè nati, quibus lumina genitorū dirigunt iter, si male agant, confunduntur, nam à circumstante lumine arguuntur. Audiatur Chrysologus hæc illuminans. *Inter propinquorum lumina non valent delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucerna. Dies est aspectus matris, sol patris rutilat in vultu. Vnde viuenti inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt.* Si autem, casu, propinquant, ab exorta erubescētia propelluntur, & sub parentum tutela custodiuntur. Vnde idem Chrysologus, *Sepiat nos paterna reuerentia, matris componat affectio; cognatorum custodiamur affectibus.*

Ad Ephes. 6. 1.

Adagium.

Chrysolog. serm. 1. de duob. filijs.

Chrysolog. ibidem.

CIRCVLVS IX.

Mensa Patris debet alere filios virtutis cibo.

10 QVæres apud quos genitores hæc lumina splendeant, & à quibus liberi hanc recipiant disciplinam? Vtique ab illis, a quibus etiam in mensa ea lege aluntur, vt potius virtutis alimonia, quàm cibo sic nutriantur, vt nec verbum fas sit audire, nisi ad salutem spectans, a vitijs abducens, ad virtutem dirigens, ac tendens ad gloriam. Hanc haurire doctrinam a præmonstrato Archiepiscopo Rauennate, *Mensa patris nos alit virtutis cibo, salutis epulo, delicijs honestatis, & gloria.* Sic, sic, mensa terreni patris, cælestis parentis imitetur mensam, cui antequam dicamus, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie:* id est, Vel ex Hieronymo, *Da nobis peculiarem, egregium, & præcipuum panem, nempe illum, qui dicit, Ego sum panis viuus:* Vel ex Augustino, *Da nobis præcepta diuina, quæ quotidie oportet meditari, & operari:* præmittimus, *Pater noster qui es in cælis:* Idque ne dum ob gratitudinem beneficij, sed etiam, vt Chrysostomus docet, ob imitationem exempli, *Propterea & illum orantes, Patrem vocamus, non solum factam nobis remunerantes gratiam, sed vt nos ipsos ad virtutem admonentes, ne quid tali indignum committamus.* O felices filij, qui a talibus nutriuntur parentibus. Infelices vero, qui ab adeo malis instruuntur, vt sicut aliud idioma non norunt, quàm patrium: ita alium sermonē vel nō intelligant, vel loquātur, quàm iniquum, vnde possint meritò conqueri, *Verba iniquorum præualuerunt aduersum nos:* Nam teste Augustino, *Quid faceret puer natus inter paganos, vt non coleret lapidem, quando illū cultum insinuauere parentes, inde prima verba audiuit, errorem cum lacte suxit?* Idem dicā & ego, Quid faceret puer, qui in domo concu-

Idem ibid.

Matt. 6. 11.

Hieronym. hic.

August. relatus à D. Th. in catena super cap. 6. Matt.

Matt. 6. 9.

Chrysost. homil. 19. in cap. 11. ad Rom.

Psal. 64. 4.

August. hic.

binarij commoratur, in mensa nō audit nisi blasphemias, colloquia mala? vtique malus erit. At beatus est, qui in cathedra derisorum non sedit.

CIRICVLVS X.
Pater ob peccata filiorum punitur.

Psal. 18.13. 11 ORabat Psaltes, & enixè petebat à Deo, *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo:* Nā, vt docet Euthymius, *Nouerat Reges, parentes, & dominos obnoxios esse subditorum, filiorū, seruorumque peccatis.* Nouerat quidem, sciens ob filiorum peccata Heli fuisse damnatum, *Cecidit enim de sella retrorsum iuxta ostiū, & fractis ceruicibus mortuus est.* O pænæ & culpæ æqua nimis proportio. Non moritur in sella sedens, sed de sella cadens, vt qui filios probè non instituit, magisterij cathedra indignus conseretur. Non cadit in faciem, sed in tergū: vt qui filiorum scelera, vt par erat, non aduertit: quo ipse tandē rueret, ignoraret. Ceruices fregit ex ruina caputque in pauimēto illisit: qui filiorum ceruices indomitas non fregit & proprium patris officium in administranda familia contempsit, vt per quæ quis peccauit, per eadem puniatur. Paueāt ergo, maximeque terrantur parentes, ne eorum saltem incuria filij pessimi ruant: nam si ob filiorum mala & crimina, absque personali vitio ac reatu, Heli reprobatus est, atque damnatus: quid fiet de ijs, quorum exemplo, doctrina, & forsan pręcepto, filij præcipites in mala ruunt, & irreparabiliter dānantur?

Euthymius hic.

1. Reg. 4. 18.

CIRCVLVS XI.
Quomodo parentes debeant instruere & amare filios.

12 DIuinus Plato videns, & lugens parentum vires inanes, improbos magnosque in requirendis diuitijs labores, & filiorū educationem, vbi maior requirebatur cura, vbi & maior exhibenda erat diligentia, miserabiliter negligere, taliter illos instruens, loquebatur, *Non video vbi maiore diligentia opus sit, si quis mentem modo habet, quàm vt filium optimū reddat.* Petes, quomodo pater se, quomodo & filium optimum reddere possit? Dicam pauca, sed salutaria: expedita, sed sancta: præcepta parua, sed fructu grandia: scripto breuia, sed beatitudine sempiterna, & concludam in paruo vtre non aquas maris, sed omnia mandata ad instruendos filios necessaria, vt *Ponat thesaurum suum in præceptis Altissimi.* Ibi ergo duo thesaurorum genera, & sibi, & filijs condat. Nec thesauros hosce ex mea inuentione, sed ex Saluiani institutione depromam: sic enim parentes admonet, sic eos docet, repetens præceptū Christi. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate autē vobis thesauros in cælo: vnū scilicet, quo filijs thesaurizāt patres, aliud quo sibi. Filios vt erudiant illos officio ac timore diuino: sibi, vt thesaurizant sibi thesauros in cælo. Mirificè scilicet, vt quia pecunia caduca est, disciplina immortalis, & omnes fermè parentes plus ament filios, quàm seipsos: si bi conferant bona caduca, filijs sempiterna. At si & pietati sua consulant & saluti, eum duplici atque immortali bono, & per ea quæ æterna sunt, æternos esse filios suos faciant: & ad conquirendā sibi beatitudinem ea, quæ naturaliter caduca sunt, bonis omnibus in æterna conuertant. Quid ergo æstuas paterna pietas, quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? Nihil maius præstare filijs potes, quàm si hoc bonum per te habeant, quod numquam penitus amittant. Non necesse est ergo vt filio tuo terrenos thesauros recondas, nulla re eum facies ditiorem, quàm si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris.* Si vero oppositum egeris, & thesaurum pones nō in præceptis Altissimi: thesaurizas tibi & sibi irā in die iræ.

Plato in Theages vel de Sapiētia.

Eccli 29.14.

Saluianus Epis. Massiliensis lib. 1. de Ecclesia Catholica.

CAELI DAVIDICI
VERSIO DECIMANONA.
In Psal primi, Versus Primi, Part. quartam.

Ex Symmacho, In cathedra insidiatorum, vel impostorum non communicauit.

CIRCVLVS I.

Insidiatores & impostores in cathedra sedentes ij sunt, qui vindictæ leges dant, & docent.

1 DE impostoribus in cathedra sedentibus ac legem vindictæ dantibus, verba facturus, non aliunde initium dicendi sumam, quam ex ijs, quæ Vulpianus circa medicos statuit, qui salutis hominum curam agunt. Vbi iam exposita peritorum officia, qui vel totius, vel *Alicuius partis corporis sanitatem pollicentur* : subdit, *Non tamen si incantauit, si imprecatus est, si, vt vulgari verbo impostorum vtar, exorcizauit, non sunt ista medicinæ genera: tametsi sint, qui hos sibi apposuisse, cum prædicatione, affirment.* Cum enim afferat Plato, *Medendi artis atque dicendi eadem fermè ratio est: & in vtrisque partiri naturam oportet, corporis quidē in vna, in altera animæ: si modo non exercitatione tantum & vsu, verum etiam arte corpori medicinas & alimenta ita sis prabiturus, vt & sanum & robustum efficiens: animæ autem per rationes legitimasque institutiones persuasionem affatim virtutemque adhibiturus.* En proponitur nobis iniuriam passus, & in animo infirmus, ad cuius morbi curam varij oratores, quasi medici cordis, in collegium adunantur. En ergo, hinc impostores incantationibus adhibitis, insidiatores fiunt vitæ illorum, a quibus iniuria orta est, vt saluti consulant iniuriam passi: inde perfecti medici & oratores, qui æquo animo, alacri spiritu, & inuicto corde docent iniuriam sustinere. Rectum iudicium iudicate, auditores. & videntes hinc impostores, medicos inde, qui certatim huius infirmi curam agunt, sententiam ferte, & decernite cuinam ex eis sanantis laus debeatur, & merces. Sed regium iam emanauit decretum, & in rem transijt iudicatam, immo & tubis personantibus sic decantata est, *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua, omnia mandata tua veritas.* Si autem glosam eius textus exquiritis, Ambrosium adite, ipsum audite ita interrogantem, *Quæ præcepta, nisi illa, si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Huic ergo infirmo in persecutione posito, medici incantatores impostores deceptoresque fabulationes narrant, cum vindictam de persecutoribus male decepti decipiunt, docentes in tali nisu in tali noxa, vltionem requiri, vt in theatro publico a parentes victores, fortes iudicentur, coronas obtineant, & gloria munerentur. Sed fabulationes sunt, veneficia sunt, venena sunt, & non medicamina sana. Opposita autem remedia proferunt veri medici, & adhibent oratores sani, ex diuinorum præceptorum pharmacopola desumentes salutaria medicamen-

L. 1. §. medicorum quoque ff. de varijs & extraord. cognition.

Plato in Phædro.

Psal. 118. 85

Ambros. serm. 11. in Psalm. 118. ver. 6.

ta, & ex veritatis apotheca documenta haurientes vtiliora, & viciniora saluti. Audi medicamentum mutæ patientiæ a Tertulliano ordinatum, *Omnis iniuria, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiei libratum, & obtusum.* Immo telum sic excussũ, & tibi non nocens, inimico nocet, redit enim ad illum, vnde Seneca, *Malè de me loquuntur homines? non de me loquuntur, sed de se.* Telum enim detractoris redit ad detrahentem.

Tertull. lib. de patientia cap. 8.

Seneca in lib. de Remedijs Fortunæ.

CIRCVLVS II.

Inimicorum laquei cum silentio effugiuntur.

2 DVm impostores, venatorũ æmuli, escã vindictæ dulcis incautis exhibent, & sub illa mortiferum vel abscondant laqueum, vt capiat: vel hamum vt necent: euadet nemo hamum, laqueum nemo effugiet, nisi qui os non aperiet, nec deceptoribus respondebit: respuens enim verba, victor euadit, & Danti victoriam, ac Deo liberatori, triumphalem sic cantat hymnum, *Ipse liberauit me de laqueo venantium, & a verbo aspero*: Vel cum Symmacho, *Ab irritationis verbo*: Vel cũ Ambrosio, *A perturbationis verbo.* Glorietur, & ipse cũ Amb. dicatque, *Interdum mihi quasi escam proponit vindictæ possibilitatem, vt dum vindicari cupio, ipse me inseram laqueo, & nodum mortis adstringam mihi.* Is ergo, qui laqueum ostendit, salutare addit euadendi consilium, *Si quis ergo hunc aduersarium sentit præsentem esse, tunc magis custodiam adhibere debet ori suo, ne det locum aduersario.* O nouum triumphi genus, tacendo vincere, & cõtemnendo superare, *Si enim taces, plus rumpitur, victum se reputat, irrisum post habitum, & illusum: & dicitur, ille conuiciatus est, contempsit iste.* Cum Porus Rex regium canem Alexandro donasset, decreuit Alexander doni dignitatem experimento probare, ad certamẽ admouit cum Ceruo primùm, at ille contempsit pugnam. Adhibuit & Lupum concertatorem, nec Lupum inuasit. Cumque non canis generositati, sed pusillanimitati spiritus Monarcha adscriberet, iussit occidi, & Porum de occisionis causa reddi certiorem. Ægrè tulit Porus, luxitque mortem canis, qui alterum tantum reliquit successorem, & hunc superstitem Principi transmittens, naturam & viui, & mortui sic depinxit, quòd confligere cum feris communibus non dignarentur, sed tantùm cum Leonibus & cum Vrsis, & cũ Vrso, & cum Leone in theatrum ductus, & Leonem interfecit, & Vrsum occidit. Ita & Christianus, quasi regius canis, vel timidos Ceruos cornibus conuitiorum prouocantes, vel famelicos Lupos famæ detrahentes nihilipendit, despicit, contemnit. Vrsum verò, id est, propriam carnem: & voracem Leonem, id est, diabolum fortiter inuadit, superat generosè, & cum summa gloria de illa palmam, de hoc triumphum reportat. Nonne regij canis specimẽ cernere licet & iubet in manu forti, qui Saulem, & Semei oblatrantes, ac persequẽtes, ne dum non est persecutus, sed quasi mutus & surdus vel se non audire simulabat, vel mala pro malis nõ reddebat? Gloriabatur autẽ & valdè, de Vrso interfecto, & de Leone occiso, vnde, & dicebat, Nam Vrsum, & Leonem interfeci. Talis est victoria, & gloria talis eius, qui, vt philosophatur Ambrosius, hoc nouo vincendi genere, tacẽdo superat, immobilis permanet, inuictus triumphat, dum, *In petra fixum vestigium tenet, & si seruus conuicium dicit, Iustus tacet. Si pauper criminetur, Iustus non respondet. Hæc sunt arma Iusti, vt tacendo vincat.* Et quia prouocatus ad pugnam, electionem habet armorum: dum persecutor te prouocat, habens in ore verborum

Psal. 90. 3.

Symmach.

Ambros. lib. 1. offic c. 4.

Ambros. ibid.

Idem ibid. cap. 5.

Idem ibid.

lan-

lanceas, & conuiciorum sagittas: tu sume scutum silentij, & patientiæ galeam assume, vt valeas omnia tela ignea inimici extinguere. Quæres fortasse, ex quo armario pendent hæc arma, & vnde poteris illis instrui? En eminentiorem viã tibi demonstro, per quam ad armarium peruenire possis, talis enim est caritas. Sicut ex communi prouerbio dicebatur, & dicitur, *Amor amore pellitur, sicut clauus clauo:* Ita & nos asserere possumus, Dei amore vindictæ amorem pelli, sic enim visum est Esaiæ Abbati, dicenti, *Qui Deum diligit, vindictam non appetit: est enim in Deo, & Deus in illo, vnde inimicos non habet, non incredulitatem, non perturbationis laborem, non rei suæ usquam cupiditatem. Hæc est illa caritas, quam nos Dominus Iesus docuit omnibus exhibere.* Sicut enim omnes virtutes in theatrum ducens Apostolus, caritati super omnes premium & palmam tribuit, dicens, *Maior autem horum est caritas:* Sic a Marco Exercitatore iniuriarum condonationi super omnes virtutes corona datur, dum nos docet his verbis, & monet his dictis, *Quamobrem, vt de omni re summatim dicam, debemus posthac condonare ei, qui quempiam offendisse videtur, iusta, vel iniusta sit offensio: certò scientes, condonandi virtutem, quacumque virtute præstantiorem esse.*

Adagium.

Esaias Abbas orat. 22. de operibus homin. nou. & in or. 24. de tranquillitate.

1. Cor. 13. 13

S. Marcus Exercitator in consultatione intellectus cum sua ipsius anima.

CIRCVLVS III.

Condonatio conseruat in homine imaginem Dei: vindicta, in belluam illum transformat.

3 O Condonandi virtus verè diuina, tu, tu in homine seruas imaginem Domini virtutũ, vbi vindictæ virus imaginem Dei commutat in bestiæ characterem, predamque reddit principis bestiarum, de quo nos admonens Apostolorum Princeps dicebat, *Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiẽs, circuit quærẽs quem deuoret.* De Leonũ natura Naturę Secretarius testatur: *In senecta homo appetiturab illis, quoniam ad persequẽdas feras vires non suppetunt. Tunc obsidere Aphricæ vrbes: eaque de causa cruci fixo, quia cæteri metu pœnæ similis absterrerentur eadem noxa:* At diabolus, qui numquam senescit, numquam grassatur in homines, nisi in illos, qui characterem bestiæ suscepere: qui exuta humanitate, ferociam induere: qui ira ardent, qui vindictam volunt: & isti ab illo superati deuorantur. Qui vero imaginem portat Crucifixi, qui dicit cum Paulo, *Christo confixus sum Cruci*: Leonem non timet, pacẽ cum omnibus seruat, & cælestes promissiones obtinet, *Ponam te sicut signaculum, quia te elegi*, nam ex Ambrosio, *Tunc accipiet in se signaculum Christi, id est imaginem Dei, vt sit ad imaginẽ, quoniam qualis cælestis, tales & cælestes, & oportet nos portare imaginẽ cælestis, id est, pacem. Vnde ab anima Christus petit, Pone me vt signaculum in brachium tuum, vt luceat pax in corde tuo.* Et iure ibi additur, *Quia fortis est vt mors dilectio.* Vides dilectionẽ vindictæ mortẽ dare, & vexillum cum pacis emblemate attollere, in quo legitur, *Vexillum eius super me amor?*

1. Pet. 5. 8.

Plin. lib. cap. 16.

Ad Gal. 19.

Aggæi 2. Ambro. li Epist. 3. e 12.

Cant. 8. 6

Cant. 2. 4. Pagnino.

CIRCVLVS IV.

Amor inimicorum in homine perficit similitudinem Dei.

4 DEstruit ergo amor Dei, & & amorem hominis in homine, & imaginem feræ, & bestiæ characterem, atque astruit in illo imaginem veri hominis, & similitudinem viui Dei. Cùm enim verum sit Philosophorum effatũ, Corruptio vnius, alterius generatio: dilectio tũc erit fortis, vt mors, quando adeo crescet, vt odio corrupto, & vindicta monstrifera de-

ſtructa, ad talem peruenit perfectionis gradum, vt per inimicorũ dilectionem aſſumat Dei ſimilitudinem. Sententia hæc ab Auguſtino eſt lata, *In quantum in te charitas creſcit, efficiens te, & renouans ad ſimilitudinem Dei, pertendit vſque ad inimicos, vt ſis ei ſimilis: quantum accedis ad ſimilitudinem, tantum perficis in caritate*. Vbi videtur gradus in ſimilitudine ſic formare. Cùm Deũ amas, incipis ſimilis eſſe Deo. Cùm teipſum amas pro Deo, magis accedis, & ſimilior eua dis. Cùm amas amicum, plus appropinquas, & plus aſſimilaris. Cũ vero amas inimicum, non datur Plus vltra in amore, & in ſimilitudine Non plus vltra. Sic Rabanus, *Quia perfectio dilectionis vltra dilectionem inimicorum non poteſt procedere, ideo poſtquam Chriſtus præcepit diligere inimicos, ſubiunxit, Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Hinc nos Clemens hortatur, *Multi in vnam cogi dilectionem per Monadicæ eſſentiæ vnionẽ feſtinemus*. Quaſi dicat, Sicut in diuinis, perſonarum diuerſitas reperitur, dum ea rum proprietates inter ſe diſcrepant, attamen tres perſonæ monadicam habent diuinam naturã: Ita & homines natura & ſtudijs diuerſi, monadicam eſſentiam pace & vnitate æmulentur, amore & vnitate imitentur.

Auguſt. in enarr. ſuper Pſal. 99.

Rab. Maur. in c. 5. Matt.

Clem. Alexand. in or. Adhortatoria ad Gentes.

CIRCVLVS V.

Dilectio fortis, vt mors, vltima linea eſt naturæ, & transfert ad diuinam ſimilitudinem.

5 MOrs, vt Philoſophi aſſerũt, eſt vltima linea rerum: at ego puto, Dilectionem ideo dici ſimilem morti, quia eſt vltima linea naturæ, vbi enim ad dilectionẽ peruenit inimicorum, tunc homo diligens deſinit eſſe homo, Filius Dei fit, Deus euadit. Hinc Dauid egrediens è ſpelunca, vbi inimico Saul ſic pepercit, vt ex Chryſoſtomo, *Plurimas tulerit martyrÿ coronas*: ſuadenti, vt infeſtum confoderet inimicum, dicebat, *Ne diſperdas Dauid in tituli inſcriptione*. Hinc enim titulum nouum nactus eſt omnes naturæ ſupergredietem fines. Ita Nyſſenus, *Quoties longanimitatis iſte pugil ob coronam huius victoriæ, à ſeipſo tãquam anagotheta prædicetur, quaſi præſtantior ſit virtute humana, & ſupra naturæ fines evecta*. Nec clarius poterat demonſtrare dilectionis fortitudinẽ morti ſimilem: quæ vltimam lineam naturæ humanæ eleuat ad diuinam. Idque non tacuit, addẽs, *Quando omnem licebat iram in cædem ſui perſecutoris exſaturare, neque ipſe manus ei attulit, & ei qui ad cædem feſtinabat, illud, Ne diſperdas, dixit, DEI DIGNA VOX, QVAE HOMINIS INTERITVM VETAT*. Vis vocem Dei audire, quæ hominis interitum vetat? *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: Dauid ergo Dei vocem profert, Dei vicem tenet, dum hominis interitum vetat, dum morti prohibet inimici*.

Chryſoſt. in hom. de Dauid, & Saule. Pſal. 57. 1.

Greg. Nyſſ. tract. 1. in Pſalmos.

Idem ibid.

Ezech. 18. 32.

CIRCVLVS V.

Ex fructu dilectionis inimicorum cognoſcitur in Chriſtiano ſimilitudo Dei.

6 SIcut Adagio communi aſſeritur, idque a veritatis magiſtra probatur, *Ex fructu cognoſcitur arbor*: & ex Euangelij auctoritate cofirmatur, A *fructibus eorũ cognoſcetis eos*: nam à piris pirus, a malis malus, a pomis punicis poma punica dignoſcuntur: Ita à fructibus amoris, de quibus legitur, *Fructus autem Spiritus eſt caritas*: homines cognoſcuntur, terreni ſi terram amant, cæleſtes ſi cælum, & diuini ſi Deum. Cùm autem fructus diuini amoris non poſſit in

Adagium.

Matt. 7. 16.

Ad Galat. 5. 22.

hoc

hoc vexillo clatè legi, clarè legitur in proximi dilectione, ficut licuit Ioanni ex hoc defectu fterilem dignofcere plantam, Si fratrem, quẽ vides, non diligis: quomodo Deũ, quem non vides, diligere potes? Sed non in omni fructu amoris, per ea, quæ Gregorius docet, cognofcitur homo fimilatus Deo, *Sunt enim nonnulli, qui proximos diligunt, fed per affectũ cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione facra eloquia non contradicunt: fed aliud eft quod fponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex caritate debetur obedientiæ Hi nimirum, & proximum diligunt, & tamen illa fublimia dilectionis premia nõ affequuntur.* Vis fcire quis affequatur? q fructu caritatis inimici coronatur, qa hinc cognofcitur arbor fupra naturã, arbor diuina, arbor Dei, & cæleftes Dei filij in terra degẽtes. Hîc Chriftus in ficulnea quærẽs ficus, & nõ inueniẽs, *Nõ.n.erat tẽpus ficorum, dixit, Iam amplius in æternũ ex te quifpiam fructus manducet:* Admirando quæres, qua ficus culpa meruit hanc pœnam, vt arefieret ex eo, quod fructus non dedit in tempore non fuo, cum decretum fit pro arbore Fructum fuum dabit in tempore fuo? Sed confiderato myfterio, ceffabit admiratio. In ficu Chriftianus figurabatur, & huic dictum eft, *Tempus tuum, tempus amantium:* Nullum enim tempus datur, in quo non debeat ornari, & onerari, immo coronari amoris fructibus tempeftiuis, & in æftate reddens amorem amicis, & in hieme tribuens inimicis. Cùm ergo nõ mutentur tempora pro eo, fed omne tempus fit tempus amandi, iure damnatur, cũ fructibus amoris nõ coronatur. Non eft meum excogitatum, fed Adamantij, *Cum igitur amicus tuus tibi benefacit, fi caritas tua eum diligit, reddis ficus fructum in tempore fuo. Quòd fi inimicum diligas, profers fructum in tempore non fuo. Porrò Chriftus non folum vult fructus in tempore fuo, fed etiam eum non eft tempus fru*

1.Ioã.4.20.

Greg. Papa hom. 27. in Euangelia.

Matt.21.19.

Ezech.16.6.

Orig. hom. 16. in Matt.

ctuum. Et rationem fubdit, quam nos attigimus, quia ex his fructibus difpofuit, vt cognofcatur Chriftianus, quafi arbor fupernaturalis, & diuinitati proximus, *Vult enim fuos meliores effe natura, a quibus exigit opera magis Dei, quàm hominum, fecundum illud, Ego dixi, Dŷ eftis, & filŷ excelfi omnes.* Sed ad trutinam reuocanda funt Origenis verba, *A quibus exigit opera magis Dei, quàm hominum.* Quænã funt opera hominum? Defcripfit ea Mofes introducens Deum defcendentem, vt videret, *Turrim quam ædificabant filŷ Adam:* Vel ex Septuaginta, *Filij hominum:* id eft, vt Lippomanus interpretatur, *Vani, & imbecilles, qui fine Dei auxilio nihil poffunt.* Et per ea, quæ addit Abulenfis, *Vocat eos filios Adam, & non Dei, quia ifta non Deo inftruƐtæ faciebant.* At opera Dei quænã funt? Idem Moyfes ea demonftrat, *Dei perfecta funt opera.* Dum ergo Dei Filius ab hominibus exigit opera perfecta, iubens, Eftote perfecti: opera exigit Dei magis quàm hominum, vt homines non homines, vani fint, fed filij Dei, diuina, vt Dei filii, imitantes opera, vt perfecti fint, ficut & Pater cælectis perfectus eft. Qui ergo diligunt inimicos celebrantur à Pfalte, *Ego dixi, Dŷ eftis, & filŷ Excelfi omnes:* quia fructum amoris reddunt non in tempore fructuum. At contra eos, qui fteriles iacent, fubdit Dauid, & concludit Origenes, *Quia vero non reddidiftis fructus, ideo ficut homines moriemini.* Moriuntur vt homines, odientes: qui nolunt viuere, vt dij, fructum amoris reddentes.

Idem ibid.

Gen.11.5.

Septuag.

Lippoman. in Catena.

Abulenf. in cap.11.Gen.

Deut. 32.4.

Pfal. 81.6.

Orig.ibid.

CIRCVLVS VI.
Idem homo eft amicus ob naturam, & amandus: eft inimicus ob culpam, & odio habendus.

7 FRuctum caritatis non dabat arbor antiquæ legis, nifi in tem-

tempore suo, quia dictum est antiquis, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. At veniens diuinus Agricola, de quo dicitur, *Deus caritas est*: nouam plantationem in terra fecit, & arbores inuersas præcepit reddere fructus, etiam in tempore non suo, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros*. Ambiges eum Emisseno, si Christus non venit soluere legem, sed adimplere, quomodo iubet contraria legi? *Opposita enim sibi sunt, Odio habebis inimicum tuũ: & Diligite inimicos vestros: quomodo ergo intelligimus verba veritatis vt non sint contraria legi?* Sed in vno eodemque homine, sicut inuenitur duplex homo, interior, scilicet, & exterior: ita inimicum inuenies, & amicum: Amicum, vt a Deo creatum: inimicum, vt se peccatorem factum: amicum per naturam, inimicum per culpam. Eumdemque potes & debes amare, & odisse: odisse, vt peccatorem: amare, vt hominẽ. Sed verba illius mellislua audiam⁹, *Inimicus iste homo est, & amicus: inimicus, quia peccator: amicus, quia homo. Dilige igitur hominem, habe odio peccatorem: dilige naturam, non vitium: odi vitium, nõ naturam. Hoc enim modo, & Christus legi, & lex Christo conueniunt. Quod ergo lex dicit, Diliges proximũ tuum, naturam hominis intellige, quæ ideo tibi proxima est, quia de eadem massa factus est: quod vero sequitur, Odio habebis inimicum tuum, vitium intellige, quod est caussa omnium inimicitiarum. Nullæ enim inter homines inimicitiæ essent, si hoc solum de eis sublatum fuisset*. Et iure, nã si vel ferro, vel igne inimici vtuntur, vt de hostibus vindicentur: vitium, vt Plutarchus docet, *Et igne & ferro violentius est. Et vitiositas nuda, ac nulla re indigens miserum efficit hominem*. Hanc autẽ vitiositatis miseriam ex Salomonis fonte hausit, à quo ortum duxit, *Miseros facit populos peccatũ*. Eamque duplicem sic breuiter expressit Hugo, *Quia ad miseriam inferni trahit illos, & quia facit eos seruos diaboli*.

Matt. 5. 43.
1. Ioan. 3. 4.
Matt. 5. 44.
Greg. Emis. in feria 6. post Ciner.
Idem ibid.
Plutarchus, An vitiositas ad infelicitatẽ sufficiat.
Prou. 14. 34.
Hug. Card. ic.

CIRCVLVS VII.

Qui separat vel animam pretiosam a vili peccato, vel veritatem à falsitate, os Dei efficitur.

8 ALchimistæ, qui norũt separare a materia qualitates viles, & aureas eorum loco inducere formas, ditissimi euadunt: tu si culpas viles ab homine secernis, & aureas in eo naturæ glorias dignoscis, has amans, illas odio prosequens, maximum premium consequeris, digna corona ditaberis, iuxta promissionem propositam ab eo, qui nec fallit, nec fallitur, *Si separaueris pretiosum a vili, quasi os meum eris*. Quid est vile? mundus, & vitia immunda. Quid est pretiosũ? anima humana. Si ergo hãc ab illo separas, quasi os Dei eris. Audiamus quã protulit in animæ fauorem iustam sententiam magnus Gregorius Papa. *Vilis Deo est mundus præsens, pretiosa vero est anima humana. Qui ergo pretiosum à vili separat, quasi os Domini vocatur, quia per eum Deus verba sua exerit*. Et videamus qualibus verbis promisit Rupertus Abbas prædictæ separationi munera & premia, *Qui pretiosum à vili, id est, veritatem a mendacio separat, ipse os Domini dicitur*. Hinc autem agnoscite vos, o impostores, qui mendacium à veritate non separatis, dicẽtes malum bonum, & bonum malum: & docentes leges infernales, & vindictæ formas, ac vestris incãtationibus homines fascinantes, q̃ os diaboli estis, qui erat homicida ab initio. Sed tu, o Dei præco, qui Euangelica verba profers, & inimicorũ amorẽ doces, quid aliud, quàm os Dei diceris, & es? O excellam gloriam. O priuilegium sublime. *Nec enim si tuum ex auro foret os compositum, aut ex pretiosis lapidibus, ita fulgere deberet, vt nunc*

Iere. 15. 19.
Greg. Papa lib. 18. moral. c. 23.
Ruper. Abbas lib. 1. in Num. c. 33.
Chrysost. homil. 52. ad populum.

decore mansuetudinis illustratum. Ita os aureum Chrysostomi loquebatur.

CIRCVLVS VIII.

In pectore gestandum Rationale iudicij, vbi Doctrina & Veritas valeat contra impostores.

9 Sicut cordi, cui vitiati humeros bellum mouent, & intra & extra medicamina, quasi arma ad defensionem disposita applicantur: Ita Christianorum corda ne ab his malignantibus noceantur, armemus & nos, non herbis, non malagmis, sed Clypeo veritatis, & thorace verbi Dei. Hoc non est nouum, nam id præceptum erat in veteri lege, *Portabit Aaron nomina filiorum Israel, in Rationali iudicij super pectus suum.* Si ergo in Rationali iudicij scriptum erat, Doctrina & Veritas, hoc scuto, hoc thorace custodieris ab impostorũ malignitate, qui non doctrina, sed incantatione: & non veritate, sed falsitate curant infirmitates. Fallor, si hæc arma, hæc medicamina non miscuit, & non ministrauit Philo ad iræ morbum curandum, ad iræ incẽdium sic soporandum, *Equum igitur erat ira confessionem per doctrinam corrigi, & per veritatem, insuper, nam & hoc ei proprium est, quod facile fallitur, fallitque, itaque iracundorum nemo fere verax est, vt potè diuectus ab ebrietate animæ, nõ corporis.* Quæ ergo ab his impostoribus dicuntur, & tamquam ab ebrijs dicta putantes, & aures ab eorum incantationibus reuocantes, hoc medicamine Doctrinæ, hoc Veritatis thorace, cor tamquã principem partem custodite, Beatus enim prædicatur, & est, qui in cathedra impostorum non sedit, & corum incantationes falsas, nec audiuit, nec audit, sed aures suas obturat ne audiat sanguinem.

Exod. 28. 29

Philo Heb. lib. 2. Allegoriar. legis.

CAELI DAVIDICI VERSIO VIGESIMA.

Ex Tertulliano, In Cathedra pestium, vel pestilentiarum non sedit.

CIRCVLVS I.

Spectacula a fidelibus fugienda.

1 Tertulliani versio, non alio, quàm Tertulliani lumine est inspicienda, illam enim talibus coloribus descriptam exponit ipse oculis intuentium. *Quorumdam fides, aut simplicior, aut scrupulosior ad hanc abdicationem spectaculorum de scripturis auctoritatem expostit, sed inuenimus ad banc specie pertinere illam primam vocem Dauid, Felix, inquit, qui non abijt in concilium impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilẽtium non sedit. Nam apud spectacula & in via stâtur, vias enim vocat cardines balteorum per ambitum, & discrimina populariam per procliuum. Cathedra quoque nominatur ipsa in anfractu ad consessum situs.* Et quia *Contrariorum eadem est disciplina:* Sicut beatus est qui in huiusmodi via non stetit, & in consilio detestando non ambulauit, & in cathedra tam pestifera non sedit: ita subdit Tertullianus, *E contrario, infelix*

Tertull. in lib. de spectaculis c. 3.

Arist. lib. 1. de Cælo & mundo. tex. 19.

Idem ibid.

lix, qui in quodcumque concilium impiorum abierit, & in quacumque via peccatorum steterit, & in quacumque cathedra pestium sederit. O tempora, o mores, mores intemperati, tempora immorigerata, in quibus spectacula adire, comicos audire, histrionesque tāta frequentia populi coronare, probro non datur: cùm par sit culpa Iudæorum, atque illorum, qui in concilio aduersus Iesum adfuere, & ideo pari pœna mulctandi. Hanc non ex me sententiam fero, sed ab eodem multo ante latam in lucem profero, sic enim decernit,

Idem ibid.

Nam etsi iustum illum videtur prædicasse, quod in concilio & consensu Iudæorum de Deo denegando consultantium non communicauit, latè tamen semper scriptura diuina diuiditur, vbicumque secundum præsentis rei sensum etiam disciplina munitur, vt hic quoque non sit aliena vox a spectaculorum interdictione. Si enim pauculos tunc Iudæos impiorū concilium vocauit, quanto magis tātum conuentum ethnici populi? Ni pij ethnici, & minus peccatores, minus hostes Christi, quam tunc Iudæi. Vbi ironicè, pios, ethnicos vocat, non enim ex nomine, sed ex opere, vt notat Saluianus, distinctio pēdet, nam ait, *Omnino enim nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus: quia vita a professione discordans, abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem.* En tibi, ò Christiane, tali in cathedra sedenti, ac spectacula profana intuenti, optimè congruit illud Apocalypsis, *Nomen habes, quod viuas, & mortuus es.* Immo si inter hæc publica & profana spectacula degis, etiam viui nomine indignus a Ruperto censeris, *Nam cuius peccatum publicum vel notum est, non hic habet nomen quod viuat, immo si vita vel sanctitatis opinionem prius habuit, clarescentibus operibus mortuis, opinionē illā, vel nomen iā perdidit, & diffamatur quod mortuus sit.* Statuę Dedali mortuę, tāquā viuę mouebātur in theatris: At statuæ Christianorū viuæ, tāquā mortuæ sedēt in spectaculis.

Saluian. lib. 3. de gubernat. Dei.

Apoc. 3. 1.

Ruper Ab. lib. 2. comment in c. 3. Apocalyps.

CIRCVLVS II.

Spectacula adire, ob periculum mali, malum & peccatum est.

2 OBijcies, temere me supponere peccatum esse spectaculis interesse, ad hoc vt Ruperti vigeat argumentum: te autem oppositum iudicare. Adeamus Christianæ doctrinæ, veluti senatores, & a Patribus, & à Theologis sententiam expectemus. D. Thomas docet, *Inspectio ludorum secundum se non est peccatum, sed redditur vitiosa, in quantum per hoc fit pronus ad vitia vel lasciuiæ vel crudelitatis per ea, quæ ibi repræsentantur: vnde Chrysostomus dicit, quòd adulteros & inuerecundos constituunt tales inspectiones.* Si ergo verum est prouerbium tum Sapientis, *Qui amat periculum peribit in illo:* tum etiam Cypriani, *Implanator animam suam decipit, qui non cauēdo contraria, animam suam noxijs rebus committit:* quis inficias eat, implanatorem & deceptorem animæ propriæ esse iudicandum, qui talibus spectaculorum periculis se committit? Quid autem theatra fuerit nisi talia lasciuiæ pericula, vt etiam ethnici Censores, ex hoc capite, vt Tertullianus refert, ea destruxerint nascentia? *Nam sæpe Censores renascentia cùm maximè theatra destruebant, moribus consulētes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebant.* Ethnicis, ò mirum, ingens videbatur periculum in spectaculis reperiri theatrorum, & ea vt destruerent, omnem lapidem mouebant: Christianus autē, a quo multò maior requiritur vitæ cautela, in hæc ingētia, & immēsa, ac penè ineluctabilia pericula vltrò se ingerens, non peribit? Audi Episcopum Hipponensem, & contremisce, *Deprehenderis, & detegeris Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris: fidelis in nomine, & aliud demonstrans in o-*

D. Tho. 2. 2. q. 167. art. 2. ad 2.

Eccli. 3. 27. Cyprian. de singularit. clericorum.

Tertul. ibid. cap. 10.

Aug. in tractat. de Symbolo ad Catec. lib. 4. c. 1 tom. 9.

pere, non tenens promissionis tuæ fidē: modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renunciasti? Et quidem iure id asserit Augustinus, nam ex hoc Christianus, instar Equi marini, nunc in aqua degit, nunc in terra repit: nūc in Ecclesia Dei, nunc in Veneris phano, vnde Tertullianus, *T beatrū veneris sacrarium est. Heu! quale est de Ecclesia Dei, ad Ecclesiam diboli tendere.* Venerem enim colit, qui theatralibus ludis Sanctorum festa colit: & specie religionis, Cupidinem tacitè veneratur: nam ex Saluiani sententia, *In spectaculis quadam apostasia fidei est.* Hyperbolicè dictum est, sed tamen verè, verum enimuero est, quod qui impudicis histrioniæ saltationibus Sanctorum celebrat festiuitates, in publico Deum colit, Venerem autem veneratur in occulto, & verissimum est Tertulliani decretum, *Sicut nemo in castra hostium transit, nisi protectis armis suis, nisi destitutis signis & sacramentis principis sui: ita, cum nihil ex his quæ spectaculis deputantur, placitum Deo sit, aut congruens Dei seruis, sed pompa diaboli, aduersus quam in signaculo & rescindimus signaculum, signaculo fidei eierauimus: nonne eieramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius?* Deinde, quasi concluderet, Inimici nostri sunt iudices, de Ethnicis subdit, *Illi tam nobis renunciant an liceat Christianis spectaculo vti. Atquin hinc vel maximè intelligunt factum Christianum, de repudio spectaculorum. Itaque negat manifestè, qui per quod agnoscitur, tollit. Quid autem spei remanet in huiusmodi homine?* Qui ergo beatitatem sperat, spectacula fugiat.

Tertull. lib. de spectaculis cap. 10.

Saluian. lib. 6. de gubernatione Dei

Tertull. lib. de spectaculis cap. 24.

Idem ibid.

CIRCVLVS III.

Christianus in spectaculis non Christianus.

3 NOtate Augustini verba, documēta signate, minas expauescite. Deprehēdi homo dicitur, vel in vitijs, vel ab hostibus, vnde legimus de Ioue, *Nōne a sua prima pueritia impius penè parricida deprehenditur?* Detegi vero dicitur, quādo tectū ostēditur, vnde Plautus, *Texit, detexitque me illico.* Dicit ergo Augustinus, Deprehenderis & detegeris Christiane. Qui Christianum videt, de quo Paulus, *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis:* id est, ex Anselmo, *Christum pro veste accepistis, vt indumento iustitiæ illius circumdati, non ostendatis vltra iam ex vlla parte quidquam in operibus & conuersatione vestra, nisi sanctitatem Christianitatis:* dum ergo in theatro in vitijs paganorum deprehēderis, quid mirum, si detegeris, clare demonstrans te veste Christianitatis exutum, dum aliud habes in nomine, in opere aliud? Quis te non infidelem æstimet, dū sic plane fidem seruas, qua pompis diaboli renunciare professus es? Quid ergo tibi cum pompis diaboli, quibus renunciasti?

Lact. li. 1. de Ioue.

Plaut. in Most.

Ad Galat. 3. 27.

Ansel. hic.

CIRCVLVS IV.

In spectaculis per aures, & per oculos sagittæ emittuntur ad cor.

4 NIlus Abbas hominem in theatris positum, & obscena verba audientem, & representantes mulieres aspicientem, naui in medio vndarum positæ foraminibus vndequaque plenæ comparabat: sicut enim ista irreparabiliter mergitur, ita & ille insanabiliter percutitur, & plagatur: sic enim ipsi ruinam imminentem tetris coloribus pallidisque luminibus depingebat, *Vndarum impetu nauis male instructa periclitatur, & verborum impudicorum vi mens imparata peruertitur. Mulierum aspectus sagitta veneno illita, quæ ferit animum, & venenum immittit, & quo diutius manet, eò magis vulnus computrescit.* Hinc ipse Zalotes, &

Nilus Ab. or. 2. aduersus vitia.

quaſi animarum peritus medicus, ad præſeruatiua recurrens remedia, hanc miſcet præſeruatiuam medicinam, vt ſpectacula etiam fugias, *Qui vitare cupit eiuſmodi vulnera, is a publicis ſpectaculis abſtinebit, neque in celebritatibus verſabitur. Satius eſt enim vt domi maneas, quam dum putas te celebritates venerari, in manus inimicorũ incidere.* Heu! ſi ſolemina etiam ſacra non vacant periculis, quis in prophanis ſpectaculis non peribit?

Idem ibid.

CIRCVLVS V.

Theatrica ſpectacula totũ hominem polluunt.

5 CONquerebatur Saluianus de Chriſtianis ad ſpectacula concurrentibus, iiſque adſtantibus, eoſque putabat damnabiliores paganis. Et ſe vera putare hac ratione probabat, quia ignorantia nos non excuſat, ſed illos, *Hi enim per imperitiam veritatis, quia quæ ſunt bona neſciunt, mala pro bonis diligunt: nos eum ſcientiam veritatis habemus, quæ sũt bona optimè noſcimus.* Et iure, nam ignorantia ſæpe vel tollit, vel minuit crimen, vnde ex hoc capite veniam poſtulebat Dauid, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine:* & ſecundum Caſſiodorum, *Ignorantia, dixit, quia multa facimus, quę mala eſſe neſcimus.* Tales ergo ſunt in hac cauſa infideles, qui neſcientes voluntatem Domini, plagis vapulabunt paucis: tu autem qui ſcis, & non facis, plagis vapulabis & multis, nam iuſta delictum erit & plagarũ modus. Bone Deus, & quodnam delictum cum hoc ita æquari poteſt, vt dici merito, non poſſit, *Quãta in vno facinore ſunt crimina?* Congerit hæc omnia crimina Saluianus, & eloquenter per ſingula ſic diſcurrit, *Alia quippe crimina ſingulas ſibi fermè in nobis vendicãt portiones, vt cogitationes ſordidæ, animam: vt impudici aſpectus, oculos: vt auditus improbi, aures: ita vt, cùm ex his vnum aliquid errauerit, reliqua poſſint carere peccatis. In theatris verò, nihil horum reatu vacat, quia & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluntur: quæ quidem omnia tam flagitioſa ſunt, vt etiam explicare ea quiſpiam, atque eloqui ſaluo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ ſtatu dicere queat illas rerũ turpium imitationes? illas vocum ac verborum obſcœnitates? illas motuũ turpitudines? illas geſtuum fœditates? Quæ quanti ſint criminis vel hinc intelligi poteſt, quod & relationem ſui interdicunt.* Hæc autem omnia mala abbreuiato vero deſcripſit Septimius, theatrales feminas nũc appellans, *Simulacra libidinis:* & nunc, *Lupas popularium libidinum nundinas.* Vbi & eas totas ad libidinem factas demonſtrat, & totas pandit Veneres Cupidineſque ſpirantes: atque in theatro, quaſi in emporio publico obſcœnitatum, feriari libidinem, pudorem nundinari. Et per ea, quæ Cyprianus addit, diuerſa lex in his nundinis ſeruatur ab alijs. *In aliis enim erubeſcunt videri etiam, quæ pudorem vẽdiderunt. At iſtud publicum monſtrum omnibus videntibus geritur, et proſtitutarum tranſitur obſcœnitas.* Et quidem Tertullianus benè deſcripſit theatralem mulierem, dicens eam eſſe libidinis ſimulactũ, ſed non plenè. Simulactum enim immobile iacet: hæc autem theatrica mulier ſimulacrum quidem eſt, ſed choreas ducens. Suppleat ergo Seleucius, quod omiſit Septimius, is enim Herodiadem ſic deſcribit, *Herodias exactum libidinis ſimulacrum, aſpectu impudenti, fracto corpore, anima defluente, iactis in cælum manibus, pedes in altum ſubrigebat, habitu ſeminando ſuam turpitudinem publicabat.* Breuius autem illam colorat Salomon, vecordẽ ſic figurans, *Occurrit illi mulier, habitu meretricio:* en ſimulacrum libidinis depictum. Quæres motum, & ſaltationem? *Garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens domi conſiſtere pedibus ſuis.* Optas ornatus & motus cognoſcere finẽ?

Saluian. lib. 6. de Guber. Dei.

Pſal. 24. 17.

Caſſiod. hic.

Ambro. lib. 3. de Virgin.

Saluian. lib. 6. de Guber. Dei.

Tertull. in Apolog. c. 6 & 8.

Cyprian. in lib. de ſpectaculis.

Baſil. Seleu. orat. 18.

Prou. 7. 10.

Præ-

Præparata ad capiendas animas. Ea enim arte, qua pisces capiuntur esca ꝓposita sub qua latet hamus: eadem & homines a diabolo in theatro inescantur tali muliere exposita, dum impletur Oraculū, *Totum in hamo suo subleuauit, & esca eius electa:* per hanc enim totum hominem subleuat, capit aures, dū audit voces: oculos, dum videt saltus: nares, dum trahit odores: os, dum laudat actus: cor, dum concupiscit & deficit: & animam, ad quā capiendam tendit hæc præparatio infernalis. In theatris enim, & cōcupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi, vt cum Saluiano prædiximus, polluuntur. Occursus iste vecordis hominis & ornatæ meretricis, similis videtur occursui flabelli & scitillę, vel ferri & lapidis: sicut. n. ex his flāmarū semina oriuntur: sic inde lasciuiæ incēdia. Nō mea est, sed Tertulliani excogitatio, ait enim, *In omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ipse ille mulierum & virorum accuratior cultus, ipsa cōsensio, ipsa in fauoribus aut conspiratio aut dissensio inter se, de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Vbi Parmelius notat, *Methaphorā sumptam ab ijs, qui flabello scintillas quantumuis exiguas in ignem excitant.*

Habac. 1. 15 Ex Septuag.

Tertull lib. de spectac. c. 25.

Parmel. hic.

CIRCVLVS VI.

Theatrum quid sit ex nomine, quid ex opera.

6 THeatrum apud Græcos, ἀπὸ τοῦ θεάσθαι, hoc est a spectando dictum: sed differt nimium a spectatoribus aliorū obiectorū, nā alia obiecta mala, agētes polluūt, nō tamen vel vidētes vel audientes: at ex eodem Episcopo Massiliensi, *Sola spectaculorum impuritates sūt, quæ vnum faciunt & agentium & aspicientium crimen, nam dum spectantes hæc comprobant, ac libenter vident, omnes ea visu atque assensu agunt, vt verè in eos apostolicum illud peculiariter cadat, quia digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Itaque illis imaginibus fornicationum, omnis omnino plebs animo fornicatur, & qui fortè ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri reuertuntur. Non enim tunc tantummodo quando redeunt, sed etiam quando veniunt, fornicantur: nam hoc ipso quod aliquis rem obscænam cupit, dum ad immunda properat, immundus est. Quæ cum ita sint, facimus hæc tamen ac sine cessatione, quæ dixi. An fortè in morem veterum paganorum theatrorum & circorum nos Deum habere arbitramur? Faciebant enim hæc illi quondam, quia has idolorum suorum delicias esse credebant: nos quomodo hæc facimus, quibus odisse Deum nostrum hæc est exploratum? Aut certè, si placere has turpitudines Deo nouimus, non prohibeo quin sine cessatione faciamus: si vero in conscientia nostra hoc est, quod Deus illas horreat atque execretur, quod sicut in his sit pastus diaboli, ita offēsio Dei: quomodo nos in Ecclesia Dei colere Deum dicimus, qui in obscænitate ludorum semper diabolo deseruimus, & hæc gnari & scientes, de consilio et industria? Christo ergo, o amantia monstruosa, Christo circenses offerimus & mimos tunc, & hoc maximè, cùm ab eo aliquid boni capimus, cùm prosperitatis ab eo aliquid attribuitur, aut victoria de hostibus a diuinitate præstatur. Et quid aliud hac re facere videmur, quàm si quis homini beneficium largienti iniuriosus sit, aut blandientem conuicijs cædat, aut osculantis vultum mucrone transfigat?* Hæc ille, & quidem prolixa, sed vtili oratione, verè enim Sanctorum festa, per hæc festa celebrantes, vel choreas ducentes, vel theatra sectantes, non Deum promerentur, nec Sanctos honorant: sed Sanctos inhonorant, & Deum prophanāt, nā ex Tertulliano, *Honorem inquietāt diuinitatis.* Dum enim in theatro vel Iouem deum, vel deum representant Apollinem, nōne inquie-

Græca vox.

Idē Saluianus ibid.

Tertullian. in Apolog.

tant

tant & turbant æternæ diuinitatis pacificum honorem?

CIRCVLVS VII.

Maximum delictum est in Theatris adesse.

7 SEd quo Chrysostomi sententia me fugerat, eiusque doctrina meo calamo se subtraxerat? Ipse adeo graue hoc crimen iudicat, adeo execrabile hoc facinus æstimat, vt etiam a sacris vestibulis arcendos decernat damnabiles, immo damnatos theatrorum spectatores, donec pœniteat se, & resipiscentes ad meliorem frugem redeant. Audiens autem aliquos se ita declinantes ad executionis verba in his peccatis, vt attrita perfrictaque fronte auderet dicere, *Et quid hic ab eo magni sceleris commissum est?* Sic inuehitur in illos, *Immo, quod delictum his grauius quaris, cum seipsos plane adulterio contaminarint?* Id autē probat ex sententia Iudicis, *Qui viderit mulierem ad concupiscendū eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quòd si mulier sponte, ac fortè in foro obuia, & neglectius culta, sæpenumero curiosius intuentem capit ipso vultus aspectu: isti, qui non simpliciter, neque fortuito, sed data opera, & tanto studio, vt Ecclesiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi desidentes diem in facie fœminarum illarum nobilium defixos habent oculos, qua fronte poterunt dicere, quod eas non viderint ad concupiscendum? Vbi verba quoque accedunt fracta lasciuaque, vbi cantiones meretricia, vbi voces vehementer ad voluptatem incitantes, vbi stibio tincti oculi, vbi coloribus tincta gena, vbi totius corporis habitus fucorum impostura plenus est, aliaquè insuper multa lenocinia ad fallendos inescandosque intuentes instructa, vbi socordia spectantium ac multa confusio, & hinc nascens ad lasciuiam exhortatio: quomodo poterunt vmquam ab adulterij crimine absolui?* Quid vltra dici poterat de spectaculorum malo, quàm illud cum adulterio comparare, quod etiam infidelis Abimelech, *Grande peccatum æstimabat?* Si enim ex Augustini decreto, *Cupiens coniugem alienam, & si potestas detur facturus esset, non minus reus redditur, quā si in ipso facto deprehenderetur:* optime de eo dici potest illud Ambrosij, *Quanta in vno facinore sunt crimina?* Hoc facinus etiam Pharao maximum æstimabat, dicēs Abrahæ *Quidnam est hoc quod fecisti mihi?* Vel vt legunt Septuaginta, *Quid hoc fecisti mihi?* Omnia enim crimina, quę in adulterio continentur vix possunt describi. Hæc autem enumerans Robertus de Sorbona, asserit, *In eo octo ad minus contineri mala, nempe luxuria, fides mentita, furtum, proditio, transgressio mandati Domini, incestus, seu peccatum caninum, & exheredatio proprij filij.* Tot ergo mala ex theatrico scatent adulterio, tot criminum capita scenica vibrat Hydra, tot exitialia spectacula vomunt venena, quæ dum dulcedini mixta placent, placendo necant.

Chrysost. in hom. de Dauid & Saule tom. 1.

Idem ibid. Matt. 5. 25.

Genes. 16. 10

Augu. lib. 1. de lib. arbit. cap. 3.

Ambro. lib. 3. de Virgin.

Gen. 12. 18.

Septuag.

Robert. de Sorbona in opusc. de confess.

CIRCVLVS VIII.

Pater luminū filios adoptiuos per Dauid, quasi pædagogū, instruit, vt spectacula fugiant.

8 CVm ergo tot malis spectacula fœdentur, totque peccatis ac vitijs theatra deturpentur, & merito dicitur, & iure appellatur Beatus vir, qui in cathedra harum pestium non sedit. Plutarchus salutare monitum parentibus dabat circa zelotypam filiorum educationem, monens, vt pædagogo eos tradant virtutis eximiæ, dicens, *Postquam eo ætatis puer peruenit, vt iam sit pædagogo subdendus, ibi tum adhibenda est accuratio, ne filios per imprudentiam mancipijs,*

Plut. in comment. de liberis educādis.

aut barbaris, aut leuibus hominibus tradamus. Oportet autem bonum pædagogum eo esse ingenio, quo fuit Phænix Achillis pædagogus. Et subdit, *Ita pronuncio, vnum esse primũ, idemque & medium, & vltimum in hac re caput, educationem rectam, legitimamque instructionem, atque hæc conducere, & adiumentum ad parandam virtutem adferre animo, adque felicitatem.* Hæc autem omnia opere compleuit Pater luminum, qui adoptatis in filios, regiũ præfecit pædagogum, huius enim vices gerit Psaltes noster, qui cuilibet ad parandam virtutẽ & felicitatem pręcepta decreuit, Beatum describens virum, vel iuniorem, qui præter reliqua, in cathedra pestium non sedit, cuius officium sic Alexãdrinus Clemẽs describit, *Nec nos igitur ad spectacula Pædagogus ducet, nec inconcinnè stadia, & theatra pestilentiæ cathedram quis vocauerit,* καθίσια καὶ δε τζα καθέδραν λοιμῶν, *Nã hic quoque est scelestum concilium, sicuti aduersus iustum, & ideo maledictis damnatur.*

Idem ibid.

Clem. Alexandr. lib. 3. pædag. c. 11.

CIRCVLVS IX.

Spectacula profana sacris spectaculis, quasi claui clauis sunt pellenda.

9 Dices fortasse, Nonne danda est & iunioribus aliqua animi relaxatio? Danda quidem, dicam & ego, & ad spectacula sunt ducendi, sed ad spectacula sacra, spectacula sana, spectacula sancta. An non in theatro Ecclesiæ spectacula cernes, si de eo Apostolus asserit, *Spectaculum,* vel ex Græco, *Theatrum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus?* Repetam etiam ego cum Augustino, *Demus pro spectaculis spectacula.* Spectare vis? esto spectaculum. Ne deficias, vide precedentem, & dicentem, *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus,* Lauda, & tu spectaculorum Auctorem, & cane cum Psalmista, & cum Augustino, *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua. Quid videtur damnabiliter in profanis spectaculis, quod hic non liceat, & laudabiliter videre, vt reddantur pro spectaculis spectacula? Vides inibi, & laudas Aurigam quatuor regẽtẽ equos, & sine offensione currentes? Rege tu luxuriam, rege ignauiam, rege iniustitiam, rege imprudentiam: & si Aurigam laudabas, vt Auriga laudaberis dum tu eris spectaculum, & Deus dabit pro spectaculis spectacula. Vides ibi, & laudas histrionem, qui didicit magno studio in fune ambulare, & pendens te suspendit? Didicit iste in fune ambulare, numquid fecit in mari ambulare? Obliuiscere theatrum tuum, attende Petrum nostrum, non funambulum, sed, vt ita dicam, marẽambulum. Esto & tu spectaculum, ambula & tu, non in illis aquis, vbi & Petrus aliquid significans ambulauit: sed in alijs, quia hoc sæculum mare est: hic ambula, hoc calca, calca mare, ne mergaris in mari. Hæc mirabilia fecit Dominus, ipsa intuere. Oculus spectantis fides sit, & fac tu talia.* O diuinum magisterium, quo, vt clauus clauo expellitur, sacris spectaculis, spectacula profana pelluntur, & in triumpho canitur, Beatus vir qui de cathedra pestiũ eripit brauium, vbi victor accipit vestẽ, & victis insultatur. Sed demus pro spectaculis spectacula. Quid vides in mũdano spectaculo, currentes, vt corruptibilem accipiant coronam? Sed nonne id cernis per Oraculum Isaiæ, *Multiplicasti gentem, sed non magnificaus lætitiam?* Heu! omnes quidem currunt, vnus tamen accepit brauium, ceteri victi discedunt, licet perseuerauerint, in currendo: sed cum acceperit vnus, remanent ceteri absque premio, qui in cursu similiter laborauerunt. At in spiritali agone noua lex, decretum est nouum: nã quot currunt, & perseueranter currunt, omnes accipiunt coronã, & qui prior venerit, expectat vt

1. Cor. 4. 9. Græcus.

August. in enarr. super Psal. 39.

Augus. ibid.

Isai. 9. 3.

1. Cor. 9. 24.

cum posteriore coronetur. Agonē quippe istum non cupiditas, sed caritas facit, omnes cursores amant se, & ipse amor cursus est. Quid vides in spectaculis? descendentes machinas a cælo, quasi a Deo datas? Sed demus pro spectaculis spectacula, vide Ciuitatem sanctam, nouam, descendentem de cælo, a Deo ornatam. Quid vides in spectaculis, Athlantem curuum sustinentem orbem? Demus pro spectaculis spectacula, aspice agedum Antonium Patauinum manu gestantem eum, qui suspendit tribus digitis orbem terrę, & trinam machinam regentē. Quid vides in spectaculis, saltantes, choreasque ducentes: Aspice eum, qui choreas ducit in orbe terrarū, & suspice iustorum saltus, qui se de vmbra sæculi transtulerunt. Quid videbis in spectaculis? Forte, inter lampades mille lucentem scenam. Aspice, inquit Philo, Solē, aspice Lunam, aspice in varia Cęli scena varias Stellas, quæ non opus habent interprete, qui nos doceat, ab altero interdiu, ab alteris noctu mundum illustrari: sed ipso splendore fidem, vel absque teste faciūt oculis, certioribus, quàm sunt aures, verum iudicibus. O mirum artificium, o diuinum magisteriū, quo vt clauis claui expelluntur, sacris spectaculis spectacula profana pelluntur, & canitur in triumpho, Beatus vir, qui in cathedra pestilentiarum non sedit.

Apoc. 21.

Prou. 8. ex Philone.

Philo Heb. lib. de sacrif. Abelis, & Caini.

10 Si autem spectaculorum frequentiam excusare contenditis, dicentes, exemplum victoriæ quæ in futuro sæculo erit, & coronarum sunt illa, plurimamque ex illis vtilitatem deferemus. Primū, quemlibet vestrum sic Chrysostomus accusat, *Quid ais homo? Putris iste sermo est, ac fallacia plenus. Vnde vtilitatem istinc ferre licet? Ex innumeris contentionibus, ex temere factis deierationibus male loquentium? An ex contumeliis, conuitiis, scōmatibusque, quibus spectatores se mutuo conspergunt?* Deinde dat pro spectaculis spectacula, pro profanis sacra, vt clauis clauos pellat, sic enim subnectit, *Atqui hic quidem ipsum Dominum angelorum, omnes Prophetæ Doctoresque super thronū excelsum & eleuatum ostendunt, iisque qui digni sunt brauia & coronas distribuūt: indignis verò gehennā assignant, atque ipse etiam Dominus hoc confirmat.* Subdit demum Aureum os deprecationem, & dicit, *Rogo etiam, atque etiam obsecroque ne excusationes excusemus in peccatis: pretextus enim ista sunt, ac deceptio, quibus nobis ipsum damnum accersimus.* Nec inter tot gigantes contemnenda erit Minutii obiurgatio, sic enim cum paganis loquens, impugnat Christianos, dicēs illis, *Nos igitur, qui moribus, & pudore, censemur merito malis voluptatibus, & pompis vestris & spectaculis abstinemus: quorum & de sacris originem nouimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam: in gladiatoriis homicidiis, disciplinam: in scenicis etiam non minor furor, turpido prolixior? Nunc enim Mimus vel exponit adulteria, vel monstrat. Nunc eneruis histrio amorem dum fingit, infligit. Idem deos vestros induendo stupra, suspiria, odia decorat. Idem simulatis doloribus, lacrymas vestras vanis gestibus, & nutibus prouocat. Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.* Superat autem omnes Tertullianus in spectaculis sacris, atque in cælestibus voluptatibus proponendis, dicēs, *Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita: in his tibi ludos Circenses interpretare, cursus sæculi intuere, tempora labentia dinumera, metas consummationis expecta, societates Ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam Angeli erigere, & ad martyrii palmas gloriare. Si scenica doctrinę delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum, nec fabulæ, sed veritates: nec strophæ, sed simplicitates. Vis pugillatus, & luctatus? præsto sunt, & non parua. Aspice impudicitiam deiectam a castitate, perfidiam*

Chrysost. homil. 1. de verbis Isaiæ.

M. Minucii Felicis Roma. caus. Octauius.

Tertull. lib. de spectacu. cap. 29.

diam cæsam a fide, fauttiam a misericordia contusam: petulantiam à modestia oblibratam, tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Sed à spectaculis præsentibus transiens ad futura, quæ fides, per quā futura, vt præsētia āte fideliū oculos proponuntur, & extant, sic subdit, *Quale spectaculum in proximo est aduentus* Domini *iam indubitati, iam triumphātis? qua illa exultatio Angelorum? quæ gloria resurgentium Sanctorum? quale regnum exinde Iustorum? qualis ciuitas noua Ierusalem? At enim superfunt alia spectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationibus insperatus. Quæ tunc spectaculi latitudo? quid admirer?* Enumerat autem mira spectacula illius theatri, vbi cum Ioue, Reges, Præsides, Philosophi, & Poetæ in imis tenebris cognoscētur. *Tunc magis Tragœdi audiendi in sua calamitate. Tunc Histriones solutiores multo per ignē: tunc spectandus auriga in flāmea rota totus rubens: tunc Xystici contemplandi, non in gymnasijs, sed in igne iaculati. Nisi quod malim ad eos potius conspectū conferre, qui in Dominum desæuierunt. Hic est ille, dicam, Fabri filius, &c. Vt talia spectes, & talibus exultes, quis tibi Prætor præstabit? Et tamen hæc iam habemus per fidem, spiritu imaginante repræsentata.*

Idē Ibid. cap. 30.

CAELI DAVIDICI
VERSIO VIGESIMAPRIMA.
Ex Hebræo, In Cathedra reuelantium secreta non stetit.

CIRCVLVS I.

Secretorū reuelatio quando sit, vel non sit contra fidem.

1 SI ex Logicorum regula, Æquiuoca, prius distinguenda sunt, postea definienda: distinguamus & nos primò secretum, deinde definitiuam proferamus sententiam contra eos, qui ne dum secretè, sed publicè & in patente cathedra illud reuelant. Decernamus ergo primò cum Diuo Thoma, *Secretum confessionis nullo modo posse hominem reuelare, nec de eo testimonium ferre, quia huiusmodi non scit vt homo, sed vt Dei minister, & maius est vinculum Sacramenti, quolibet hominis præcepto,* Circa, illa vero, quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim talia, sunt, vt statim cū ad notitiam venerint, homo ea manifestare teneatur, puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem: vel in graue damnum alicuius personæ, vel si quid aliud est huiusmodi. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti cōmissum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet. Quandoque vero sunt talia, quæ quis prodere non tenetur, vnde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris, quia seruare fidem est de iure naturali, nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de iure na-

D.Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2.

naturæ. Beatus ergo vir dicitur, qui in cathedra reuelantium secreta non sedit, quia secreta custodire adeo rara virtus est, vt Aristoteles rogatus, Quis secre tũ seruare possit? Responderit, *Qui carbonem ignitum lingua continere poterit*. Multi enim ita affecti videntur, vt non minus impossibile eis videatur carbonem, quam secretum in ore ferre, vnde & ipsi cum Elipaz repetunt, *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* Sicut barbarum cursorem ignem spumantem, spirantem fumum, spiritu furoris plenum, nunc huc, nunc illuc inquietum corpus agitantem, impatientem nimium, moram non sustinẽtem, qui terram vngula fodit, aerẽ nitritu replet, cælumque ferit, retinere, frenare, & cohibere nimiam supponit in Equite virtutem, eximiam vim, & maximum robur: Ita conceptum retinere secretum, & continere sermonem, ne è carceribus dentium, & labiorum seris mu nitus egrediatur, eximiæ virtutis est argumentum, magnæ fortitudinis opus & raræ fidei signum, vt ille canebat,

Aristot. relatus ab Antonio in Melissa. Par. 1. ser. 72.

Iob. 4. 2.

Eximia est virtus præstare silentia rebus.
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Poeta relatus a Iansenio in c. 21. Prouer. 13.

CIRCVLVS II

Reuelans secreta assimilari potest Vesuuio monti, vel Æthnæ.

2 PRudenter autem cum reuelante secreta Beatus non sedet, cùm enim talis reuelatio ingẽtes soleat parere clades, eas Beatus euitat, atque vt Aliger solutus liber euadit. Gregorius Theologus Iulianum apostatam sic describit, *Quemadmodum æthneum ignem narrant Aetne radicibus abscondi ab ima parte exundantem, atque retentũ & compressum, siue aliud quippiam est, siue Gigantis dantis pęnas anhelitus; nonnumquam quidem clauso igne conquiescere: deinde verò prius quemdam horrendũ sonum edere, fumumque & scintillas propinqui mali indices vertice suo euomere: tũnc verò finibus suis æstu vehementiore extrusum ignem, sursumque tendentem, ac supra forami na sua se se effundentem, finitimas quasque regiones horribili fluxu deuastare: eodem quoque modo illum reperire licebat, aliquantisper scilicet malitiam suam celantem, & occasionem nactus, Aethnę in morem ignẽ exsufflantem*. Si iste Apostata pestiferum virus nunc absconditum, nũc verò ex se latè effundens figurabatur, quid autẽ aptius de eo dici posset, qui modò in cordis cæco sinu secreta condit, modò hianti ore, ac reclusis vectibus illa reuelans eructat, & ad instar Æthnæ flammas exhalantis, *In labijs illius ignis ardescit*: Vel ex Septuaginta, *ignem condit*: Vel ex Chaldæo, *In labijs illius dat scintillas?* Audite, & videte scintillas istas à Nazianzeni calamo sic depictas. *Quis autem quot mala ex lingua oriantur oratione consequi possit? Domum cum domo, si ita voluerit, Vrbem cum vrbe, Principem cum populo, populum rursus cum Principe: itatim ac fine vllo negotio cõmittit, non aliter atque igniculus stipulæ commotus, in magnum incendium cito exardescens, coniuctiores, filios, parentes fratres, amicos, vxores, maritos, omnes denique perfacilè in multam perniciem armat.* Hæc enim multa, quæ tecta atque occulta esse oportebat, in hominũ aures euomuntur. Putant aliqui vel Æthnæ vel Vesuuij ora, ora esse Inferni, sed infernus ore caret, vnde exhalet: os autem illius lingua est, *Inflammata à gehenna*: id est, secundum Hugonis glosam, *Inflammata à diaboli suggestione, qui gehennam & suam pęnam secum portat, vnde commotus flamma suggerit vitium*. Hinc Origenes oris in ostio duos collocat ianitores, inde Deũ, diabolũ hinc, dicẽs, *Beati sũt, quorũ Deus os aperit vt loquãtur: vereor tamẽ ne sint aliqui, quorum os diabolus aperiat: nam qui loquitur mendacium, diabolus aperuit os eius.*

Greg. Theolog. orat. 3. Apologet. cont. Iulian.

Prouer. 16. 27.
Septuaginta.
Chaldæus.

Nazianzenus Orat. Quadrageſ. ieiun. Silẽt.

Iacob. 3. 6.
Hugo Cardin. hic.

Origenes hom. 3. in Exodum.

CIRCVLVS III.

Lapis Lydius infidelis vel fidelis amici eſt, vel reuelatio, vel abſconſio ſecreti.

3 SIcut ergo in lapide Lydio dignoſcitur, vtrum aurũ al chimicũ & falſum ſit, an verò naturale atque perfectum: ita infidelis, vel fidelis amicus in ſecreto, vel tecto, vel detecto comprehenditur. Id autem videri poteſt in Prouerbijs, vbi ex varijs, immo cõtrarijs lineis bonitas vnius, alteriuſque malignitas apertè oſtenditur, *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt celat amici commiſſum.* Quaſi diceretur, vt Ianſenius æſtimat, *Qui cum amico fictè conuerſatur, ſub amici ſpecie, callidè explorans alterius animũ & reuelat arcana ſibi detecta. At contra, qui fidelis eſt, is tegit rem ſibi ab amico commiſſam, hoc eſt, concreditam.* Si autem cum Hebræo legamus *Qui ambulat mercator, reuelat ſecretum*: cocinnam hauriemus, ni fallor, ex R. Abraham explanationem. *Sicut mercator quod ab vno emit, alteri vendit: ita detractor, quod ab altero audiuit, alteri tradit.* Eodem enim modo quo nundinator emit, vt poſtmodum repetita vẽditione, empta alio trãsferẽs, merces vulgo exponat, & publicè vendat: Non aliter delator, audita æſtimat empta, eaque congregat quaſi merces, & congregata alijs explicans, vendit, dum narrat. Is vero, qui non verbotenus fidem demonſtrat, qui ore, & ex corde fidem colit & ſeruat, qui fidelis eſt ſpiritui ſuo, is inquam, & fideliter cuſtodit quæ audit arcana, & in animo ſuo tuto conſeruat, non inſcius proditionis genus eſſe aduerſus animum, amicorum arcana alijs prodere.

Prouerb. 11. 13.

Ianſenius hic.

Hebræus.

Rabbi Abraham in c. 11. Prouerb.

CIRCVLVS IV.

Secretorum reuelator Spiritui ſancto inuiſus.

4 SEd non eſt prætereunda aliorum ſententia, qui ſequentes Aquilæ & Symmachi verſionem, *Fidelis eſt ſpiritui, cuſtodiens verba:* de Spiritu ſancto hoc totũ interpretãtur. Si autẽ petas cur p̃cipue ſecreta non cuſtodiẽtes Spiritui diuino ſint inuiſi? Forte ex eo, quia Paraclitus eſt ſecretorũ Dei reuelator, quod ex amore procedit, iuxta illud, *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo nota feci vobis:* & Paraclito amor peculiari ratione adſcribitur. cùm ergo ſecretorum reuelatio amicitiam abſque vlla ſpe reconciliationis dirimat, & ſic amicum in fugam vertat, vt vltra non reuertatur, nam, *In myſterij reuelatione effugiet amicus:* iure optimo, amoris Spiritui odibilis redditur iſte ſecretorum reuelator, tamquam amicitiæ violator, & amoris deſtructor: contra vero, qui cuſtodit verba, & eſt Spiritui ſancto fidelis, & ab illo dilectus.

Aquila, & Symmachus.

Ioan. 15. 15.

Eccli. 25. 17.

CIRCVLVS V.

Reuelatores ſecretorum, quaſi cornices, ſpiritui ſapientiæ odibiles.

5 VBi miro modo aptari poteſt illud, ꝙ Natalis Comes refert, dicens, & cõcinnè, *Palladem, quæ apud veteres inanium cultores deorum, dea eſt ſapientia, inimiciſſimam eſſe Cornici, eamque Cornices comprimere, illaſque numquam ad eius arcẽ euolare: vt ſignificarent ſapientiam inimiciſſimam eſſe garrulitati, cuius ſymbolum eſt Cornix, vtpotè loquax, & garrula.* Spiritus ergo ſapientiæ, qui beni-

Natalis Comes lib. 4. Mytholog. cap. 5.

gnus est, effugit verbosum secretorum reuelatorem, & amicum adulterinum, & falsum animum à sua arce prohibebit, vt inuisum & ante omnes odibilem, ac damnatum, quem Deo odibilem esse proclamabat Augustinus, *Loquaces & arcanorum reuelatores Spiritus sanctus odit*. Et iure, nam ex parua fauilla reuelationis secreti, maxima incendia discordiarum oriri solet: & ex paruulo verbi surculo, & ex gutta, fons dissidij egreditur, & inimicitiarum exurgit silua. Fit enim sæpe vt ex fermēto iacto exigui verbi, ignes iurgiorū seges excrescat. Sic idem Hipponensis Episcopus subdit monens, docensque, *Restinguenda est igitur hac parua fauilla, ne in magnam vertatur flammam: surculus, ne crescat in siluam: gutta, ne tumescat in fontem. O verbose erubesce, nam tua conditio est, occulta manifestare, nota prædicare, somnias inaudita, fingis te scire quod nescis, vt libenter audiaris a cunctis. O faber mendaciorum, o faber fabularum, lege quod dicitur. Vir linguosus non dirigetur super terrā, nec dirigetur in terram promissionis*. Hinc Bernardus, explicans verba, *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar*: optimè addebat, *Nec mirū, cùm id præcipue vitium, caritatem, quæ Deus est, & quidē ceteris acrius, impugnare, & persequi cognoscatur. Omnis enim qui detrahit, se ipsum prodit vacuum caritate*. Quis ergo miretur hunc Spiritui sancto, qui caritas est, inuisum esse?

Augustinus in serm. de silentio Tom. 10.

August. ad Fratres in Heremo: 43.

Bernard. ser. 24. in Cantica.

CIRCVLVS VI.

Secretum, vt venenum, aqua silentij extinguendum.

6 LOquaces & linguosi assimilati videntur vel his, qui venenum hauriunt, vel mulieri, quā partus dolores premunt. Sicut enim si hæc non in lucem prodit filium, in tenebras mortis preceps ruit: & ille si venenum non euomit, disrumpitur: Ita & ipse si verbum conceptum non effundit, arbitratur se vel disrumpi, vel mori. Ideo illi Ecclesiasticus, ceu medicus animatum, salutare exhibet medicamentum, & quidem facile, ac sanum, *Audisti verbum, commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet*. Et bene dixit, Commoriatur apud te, sicut enim toxici vis & malignitas in aqua dissoluitur, & sic emoritur, vt naturales vires nocendi dispareāt atque dispercāt: Ita si tu secretum in mente concipis, ibi moriatur, & nec tibi, nec alteri nocebit vmquam, nam, *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ*: Vel ex Septuaginta, *Aqua profunda serma in corde viri*. Vnde Chrysostomus explicans verba Ecclesiastici, perit primum, *Quid est commoriatur in te?* Et statim explicat, *Extingue ipsum, desodito, nec extre permittas*. Nedum enim vult vt aquam veneno huic infundens, illud extinguas, & morti tradas: sed etiam, vt in viuo sepulchro corporis tui sepelias nec vmquam egredi permittas, immo sub clauso & obsignato lapide custodias, ne effusum te perimat, nam si in luce apparet, te in tenebras exteriores immittet.

Eccli. 19. 10.

Prou. 18. 4.

Septuag.

Chrysost. homil. 3. ad Populum.

CIRCVLVS VI.

Secretum, vt ouum venti, dum premitur cum silentio, euanescit.

7 SEd si secretū, vt venenum ita extingui potest, & mortuū non nocebit: quid fiet, si infantis more in vtero cōceptum, vrget, & in lucē prodire contendit? Dicam, quod eo modo, quo aliquando prægnans putat se partum gestare, cum tamen & vēro grauida sit, qui premendo dissoluitur, & difflatur in auras: Ita verba secreta non sunt animata, immo à Iob appellātur, *Verba ventosa*: & ab Horatio dicū tur ampullæ, *Proijcit ampullas, & sesquipedalia verba*. Hæc autem ob-

Iob. 16, 3. Horatius in in arte Poetica.

obstetricante Sapientia absque læsione dissoluuntur. At pregnantes, quæ fatua vtuntur obstetrice, dolores partus patiuntur, nisi pariant, in lucem edant, vnde Ecclesiasticus, *A facie verbi parturit fatuus, quasi gemitus partus infãtis:* Vel ex Tigurina, *Præ sermone parturiet stultus, vt præ fœtu grauida.* Quod breuiter quidem, sed clarè interpretatur Lyranus, ita intonans, *Nõ potest illud celare, & si ad horã celet, hoc est cum dolore.* Non enim obseruat præceptum Clementis Alexandrini, nec tempora seruat, *Quidam ante tempus informem, & mortuorum fœtum pariunt, alij expletis mensibus enituntur. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi.* Immo quod in secreti reuelatione nullũ tempus parturiendi admittatur, Ambrosius de fratre suo Satyro loquens, asserebat, *Cum omnia nobis essent nostra communia, indiuiduus spiritus, indiuiduus affectus: solum tamen commune non erat secretum amicorum, non quo conferendi periculum veremur, sed vt tenendi seruaremus fidem. Sanè si consilio pendenda res esset, erat semper commune secretum.* Sic, sic, secretũ Regis seruare honorificum est.

Eccli. 19. 11 — Tigurina. — Lyran. hic. — Clem. Alex. 6. Stromat. — Ambros. in trac. de obitu Satyri.

CAELI DAVIDICI
VERSIO VIGESIMASECVNDA.

Ex Vatablo, In Cathedra elatorum non stetit.

CIRCVLVS I.

Pestis ambitionis omnes infecit præcipuè iumẽtorum more viuentes.

1 NVllus viuacior color, & clarior vmbra ad cathedram pestilentiæ depingendam, vel poterat inueniri, vel fingi, quàm elatos in cathedra sic locare, & stantes ambitiosos in ea, sic describere, vt appareant imagines solidæ, cùm sint vmbratiles. Optimè autem dicitur cathedra pestilentiæ, vt Augustinus docet, *Pestilentia enim morbus latè peruagatus, & omnes, aut penè omnes inuoluit.* Idipsũ, breuius & clarius depingit Glosa, dum dicit, *Pestilentia morbus est, qui ferè omnes inuadit, & amore dominandi vix caret aliquis.* Sicut concupiscentiæ fomes communis est omnibus hominibus: Ita & ambitionis fomes specialis est in illis, qui instigãtur ad cathedras quærẽdas, ad venãdos honores. Rite hoc fomitis nomen ambitioni tribuitur à Tertulliano, dicente, *Habes ex isto fomite æstuãtem magnum Regem sola gloria minorem.* Ne tamen putares solum Alexandrum hoc ambitionis fomite fuisse sic æstuãtem, vt ambiret nouos orbes, quibus insatiabilis regnandi cupiditas expleretur: audi eundem pendẽtem verba Pauli, *Si quis Episcopatũ concupiscit, bonum opus concupiscit:* ita enim ipse legit, & ita exponit, *Bonum opus dicens, naturalem concupiscentiam ostendit:* vnde cognosces naturalem esse hũc fomitem, omnibusque communem, etiam renatis relictus ad agonem: immo ad tot agones, quot exhibent ambitiones: nunc in cursu, quolibet cõtendente præcedere alios: nunc in lucta, quolibet enitente deijcere alios, vt ipse corruptibilem coronam accipiat. Vnde, vel vt rara auis apparuit in terris, Basilio similis, de quo dici possit cum Nazianzeno,

Augustin. in enarr. super Psal. 1. — Glosa interl. — Tertul. lib. de Pallio c. — Idem lib. de Anima c. 1

Nazianz. in orat. 20.

In Episcoporum cathedra Dominum laudat Basilius, non honorem persecutus, sed ab honore quæsitus. Quis hodie Basilium reperiet, qui ambitiose non quærat honorem, sed honor ambitiosè quærat illum: & quem dignitas tamquam vmbra prosequatur, & non potius dignitatem tamquam fugientem persequatur? Qui talis est verè beatus est, quia in cathra elatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Vt autem hæc doctrina ex proprio deriuetur fonte, recolenda sunt, quæ Auicēnas tradidit circa pestem: ait enim: *Multoties pestis est principium corruptionis aeris ab ipso aere, propter illud, quod ei aduenit ex corruptione vicinantiū aerū.* Quod si verū est, vti & est, quis inficias eat ambitionis pestem ex vicino aere inferni efflato à serpente, ortum duxisse, cūm protoplastis dixit, *Eritis sicut dij?* Nam ex Chrysostomo, *Vbi Eua audiuit ab illo, eos Dijs fore æquales, diuinitatis spe inflata, magna quadam sicum concipiebat: tales enim sunt machinationes inimici, vt quando per elationem in sublime subduxerit, tandem & in profundum per præceps deijceret.* Vbi notandum verbum, Vt audiuit, nam verbis serpentis afflatus pestilens aer, aerē pestifera ambitionis contagione infecit, & sic cum parentibus primis omnes posteros cōtaminauit. Cùm autem ex his, quę Heraclitus Ponticus memoriæ prodit, *Iumenta peste inficiuntur primum, quia deiecta in terram, & prona in pastum,* τὰς τοσαῦτας ἰχνῶν τρίβοντας *trahant proclinius homine, cuius est surrectum corpus, purius est sublimi spirare.* Haud aliter homo, qui iumentorum vestigia sectatur, de quo & dicitur, *Homo cùm in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis:* huic pestifero morbo magis magisque redditur obnoxius, tamquā vnus ex damnato numero eorum, qui, *Oculos suos statuerunt declinare, in terram:* id est, secundum Anglicum, *In bona terrena, ad qua declinauerunt oculos suos: immo statuerūt in terram illos declinare, statuere, autem, quamdam firmitatem importat.* In quo idem significatur, quod in nostro themate dictum est, *In cathedra elatorum vel pestilentiarum stare.* Nouit Bernardus hanc generalem pestem, vnde & Eugenio scribens, dicebat, *Plena est ambitiosis Ecclesia. Si Christi discipulus es, ignescat zelus, exurgit auctoritas aduersus impudentiam hanc, & generalem pestem.* Notanda verba, *Ignescat Zelus aduersus generalem pestem:* & recolendum ex Rhodigino, *Quod medica artis scientissimi pestilenti affectione grauius grassāte, ignili crebritate malo occursant: id quod cōsequitur largius si odoratoria vrantur ligna.* Vult ergo Bernardus contra hanc ambitionis pestem odoratoriū ignē zeli diuini ignescere, vt illa ex elatorum cordibus expellatur.

Auic. lib. 1. Canon. Fen. 3. Doc. 5. c. 1

Chrisost. homil. 16. in Genes.

Heracl. Pōt. relat. á Rhodig. lib. 17. cap. 28.

Psal. 48. 13.

Psal. 16. 11

Anglic. hic

Bern. lib. 2. de consid. ad Eugen.

Rhodig. lib. 24. lect. anti. cap 22.

CIRCVLVS II.

Remedia contra pestem, optima sunt contra ambitionem.

2 EAdem remedia, quæ contra præmonstratam pestem corporalem idem Auicennas ibidem tradit, nempe, *Odores boni complexioni aeris contrarij, otium & quies, euentatio facta cum flabellis, sessio in lectis & in hospitijs vbi bene alter altis, quæ á vento rumpuntur, & aceto vti in cibo, & potu:* pro spiritali ambitionis peste spiritaliter sunt adhibenda. Vis odorem cōplexioni aeris pestiferæ ambitionis contrarium? Nardum adhibe humilitatis, animi demissionem dilige, & cum Sponsa repente, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Nā iuxta Bernardū, *Sponsa humilitas, tamquam nardus, spargit odorem suum, amore valens, deuotione vigens, opinione redolens.* Ex hoc autem humilitatis odore prouenit, ab Habitatore quietis promissa quies, ait enim, *Discite a me, quia mitis sum, & humilis*

Idem Auic. ibid.

Cant. 1. 12.

Bern. ser. 42 in Cantica.

Matt. 11. 29.

milis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Vis euentationē? En quicquid ambitio dat, & si magnum videtur, exufflando in illud, minus euadit, nec implet cor, *Aspexistis ad amplius, & ecce factum est minus, & intulistis in domum, & exufflaui illud*: opposita enim eueniunt, vt Hieronymus notat, *Spes in oculis, luctus in manibus*. Vis sessionem in lectis vehementer altis. In lecto crucis sede, & is affectus sit in te, qui fuit in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Sic in tuto positus, liber euadis a peste ambitionis, non vltra malo dæmoni assimilaris, redderis Deo similis, ditaris honore, & gloria coronaris, nā ex Basilij decreto, *Vir humilis, Deo est similis: superbus autem diabolo similis est.* Nec in alto Crucis lecto acetum deest, vnde & dicere possis cum Ruth, *Intingo buccellam meā in aceto.*

Aggæi 1. 9.

Hieron. lib. 1. commen. in c. 1. Aggæi

Basil. in exhort. ad Filium spirit.

Ruth 2. 14.

CIRCVLVS III.

Ambitio fel est, est onus, est crux, quæ in discrimen mortis æternæ animam conijcit.

3 SI tibi fortè, videbitur & amara valde aceti medicina, & aspera nimiū habitatio sublimis, & crucis lectus laboriosus nimis: considera ambitiosi cruciatus, nō enim aceto, sed absynthio & felle potatus, conqueritur, *Circumdedit me felle, & labore*. Perpende onera grauia, sub quibus gemit, vt super cathedram euehi aliquādo possit. Et pende crucem, in qua diū cruciatur, vt cum Bernardo repetas, O *ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotijs eius.* Nullum venenum magis immedicabile, quam medicatum: & nullum toxicum taxeum magis, quàm dulcoratum: dum enim ingreditur blande, ori placet, ori placendo, cordi nocet: & nocendo cordi, insanabiliter necat. Hinc idem Bernardus, de tua salute solicitus, his te verbis absterret, *Nullum tibi venenum, nullum gladiū plus formido, quàm libidinē dominandi.* Hoc venenum, hunc gladium Philippo ignotum, Diogenes ignotus ante eū ductus, eique exclamāti, *Explorator:* notum fecit, ita illum arguens, *Prorsus explorator, nam huc veni inspecturus insaniam tuam, qui non contentus regno Macedonum, alienis captans, temet in discrimen conijcis, ne & regno, & vita priueris.* O quot Ambitiosis hoc idem posset nunc obiici, qui etsi fideles nomine, re infideles, Animam, cuius pretium æstimatore Basilio, *Nec mundus est vniuersus, nec poterit illam adæquare mundus:* Eam insipientes in discrimen conijciūt æternæ mortis, vt temporaneos honores adipiscantur, vt & aliquod imperandi munus obtineant.

Thr. 3. 5.

Bern. lib. 1. de cōsid. ad Eugen. Pap.

Bern. ibidē.

Ex lib. 3. Apopht. vbi de Diogene nu. 72.

Basil. in homil. super Ps. 48.

CIRCVLVS IV.

Ambitiosi labores graues sustinent, requiem querentes, vbi cura onerosa reperitur.

4 HIs coloribus, & his vmbris describebat Iacob labores Issachar, & onera ab eo libenter sumpta, *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos: vidit requiem, quòd esset bona, & terram, quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandū, factusque est tributis seruiens.* Si ergo Issachar, idem est ex Ambrosij ethimologia, ac merces: & Ambitionis seruus, non Dominum cognoscit, vt animal mundum: sed vt immundum, Domini ad mercedem tātum oculos declinat: conqueri iure, non

Gen. 49. 14. 14.

Ambros. li. de bened. Patriar. c. 4.

Hebræus apud glos. ordin. Pagnin. in 1 annot. c. 49 Gen. Hugo Vict. de propriet. rerum lib. 4. cap. 1.

poterit, si dicatur asinus fortis: Vel ex Hebræo, *Asinus osseus*: Vel ex Pagnino, *Asinus dorsi, aut dorseus: id est, forte dorsum habens*: ea tamen forma, qua figuratur ab Hugone Victorino, *In posterioribus fortior, in anterioribus debilior, crucem in dorso gerit, aculeo pungitur, carduis & lyra delectatur, & ei primum insedit homo*. Sic, sic ambitiosus in hac cathedra primum insedit, fortis est in posterioribus, quorum Paulus obliuiscebatur: debilis in anterioribus, ad quæ ille cursum dirigebat: crucem ambitionis in dorso sic portat, vt totus osseus vel dorseus videatur, nam verè nisi ambitio & appetitus dominandi ei vires suppeditaret, quomodo posset tot aculeorum ac spinarum sustinere puugêtes morsus, dum accubans inter terminos sordet, inuidia dirumpitur, videns æmulum sedere in præclaris, se in obscuris derelicto? Sed cur in curia moratur? Quia vidit requiem quod bona, & terram quod optima. Sed quænam est hæc requies? Cura animarum, infularũ dignitas, Episcoparus onus. O nouum, o insoles insaniæ genus, ò phantasma deprauatum. Ergone in cura securitas? in labores quies? in prælatura pax? Sed esto, ait Bernardus, q̃rẽs curras ad illã, nõ tamẽ vt requiescas in illa, *Curritur in clero passim ab omni ætate, & ordine, a doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tãquã sine curis, iam quisque victurus sit, cũ ad curas peruenerit*. Vnde hoc? qa venenũ medicatũ dulce videtur, & ipse vidit terram, quòd optima: Vel ex Oleastro, *Vidit terram, quia dulcis*. Et sicut dulcis Syrenę cantus alliciens nauigantes, illuc eos trahebat, vbi portum inuenire sperabant, sed mortem inueniebant: Ita & hi a dulci ecclesiæ terra, a reditibus & a dignitate abstracti & illecti, vela pandentes desideriorum, omnem lapidem mouent, vt requiem aliquam obtineant, sed nesciunt, quod pedes eorum descendunt in mortem, & per semitam vitæ non ambulant: nam hi honores, sicut vocatis a Deo tamquam Aaron, coronam gloriæ præparant: ita ab ambitione vocatis, & catenam tenebrarum parant, & caput adimunt, quod basis est coronæ. Id nouerat Septimius, cùm dicebat, *Non emo capite coronam*: quasi dicat, Si caput datur pro coronæ pretio, quis vsus coronæ erit, cùm ipsa capitis ornamentum sit, quod datum est pro ea ambitiosè obtinenda? Heu! si ambitio pœna capitis est, & abolitio vitæ, quis inficiabitur ambitiosum & viuum & mortuum esse? mortuum ad honores, ad labores viuum, fortem, osseum, dorsi, dorseum, & sic Lyra delectarum, immo incantatum, vt honoribus non perfruatur, & laboribus opprimatur. Sic ambitiosorum Principi insultat Isaias, *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui dicebat in corde tuo, in cælum conscendã? Bone Deus! Si de cælo cecidit, ergo in cælo erat: quomodo ergo dicit, In cælum conscendam? Heu! qui in cælo erat, & ante ambitionem felix Angelus erat: post ambitionem, sic deprauatus est, vt degenerauerit in dæmonem, & dæmonis subierit calamitates, & obnoxius euaserit pœnarũ diaboli*.

Bern. in ep. 43.

Oleaster in c. 49. Genes. in 1. annot.

Tertull. in Apologetico c. 42. ex Pamelio.

Isa. 14. 12.

CIRCVLVS V.

Ambitio sic hominis cor rodit, sicut ærugo ferrum.

5 MIrabilis apparet rerum parens natura, quæ nolẽs aliquem de propria fortitudine gloriari, vel in virtute propria cõfidere, voluit vt etiam ferrum, de quo dicitur, *Ferrum comminuit, & domat omnia*: a vili ærugine domari, immo comminui. Sed quanto mirabilior æstimari debet naturæ Author, qui non permittens auida ambitiosorum corda perfrui optatis, hac erodit ærugine, atque cõsumit? Quis neget ambitiosos auidè optare eorum imperio subiici omnia, non præuidentes animo ter-

Daniel. 2. 40

Isa.5.8. terrificam comminationem, *Va qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Vel ex Forer. hic. Forerio, *Donec nihil loci: vel non locus pro alijs supersit?* De quo, & Bern. in epi. 42. Bernardus conqueritur *Numquid in istis dumtaxat exiguis va illud metuendum est, non autem cùm vrbes vrbibus, aut prouinciæ prouincijs continuantur: facientes & ipsi vtraque vnum, adducentes & ipsi ex diuersis pascuis greges, vt fiat vnus pastor, & vnum ouile?* Contra hos ergo, qui inexplebili desiderio vellent omnia domare ferro vasti appetitus, quid opposuit iustus Iudex? eruginem, quæ cor corrodit, fiunt n. sane quãplurima præter vota, voluntatesque eorum. Esaias Abb. orat. 16. de gaudio animę Deo seruientis. Audiamus Esaiam Abbatem. *Quemadmodum ærugo ferrum consumit, sic ambitio cor hominis edit.* Et videamus id totum in Antiocho impletum, qui dum instar ferri, omnia comminuere desiderabat, audiens oppositum accidisse, *Incidit in languorem præ tristitia, & arbitratus est se mori.* 1. Machab. 6.8.

CIRCVLVS VI.

Remedia contra ambitionem, amor Dei, & proximi.

Plin. lib. 35. cap. 14. 6 SI remedia contra rubiginẽ quęris hoc Plinius affert, *A rubigine enim ferrum vindicatur cerussa, & gypso, & liquida pice, nam hac est temperatura a Græcis antipathia dicta* Tu verò si optas, vti & optare debes, hanc corrodentem eruginis ambitionem, & cupiditatem dominandi eliminare, adhibe non cerussam, sed Dei amorem: nec gypsum, sed erga proximum caritatem. Hoc tibi remedium obtulit Idiota nomine, sed sapiens medicus re, sic dicens, *Custodit verus amor ab ambitione, quæ est, cùm quis quærit sui exaltationem, & proximi deiectionem, vt sic altior* Idiota lib. 1 contempl. de amore diuino c. 25 *factus, a pluribus videri possit, & in admiratione haberi: nam verus amor, sui exaltationem, & proximi deiectionem non quærit.* Ad idem tendit Cæsarij doctrina, de amore in certamen posito cum amore, nam perfecta Christi caritas, quæ mundi triumphat principem: omnem è corde pellit ambitiosum amorem, omnemque superbiam superat & expellit, vnde ait, *Omnibus notum est quia amor amore vincitur. Quem ergo superbia destruebat, humilitas ædificet: & quem malitia vel inuidia, tamquam vipereo veneno persusserat, caritatis dulcedo componat* Sicut ergo ex carne viperæ tale componitur præsens remedium quod theriaca appellatus, vt mortifero veneno salutaris medela paretur: Sic amor platuræ, & ambitiosus cathedræ appetitus, amore curatur, & ab amore vincitur diuino, de cuius victoria canitur, *Fortis est vt mors dilectio* Nam Dei dilectio mortem affert cuilibet oppositæ dilectioni, qa amor amore vincitur, & perfecta Christi caritas, ne dum de mundi triumphat principe, sed & triũphat de principatus affectu. Cæsarius hom. 10. vt cogitationes turpes debeamus fugere. Cant. 8.6.

CIRCVLVS VII.

Non quæri debet ducatus nec cathedra, quia requirunt exemplum, & doctrinam.

7 AMbitiosus ergo, qui dignitates quærit, & se demonstrat inermem, & amorem diuinum non sibi esse adiutorem, quia si hic victor adesset, nec amor vanus vt victus in cor assurgeret, nec digna onera vel honores quæreret: immo obseruaret Ecclesiastici monitum & documentum, *Noli quærere à Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris.* O mitam artem, qua docẽs prælaturã esse ducatum & cathedram, & monendo docet, & docendo mo- Eccli 7.3.

net vt neutrum vel a Domino, vel a Rege, aut a principe aliquis requirat, nã si in ducatu exemplum vitæ, in cathedra lumen doctrinæ, quæ sunt elementa, vnde componi debet Prælatus, ostenditur, quis audebit vltrò, & nõ vocatus id petere: cùm deberet etiam vocatus, tanto se oneri, vt imperem, nè succũberet, subtrahere? Non mea, sed Hugonis est ponderatio, *Et ostenditur per hæc duo verba, Ducatus, & Cathedra, quid requiratur in eis, qui præsunt, id est, ducatum exempli, & doctrinam verbi. Redarguit autem ambitiosos, primò quia se ingerunt nõ vocati, vnde dicit, Noli quærere: & secundo quia carnaliter, & à carnalibus promouentur, non intuitu Dei, sed sanguinis, vnde dicit,* Neque à Rege cathedram honoris.

Hugo Car. hic.

CIRCVLVS VIII.

Ambitiosis non dantur honores, nisi rectorem tenebrarum adorent: nam regnare seruire est.

8 NOtanda verba, per quæ in eodem throno, & Deum, & Regem collocat, à quibus ducatus, vel honores quæruntur, quia sic Benefici reges ab ambitiosis adorantur ac Deus, nam & Rex super omnes filios superbiæ, non aliter, vt Bernardus obseruabat, Domino vniuersæ terræ omnia regna mundi & gloriam eorum promisit in monte, nisi cadens, ipsum adoraret. Sic ergo fatur, *Tertia tentatio de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promisit si cadens adoraret eum. Vides ne, quòd ambitionis via, adoratio diaboli est, quia videlicet ad honores & gloriã mundi perueniendum suis ille adoratoribus pollicetur?* Hine Philo vt demonstret Deum non egere pedibus, sic fatur, *Pedes ei dabimus progrediendi gratia? Ad quem accedet, quum neminem honorare parem habent?* Ac si diceret, eam ob causã pedes ei non concedo, quia neminem habet, cui honorem deferat, vel quem adoret, vt ab eo aliquid consequatur. Quasi ad nil aliud homines pedum officio vtantur, quàm vt eis reuerentiam exhibeãt, eosque adorent, à quibus aliquid venari satagunt. Pergit alibi Philo ad hanc seruitutem candidatorum demõstrãdam in Ioseph, qui prius in seruum venditur, quàm Rex conclametur. *Nam qui auram populi captans, locum superiorem ascendit, sicut venalitius seruus fit ex ingenuo propter honores, quos videtur accipere, addicens se innumeris dominis.* Testes addamus sapientes Consiliarios Roboam, *Qui dixerunt ei, Si hodie obedieris populo huic, & seruieris, erunt tibi serui cũctis diebus.* O mirum: de Rege eligendo agitur, & Regi obedientia & seruitus, non vni, sed toti populo proponitis? Ita est, quia seruitus ad regnum ducit, & regnare seruire est, & addicere se innumeris dominis, illisque durissimis. Vnde Philo de eodem Ioseph asserit, *Rectè autem dicitur, vendi hunc hominem. Nam qui auram populi captans concionaturus locum superiorem ascendit, sicut venalicii, seruus fit ex ingenuo propter honores, quos videtur accipere, addicens se innumeris dominis. Idem à feris circumuentus inducitur, quod huic insidietur immanis bestia vanagloria, corripere ac deuorare tales solita. At emptores eum reuendunt, quoniam non vnus est dominus tractantibus rempublicam, sed vulgus, aliis post alios dominis succedit.* Et Pharaonem induxit hæc verba ei loquentem, dum torquem aureã collo imponit, *Hanc torquem donaui tibi ornamentum in prosperitate, vinculum in aduersitate.* Nam torques aurea non ad gloriam solum, sed & ad pœnam pertinere videtur, dum viro iniecta, in torquem pertrahitur, idem insigne est commune principibus ac mancipiis. Et quidem iure, est enim, qui præest reipublicæ seruus. Id bene nouit, & optime docuit Antigo-

Bern. super Psa. qui habitat.

Philo Heb. in lib. quòd Deus sit immutabilis.

Philo in li. de Ioseph.

3. Reg. 12. 7.

Idem ibid.

Idem ibid.

Ex lib. 8. Apopht. vbi de Antig. nu. 38.

nus Rex, *Conspiciens enim filium suum, in quos habebat imperium ferociter tractantem, atque insolentius: An ignoras, inquit, fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem?* Nihil dici potuit cordatius: Nam princeps non minus obseruire cogitur populo, quàm populus principi, nisi quod Princeps id facit cũ dignitate, sed re vera, natura seruitus est. Vnde Ambrosius, *Ambitio, vt dominetur alijs, prius seruit, curuatur obsequio, vt honore donetur: & dũ vult esse sublimior, fit demissior.* O verba cedro digna! Iudicium prolatum à Noe, *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit*: arduũ negotium facessit Expositoribus. Cum enim inter filios Cham, Nẽrod enumeretur, de quo dicitur, *Ipse cæpit esse potens in terra. Fuit autem principium regni illius Babylon, & Arach, & Achad, & Galanne in terra Sennaar:* quomodo verificata est vel prædictio, vel maledictio seruitutis, qua dicitur seruus seruorum, quo nomine, vt Rupertus notat, *Seruitus extrema, immo seruilis conditio solet exprimi:* si in orbe obtinuit principatus? Vtique, nam quo pluribus principabatur, eò pluribus seruiebat, & subdebatur. Repetam cum Chrysostomo, *Hoccine quæso, honor existimatur, hoc principatus, hoc potestatis insigne?* Hinc, vbi nos legimus de prima Regis Israelitici electione, *Et applicuit Tribum Beniamin, & cecidit cognatio Metri*: Sixtina vertit, *Applicuit sceptrũ in Tribus, & forte capitur Tribus Metri.* Bone Deus! si sceptrum applicatur pro regni electione, quomodo, qui in Regem eligitur, non potius dicitur capere sceptrum, quã capi à regno? Sicut capi dicimus hominem à Barbaris, dum illorum mancipiũ euadit: ita si Rex electus sorte capitur, ergo mancipium fit: mancipium enim iuxta nominis ethimologiam, significat manu captarũ. Sic Diogenes dicenti, *Viros supero in Pythijs: Aequidem, inquit, viros: te vero, mancipia. Mancipia autem vocabat, qui seruirent cupiditatibus.* Principes enim vitiosi, qui alijs

Ambros li. 4. in Lucam

Genes. 9. 25.

Genes. 10. 8. & 10.

Ruper. Ab. lib. 4. in Genes. cap. 37.

Chrysost. ho. 1. in epi. ad Titum.

1. Reg. 10. 21. Sixtiana.

Ex lib. 3. Apopht. vbi de Diogene nu. 30.

principantur, serui seruorum sunt, quia, vt Chrysologus docet, diabolo subijciuntur, *Qui dominatur turpissimis mentibus, turpissima seruitute, & sic confundit populos pompa rerum.* Pompa species quædam est, quæ tam in prosperis dicitur, quàm in aduersis, vt popa triumphi, & pompa funeris. Pompa ergo Principatus, pompa funeris est, quę populos confundit sub specie pompæ triumphi.

Chrysolog. ser. 105. de muliere, quæ habebat spiritũ infirmitatis.

CIRCVLVS IX.

Ambitiosi similes vaporibus, qui vix in cælum elati, in terram decidunt.

9 Eleuatur sæpe, vel ex sinu terræ, vel ex gremio maris obscurus vapor, alas expandit, aerẽ scindit, ad æthera volat, alta petit, in sublimi sedem ponit, purpura vestitur, a ventis circumagitur, fulgetra emittit, tonitruis terret, fulgura iacit, & fulmina vibrat: sed in pluuiam solutus, ad locum vnde exierat reuersus, dispàret, & sic in nihilum redigitur, vt qui eleuatus fuerat in sublime, & deijciatur ad ima, & in profundum ruat. Ita homines ambitiosi de terra vili assumpti, & ad honores ac dignitates elati, inde decidunt, & in lutum cum luctu sic conuertuntur, vt de ijs iure dicatur, *Deiecisti eos dum alleuarentur*. Nam ex Pontificio Decreto, *Cùm alleuatur, deijcitur, qui honoribus proficit, moribus cadit.* Sicut ergo Deus deijcit eos, qui se eleuãt: ita extollit, q se deijciunt. Vide Magistrũ humilitatis in pueritia adoratum à Regibus, de quo dicit Matthæus, *Inuenerũt puerum cũ Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum*: & verba Bernardi obserua, *In prima apparitione cum Virgine Matre voluit apparere, quòd verecundia quadam in virgine significetur.* Quasi diceret, adeo Christus humilitatis doctor humanos honores detractabat, vt si

Psal. 72. 18.

Greg. Papa lib. epist. 7. epist. 115.

Matth. 2. 11.

Bern. serm. 1. de Epiph.

quando diuinæ voluntati inseruiens adorari pateretur, nonnisi virgineo perfusus rubore honorem exciperet. Excipit quidem, quia puer, nam vbi iam vir, quæritur ad regnum, fugit. Et excipit, quia cum Matre eius, opus enim fuit, vt ab ea detineretur, ne abiret, dũ summo honore Reges eum prosequebantur. Sic, sic iam factus vir, euacuauit, quæ erant paruuli, regios honores fugiens in virili ætate, quos acceperat in infantili, & exẽplo docens, quod prædixerat verbo, Non veni ministrari, sed ministrare. His ergo modis nos instruit, præbet viuendi formam, dat normam obediendi, pandit discrimina dominãdi, humilitatis proponit stipendia, contemptus mundi exponit insignia, virtutum omnium commẽdat exemplaria, & coronarum disponit premia, *Qui enim se humiliauerit, exaltabitur.* Ideo expertus docebat vos Bernardus, *Perseuerate in disciplina, vt per humilitatem ad sublimitatem ascendatis, quia hæc est via, & non alia prĉter ipsam, qui aliter vadit, cadit potius, quàm ascẽdat: quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam.*

Matt.23.12.

Bern. ser. 2. de Asc. Domini.

CIRCVLVS X.

Christo paruulo datur regnum, ne maior factus subterfugiat onus.

10 SEd in illis verbis, Inuenerũt puerum, latens adhuc, & occultum mysterium penitus vestigantes, dicamus & nos, Christo iã rege Iudæorum nato, & a Gẽtibus adorato, Sponsam dari Ecclesiam, & regimen tribuitur totius orbis, Currunt enim cum muneribus Magi ad regias nuptias. Si tamen quæras, cur puero hæc vxor datur? Responderi posset, & bene, quòd sicut parentes filiam deformem nuptui tradituri, virgineum pudorem prætendentes, occultant, donec vir, alias inuisam, non visam ducat, ne à matrimonio resiliat:

Matt.2.11.

Non aliter Christus Dominus in ipso vitæ limine Rex inauguratur, ne si labores regiæ dignitatis viderit, tantum onus obire detrectet. Non auderem id scribere, nisi in Concilio Ephesino sic legissem, *Primò Verbum homo nostri similis, factũ est, vt principatum in nos gereret, necessaria quadam ratione statim inaugurandum.* Id autem totum pro nostra intelligentia figuratur, nam Christus etiam in conceptionis initio omnia nouerat: attamen ei Pater dicit, *Hodie genui te, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hoc autem factum est eadem die, qua sibi corpus effinxit, ne scilicet postea honores & onera pendens, ne onera subiret, honorem subterfugeret: ideo vt principatum in nos gereret, necessaria quadam ratione statim inaugurandum fuit. Et vbi vix reperitur exitus in verbis Samuelis, dicentis, *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset*: hoc filo à tali labyrintho egredi possemus, sequentes Chaldæi ducatum, *Sicut filius vnius anni, in quo non sunt culpæ, Saul erat, quando regnauit.* Nam certe, si talis non erat, numquam tanto oneri se subiecisset. Expertum testem, immo iudicem afferam in hac causa, talis est Seleucus Rex, qui dicere solebat, *Si multi scirent quanti sit negotij, tantummodo tot epistolas scribere, & legere, nec humi proiectum diadema tolleret.*

Conc. Ephe sin. tit. de obedie. Christi.

Psal.2.7.

1. Reg.13.1

Chaldęus.

Ex lib.8. Apoph. vbi de Seleuc.n.37

CIRCVLVS XI.

Dignitates potius fugiendæ, quàm persequendæ.

11 SEd quid non egit hic Puer, ne oblatum diadema tolleret? Abscondit se, nec apparuit, donec diuino Oraculo detegeretur. Vnde Procopius, *Saul considerans hanc potestatem sua dignitate & meritis longe excellentiorem & superiorem esse, occultè latere tentabat.*

Procop. in cap. 13. lib. 1. Regum.

Et

Lyra nushic. Et cantum Procopij a diuuat sonus Lyræ, *Hoc factum est ex instinctu diuino, ad ostendendum, quòd nullus ingerere se debeat ad huiusmodi dignitates.* Breuis autem est sonus, extendi enim poterat, vt nedum homo non se ad illas ingerat, sed etiam oblatas, ita recuser & fugiat, vt si hinc flamma proposita, inde Laurea, viperam imitetur, & potius se se in flammas immittat, quàm Lauream tangat. Sic Elcana Princeps populi salutatus, referente Philone, populo respondit, *Non possum dux esse super populum istum: sed si peccata mea comprehenderunt me, vt superuolaret super me fors, ego me interficiam, vt non me contaminetis. Iustius est enim me pro peccatis meis tantummodo mori, quàm sustinere pondus populi.* Quod, etsi per hyperbolem dictum sit, nam seipsum interficere non est in hominis potestate: nō tamē poterat is apertius demonstrare, occulta sub regio pallio pericula, nisi cum mortis periculis ea compararet, & periculosiora ostenderet, ac magis noxia. — in antiquit. Biblicis. — Philo Heb.

CAELI DAVIDICI
VERSIO VIGESIMATERTIA.
In Psal. primi, Versus Primi, Part. quartam.

Ex Quinta editione, In Cathedra iniquorum inuentus non est.

CIRCVLVS I.

Ambitio & auaritia communes habēt affectus, communes defectus, & pestiferos spiritus communes.

1 NON mirum, quod auaritia quæ aurum & argentum tenaciter seruat, circa titulos sit liberalis, & sicut ipsa iniqui Mammonæ nomen habet, ita & auaros iniquos dici velit, & ambitioni communicet insatiabilem appetitum. Illi enim colores, quibus Theophilus ad auaritiam describendam vtitur, ijdem & valēt ad ambitionem depingendam, *Non est compos mētis, sed quasi ebria fluctuat, vnam habens mensuram, extra mensuram semper inquirere.* Vtinam posset vel sterilis mēs cōcipere, vel rudis penicillus exprimere, quæ Alexādrinus illis verbis adumbrat, Quasi ebria fluctuat. Sicut nauis in altitudine æstuantis maris posita, fluctibus exposita, a pestiferis ventis turbata, ab infestis turbinibus agitata, hinc mota, inde commota, nunc ascendit vsque ad cælos, nūc vsq ad inferos descēdit: nūc ab inferis de nouo emersa, redit ad cælos: nūc á cęlo deturbata, ad inferos denuo apparet immersa, quasi ludus fortunę, & mortis iocus. Simili iactu ac fluctu ambitionis in naui agitatos descripsit Bernardus, dicēs, *O infinita sēper ambitio, & insatiabilis auaritia. Cū primū honoris gradum meruerint in Ecclesia, verbi gratia, cum factus fuerit in quacumque Ecclesia Decanus, Prae-* — Theophil. Alex. epist. 3. de digna Paschæ celebrat. — Bern. in ep. 42. ad Henricum.

po-

poſitus, Archidiaconus, aut aliquid huiuſmodi: en fluctibus eleuatur lignum: ſed ſtatim deprimitur, nec in illo quieſcit, ſed ad inferos deſcendit, & ſicut infernus, numquã dicit, Sufficit: ita hoc ei non ſufficit, *Et non contentus in vno, vel in vna; plures ſibi, immo, quotquot valet conquirere honores, ſatagit tam in vna, quàm in pluribus.* Eleuatur ad cælos fluctibus honorum plurium, ſed ibi non quieſcit, immo, ad inferos, inſatiabilis, de nouo deſcendit, & priuatos titulos cum Epiſcopali ſatagit cõmutare, *Quibus omnibus, ſi locus eueniret, libenter vnius præfert Epiſcopi dignitatẽ.* Hoc ſi elatus ſit fluctu, quieſcit, an non? minimè verò, ſed ad inferos trahitur, & nouo exæſtuat deſiderio. Vnde ſubdit Bernardus, *Sed numquid ſic ſatiabitur? Factus Epiſcopus: Archiepiſcopus eſſe deſiderat. Quo fortè adepto, rurſus neſcio quid altius ſomnians, laborioſis itineribus & ſumptuoſis familiaribus, Romanum ſtatuit frequentare palatium.* Et in hoc mari magno, nunc aſcendunt vſque ad Cælos, nũc ad abyſſos deſcendũt, & numquam quieſcunt, numquam dicunt, Sufficit. O infinita ſemper ambitio, o inſatiabilis auaritia, quæ ardentes ſpiritus & ſæua toxica inuicẽ cõmunicatis. Intuitus Diogenes duas feminas clam inter ſe conferentes ſermonem, *Sumit, inquit, venenum à vipera aſpis mutuo.* At Salomon ambitione, & auaritiam amice ſe oſculantes vidis, mala auſpicatus, dicebat, *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes Affer, affer.* Vbi Bernardus, *Auaritia & appetitus laudis ſibi inuicem aduerſantur, nam quod illa congregat, hæc diſpergit. Hæc autem ſic diſſimilia mala ex vna radice pullularunt, propria ſcilicet voluntatis, huius enim ſanguiſugæ duæ ſũt inſatiabiles filiæ, clamantes, Affer, affer.* Et explicans hos ambitionis clamores alibi ſubdit, *Cùm primos honoris gradus meruerint in Eccleſia; non ideo corda quieſcunt duplici ſemper æſtuantia deſiderio, quo vtique magis ac magis; & dilatentur in plura: & ad celſiora ſublimentur.* Sed ne cum iniquis auaris auari ſimus, æquè patiamur verba, & abſoluto iã ambitionis circulo, auaritiæ ſequamur gyrum.

Idem ibid.

Idem ibid.

Diogenes relatos ab Anton. Monacho in Meliſſa lib. 2. c. 54.

Prou. 30. 15

Bernard. in illud, Ecce nos reliquimus omnia.

Bern. in ep. 42. ad Henricum.

CIRCVLVS II.

Iniquorum nomen iurè debetur auaris.

2 CAthedra auaritiæ iniquorum cathedra non immeritò dicitur, cùm iniquo Mammonæ ſeruiant, atque iniquitatis mãcipia ſi t & dicantur. Sic cæleſtis Rex titulos inter ſeruum ac Dominum communicauit, illum vocans, *Villicum iniquitatis: hunc, Mãmona iniquitatis:* Nam ex Auguſtino, *Quod Hebræi vocant Mammona, latinè diuitiæ vocantur, ac ſi diceret, Facite vobis amicos de diuitijs iniquitatis.* Iniquitatis quidem diuitiæ dicuntur tamquam furtiuè paratæ, & iniuſtè ſic partæ, vt verificetur in eis oraculum Habacuc, *Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian.* Si quæras quinã ſunt tetri Aethiopes tenebrarum amatores? Hieronymus reſpondet, quod, *Dæmones intelliguntur.* Si, quæ ſunt tabernacula? Repetit, *Eorum tabernaculũ fieri, quicumque in hoc ſæculo propter honores & diuitias laborarit.* Si, quid ſignificet tabernacula eſſe iniquitatis? Replicat, *Quod ſignanter ſub vno verbo iniquitatis oſtenditur, omnis enim diues, aut iniquus, aut iniqui heres eſt. Iſti ergo pro laboribus ſuis efficiuntur hoſpitium dæmonum, & qui templum Dei eſſe debebant, fiũt tabernaculum Aethiopũ.* Quod ſi vltra exquiras, quid ſignificetur per verba, *Turbabuntur pelles terræ Madian?* concludit & ipſe, eoſdem intelligi debere tabernacula Æthiopum; & tabernacula terræ Madian. *Poſtquam enim ditati fuerint, & per fas & nefas ad altiſſimum gradum conſcenderint, tunc conſcientia peccatorum ſuorum, ſemper mortem, ſemper iudicium formidabunt, & ad leuẽ ſtrepitum, quaſi latrones in carcere. Ita de æternis*

Luc. 16. 8.

Auguſt. relatus à D. Th. in Cat. ſup. cap. 16. Matt.

Habac. 3. 7.

Hierony. li. 2. com. in c. 3. Habac.

ſup-

supplicijs suspirabunt, Madian enim significat, Ex iudicio. Quidni de iudicio latrones turbentur? Et latrones verè iniqui auari sunt, qui a Mammona, id est, ab iniquo diabolo diuitias acceperũt. Habent,& Iusti diuitias, sed a diuitiarum Domino,& ideo iustas: habent & iniqui diuitias,sed a diabolo iniquo, & ideo iniustas. Iustus dum diuitias habet, habet ius ad rem, nam iustitia & virtus bona etiam temporanea a Patre luminũ obtinent:& dum possident, vt filij patrimonium Patris, iustè possident,iuxta Pontificium Decretũ, *Diuitiæ & opes virtutis patrimonia sunt.* Iniqui vero nullum habent ius ad rem,neque in re, nam vitio suo demerentur omnia bona, & dum eis iniquus diabolus vt fur ea tribuit,iniquè possidẽt,quia a fure recipiunt,& non a Domino rei.

Greg. Pap. lib.4.moral. cap. 5.

3 Ferat in hac lite, & iustam & perfectam Imperfectus sententiã, ipse expendens falsam falsarij Spiritus promissionem,*Hæc omnia tibi dabo*: sic monet,*Ea, quæ per iniquitatem acquiruntur in mundo, vt puta, si per furtum aut vim acquisisti diuitias,aut aliquos, perditione animæ tuæ, suscepisti honores: illas tibi diuitias diabolus dedit,sed non illa diuitiæ diaboli sunt, sed promissio earũ. Res autem ipsa illius sunt, qui creauit eas ad probationes Sanctorum, & peccatorum. Et inter duas conditiones posuit eas in medio, vt diabolus possit illas dare,& Deus:nam dans potestatem diabolo, non a se dimisit,vt si quidem cum peccato acquirantur, per diabolum dentur:sin autem sine peccato, a Deo.*

Matt.4.9. Auct. oper. imperf. in Matt. ho. 5.

4 Nec lapis Lydius probans an a Deo vel a diabolo diuitias habas certior reperitur,quam si eas pauperibus erogas, vel auarus recondis:in illo enim Iustus probaris, in hoc declararis iniquus,& adeo iniquus,vt iniquius nihil, *Nihil est enim iniquius,quàm amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet*. Hinc infert Diuus Thomas *Nihil auaro iniquius,quia ipse non tantum iniquus est in Deum, & proximum, sed etiam in seipsum: habet enim animam suam venalem.* Si cum Græco legas, ποιεῖ, *id est, facit* optimè consonat,quia pro auro vẽdit animam suam diabolo vti faciunt Magi & Sagæ.Si autem cum Tigurina,*Hic autem animam suam exigit*: id est, vitam, quia cogit multos fame disperire: cognosces quàm opportune Sapiens inferat, *Quoniam in vita sua proiecit intima sua*: nam auarus sic exuit omnem humanitatem,ac si a se viscera, in quibus sedes est misericordiæ, ob pecuniam abiecisset. Audiamus interrogantem, ac respondentem Augustinum, *Quid est proiecit, nisi porrò iecit?hoc est exire foras. Etenim intrare intro, appetere intima est: proijcere intima, foras exire est.* En foras exeunt viscera & præcordia, de quibus dicitur, *Vbi thesaurus vester est,ibi & cor vestrũ erit*,Vt D. Antonius Patauinus demonstrauit.

Eccli.10.10

D.Tho.2.2. q.118.ar.5. ad 1.

Græcus.

Tigurina.

Augu.tract. 25. in Ioan.

In vita S. Antonij Patauini.

CIRCVLVS III.

Diuitiæ bonæ sunt, si quis eis bene vtatur: pessimæ,si male.

5 Bone Deus! Si res inamabilis amari non potest, quo modo potest homo pecuniam,nedum amare,sed deperire in illam, vbi illa, ò nouum calamitatis genus,*Plus in eum,qui dilexerit,sæuit*? Sicut Paulus de lege statuit, *Bona est lex,si quis ea legitimè vtatur*: etiã ipse de pecunia dicam, bona est pecunia,si quis ea legitimè vtatur: & si bona est, & amabilis erit. Nil ergo magis amabile, quàm pecunia,& nil odibile magis,quàm illa. Dic mihi quid significat pecuniẹ nomen? Chrysostomus respondet, *Pecuniæ Chremata Græca lingua dicuntur:quia non suffodere, sed vti eis debemus, cùm Chraoma Græca. Latinè,vtor dicamus.* Cùm ergo pecuniæ ab vsu dicantur & ducantur, & amabiles, & abominabiles sunt: abominabiles,si tu retinens, non bene vteris: amabiles,si tu largiẽs,

Zeno Episc. Veron. ser. 3. de Auaritia.

1. Tim.1.8.

Chrysost. tomi 50.in c.14. Matt.

bene

bene diſpenſas. Quàm malè vſus eſt Nabucobdonoſor pecunia & auro, ex eis condens ſtatuam, & adorās: ſed quàm benè tres Pueri, potius eligentes in fornacem inijci, quàm illi flectere genu? Et admirans conſpice affectibus varijs varios reſpōdēres effectus ab eodē

Idem ibid.

Chryſoſtomo deſcriptos, *Qui imagines adorant, multa habētes, & multa poſſidentes, hi exuruntur, & paupertatem acrius ſentiunt, nam, quo plura habent, plura appetunt, atque adeo pluribus indigent. Qui autem nihil poſſident, tribus pueris ſimiles, cùm ſint in paupertate, rore aſperguntur. Sicut etiam & tunc, qui pueros in ignem iniecerunt, conflagrarunt: illi autem in medio fornacis erant, tamquam in rore, & aqua.* Statuæ huius facies, ſicut ex arte proſpectiuæ formata, duplicem habet intuitum, & Iuſti, qui eam a ſiniſtris aſpiciunt, deſpiciunt, & abominātur: auari amant, cùm dextera eorum dextera ſit iniquitatis, a dextris eam inſpiciunt, & decepti, ac faſcinati in eam depereunt.

6 Aureum os auaros aſsimilabat meretricibus, ſed cū tali diſcri-

Chryſoſt. hom. 15. in ep. ad Heb.

mine, *Quia hæ corpus ſuum quæſtui deuouent, & pecunia vendunt: at auarus non corpus, ſed animam ſuam proſtituit diabolo, vt intret ad eam, veluti ad meretricem, & impleta omni cupiditate egrediatur.* Sed eo modo, quo de meretricibus varium eſt iudicium, nam Sapiens

Eccl. 9. 10.

dicit, *Meretrix vt ſtercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur:* Vbi vero in habitu meretricio

Prou. 7. 22.

vecordi occurrit, hic *Statim eā ſequitur, quaſi bos ductus ad victimā:* Idem eſt de diuitijs ſentiendum. Iuſti eas contemnunt, & cum Paulo dicunt, *Omnia arbitratus ſum vt*

AdPhil. 3. 8

ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. At auari faſcinati fucatum videntes aurum, eius prædæ patent, nam

Prou. 24. 2.

Rapinas meditatur mens eorum: Vel ex Hebræo, *Fucos meditatur cor eorum:* Vbi Chryſoſtomus, *Quemadmodum meretricantium mulierum forma fictionibus & fucis compoſita, pulchritudinem mentiuntur, qua omnino carent: Ita diuitiæ, infames*

Hebræus. Chryſoſt. in hom. de diuitijs & paupert.

rium ſint & turpes, honorem præſeferunt. Ideo præcipitur, *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere:* Quaſi Pſal. 61. 11.
dicatur, manus apponite, vtimini illis, pauperibus diſtribuite: cor autem & amorem ab eis auellire. Ita Baſilius te admonet, *Vt ne animo erga illa afflictaris: ſed ad vſum tuũ ſume neceſſaria.*

Baſil. in homil. ſup. Pſ. 61.

7 Sicut Diogenes dicere ſolebat, *Formoſa ſcorta ſimilia eſſe mulſo letalibus venenis temperato, quod adferrent in initio voluntatem, ſed quam perpetuus dolor cōſequeretur:* Idem accidit, & diuiti, nam vt Zeno ſtatuit, *Auaritia eſt artifex at dulce malum, & hominibus vniuerſis ſemper infeſtum.* Ideo homini cuique præcipitur, *Ne intuearis vinũ quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundit.* Quod etſi de vino ad litteram ſit prolatum, id tamen ab Hugone, auaro, ſic fuit appoſitum, *Exponitur hoc de his, qui inebriantur vino præſentis voluptatis vel felicitatis, quæ facit homines inſanire, velut ebrios, de quibus dicitur, Væ coronæ ſuperbiæ ebrijs ephraim. Tales enim veluti ebrij, de fouea vnius peccati in foueam alterius peccati labuntur præcipites, & in gladios ſpiritales impingunt, nam, qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Et iſtis ſunt rixæ.* Et notanter Salomon accidit, *Sicut aſpis venena diffundit:* Nam huic auaritiæ vino illud audit, quod de Aſpide Moſes dixit, & Ambroſius explicat, *Venenum aſpidum inſanabile. Multi enim à reliquorum ſerpentiũ veneno curantur, nemo ab ebrietate: certè, veneno caro vulneratur, vino mens.*

Ex lib. 3. Apopht. vbi de Diogene nu. 62.

Zeno Epiſ. Veron. ſer. 2. de auaritia.

Prou. 23. 31

Hug. Card. hic.

Prou. 23. 31

Ambroſ. li. de Helia & ieiunio c. 14.

CIRCVLVS IV.

Auaritia inſanabile malum eſt, & immedicabilis morbus.

8 NOn videtur prima fronte, Apoſtolorum Principem

ſer-

seruasse cum Anania correctionis Euangelicæ concinnum ordinem, dum nulla præuia admonitione, ad postremum peruenit sententiæ actum, eum omni remota appellatione, repentinæ morti tradens. Sed respondet Ambrosius correctionis regulam id postulasse, vt videns illum pestifero morbo insanabilis auaritiæ laborantem, momēto temporis de medio tolleret, & fulminis instar, caput illius feriens, totum corpus fidelium cor rigeret, totumque sanaret, *Tanta enim erat infectio auaritia pestilentia, vt sanctus eum Petrus, non tam emendare voluerit, quàm damnare, dixerat enim, Ejce de Concilio pestilentem, & exibit cum eo omnis contentio. In Anania enim si auaritiam Petrus potuisset corrigere, vtique illum morte non mulctasset: sed dum illum punit alios corrigit.* Cum peste aliqua præualet medicorum cura, nam, referente Rhodigino, iā nouimus, *Agrona nobilem medendi scientia summè laudatū, quòd Athenas magna pestilentia vi sæuiente infestante, affectorum plerisque tutulisse opem, accensis in proximo ignibus*: at cum auaritia nulla valet medela. Si enim aureum ignem auaris accendas, addes & cupiditati materiam, & insatiabili flammā. Cùm enim flamma ex ignibus trahatur inferorum, eam secum trahit qualitatem, vt *Numquam dicat, Sufficit.* Audiamus circa hanc auaritiæ inexplebilem auiditatem, quæ & libidinis & gulæ famem superat omnem, illud, quod statuit Pontificium Decretum, *Facilius vel libido, vel gula, quam auaritia vincitur: quia illa duo, cum saturata fuerint, aliquod habere videtur horroris: hæc vero sicut satiari nescit, ita numquam suis amatoribus perhorrescit. Immo, eo amplius ab his diligitur, quo magis augetur, & eum suis amatoribus venerata succrescit. Cupiditas enim ignibus similis est, enim fomentum, mundanarum rerum videtur esse substantia. Adde auaritia quod suum non est, in maius incendium cupiditatis excedet.* Denique *apud multos inuenies gulam libidinemque prostratam: auaritiam verò ipsi vix, qui vituperant, deuicere.*

Ambros. serm. 57. de Maria Magdalena.

Rhodigin. lib. 24. Antiq. lection. c. 22.

Prou.30.15

Sixtus Tertius lib. de diuitijs in principio.

Breuius omnia mala concludit Chrysologus, dicens, *Auaritia furit*. Nam ex tribus Furijs, nempe, ira, libidine, & cupiditate, cupiditas primas obtinet, à qua dū stimulatur anima conqueri potest, *Heu furijs incensa feror*: & fertur ad tartara, fertur ad ignem, qui numquam dicit, Sufficit. Nam, ex eodem Chrysologo, *Auri furor ardentius humano feruet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendijs: & acrius homines dissoluit in terra, quàm soluitur in calore flammarum*. Et huius furiæ expendens exitiales effectus, immo detestabiles auari & auri defectus, addit, *Crudelis dominus, sæuus hostis, amādo ladit, nudat vestando, ipsum etiam captiuat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat caritatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrocinium. Et quid plura? Radix omnium malorum est auaritia*. Si Plinio fidem præbemus, *Esculus quantum corpore eminet, tantum radice descendit:* Esculus autem auarus est, qui quanto eminet auro, tanto radice cupiditatis propinquior fit inferno, & inferni humore nutritus ferax efficitur, & inferni fructibus fœcundatur: sed fructibus noxijs, fructibus exitialibus, huiusmodi enim sunt, latrocinia, fraudes, furta, quibus innocentia adimitur, quies turbatur, vulneratur caritas, vitiatur affectus, frangitur fides, captiuatur aspectus. Deficiet mihi tempus si velim singillatim horum fructus innumerabiles numerare, dicā ergo breuiter, totam quam enumerat Paulus fructuum carnis siluam, totam ab hac infernali ac feraci radice prodire, Radix enim omniū malorum est auaritia: vnde auarus, vt Esculus, quantum radice cupida descendit ad ima, tantum ascendit ad summa impio corde, rebellis lumini, odibilis Deo, & detestabili idolorum addictus seruituti.

Chrysologus ser. 20. de sedata maris tempestate. Virgilius Æneid. 4.

Chrysolog. ser. 29. de Matthæo.

Idem ibid.

Plinius lib. 16. cap. 31.

CIRCVLVS V.

Vnicum auaritiæ remedium voluntaria paupertas.

9 SEd forte datur huic pestifero morbo remedium, magni tamen id emitur, quia paupertate emitur. Si ergo ex locuplete, sponte abdicata diuitiarum affluẽtia voluntarius pauper euadere potes: potes & auaritiæ pestem depellere. Hanc medelam inuenies, non apud Galenum, sed apud Nilum Abbatem, *Proinde cùm magna ex possessionibus detrimenta prouenant, & omnibus vitijs pestiferis pabulum subministretur, causam hanc abscindamus, si bonæ animi valetudini consulere voluerimus: paupertate curemus auaritiæ morbum*. Nec nouum, nam sicut aer pestilentiæ contagione contaminatus, igne purgatur: Sic & tua domus & anima pestifero auaritiæ morbo oppressa, ex igne paupertatis, de quo dicitur, *Elegi te in camino paupertatis*: ita purgabitur, vt iā liberatus ex opum cõflagratione, posis gloriari, Opes non animum. Hoc vnicum remedium salutare salutis æternæ Medicus iuueni diuiti, & cælestis vitæ cupido adhibẽdum curauit, dum dixit ei, *Vade, quacumque habes vende, & da pauperibus, & habes thesaurum in cælo.* Hanc locupletem iacturā bonorū omnium diuinus Gubernator adolescenti præcepit, vt è mari æstuātium cupiditatū, velut exonerata naui portum tenere felicius, ac securius posset, idque cum fænore, nam quod in mari iactabat, illud ad cælum antemittebat, nam Victorino Antiocheno obseruante, *Rectè, sapienterquè Christus hoc loco non vitæ æternæ, sed thesauri meminit, quādoquidem de pecunijs erat sermo. Spondet autem se plura maioraquè redditurum, quàm erant illa, quæ in pauperes erogare iubebatur, & quidem tanto maiora, quanto cælum maius est terra*. Sed medicina, quæ paupertate erat emenda, nedum iuueni noxia apparet, sed & toxica, vnde miser & cæcus, *Contristatus in verbo, abijt mærens*. Rationem autem huius mæroris reddidit idẽ Victor Antiochenus, *Quia cupiebat vitam æternam, at morbo tenebatur longe difficillimo: vnde idem Christus subdit, Quàm difficile qui pecunias habent in regnū Dei introibunt. Hæc autem Christi oratio ipsas pecunias in ius non vocat, aut damnat, sed illos qui citra modum illis conquirendis inhiant, aut nimis auarè conquisitas detinent.* Cur autem Victor de auaris statuit, detinere pecunias, & non potius illos à pecunijs detineri, & conquisitis opibus opprimi, & ab aureis vel catenis, vel ponderibus sic mancipari, vt surgere nec valeant, nec velint? Hinc Chrysologus pendens verba, *Cùm præteriret Iesus, vidit Leui sedentem ad telonium:* & caussam sessionis expendens, ad pondus retulit auri, quo opprimebatur, dicens, *Sedebat vtique, qui stare non poterat pondere cupiditatis oppressus. Aurum enim natura graue, grauius fit auaritia nimis.* Qui mercede conducti aurū portant de loco ad locum, ponderé auri grauantur, sed non nimis, quia dum corpus grauatur, cor spe premij eleuatur: auarus autem diues grauatur nimis onere auri, quia in corde pondus gestat, absque vlla mercedis spe, dicente Salomone, *Qui amat diuitias, fructū non capiet ex eis*: & obseruante Hugone, Non dictum esse, *Qui habet, sed qui amat, & qui cor apponit ad diuitias cùm affluunt, hic vacuus permanebit.* Vacuus quidem à mercede, sed non vacuus ab onere, nā, *Portat mercedes iniquitatis*. Vt enim Chrysologus subdit, *Aurum plus habentem deprimit, quàm ferentem: & vehementius aggrauat corda, quàm corpora*. Et aggrauat, & incuruat, & sic ligat, vt vno verbo mutato, dicere posit auarus cum Manasse, *Incuruatus sum nimio vinculo aureo, vt non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi*.

Nilus Abbas in lib. Asceticō.

Ise. 48. 10.

Emblema.

Marc. 10. 21

Victor Antioc. in c. 10. Marci.

Marc. 10. 21

Idem Antiochenus.

Marc. ibid. 23.

Marc. 9. 14.

Chrysolog. ser. 29. de Matthæo.

Eccle. 5. 9.

Hugo Cardinalis hic.

Eccli. 30. 20.

Chrysolog. ibid.

In oratione Manassæ.

CIRCVLVS VI.

Auaritia vinculum est indissolubile.

10 NIl mirum si iuuenis ille, nõ minus acerbæ ætatis, quã sensus, qui noluit abrumpere compedes aureos, quibus erat miserrimè alligatus, retrorsum abierit, & a cæli via cęcus recesserit, per illam enim non nisi solutus a vinculis diuitiarum incedit, testante Augustino, *Vta in cælum est pauper: incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem solue, vt liber possis ad cælum ascendere*. Notate verba, & periculum obseruate. Qui in cælum ascendit, in itinere inuenit principatus & potestates ac mundi rectores, cum quibus est ei colluctãdum. *Et colluctatio est in calestibus*: Quia, secundum Anselmum, cum illo, *Pugnant pro hereditate tollenda*: Quomodo ergo poterit aureis vinculis præpeditus, cum tot inimicis bellum inire, & vincere? Audi Chrysostomum, *Quando diuitijs fuerimus alligati, quomodo aduersarios vincemus? Sunt enim vinculum graue his, qui vti nesciunt. Saeuus tyrannus & inhumanus, omnia imperans in perniciem illorum, qui illi seruiunt.*

Aug. ser. 25. de Verbis Domini.

Ad Eph. 6. 12.

Anselm. hic

Chrysost. homil. 13 in epistol. 1 ad Corinth.

11 Ficinus de vinculis loquẽs, ex Platonis sententia affirmabat, *Amatorium voluntariumque nodum ceteris omnibus esse potentius: nam quod ita raptum est, non modo non contendit solui, verum etiam innititur ligatori, eodemque vinculo sese arctius implicat*. Idipsum videre est in auaro, qui sub auaritiæ tyrãnide crudeliter custoditur, nam auaritia, eodem Chrysostomo teste, est & carceris custos, & vinculũ argenteum, & aurea catena, *Sicut enim si carcerem introibimus, circũdatos videmus ac vinctos catenis: ita nunc si uniuscuiusque animam ingrediamur, videbimus eam durioribus ferro vinculis alligatam, & maximè si diuitum intremus animas. Præter illa quidem vincula, habet custodem carceris fautorem amorem pecuniarum, qui semel a se vinctum, nequaquam de hoc carcere extire permittit, sed mille illi imponit catenas, & ostia, & feras, atque custodias, & in interiorem conijciens carcerem, etiam delectari his vinculis facit.* Quis ergo dissoluet amatoriũ nodum, de quo vinctus delectatur, & semper vltra vinciri exoptat? Ignis solus caritatis id posset, & eleemosyna prævaleret, hac enim framea, vt idem Archiepiscopus Constantinopolitanus demonstrat, aurea vincula disrumpũtur, ait enim, *Eleemosyna vincula disrumpit, tenebras soluit, carcerem aperit*. Ad hæc tamen auarus non est idoneus, & ignem paupertatis timens, & eleemosynam horrens, semper vinciri magis magisque nititur, semper iacere in carcere delectatur, & sẽper infelix cupit ab auro vinci, *Quod sicut vincere virtutis est, ita felicitatis est euasisse*.

Marf. Ficin. in arg. sup. Crat. Platonis.

Chrysost. hom. in Ps. 48.

Chrysosto. hom. 7. de Pęnitentia.

Chrysolog. serm. 29. de Matthæo.

CIRCVLVS VII.

Auarum saluare inter miracula maximum.

12 QVamuis ad homines humana sub imagine venerit Deus, vt leuaret iacentes, elisos erigeret, solueret compeditos, & eos quos iam nemo nec efferre, nec offerre poterat, ipse operis sui victor clementissimus baiularet, & de profundo baratro liberaret, vnde triumphalis hymnus in gloriam tanti liberatoris canebatur, *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris*: attamen si quæras, in quo theatro virtutem clarius excitauit, & passionis maximũ effectum ostendit, non in alio, dicã, nisi in Caluario, & tunc quando Latronem pecunijs olim insidiantẽ, & argẽteis & aureis catenis irretitũ, absoluit. Cũ. n. amittãt nomen vinculorũ omnia vincula cũ vinculo auari Latronis comparata, clarè dignoscitur, quod qui hoc ditu-

Psal. 67. 7.

pit, facile cetera omnia rumpet. Hoc, ni fallor, innuebat Ambrosius, ita cū tartareo Dracone loquēs, *Tripudiabas Draco, quod Apostolū subtraxeras Christo. Plus amisisti, quam sustulisti, qui latronem vides in Paradisum esse translatum. Nemo est qui possit excludi, quando receptus est latro.* Quasi dicat, qui Gordium nodum dissoluit, quemlibet alium nodum soluere potest, venit enim Iesus, vt dissoluat opera diaboli, & omnia se posse dissoluere, Latrone soluto, demonstrat, cum nullum aliud dari vel excogitari possit minus solubile, quàm auaritiæ vinculū. De hoc, nūc Psaltes canit, *Insidiatur vt rapiat pauperem:* & nunc Boetius, luget, *Insidiator occultus, qui subripuisse fraudibus gaudet, vulpeculis exæquatur.* Bone Deus, Et quid aliud, quàm vulpis, & insidiosa est auaritia, quæ auara ad prædam inclinat saturitatem promittens, & præda ipsa irretiens, magis irritat appetitum? Explicet nodum hunc Gaudentius Brixianus, *Prædatoris rapacitas nō comprimit auaritiam, sed irritat, scriptum est enim, Qui amat pecuniam, non satiabitur pecunijs.*

Ambros. in hom. super Psal. 39.

Psal. 9. 31. Boet. lib. 4. de Consol.

Gaudent. in serm. de Nat. Dom.

CIRCVLVS VIII.

Auarus latro est, Et assimilatur sepulchro.

13 NOn tamen cum communibus prædatoribus singularis æquandus est insidiator auarus, sed cum auaro & auido sepulchro. Subripiunt communes fures locupletes crumenas, vestimenta detrahunt, armati inuadunt viatores, & efferi vitam auferunt: non tamen pellem decorticant, non sanguinem bibunt, non carnes edunt, non ossa nuda relinquūt: at auarus pdator, quasi Reipublicæ horrēdū mōstrū, ac ciuitatis infame parensque sepulchrum, consumit inopes, pupillos spoliat, pauperes expilat, cædes intentat, rapinas meditatur, atterit absumit omnia, & sic deuorat simul, vt merito Propheta regius lugeat, *Sepulchrū patens est guttur eorum:* Et Chrysostomus defleat, *Sunt auarorum ora talia, quando nihil aliud proferunt, quàm cædes, & rapinas.* Heu! quod ora hominum in ferarum crudelium ora conuertuntur, & imaginem humanam, immo diuinam, in inhumanam & ferinam commutant. Hanc methamorphosim talibus coloribus describebat Psaltes. *Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur.* Relucebat in crystallino fonte Narcissi vultus, adeo formosus, adeo pulcher, vt sui magnos ex aqua accenderet amoris ardores: at amplexari nitens fictam imaginem in vndis apparentem, vndis turbatis, imago deturbata, deturpabatur: & vultus, non vltra apparens, continuò disparebat. Eadem lege cupidus & exlex auarus, dum omnia complecti nititur, omnia amittit, amittit & seipsum: & dùm omnia amplectitur, dum omnia deperit, omnia simul destruit, atque perdit. Sed quomodo, & quando hæc omnia mala congerit? cùm, *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Adsit Ambrosius hanc cladem ruinamque depingens, *In imagine Dei ambulat homo: beatus homo, qui ad similitudinem Dei per fidem ambulat. Beatus, qui in Deo fidem habes: beatior si auaritiam non haberes. Fides enim Deo militat, auaritia tentatori, fides congerit, quod sibi prosit: illa, quod proficiat alienis. Quid enim tam vanum, quàm nescire cui laboret heredi?* Et quid mirum quòd nosciat cui laboret heredi, si destruit propriam similitudinem naturæ Auctoris, quàm hereditate acquisiuit: & mutat imaginem Dei, in imaginem quadrupedum, redigitque in nihilum?

Psal. 5. 11.

Chrysost. homil. in Ps. 5.

Psal. 38. 7.

Psal. 38. 7. Ambros. homil. in Ps. 38

14 Audite, o Diuites, Dauidicum præceptum, *Rapinas nolite cōcupiscere.* Obaudi, o Auare rapax, & obedi monitis Augustini, sic te conuincentis, *Rapere vis, quid inuenis? Quid perdis? O lucra damnosa, inuenis pecuniam, perdis iustitiam.*

Psal. 61. 11.

August. in enarr. super Psal. 61.

Po-

Potius, si tibi consulebat, facere oportuisset, vt inuenires iustitiam, libenter pecuniam perdidisses, nam Cælorum Dominus ita raptoribus cælum promittebat, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vbi Chrysostomus ad hos te raptus hortabatur, pro quibus non pœna, sed premium paratur. *Qui rapto extorques aliena, vbi inuidia: rapito vbi proponitur corona: ne rape terram, sed cælum: cælorum regnum eorum est, qui sibi vim faciunt, nam violenti rapiunt illud. Diogenes conspicatus duci quidam, qui phialam ex ærario furatus sustulerat, ducebatur autem a magistratibus, Magni, inquit, fures paruum ducunt: vel vt alij referunt, Ducunt, quia furatus est parum.* Innuens magistratus, qui magna furantur, feliciter degere: fures, qui parua, infeliciter perire. Vis & tu feliciter viuere, feliciterque mori, & coronam acquirere? Furtis, sed magnis incumbe, thesauros rape: si autem parua furaris, ad mortem damnaris, & in carcerem truderis, donec soluas vniuersum debitum. Videbor tibi quasi ludens loqui, sed seriò loquor. Si pauperē spolias, egenum expilas, & terrena furaris, quæ parua sūt, & nihili penduntur: vt latro damnaris, quia parua sustulisti. Sin vero cælestia, & Cælorum Dominum, in quo sunt omnes thesauri abscōditi: tamquā magnorum fur, & vitam lucraris, & gloriam obtines, & corona donaris. Ne putes meum esse, vel paradoxa, vel mādatum: nam ab Archiepiscopo Constantinopolitano hisce verbis inueni præmandatū, *Quid rapinam exerces in pauperem, vt te criminetur? Rapito Christum, hoc rapinæ genus approbantem. Vidisti malignitatem, & insaniam? Rapis pauperem exiguum quid possidentem, Christus dicit, me rapito, & gratiam tibi habebo rapinæ istius.* Rape ergo magna, rape Cælum, rape Regem eum, qui dicit, *Meæ sunt diuitiæ & gloria*: si vis emere & possidere regnum Cælorum. Ne parua fureris, ne in æternum damneris.

Matt. 11. 12. Chrysost. hom. in Eutropium.

Ex lib. 3. Apopht. vbi de Diogene nu. 77.

Idem Chrisost. ibid.

Prou. 8. 18.

CIRCVLVS IX.

De malis, quæ ab auaritiæ deriuatur fonte.

15 SIcut nauis, cui⁹ clauus ebrio committitur gubernatori, dū inter Charybdim atque Scyllam iactata nutat, vel mergitur in Scyllа, vel immergitur in Charybdi: ita nauis mentis sub auaritiæ gubernaculo, iactatur æquore toto, & varijs, atque contrarijs agitatur motibus, nam vt Zeno demōstrat, Scopulus vnus in aliū trudit, dum, *Non habentibus diuitijs, habendi suggerit cupiditatem: habētibus, adimit satietatem.* En si hinc cupit vitare Charybdim, inde incidit in Scyllā: vnde idem Zeno lamentabatur, exclamans, *O cæca mens hominum, quàm variè, vnam tamen contendit in mortem, pauper cum opes infeliciter quærit, quas feliciter non habet: & diues cum diuitias se putat non habere, quas habet. In vno nititur auaritia, bacchatur in alia, in vtroque crescit, in vtroque non desinit. Verumtamen eos vno momento exigua humus, & peræquat, & satiat, quod cum tota ambitione sua non potest aurum. Ita omnes in rabiem vna tempestate præcipitat, vt vbi sit maior ignores.* Campus autē in quo agitatur hæc nauis, non est angustus Fari sinus, sed orbis totus, totus fluctuans vndis, exundans fluctibus, *Per orbem totum vesana bacchatur nauis, ac varijs artibus ferens: numquam quieta, non die, non nocte, non bello, non pace, numquam satur: lucrorum enormitate miserior.* Reliqua animantia habent augmenti terminos definitos, in iuuentute crescunt, decrescunt in senectute: ast, auaritia statum ignorat, augendi tantum tempora nouit, *Nouum calamitatis genus, quod tantummodo crescit, senescere ignorat. Est autem similis igni arida pabula depascenti, quæ nisi finiant, non finitur.* Et quidem Zeno verum dixit, sed parum dixit, auaritię.n.pallidus ignis, etsi pabula finiat, nō finitur, quia somnijs pascitur, pascitur phā-

Zeno serm. 2. de auaritia.

Idem Zeno ser. 1. de auaritia.

Idem ibid.

Idem ibid.

Idem ibid.

tasmatibus, & vel pascitur ventis vanitatis, vel vanos pascit ventos. Nonne talis apparuit Alexandri cupiditas, quę somnijs accendebatur, & in aqua lacrymarum plus ignis valebat: *Cùm enim infinitos mundos ex Anaxagora audisset, fleuit: ac rogantibus amicis quid accidisset, Non dignum, inquit, fletu vobis videtur, si cùm sint infiniti mundi, nos ne vno quidem etiam nunc potiti sumus?* En pabulo mundi finito, auaritiæ flamma non est finita, dicente Seneca, *Inuentus est qui concupisceret aliquid post omnia.* Nec poterat post omnia aliquid concupiscere, nisi vento vrente vesceretur, vel vrentes vesceret ventos, iuxta illud, *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum*: quod idem est, vt Hieronymus interpretatur, ac, *Spe vana se decipere, sequique καύσωνα, hoc est æstum, & ire ad meridiem, nihilque agere tota die, quàm sibi illudere.* An non tibi videtur sibi illudere Alexādrum, qui vt Annæus subdit, *Modo ignobilis anguli non sine controuersia dominus, de tanto fine, vel toto orbe terrarum per suum redditurus orbem, tristis est?* Quæres, quæ sit huius rei causa? quia vêros pascit desideriorum, & æstu pascitur æstuantium cupiditatum.

Ex Plutarc. in lib. de trāquillitate animi.

Seneca in epist. 119.

Hos. 12. 1. Hieron. lib. 3. in cap. 12. Hoseæ.

Senec. ibid.

16 Sed ex igne ad aquas redeūtes, quis vndas narret, quis enumeret malorum fluctus, quibus hæc nauis agitata vndique commouetur? Rectè igitur subdit Zeno, *Apostolus ait, Radix omnium malorum est auaritia: hac enim matre, eademque magistra, omnia vndique, quæ scaturiunt, mala nascuntur. Quantū fuerit auctior: fit tanto mojestior, expers otij, expers satietatis, per fas atque nefas, artibus multis, modis ac versutijs armata bacchatur: salutis sua alienaque contemptrix, solum metuens ne desit illi quod radat. Inde est, quod vniuersa nationes mutuis cadunt per momenta vulneribus: consessa gemunt vrbes, deleta rura respirare non possunt. Alexandro dicenti, Adsum ò Diogenes, tibi subuenturus, quandoquidem video te multis egere: Diogenes respondit, Vter nostrum pluribus eget: ego qui vltra peram & pallium nihil desidero: an tu qui non contentus patrio regno, tot periculis temet obijcis, vt latius imperes, adeo vt vix totus orbis tua cupiditati videatur satis futurus?* Vbi in concreto apparet, quod Episcopus Veronensis docebat in abstracto, & quod breuius concludebat his verbis, quasi Alexandri cupiditatem indigitare vellet, *Non suo, non alieno, non ipso Orbe contentus, totū possidet, & de inopia queritur semper.* Nonne tibi videtur ad Alexandrum direxisse arcum, dū asserit, *Totum possidet, & de inopia queritur?* Vide Senecā illum sic iaculantem, *Numquam nimium est, quod satis non est. Post Darium & Indos pauper est Alexander Macedo, quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum mittit classes nouas, &, vt ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod natura satis est, homini non est.*

Zeno ser. 1. de auaritia.

Ex lib. 3. Apophth. vbi de Diogene nu. 47.

Senec. epist. 119.

17 Sed hæc omnia mala ad vnū, tātum malum reuocat Zeno, nam qui diligit aurum, nō tantum deos colit, sed etiam eorum mores imitatur & actus, Propheta dicente, *Simulacra gentium argentum & aurum, similes illis fiant, qui faciunt ea:* Vel ex Tertulliano, *Similes erunt illis qui faciunt ea:* Vel ex Hebræo, *Sicut illa erunt, qui faciunt ea.* Audi, o Auare, Zenonem, & time, *Qui diligit aurum & argentum, apparet eum, non tantum Deos colere, sed etiam eorum mores & actus imitari. Aurum, argentumque, Christiane, si vera dicenda sunt, execraris in simulacris, colis in penetralibus tuis: nam illic aureis argenteisque innumerabilibus veluti tim plis tereti moneta percussis inesse, similiter regum vultus signaque cognoscis: nihilque aliud distat, nisi quòd in tua domo minuta sunt, in templo maiora, quæ si erogaueris, pecunia est: si seruaueris, simulacra.* Sicut ergo auaro, pecunia seruata, vertitur in idola: ita eleemosynario parua pecunia, vt semen aureum, sata, centenarium producit fructum, ęternumque premium. Ad hāc lucrosum negotiationem te inuitās Tertullianus, dicebat, *Negotiatio* est

Psal. 113. 12.

Tertullian.

Hebræus. Zeno ibid.

Tertull. lib. ad Mart. c. 2.

est aliqua amittere, vt maiora lucreris.

18 Quid mirum ergo, si odibilis Deo est auaritia, quæ tot malorum est mater & radix? Huic Circulo Coronidem ac fastigium imponamus cum eodem Zenone, *Rectè* (Idem Zeno ibid.) *Deus odit auaritiam, est enim libido profunda, cupiditas cæca, tempestas insana, rapacitas sine fine, solicitudo sine requie, ad sua numquam peruenient vota, quæ satiari non nouit, fidē frangit, charitatem negligit, non cognoscit affectus, iura diuina contemnit, humana versutiis argumentis excludit, orbem totum, si possit, vt rapiat. Vultis scire quale calamitatis sit genus? Sanè plus in eum, qui eam dilexerit, sæuit.* Cassiodorus pendens Dauidis contra iniustos persecutores iustas quærelas illis verbis expressas, (Psal. 108. 5.) *Posuerunt odium pro dilectione mea:* easque de Iudæis interpretans, sic statuebat, (Cassiod. hic) *Iudæi extremam, illam vitiosissimam partem facere decreuerunt, vt eum diligere debuissēt, ad odia iniqua prosilirent.* Si igitur mors dicitur Extrema linea rerū, & odium pro dilectione, Extrema pars malorum: quid auaritia detestabilibus, quæ plus in eum, qui eā dilexerit sæuit, & pro dilectione odiū reddit? Moralis Philosophus de gratitudine loquens, asserit, (Seneca lib. 4. de Beneficijs. c. 17.) *Huic vni rei non posuimus legem, tamquam satis natura cauisset: superuacuū est enim, quo natura imus, impelli.* Vnde ergo auaritia hausit hanc legem nouam, retribuendi odium pro dilectione? Ex nouo Rege, nam ex Arnoldo, (Arnoldus in Tract. de 7. ver. Chr.) *Nouus Rex, noua lex:* Nouus autem Rex Aurum est, nouam legem statuens odij pro amore: nam ex Theophylacto, (Theophylac. in c. 11. Lucæ.) *Facultates præsident cupido cordi.*



CAELI DAVIDICI VERSIO VIGESIMAQVARTA.

In Psal primi, Vers. secundi, Part. Primam.

Versio prima. Ex Vulgata. Sed in lege Domini voluntas eius.

2 Ex Chaldæo, Ad institutum Domini voluntas eius.

3 Ex Felice, In lege Domini desiderium eius.

4 Ex Suadeno, In lege Domini beneplacitum eius.

5 Ex Caietano, In doctrina Domini voluntas eius.

6 Ex Vatablo, In doctrina Domini propositum eius.

7 Ex Guidacerio, In lege Domini affectus eius.

8 Ex Hebræo, In lege Domini delectatur.

CIRCVLVS I.

Sacer Poeta hucusque Sculptor, modo Pictor.

Plutarchus in lib. de Homero.

1 

Elebre Plutarchi dictum est, & ex omnium, voto firmatum illius effatum, Poetam esse loquëtem Pictorem, Pictorem verò tacentem, Poetam. At Sacer atque regius Poeta diuinus, & Pictor eximius, & mirabilis Sculptor, Sculptorem atque Pictorem Deum imitatur, qui nunc se Pictorem prodit, dicens, *Ego depinxi muros tuos*: nunc se pandit Sculptorem, afferens, *In ambabus manibus meis insculpsi te*. Volens ergo, vel vt canorus Sculptor, vel vt loquēs Pictor, Beatum virum ad viuum exprimere nunc calamum vertens in celte, rudem lapidem sculpit, scalpit informem saxum, formatque sculpturam: nunc calamum in penicillum conuertens, colores addit, adijcit lumina, vmbris colorat, figuratque picturam. O mirabile magisterium, quo Beatum hactenus sculpit auferens ab eo omne vitiū, pellensque omne malum, tum motus in consilia impiorum, tum status in via peccatorum, tum etiā in cathedra pestilentiæ sessionem. O celeste pictorium artificium, quo Beatum depingit, addendo & legis lumina, & meditationis vmbras, & ligni, aquarum, foliorum, fructuumque colores. Verè eximius Pictor, mirabilis Sculptor, & Poeta ac Propheta magnus, qui ea facit, quæ docuit, & sicut instruxit quēlibet Fidelem, *Diuerte a malo, et fac bonum*: Sic ipse fidelis in opere & in sermone, nūc à Beato diuertit tria mala, nā tria sūt omnia, Beatus vir, qui nō abijt in cōsilio impiorū & in via peccatorū non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: & nūc talia addit bona, qualia Chrysolog⁹ vidit in Beato depicta, *Quia ista tria male declinādo, ad Trinitatis*

Isa. 49. 16. ex Ambr. & Pagnino.

Psal. 33. 15.

Pet. Chrys. in ser. 49. super Psal. 1.

bea-

beatitudinem meruit peruenire. Sic tria mala detrahit, tamquam sculptor, & tria summa bona addit, veluti Pictor.

CIRCVLVS II.

Legis amator relucet inter exleges, quasi lux iu tenebris.

2 Sicut in orbis terrarum molitione, ac totius mundi prima efformatione, vbi terra inanis erat incomposita ac vacua, & tenebræ operiebant faciem abyssi, volens Princeps orbis, & mundi Pater, vt partus ille informis ac deformis, & speciem quamdam præseferret & formam: lucem ante omnia in ipso formauit, dicens, *Fiat lux*: Ita Psaltes, Dei æmulator, videns consilia tenebris impiorum inuoluta, videns in via vitæ abyssos peccatorum stantes, videns cathedras pestilêtiæ, ambitionis, auaritiæ, & omnium malorum inanitate informes: conspiciensque terram omni virtute vacuam, ac perditum omnino microcosmum: in ipso limine cælitis Psalmorum libri, legem, quasi lucem in medium protert, vt viam semitamque ad beatum illud Cæli domicilium mortales edoceat, paruūque mundum deformatum reformet, peccato mortuos reuocet ad vitam, atque in tenebris & in vmbra mortis sedentes, clara legis luce illuminet, & informet, *Quia mandatum lucerna est, & lex lux: & via vita increpatio disciplina*. Gen. 1. 3. Prou. 6. 23.

3 Si forte quæras quid mandatum, quid lex: cur mandatum lucernæ æquetur, & cur lex luci cōparetur? Respondeo vetus testamētum significari per mandatum, & ideo in lucerna testea includi: nouū autem figurari in luce, quæ omniū oculis exposita, clarè lucet. Non est mea, sed Hugonis sententia, *Mandatum lucerna est, quasi lumen in testa, quoad vetus testamentum, vbi erat Spiritus in littera, veritas in figura: lex autem est lux, quoad nouum testamētum, vbi nuda, & aperta est veritas* Nec est prætereunda Lyrani obseruatio, nec omittenda Glosæ consideratio breuiter quidem, sed cum mysterio asserentiū, quod, *Mandatum lucerna est minoribus, lux lex maioribus*. Sed quænam differentia datur inter lucernam & lucem, vt hæc maioribus, illa minoribus illucescat? Forte, sicut pauperes, lucernis vtūtur oleo enutritis, at nobiles cereis: Ad eūdem ferè modum imperfecti lucernis, id est, præceptis vtuntur ad mores componendos, & illustrandos, quorum obseruatio & ære pauco emitur, & pauco premio muneratur. At perfecti, non præceptis tantum, sed etiam consilijs vitam illuminantes, inter proceres & heroes censentur, quos sublimitas virtutis nobiles reddit. Vnde & mandatum lucerna est minoribus, lux lex maioribus. Hugo Car. hic. Lyran. & Glosa interlin. hic.

4 Idem dubium his verbis proposuerat Ambrosius, *Si Esaias clamat, Populus, qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam: quomodo hic dicitur lucerna*? Et altius ipse repetens, respondet, dicens, *Idem verbum Dei alijs lucem esse, alijs lucernam. Lucerna enim est nobis, angelis lux*. Addit autem, & benè, *Sed videamus ne fortè idem verbum Dei alijs magna lux sit, alijs lucerna. Mihi lucerna, Angelis lux est. Porrò Petro lux erat, quando adstitit ei Angelus in carcere, & lumen refulsit ei. Paulo Lux erat, quando euntem ad persequendum populum Christianum, circumfulsit eum lux de cælo, & magna quidē lux. Denique lucerna Pauli lumen euanuit, vbi diuina splendor lucis emicuit*. Vbi idem innuit quod supra ex Hugone innotuit, lucernam fuisse Paulo testamentū vetus & paternas traditiones, quæ omnes apparente luce legis nouæ, sicut lucerna ante Solem euanuerunt. Vnde Gregorius Nazianzenus nos hortatur, *Age vero, nos quoque legis participes efficiamur, verum Euangelicè, non litteraliter: perfectè, non inchoatè: sempiternè, non temporariè*. Ambro. ser. 14 in Psal. 118. vers. 1. Idem ibid. Greg. Naz. orat 42. in Pascha.

CIRCVLVS III.

Cur Dauid prius laudat qui vitia euaſerit, quàm qui virtutes aſſecutus ſit?

5 ORdo verborũ Pſalmographi, & diſpoſitio colorum & luminum, quibus Beati viri figurat virtutes, ſolicitis auditoribus non paruam generat quæſtionem, illaque primùm ſic proponitur ab Ambroſio, *Nũc illud occurrit, cur beatum dicere maluerit non eum, qui pietatis aliquo ſit functus officio, ſed eum, qui ab impiorum cõſilio ſe amouerit? Videtur enim magis laudandus, qui virtutis munus impleuerit, quàm qui peccatum euaſerit. Siquidem nec bos, nec equus, nec lapis in peccato eſſe conſueuit, aut ſedere in cathedra peſtilentiæ.* Quaſi velit dicere, dum beatum aſſerit eum, qui in via peccatorum non ſtetit, in conſilio impiorum non abijt, & in cathedra peſtilentiæ nõ ſedit, hæc & boui, & equo, & lapidi poſſent aptari: ipſi enim nec in cathedra peſtilentiæ ſedent, nec in via peccatorum ſtant, nec in conſilio impiorum ambulant. Sed verè iſti incapaces ſunt beatitudinis fructu, quia capaces non ſunt ſequendæ legis affectu, & ideo de rationalibus premium legis propoſitũ eſt, qui virtutis habent ſenſum. Attamen difficultas adhuc in ſuo robore permanens acriter vrget, cur prius beatum dicit eum, qui peccatum euaſerit, quàm eũ qui virtutis munus impleuerit? Et ſanè difficultas propoſita inde diſſoluitur, quia ſicut gratia non deſtruit, ſed proficit naturam: Ita naturam gratia in hominis regeneratione æmulatur. Ea ergo lege, qua mater natura quamuis primò intendat generare, quàm corrumpere: prius tamen corrumpit, quàm generet, vnde ex communibus votis Philoſophi aſſerunt Generationem vnius, corruptionem eſſe alterius:

Ambroſ. in enar. ſuper Pſal. 1.

Eodem ferè modo Regius Propheta, etſi beatitudinis formam ante omnia ex virtutibus reſpiciat generandam, anteponit autem vitiorum corruptionem, & regulam ipſe tenet, quam alios docet, *Diuerte à malo, & fac bonum.*

Pſal. 33. 16.

6 Figurabant hoc documẽtum, vt Cellenſis docet, duo Cherubim collocati in lateribus Arcæ, nam, vt ipſe philoſophatur, *Duæ partes oraculi ſunt remotio malorum, & adeptio bonorum. Vnus namque propitiatorij Cherub eſt in latere vno, qui fugat mala à nobis: alter in altero, qui acquirit bona nobis. Totum enim quantum ad nos officium angelicum eſt, vt defendant nos à malo, & conſeruẽt in bono.* Idẽ ergo vtriuſque Cherubim munus aggreſſus Dauid, prius demoſtrat beatum virum ex remotione malorum: poſterius beatum ex adeptione bonorum: ſemper repetens, *Declina à malo, & fac bonum.* Hinc Baſilius, comparans pietatis exercitationẽ ſcalæ à Iacob viſæ, dicebat, *Quemadmodum in gradu ſcalari, prima eſt aſcenſio, ab humo receſſus: Sic in exercitatione diuinæ conuerſationis, principium profectus eſt diſceſſus à malo.* Nec enim terminum ad quem perfectionis attinget, qui terminum à quo imperfectionis non relinquet.

Petr. Cellẽſ. li. 1. myſtic. expoſ. Moyſei tabernaculi.

Pſ. 36. 27.

Baſil. in homil. ſuper Pſal. 1.

7 Hoc totum videtur a Diuo Ambroſio adumbrari, dum ait, *Nobis initium bonorum abſtinentia peccatorum eſt, quoniam legimus, Declina a malo, & fac bonum. Hic enim ordo eſt diſciplinæ, vt ab inferioribus ad perfectiora contendas, ne terrearis mole maiorum, quæ leuiorũ exordio debeas prouocari.* Vnde etiã ipſe, Baſilij æmulator, comparat legem diuinam ſcalæ illi, per quam vidit Iacob Angelos aſcendentes & deſcẽdentes: vbi ab imis ad ſumma aſcenditur, & à peccato in terris relicto, ad virtutem progreſſus fit. His ergo te admonet verbis, te vrget ſtimulis, *Ne faſtidias, o homo, primum illum velut viliſſimum gradum. Ille primus aſcenſus te à terris ſeparat. Atrem calcas, vbi ab humo eleuaueris veſtigium. In virtute po-*

Ambroſ. in enar. ſup. pſalm. 1.

Idẽ Ambr. ibid.

situs, surgendo liquisti terram. Terram relinquis, si culpam declinas. Exordium ergo processionis ad virtutem est, abstinere a peccato.

8 Iure ergo regius Psaltes de lege verba facturus, & iam dicturus, *Sed in lege Domini voluntas eius:* Legis doctrinam voluit æmulari. Ita & antiqua lex negatiua præcepta imperfectis dabat, Non adulterabis, non homicidium facies: immo & perfectionis Magister imperfectum cognoscens eum, qui limen scholæ ipsius vix terēs, quærebat, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondit primùm, *Non adulterabis, non homicidium facies.* Deinde dicenti, quòd fecisset illa omnia, adiecit ei perfectiora, *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo, & veni sequere me.* Vbi & regulam docuit, & ordinem dispo suit, ritè ascendendi per disciplinæ gradus, quos ita explicat Ambrosius, *Tantum abisse docuit inter malorum declinationem, & imitationẽ bonorum, vt hæc abnueret, qui illa sibi facilia iudicabat. Sed quia nec illa ascenderat, ideo ad hæc se aptare non potuit. nam si dilexisset proximũ potuisset pauperibus subsidia sui patrimonii non negare. Ideo gradum primum legis ascende, vt possis ad Euangelii cæleste fastigium deuenire,* Sic itur de virtute in virtutem, sic videtur Deus deorum in Sion, & sic deuictis vitijs, perdomitisque animi affectionibus, scalas nobis faciemus, per quas ad virtutis fastigium, ad beatitatis premium, ad amaratinam immarcescibilemque Coronam, & ad cælestem gloriam ascendamus: nam post emeritam militiæ præsentis administrationem, intra illud sæculũ cum fauore cælesti, cum pompa & triũphali occursu, & cũ angelica exultatione suscipiemur. Suscipiemur quidẽ tũc, si nũc in nobis & impletur Apostolicu Oraculum, *Et vos mortificati estis legi per Corpus Xpi:* & Chrysologi Decretũ, *Qui p corpus Christi ab omni crimine exẽptus est & eruditus feliciter moritur legi, vt innocentia viuat & gratia.*

Matt. 16. 16.

Ibid. 21.

Idem Ambros. ibid.

Ad Rom. 7.

Chrysolog. ser. 105. in verba Apostoli, An ignoratis.

CIRCVLVS IV.

Moyses in schola legis vt infimus Magister, Christus autem vt summus.

9 EX his, quæ eloquenter nimis Ambrosius docet, quis non videt in schola legis, in quā Sponsa gloriabatur se introductā, dicens, *Introduxit me in cellam vinariam:* Vel ex Chaldæo, *Introduxit me Dominus in domum gymnasii doctrinæ Isdrael in mõtem Sinai, vt discerem legem ex ore Moysis scribæ magni:* Quis, inquam neget illũ ordinem seruari, qui in bene dispositis obseruatur scholis? In his gradatim ascenditur, & nunc rudiores pueri in primam scholam introducuntur, nunc prouectiores in secundam, nunc demum in tertiam eleuantur perfecti. Et quis ignorat in illis sępe repetitores prouehi, in hac vero eminentes magistros & doctores promoueri? Eodem pacto, si fas est hoc asserere, antiqua lex primæ scholæ figuram habuit, vbi vel Repetitor vel Scriba adfuit Moyses, de quo Sponsa, *Introduxit me in domum gymnasii in montem Sinai, vt discerem legem ex ore Moysis scribæ.* At in mõtem Sion, perfecti introducuntur in secundam, vbi & cõgregantur iuxta promissum, discipuli omnes docibiles Dei, & adimpletur oraculũ, *Ecce dedi eum ducem ac præceptorẽ Gentibus.* Idipsum Ambrosius adnotauit, obseruans differẽtiam inter primum & quadragesimum Hymnum: nam in primo regius Psaltes magis cauenda, quàm amplectenda proponit, quasi discipulus, a Mose in legis antiquę gymnasio edoctus: in quadragesimo potius virtutes acquirendas, quàm errores fugiendos exponit, quasi in Lycæo excellentioris sapientiæ, & a diuino Præceptore eruditus. Sic enim fatur. *Vnde arbitror, quod quasi sub lege positus morem legis in primo Psalmo secutus, ex sua perso-*

Cant. 2. 4.

Paraphr. Chaldaica.

Isa. 55. 4.

Ambros. in enarr. super psal. 1.

na sanctus Propheta, magis cauenda denunciet, quàm sequenda proponat. In quadragesimo autem Psalmo, qui ex persona dicitur Saluatoris, adhortatio magis virtutis fiat, quàm erroris depressio. De passione enim Saluatoris loquitur, & ideo Euangelij dispensator etiam, sicut possumus existimare, cum audiamus dicentem, Beati misericordes. Et in Psalmo itaque propria passionis, & in Euangelio misericordiam coronauit.

10 Lex lux est, quæ in æstuanti huius sæculi freto homines dirigit, tamquam nauta, vt & scopula peccatorum fugiant, criminum Syrtes effugiant, Charybdin lasciuiæ deuitent, vitent & Scyllam iræ, ad auaritiæ gurgitẽ nõ accedãt recedant ab inuidiæ naufragijs, atque omnes inferiorum pyratarum machinationes irritas reddant. Vnde Chrysologus, *Hoc scire, & nescire facile praestitis lex diuina, vnde malum, culpa vnde, vitiorum vis vnde, vnde criminum furor, vnde corporum bella, vnde conflictus animæ, vnde vita tempestas tanta, vnde mortis naufragium tam crudele nesciret homo, nisi Dei lex diabolum prodidisset.* Lex ergo lux est, sed lex antiqua angusta erat mensura Iudeæ, & latebat sub modio Iudęorũ, ac illorum tantum naues dirigebat. Noua autem in alto monte, & super candelabrum, ac ad instar Solis, omnibus lucens, omnium, qui in mari Ecclesiæ per totum orbem nauigant, nauigia dirigit. Ita Ambrosius, *Lex intra mensuram est, vltra mensuram gratia. Et ideo nemo fidem suam intra mensurã legis includat. Sed in illa Ierusalem, quæ in cælo est, & in qua militat fides nostra, in illo altissime omnium locata monte, hoc est Christo, non potest tenebris & ruinis huius mundi abscondi, sed fulgens candore Solis æterni, lucet nos gratia spiritalis illuminat.* Sic ante Euangelici Solis lumen, vmbræ veteris legis recesserunt, Nazianzeno docente, *Lex scripta erat, veritatem adumbrans, ac magni illius luminis mysterium.* Mysterium latens sub veteris legis modio, sub cãdelabro nouæ patẽs.

Chrysolog. ser. 11. de ieiun. & tentat. Christi.

Ambros. li. 7. comment. in Luc. c. 11

Greg Naz. Orat. 40. in sanc. Baptisma.

CIRCVLVS V.

Diuinæ legis Cælum in duobus polis immobiliter mouetur, nẽpe, Nolle, & Velle.

11 SEd, verum vt fatear, nulla manus, nulla ars, calamus nullus, & nullus penicillus sic Beatum virum vel breuius, vel clarius describeret, qui cum penicillo, cũ calamo, cum arte, & cum docta manu canori Pictoris posset ęquari. Si enim beati viri cum Apostolo gloriantur, & dicunt, *Nostra autem conuersatio in cælis est*: per Cæli autem sculpturas, Hieronymo testante, *Scripturas intelligimus sanctas, quæ per Dei digitum, hoc est, Spiritum sanctum sunt prolata, vnde dicitur, Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum:* Et Augustino docẽte, quod, *Vtrumque testamentum significatur, vnde dictum est, Cælum plicabitur sicut liber*: iure meritò in principio Cæli Dauidici, quasi duo firmantur Poli, nempe Velle, & Nolle, in quibus cælum legis immobile, perpetuo motu gyratur, & vertitur. Beatum ergo, cum depinxisset Psaltes, primò nolentem quę lex non vult, & tali lege præcepta negatiua obseruãtem, vt nec abierit in consilio impiorum, nec steterit in via peccatorum, nec sederit in cathedra pestilentiæ: nunc ad affirmatiua conuersus, hos adhibet colores, hęc lumina addit, Sed in lege Domini voluntas eius. Hos duos Polos, scilicet: Velle & Nolle: Nolle, quod lex non vult: & quod vult, Velle, breuiter quidem, sed firmiter Hugo Cardinalis demonstrat. Is enim, pendens voces explicans verba; Sed in lege Domini voluntas eius: ita beatum virũ a lege instructum adumbrat: ita illum nisi sine lege agentem figurat, *Vt Velit, quod scriptum est in ea: & quod prohibitum est, Non velit.* Scribatur ergo in Artico Polo, Velle: describatur & in Antartico, Nol-

Ad Philip. 3. 10.

Hieronym. in cõment. sup. psl. 8.

August. in enarr. super Psal. 8.

Hugo Car. hic.

le: vt in his duobus Polis tota lex pendeat & Prophetæ, tota lex obseruetur, & omnia Prophetarum monita seruentur.

CIRCVLVS VI.

Titulus primi Psalmi prænotatur in Nolle, & Velle.

12 INquirebamus iam, qua ratione hic Psalmus titulo careat, cùm titulus libri totum operis subiectum contineat & demõstret, multasque ibi retulimus responsiones. Sed re melius cogitata in eam imus sententiam, vt retractâtes iam dicta, de nouo dicamus non hic deesse titulum, sed illum in his duobus verbis esse expressũ. Nec meum est inuentum, sed ipsemet Auctor operis hoc insinuans, in Psalmo trigesimonono asserebat, *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui*. Et ex Augustino, Cassiodoro, Ruffino, D. Thoma, Haimone, & Treueto, ad Psalmum primum direxit arcum, vbi nunc dicit, In lege Domini voluntas eius: cùm enim voluntas & Velle possit, & Nolle, Dum vult quod scriptum est in lege, & nou vult quod prohibitum est in ea: iã habet, quod in capite libri scriptũ est: Vel cum Procopio, *In primi libri capite*: Vel ex Hebræo, *In principio, in Summâ, in Indice, in Argumento libri*. Argumentum, Index, Summa, & Titulus libri, congregar in duobus verbis; quasi in vtre, quidquid in vasto mari operis late explicatur: sic mare est amplissimum diuina lex: & ibi fluctuum, seu præceptorum numerus præ multitudine vix potest numerari: hoc tamen totum, quasi in summa, & in titulo horum duorum verborum congregatur: qui enim Non vult consilium, viam, & cathedrã peccatorum: & legem Dei Vult, ac in ea meditatur: hic totam Dei legem in summam redegit. Tota enim in hoc epilogatur, Vt homo Velit, quod præceptũ est in ea: & quod prohibitum est in ea, Non velit. Hæc ergo est summa legis, hic Psalmi titulus, vt Beatus vir, *Velit quod scriptum est in lege, & quod prohibitum est, Non velit*, Nam ex Theophylacti Decreto, *Voluntatem vel Coronat, vel punit Deus*.

Psal. 39. 8.

Augustin. Cassiodor. Ruffinus. D. Thom. Haimo. Treuetus. in Psal. 39.

Procopius Hebræus.

Ex Hugone Car. in Ps. 1

Theophylactus in enar. super c. 6. Matth.

13 Enimuerò, cùm in summario, in indice, vel in titulo omne illud breuiter complectatur, quod fusè in toto opere pertractatur: quinam Titulus, quis index, quæ synopsis, quodque breuius summariolũ vel inueniri poterat, vel excogitari eorum omnium, quæ in Psalmis tractantur, quàm duo hæc verba, Nolle, & Velle? Sic Augustinus philosophatur, *Quid autem est, quod non discatur in Psalmis? Non omnis magnitudo virtutis, nõ norma iustitiæ, non pudicitiæ decor, non prudentiæ consummatio, non patientiæ regula, non omne quidquid dici potest bonum procedit ex ipsis? Omnia prorsus in his, velut magno quodam, & communi thesauro, recondita atque conferta sunt bona*. Hæc autẽ omnia in duobus polis, sicuti & æterni cælorum thesauri, instaurãtur & pendent, atque in hoc libri principio sic summantur, vt qui Nolit, & Velit: Nolit quæ lex prohibet, Velit quæ iubet, & de quo dici possit, Beatus vir non abijt, nõ stetit, non sedit vbi lex iubet, non sedendum, non standum, non ambulandum: & de quo possit subdi, Sed in lege Domini voluntas eius: hic beatus erit, cum totam legem impleuerit, nã audeo dicere, quod. In his duobus verbis, Nolle quæ lex non vult, e Velle quæ vult, tota lex pendet, & Prophetæ. Nec tantum lex hominibus lata, sed etiam lex quæ diuino Legifero est data, in his duobus verbis, VELLE, & NOLLE, quasi in duobus firmis vertitur polis. Ambiges, ergo Deo posita est lex? Vtique, dicente Psalmographo, *Propter legẽ tuam sustinui te Domine*: & Theodoreto exponẽte, *Veluti enim quadam lege misericordiæ vteris*. Hanc

Aug. in Prologo psalmorum.

Psalm. 29. 5. Theod. hic.

autem

Ezech. 18. 32.
1. ad Thess. 4. 5.
Theophyl. in c.4. Ioan.

autem totam misericordiæ legem Dominus implet, per VOLO, & NOLO, *NOLO mortem peccatoris*: en primum polum: *VVLT Deus omnes homines saluos fieri*: en secundum. Nam ex Theophylacto, *Voluntas Dei est salus hominum*. Est autem lex miserationis, & pietatis pactum, nam Deus pacto conuenit cum homine, vt tantum Deus homini donet, quantum homo homini donat. Hanc legem, hãc pactionẽ a Chrysologo reperies sic firmatam, *Homo sibi tantum donari postulat, quãtum ipse remittit & donat, ad placitum Dei, Deum taliter inuitat ad pactum, quisque quantum ipse præstiterit alteri, tantum sibi exigat & ipse præstari*.

Chrysolog. serm. 68. in orat. Dominicam.

CIRCVLVS VII.

Lex norma est bonorum, & prauorum operum, & docet, vt hęc Nolis, illa Velis.

14 REgulæ proprium est, vt necum norma sit recti, sed & iudex & index obliqui. Sicut enim rectitudo obliquum hinc prodit, tamquam non cohærens: ita rectum inde pandit, tamquam adhærens: nõ aliter lex Dei Theophilo Alexandrino visa est, & norma recti, & obliqui forma, quę et deflexa corrigat, & dirigat recta: & errantes reuocet, & prouocet amantes: & mala fugienda demonstret, monstret & bona sequẽda, ita enim ait, *Lex negligentes sic & in errorem demersos, consiliis optimis ad meliora reuocare festinat, quasi Norma prauorum operum. Eos autem qui sibi obediunt, absque premio esse nõ patitur, neque aeternis angustiis premit, Propheta promittẽte, Eris Corona decoris in manu Domini, & Diadema decoris in manu Dei tui*. Sed hos normę actus varios, hos regulæ effectus contrarios apertius describebat his verbis, his coloribus, hisque luminibus doctus calamus, ac eloquens Augustini penicillus, *Quomodo distortum lignum, etsi ponatur in pauimento æquali, non collocatur, non quia inæquale est vbi posuisti, sed quia distortum est quod posuisti: Ita cor tuum quando prauum est, non potest collineari rectitudini Dei, Qui autem adhæret Domino vnus Spiritus est*. Si ergo mala omnia ex eo fonte scaturiunt, quia humana voluntas voluntati opponitur diuinæ, illamque pręsumit ad se, deceptra & errans, detorquere: quid faciendum vt vitia fugiat, se quaturque virtutes? Corrigatur voluntas distorta, cum recta legis regula, sic enim beatus euadet vir, & de eo dicetur, In lege Domini voluntas eius. Sed audiamus iam Hipponensem Antistitem, ita dicentem, *Ecce tu volebas tibi aliquid accidere: sed Deus aliud voluit. Duæ voluntates sunt, sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Praua est enim tua, regula est illa. Stet regula, vt quod prauum est ad regulam corrigatur*. Sic, sic, o Domine Legifer noster, verbum tuum rectum est, verbum tuum regula est, verbum tuum vbi accesserit, inde confestim fugit malum, vitium mox recedit, nam virga æquitatis, virga regni tui: & virga rectitudinis virga legis tuæ, quæ nos in via regit, & ad te dirigit.

Theop. Alexand. in ep. 3. pasc.

August. in Enar. sup. psal. 31.

Aug. ibid.

CIRCVLVS VIII.

Lex Dei duci comparatur, qui modo ad arma vocat, modo receptui canit.

15 SEd non plene explanasse se putat Anthiochenus Antistes gloriam legis dum illam comparat normæ rerum, addit præterea, & ęquat summo Duci. Quemadmodum enim Imperator exercitus frena tenens, ac premens imperio milites, cum hostibus bella gerens, nunc ad canorum tubæ sonitum

nitum milites arma iubet arripe re, & inimicos inuadere: nunc re ceptui canens, ad castra choros reuocat militares: ita & lex lux, & dux, vel ad arma nos excitat contra vitia, vel præcipit vt scutum fidei sumamus, vel iubet vt in hoc, vel cum hoc omnia tela ignita nequissimi extinguamus: vetat ne prohibita faciamus: monet vt mãdata impleamus: hortatur vt de infesto principe mundi huius triũphemus: vrget vt Deum, vt amicos, ac inimicos amando amplectamur, inuitat ad diuidenda spolia, ad triũphales honores, ad pæana, ad Coronas Sed ipsius tubam ad hæc nos adhortantem, audiamus, sic enim intonat, *Qui curam sui gerunt, vt ad meliora proficiant, habentes LEGEM QVASI FORTISSIMVM DVCEM, parent imperiis eius, & venientia contra se peccata, subuertunt splendore operum, & securitate conscientiæ, perturbationum iacula negligentes, spe anticipant victoriam. Qui autem bonorum imitatores sunt, antequam ineãt prælium, desiderio virtutis palmam occupant triumphorum.*

Idem Theophilus ibid.

16 Obijcies forte Beato viro, qui in his immobilibus polis in quibus Cæli lex mouetur sic fixit voluntatem, vt Nolit quæ illa prohibet: & Velit cuncta, quæ iubet, antiquum prouerbium, Ante victoriam, canis triumphum? Sed pro comperto habeto, eum qui sic firmat in lege Domini voluntatem, triumphi compotem iã extare, sic Hildephonso docẽte, at que dicente, *Non enim ab Omnipotenti Deo tam effectus tantarum rerum, quàm voluntas requiritur: ante cuius thronum olim multitudo cælestis exercitus decantauit, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quapropter sit nobis bona voluntas in affectu, erit pro certo Dei adiutorium in prouentu.* Prouentus, qui ex Græco dicitur ἔκβασις, id est, euasio, non omnem euasionem significat, sed vel illam, qua miles è prælio vel duello euadit & victor, & gloriosior, & fortior: vel ex Augustino, *Exitum demonstrat, nec omnem, sed gloriosi Principis triumphantis.* Vnde Archiepiscopus Toletanus, *Boni affectum Beati viri, & eius voluntatem in lege Dei bene dispositam, triumphantem affirmat ante triumphum.* Nec mirum, nam Beatus dicitur is, qui in lege Domini proprium inserit velle, id est, secundum Euthymium, *Qui legi diuinæ suam coniunxit voluntatem, eadem volens quæ iubet lex.* Qui ergo hæc volens, Deo vnitur, & vnus cum illo spiritus efficitur, & triumphator erit, & dicetur beatus: qui autem hæc nolens, à Deo abit, & separatur ab illo, & victus iacet, & succumbit damnatus. Hinc statuit Theophylactus, *Electio Dei non cogit voluntatem nostram cùm sit mala, vt fiat bona: sed electio quidem fit à Deo, in mente autem nostra & voluntate situm est saluari, & dignè ad electionem ambulare, vel è diuerso.*

Adagium.

Hildephõs. Archiepisc. Tol. ser. in Assumpt. B. & gloriosæ V. M.

Græcus.

Augu. in ps. 61. & in epist. 89.

Euthymius hic.

Theophylactus in enar. sup. c. 6. Ioa.



CAELI DAVIDICI VERSIO VIGESIMAQVINTA.

Ex Chaldæo, Ad institutum Domini voluntas eius.

CIRCVLVS I.

Instituta Christi, ab infantia sunt apprehendenda.

1 CVm sint ex Philosophi placito, *Vniuersalia singularibus notiora*: perfectò ab illis est inchoandum, ac deinceps ad particularia, si opus est, descendendum. Propterea debemus & nos, qui versionem Vulgatæ de lege in vniuersum hactenus contemplati sumus, ad Chaldaicam accedere paraphrasim, quæ legi, quasi generi, vel speciei, institutum Domini addit, quasi indiuiduū, & singulare. Instituta apud legis peritos, indiuidua pars legis sunt, leges complectuntur, instruunt mores: & Christi exemplar sic voluntati proponitur, vt tota in mandatis eius dirigatur, tota in imitatione illius versetur. Datur duplex lex, altera quidem viua, altera scripta: scripta vel est in tabulis lapideis, vel in tabulis cordis carnalibus, vel in cereis, vel in papyris, vel in folijs, vel in membranis. De viua autem, quæ est ratio sapientiæ, ita Chrysostomus quærit, ita & docet, *Quanā est ea lex nisi Christus, qui inenarrabiliter est à Patre genitus, nec est scriptus in tabulis lapideis? Ex Sion enim egredietur lex, & Verbum Domini ex Ierusalem, qui lex quidem dicitur, qui in se ferat paterna consilia*. Ideo, iuremeritò, ad demonstrandam & legem in lapidibus sculptam, dicimus cum Vulgata, & in lege Domini voluntas eius: & ab monstrandā viuam, & in Christi moribus descriptam, addimus cum Chaldæa, *Ad institutum Domini voluntas eius*.

Arist. lib. 1. physic. text. 13.

Chrysost. in hom. super psal. 1.

2 Valerius Maximus de Institutis antiquis verba facturus, caussā assignans, dixit, *Opus est cognosci huiusce vitæ, quam sub Tiberio principe feliciter agimus, qua fuerint elementa, vt eorum quoque respectus, aliquid præsentibus moribus prosit*. At Psaltes præscius felicitatis Ecclesiæ Gentium, quæ sub Principe pacis, & sub Patre futuri sæculi erat futura, non antiquum, sed nouum proponit institutum, & hoc in Domini moribus sic expressum, vt beatum reddat virum, qui in eo imitando pronum habet animum, & qui in eo amando accendit & voluntatem. Reddunt autē hæc elementa, hi mores, hæc instituta beatū. Et fortè hinc est quod elementorum nomine prænotantur, quia ab infantia, & ab incunabulis pueris proponuntur. Idcirco obseruabat Ambrosius Psalmum de beatitudine ambulantium in lege Domini, per litteras esse compositum, vt pueris hoc primùm exhiberetur apprehendendum, in molli memoria tenaciter firmandum, & vsque ad senectam & senium retinendum. Sic enim fatur. *Vnde intelligimus ideo per litteras Hebræorum Psalmum Centesimum decimum octauum esse digestum, vt homo noster, tamquam paruulus, & ab infantiā per litterarum elementa formatus, quibus atas puerilis assueuit, vsque ad maturitatem virtutis exerceat*. Et quidem protritum prouerbium est, *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. Et si illud cum Vatablo explanemus, *Institue puerum iuxta biuium via sua*: ò quam vtiliter

Valer. max. lib. 2. c. 1.

Ambro. ser. 14. in psal. 118. ver. 1.

Prou. 22. 6.

Vatablus.

ter ad Domini instituta puer sic dirigetur in biuio, vt antequam pedem in vitiorum itineribus ponat: viam per virtutis semitam apprehendat. Si vero cum Pagnino legamus, *Imbue puerum*: optime cum illo quadrat & Horatij carmen, (Pagninus.)

(Horatius.) *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu:*

(Hieroymus ad Latam. de Filiæ instit.) & Hieronymi effatum, *Difficulter eradicatur, quod rudes anni perbiberunt, Recens testa diu, & saporem retinet & odorem, quo semel imbuta est.*

CIRCVLVS II.

In moribus Christi apparet in concreto, quod lex præcipit in abstracto.

3 QVemadmodũ mathematicæ scientiæ peritus præceptor, postquam in abstracto de triangulo, vel de quatrangulo, vel de alia quauis figura doctè disseruit, in albo illam describit, calamo firmat, lineis format, formam extendit, litteras in angulis, in medio, hinc & inde addit, & exponit ante oculos, quod auribus prius commisit, nempe, illũ habere tres angulos æquales duobus rectis: Ita, si fas est dicere, post præcepta proposita, post datas leges, easque per litteras digestas, placitum est Summo Patri atque Magistro, vt Sapientia diuina in carne apparens, in carne, quasi in candida pagina, triangulum formaret, in quo tres admiraremur, quasi in figura vna indiuiduaque persona, substantias, nempe diuinitatem, animam, & carnem. Isque Triangulus angulos haberet sic æquales duobus rectis, duobus scilicet testamentis, vt in Christi moribus & institutis, quidquid vtraque lex vel pręcipit, vel docet in abstracto, in concreto reluceret, vt ipse dicebat, *Non veni soluere legẽ, sed adimplere*. Per ea enim, quæ (Matt. 5. 17.) Chrysostomus docet, *Christus hoc dicit, vt discipulos suos his verbis ad suum prouocaret exemplum, vt sicut ipse omnem legem adimplebat, sic ipsi studerent adimplere.* (Chrysost. relatus a D. Tho. in cat. sup. cap. 5. Matt.)

4 Hanc legem vitam, hanc in carne visibili Sapientiam enixè poscebat Salomon à Patre luminum, cùm enim dixisset ei, *Tecum sapientia tua, qua nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum in oculis tuis, & quid directum in praeceptis tuis*: addidit preces, subtexuit & vota, *Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.* Augustinus autem legit, *Emitte*, & simul docet, *Emitti Sapientiam, id est, Filium ab illo, à quo manat, scilicet à Patre: sed aliter mitti, vt sit cum homine, aliter vt sit homo.* Vtrũque autem Rex postulare videtur, dũ enim dicit, Vt mecum sit, hoc est, esse cum homine: & dum subdit, Et mecũ laboret, in hoc petit, vt sit homo, nam homo nascitur ad laborem. Hine autem factum est, vt tali edoctus exemplo, sciat & homo quid placitum sit Deo, dũ ad institutum Domini dirigitur intellectus, inuitatur voluntas, & accenditur sic effectus, vt sciens faciat, & faciens sciat, quid acceptum sit Deo, vt scilicet per ea quæ docet Hugo Cardinalis, *Nihil contra eum faciat, id est, contra voluntatem eius.* Beatus enim vir inuisibilis exemplaris, visibile habens exemplum, dum visibiliter Deum agnoscit, per hunc in inuisibilium, ne dum amorem, sed etiam imitationem sic rapitur, vt, ad institutũ Domini sit voluntas eius. (Sapien. 9. 9.) (Ibid. ver. 10) (Augustin. lib 4. de Trin. c. 20.) (Hugo Card. in c. 9. Sapien.)

CIRCVLVS III.

In incarnato Verbo lex reperitur increata & creata, candida & rubra.

5 SI Diuinus Plato olim præcipiebat, vt leges publicæ, (Plato apud Cælium)

Rhod. lib. 25. Lec. Antiq. cap. 4.

ac Reipublicæ instituta, & in tabulis imputribilibus, nempe cypressinis scriberētur, & in sacris ædibus reuerenter repositæ seruarentur: & antiquitus maiorum leges rubræ dicebantur, sicut & cecinit Iuuenalis,

Iuuenal Satyr.

Perlege rubras
Maiorum leges.

Et annotauit Ouidius, ac Terētius indicauit,

Ouid. lib. de Trist.

Nec titulus minio, nec Cedro charta notetur.
Instar tituli fulgidula
Notabo minio.

Leges autem supernæ, & instituta diuina in Verbo scripta, in sinu Patris locata, & æternitati sacrata, coluntur, nam ex his, quæ dicebat Chrysostomus, *Verbum, seu ratio, cum à Patre sit inseparabilis, & in se ferat paterna consilia, æterno viuit tempore*. Hoc autem Verbum, in quo vt Origenes loquitur, *Sunt omnia verba*: rubro sanguine scriptum est, dum caro factum est. Vnde Spōsa interrogantibus, Qualis est dilectus tuus? mira arte illū depingens, dicebat, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*. Quæres quid demonstret candor, quid monstret rubeus color? Audi Gilibertum respondentem, *Singularis mixtura est colorum, qui in sola persona Domini operatione Diuina conuenerunt in vnum, nec vt sint vnus, sed vt sint in vno, in quo generatio diuina candet, & rubet humana*.

Chrysost. hom. in Ps. 1

Orig. hom. 1. ex diuersis

Cant. 5. 10.

Gilber. ser. 18. in Cantica.

6 Sicut ergo in Verbo diuino humanato, & diuinitatis vetera, & noua humanitatis sunt in personæ vnitate coniuncta: Ita ex illius lingua, quasi ex viuaci calamo, & nouæ & antiquæ legis exarata sunt instituta, ab ipsomet celebrata, & sic lucis suæ splendore perfusa, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. O lingua efficax, ò velocis scribæ calamus. Quemadmodum calamus fixus est, duosque in vna cuspide apices gyrat, vtroque vnam tantum litteram ita formans, vt vbi alterum adimis, alterius inutile reddas opus: Eodem ferè modo & duo testamenta vnam litteram figurant, vnum Christum describūt, & si vnum vel auferes, vtrumque & adimes. Non est mea excogitatio, sed Zenonis: sic enim ait, *Calamus fixus est, fratres, duosque vertices gerit in vnius acuminis tenuitate digestos, vnam litteram vtroque conficiens: cui si vnum adimas, alterius inanis est vsus. Vnde rectè testamenta sunt duo, quæ similiter duobus capitibus vnam litteram fingunt, id est, sacra legis duobus edictis, vnum Christum Dei filium spiritali temperamento conscribunt. Quæ sine se vtilia esse non possunt, quia veteri sicut nouum præstat fidem, ita nouo vetus perhibet testimonium, sicut scriptum est, Semel locutus est Dominus: & hæc duo audiuimus*.

Psal. 44. 3.

Zeno Episc. Veron. in Serm. de Somnio Iacob.

7 Idipsum idem Zeno figuratū demonstrat in denario inuento à Petro in ore Piscis, & pro Christi ac Petri tributo iam soluto, ita enim fatur, *Sed & Dominus ipse in Euangelio hanc exprimit rationem, dicens ad Petrum, Mitte hamum in mare, & Piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies duos denarios, da pro me, & te. Piscē primum à mortuis ascendentem Christum debemus accipere: cuius ex ore duo denarij, id est, duo testamenta prolata sunt: quæ saluti eum Domini gloria, & Patri felicitate, vtpotè super quem ædificauit Ecclesiam duobus populis profecerunt. Mare autem mundum significasse non dubium est, hamum verò prædicationē, quia sicut hamus missus in mare mortem piscis ostendit: ita Euangelica prædicatio missa per mundum, mortē Domini aduentumque testatur, sicut ad Corinthios scriptum est, Annunciabitis mortem Domini, donec veniat. Aperies os piscis, id est, sacramentum, vel quæ in prouerbijs loquutus sum, non intelligentibus explanabis. Denique hoc alibi manifestius ad omnes discipulos ait, Ite ergo, & docete omnes Gentes, intingentes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque præcepi vobis. Dabis autem pro me & pro te: hoc est, meā prædicabis Crucē, sed & tu Crucis tuæ similiter dignitate gaudebis*.

Idem Ibidē.

8 Vbi

8 Vbi autem me fugit ſcalæ Iacob myſterium, in qua hoc ipſum miro modo eſt figuratū? Vbi gladius bis acutus, vnum capulum habens? Et vbi carbo forcipe ab altari desumptus, in quo teſtamenta duo ſunt adumbrata? Sed audiantur hæc omnia à calamo Epiſcopi Veronenſis eloquenter deſcripta, *Scala Iacob duo teſtamenta ſignificat, quæ & euangelicis intexta præceptis, credentes homines, voluntatemque Dei facientes, quaſi per quoſdam obſeruantiæ gradus in Cœlum leuare conſueuerunt. Hanc in Apocalypſi Ioannis bis acutum gladium cum vno capulo nuncupauit: quem ex ore Domini prodire deſcribit. Gladius enim Spiritus ſanctus eſt, vnum capulum habens, id eſt, vnam ſubſtantiam, virtutem, deitatem, maieſtatem, voluntatemque Patris & Filii, conteſtans duas acies, id eſt, duo teſtamenta gerens: quorum regalibus monitis & creduli deuotique ſeruantur: & increduli deſertoreſque puniuntur. Hanc Iſaias in modum forcipis vidit, quibus ad conflanda labia inquinata ab vno de Seraphim ex ara Dei ſublatum carbonem, vaticinando perhibuit. Etenim labia inquinata duas populos Iudæorum Gentiumque debemus accipere, qui cum eſſent anterioris vitæ facinoribus inquinati, vnus Chriſtum blaſphemando atque perſequendo, alius deos aſſerendo, atque abominanda figmenta colendo, tactu carbonis in vnum populum per confeſsionem nominis Chriſti noſcuntur eſſe conflati. Etenim conflatio & puritatem deſignat, & vnitatem. Carbo enim, Verbum Dei eſt: ara, lex: forceps, duo teſtamenta: quę credentes tenent, non credentes incidunt.*

Idem ibid.

9 Sed ad calamum reuertentes, mirabilem cum Ambroſio, in eo contemplemur de Chriſto allegoriam a calamo Dauidico eloquēti ſermone deſcriptam. En ipſe quidem Verbum, & Calamum demōſtrat & Scribam. Verbum, à Patre eructatum: Calamus, quia lingua carnis ſanguineo cruore diuina mandata expreſſit: & Scriba, quia diuina myſteria & paterna mandata reuelauit, ſic enim fatur, *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis: quod ad Chriſtum alij referre volunt. Vno igitur loco & Verbum, & Calamus legitur, & Scriba. Verbum, quia de genitali Patris prodijt arcano, Eructauit cor meum Verbum bonum. Calamus, quia caro Chriſti paterna decretum voluntatis expreſſit, & lingua mandata diuina ſacri effuſione cruoris impleuit. Scriba, quia calamo ſuo indiuidua quadā diſtinctione, noui & veteris teſtamenti, vel diuinitatis & carnis paternæ nobis diſpoſitionis myſteria reuelauit.* Hinc idem Archiepiſcopus Mediolanenſis te exhortatur, vt & tu calamum carnis tuæ tingas in ſanguine Chriſti, Chriſtum imiteris, ſpiritu Dei informeris, Crucem amplectaris, vitia detergas, mortē Crucifixi in tua carne circumferas, & tali calamo ſerpentis caput confringas & conteras. Audi illius monita, amplectere ſalutaria documenta. *Hunc calamum imitare tuæ carnis temperamento. Et calamū tuum, hoc eſt, carnem tuam tinge, non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, vt quod ſcribis æternum ſit. Tali calamo Paulus illam Epiſtolam ſcripſit, de qua dicit, Epiſtola noſtra vos eſtis, inſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui. Tinge carnem tuam in Chriſti ſanguine, ſicut ſcriptum eſt, Vt tingatur pes tuus in ſanguine. Et tu ergo veſtigium animi tui, & mentis inceſſū indubitata confeſſione dominicæ Crucis tinge. Tinge carnem tuam in Chriſti ſanguine, ſi vitia diluas, peccata detergas, mortem Chriſti in tua carne circumferas, ſicut Apoſtolus docuit, dicens, Mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferē tes. Noli ad terrena inflecti, ne arundinem tuam frangas. Et ideo de Chriſto, quia nō erat de terrena eruditus, prophetatum eſt, Arundinem quaſſatā non confringet: quoniam carnem, quā peccata quaſſauerant, reſurrectionis virtute ſolidauit. Bona arundo caro Chriſti, quæ ſerpētis diaboli caput, & mūdanæ cupiditatis illecebras patibulo Crucis affixit.* Beatus ergo & ꝑdicatur, & eſt, q ad huiuſmodi inſtituta volūtatē iēiunat, applicat & affectū.

Ambroſ. li. 6. commēt. in Lucam c. de laudat Ioan. à conſtantia mentis.

Idem ibid.

CIRCVLVS IV.

Literę legis Hebræorum coronatæ, coronam cedunt Verbo incarnato.

תגין

10 NEdum lex ab Hebræis dicebatur Corona, sed etiā aliquot litteræ, quibus illa erat descripta, vocabant & ipsi, Thagin, id est, Coronatas: & in synagogis suis librum legis Coronis, siue argenteis, siue etiam aureis religiosissimè seruabant coronatum. Sed omnes Coronæ ab ipsis excogitatæ, quibus & legem, & legis litteras adornabant, in vnum redactæ sūt, & V tantum coronant, Verbum enim incarnatum est illud, in cuius capite vidit Aquila volans, *Diademata multa*. Multa quidē, quia & ipse gestat super omnes Coronam, & reliquas obseruantibus legem & diuinorum institutorum cultoribus elargitur. Inde Richardus ob hanc æternam Coronam existimabat, & iure, diuinam legem & esse gloriosam, & gloriosos reddere obsequentes illi, sic enim fatur, *Gloriosam legem Dei dixerim, quia de hac sola, vel maxime quisque coronatur*. Et obseruatum est ab Hebræis in tabulis, in quibus legis decalogus cōtinebatur, 620 literas exaratas, eumdem numerum producere ac vox כתר Chether, quæ coronā signat, vt statim innueretur legis cultores coronam inde adepturos. Ita enim asserunt, *In decem præceptis 620 litteræ sunt, totidemque numerū producit, הכתר Chether, Corona, quo significatur legis corona, quæ ijs corona est, qui in ea ad Dei nomen & gloriā versantur.*

Apoc. 19. 12.

Richard. Victor. in psal. 118.

Ex Hebręorū tabulis.

11 Quæres a quonam Agonotheta cultores legis his pretiosis munerantur Coronis? Dicam a summo vel Iudice, vel Rege, quē Isaias cuilibet Iusto, cuius voluntas est in lege Domini, vel promittit, vel prædicit Remuneratorem, sic illum, proposito premio, ad agonē exhortans, *Erit corona gloriæ in manu Domini, & Diadema decoris in manu Dei tui*. Sed si Corona capitis, & non manus est ornamētum cur Dominus, non in capite gestat illam, sed in manu? Ideo fortè, quia corona dum adhuc concinnatur in manu textrice gestatur, quæ nunc vnum in ea, nunc alium nectit florem, donec completo iam opere, tempora exornet. Ita Deus Iudex iustus, dum adhuc in certamine sumus, & legis armis decorati varias victorias obtinemus, varios propria manu addit coronæ gloriæ celestes flores, vt terminato certamine, & agone completo, Victorum capita ornet, & ita coronet, vt corona gloriæ, quam modo Iudex gestat in manu, Iusto donetur pro capitis ornamento. Sic Forerius explanās Prophetæ verba, dicebat, *Corona, etsi capiti imponi consueuerint, iuuat tamen in manibus habere, nam alludit ad Coronas, quæ ex floribus fiūt.* Et verè iuuat eas Deum habere in manibus dum Iustus adhuc viuēs, Bonum certamen certat, & legem seruat: nam per singulos obedientiæ actus singulos in illa addit gloriæ flores.

Isa. 62. 3.

Forer. in c. 62. Isa.

CIRCVLVS V.

Ad institutum & exemplum Christi adhibenda est Christiani voluntas in lege.

12 VAlerius Maximus illustrē & industrium referens Romanorum morem, quo, *Maiores natu in conuiuijs ad thybias egregia Superiorum opera carmine comprehensa, pangebant, vt ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent*: tale institutum summis laudibus ad ęthera eleuans, subdit, *Quas Athenas? Quam scholam? Quæ alienigena studia huic domestica disciplinæ pratulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricij, Marcelli,*

Valer. Max. lib. 2. c. 1.

Idem ibid.

li, Fabij, ac ne singula imperij nostri lumina simul percurrendo sim longior, inde, inquam, Cæli clarissima pars diu fulserunt Cæsares. At nobis non in profanis & carnalibus conuiuijs conuenientibus in vnū, sed in dominico ac diuino, tale est enim quod in sacro instrumento, & scripturarum scientia nobis paratur, dicente Theophilo Alexandrino, *Opulentū virtutum conuiuiū requiramus, ornantes nos scientia scripturarum*: Quis neget per diuini Psaltis diuina carmina, per quæ nedum antiquorum Santorum illustria facta, sed Auctoris fidei & Verbi incarnati panguntur encomia, ad ea imitanda alacriores reddi fideles: qui ad institutum eius applicant voluntatem?

Theoph. Alex. in epist. 3. Paschal.

13 Quæ autem schola cum hac poterit vmquam exæquari, de qua vt dicebamus, gloriatur Ecclesia, dicens, *Introduxit me Dominus in domum gymnasij doctrinæ Isdrael, vt discerem legem*? Inde orti sunt nō Scipiones, non Camilli, non Fabij, non Marcelli: sed Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines: nec ibi Cæsares, Cæli clarissima pars fulserunt: sed Filij Dei, quos celebrat Apostolus, dicens illis, *Vt simplices filij Dei in medio nationis prauæ & peruersæ luceatis, sicut luminaria in mundo*. Filius enim, ex diuo Thoma, *Est similis Patri*: & fideles edocti a Domino, & instituta Domini imitantes, Patri luminum similes euadunt, & tamquam, luminaria, vt Ambrosius docet, in mundo sic lucent, vt, *Tam clari appareant vita, conuersatione, moribus, quemadmodum Sol & Luna inter Stellas splendore sublimes sunt*. Nec decet silentium agere de verbis Anselmi, *Sicut stellas cæli non extinguit nox: sic & mentes fidelium adhærentes firmamento sacræ scripturæ, vel cælestibus desiderijs, non obscurat mundana iniquitas. Qui enim mente sunt in supernis, cogitāt, sicut dictum est, Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum: de ipsis cogitationibus supernorum patientes fiunt*. Quis enim non æquo ac patienti animo ferat omnia, patientiæ exemplum sibi in Saluatore nostro in Crucem acto, recogitans: & ad institutum Domini voluntatem habens? Audiamus Pontificiū Decretum, *O quisquis Christianus dicitur, Christi se esse discipulum profitetur: qui Christi discipulus est, debet Doctoris exempla per omnia sectari, vt in discipuli tam habitu, quam conuersatione, Magistri tam forma, quām doctrina resplendeat*.

Cant. 1.4 ex Paraph. Caldaica.

Ad Philip. 2. 14.

D. Tho. hic

Ambr. in c. 2. epist. ad Philip.

Ansel. in c. 2. epist. ad Philip.

Sixtus Tertius Pont. in lib. de diuitijs.



CAELI DAVIDICI
VERSIO VIGESIMASEXTA.
Ex Felice, In lege Domini desiderium eius.

CIRCVLVS I.

Pulchra nimis est lex, quæ ideo desideratur, quia amatur.

Plato in symposio amoris.

1 SI amorem definiens Plato demonstrabat illum esse desiderium pulchri: & si Psaltes virum beatum inde describit, quia legem desiderat, deperit legem: vtique legẽ formosam ipse depingit, & legem autumat esse pulchram. Et certe si verum est, vti & est eiusdem Platonis effatum, *Nonne vt maximum quoddam ciuitatis bonum, legem cõdunt latores legum?* Et si inficiari non possumus idem omnino esse bonum, ac pulchrum: quis vnquã negabit legem pulchram esse, cũ sit bona: immo summum pulchrũ esse, cùm summum sit bonum? Ideo dicentibus Apostolicis constitutionibus, *Lex bona est*: idipsum est ac, si dicerent, Lex pulchra est. Quid pulchrius gemmis, in quibus pars quædam, & parua latet cælestis lucis? quid plurimi fit, & plus desideratur a lapidarijs? Quid magis quæritur, & amatur? Quid tam hilari animo, etiam caro pretio, vel acquiritur, vel emitur: vel cum tristitia cordis, etiam ingenti pretio recepto, alienantur a venditore? At gemmam legis Legislator diuinus hominibus donans, lætatur de dono, dummodo a beato viro amabiliter & cum desiderio recipiatur. Sic R. Chaninah philosophatur, dicens, *Homo gemmam homini daturus, etiam pretio, mæret eius priuationem, emptor lætus est: sed Dominus Deus non ita facit, dedit Israeli suam legem, & lætatus est dũ eam receperunt.* Deus enim quęrit hominem, non humana: cælestia dare cupit, non concupiscit inuenire terrena: legis gemmam vendens, largitur, nec aliud pro ea pretium præter desiderium requirit.

Ex Mars. Ficino in argum. super Dial. 1. lat. de Amicitia

Ex Apostolicis constit. lib. 6. c. 21. referente Anastas. in quæst. scrip. quæst. 50.

R. Chanin. apud Hebręos.

2 Quæres cuiusnam generis hæc gemma sit? Adamas est. De eodem enim Deo modo dicitur, *In manu eius adamas*: & modo, *In dextera eius ignea lex*. Sicut ergo teste Plinio, *Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas*: Ita & de lege dicitur iudice Iob, *Nescit homo pretium eius*: Vel ex Hebræo, *Nescit homo appretiationem & æstimationẽ eius*. Vt enim Gregorius loquitur, *Nihil inuenit, vel habet dignum æstimatione illius*. Si vero id, quod subdit idem naturæ Secretarius, verũ est, quod, *adamas comes auri, nec nisi in auro nasci videbatur*: Lex, vt Iob addit, *Trahitur de occultis*: Vel iuxta versionem Septuaginta interpretum, *Pretiosior est lapidibus*: Vel iuxta Hebræos, *Pretiosior est gemmis, & margaritis*. Vnde & R. Salamon statuit, *Lex pretiosior est margaritis*. Et iure, nam si hæ pretiosæ sunt ob lucis minimum radium, quem condunt in sinu, & exterius iaculantur: Lex lux est, & talis a Salomone panditur, *Lex lux*. Et si de hac lege & luce in cælo sacræ Scripturæ a Deo producta multo melius dici potest, *Vidit Deus lucem, quod esset bona*: Vel cũ Basilio, *Quod esset pulchra*: meritò amanda est atque ardenter desideranda, cùm amor sit desiderium pulchri. Dicamus ergo Beatum esse virum, qui eo produxit affectum, vt sit in lege Domini desiderium eius.

Amos 7. 7. ex Septuag. Deute. 33. 2. Plinius lib. 37. cap. 4.

Iob. 28. 15. Hebræus.

Greg. Papa hic. Plin. ibid.

Iob ibidem

Septuag. Hebræus.

R. Salomon in cap. 31. Prouerb.

Prou. 61. 23

Genes. 1. 3.

Basilius.

CIR-

CIRCVLVS II.

Desiderat legem, & possidet, quia successiuè eam acquirit.

3 SI verum est, quod amor tẽdat ad bonum, sed absolutè: desiderium autem sit de bono, sed de bono nondum habito: verũ etiam erit, quòd vir beatus incendi possit in legis amore, & sic nec videns, nec possidens eam, sed tantum audiens famam pulchritudinis eius. At quomodo verum sit quod illam habens adhuc desideret eam: adhuc sub iudice est lis, idemque dubium pendet, pendet & iudicium, & de ea & de legis lumine, ac de lumine gloriæ. Nonne de Angelis, qui lumen gloriæ possident, & Patrem luminum clarè vident, Petrus ausus est affirmare, *In quem desiderent Angeli prospicere?* Sed ambigenti, si ipsum læti possident, si felices & vident, dicente Domino, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: qui fieri potest, vt possidendo desiderent, quod iã desideratũ beati possidẽt? Certè ex hoc labyrintho non patet exitus, nisi apprehendatur filiũ, nõ à Dedalo datum, sed ab Angelico Doctore porrectũ, q desideriũ distĩguẽs, cæca vestigia regit. Sic ergo inde deducit, dũ sic ducit, sic distinguit. *Desiderium dupliciter accipi, vno modo propriè, secundum quod importat appetitum rei non habitæ: alio modo cõmuniter, secũdum quod importat exclusionem fastidij.* Hoc ergo secundo modo Angeli desiderant in Deum conspicere, quia etsi perfectè Deum cognoscant, possideantque totum: numquam talis amatæ possessionis & gratiæ visionis fastidium sentiunt, quia totaliter non possident eum. Primo autem modo, lex Dei à beato viro & habetur, & cupitur, cùm enim eam non totam simul possideat, sed successiuè impleatur ab ea, sicut summopere delectatur in eo quod habet: ita summopere desiderat potiri & eo, quod nondum habet, sed adhuc sine fastidio restat habendum.

1. Pet. 1. 12.

Matt. 18. 10.

D. Tho. 1. 2. q. 25. ar. 1. in corp.

4 Naturæ quidem leges modũ determinant, rebusque terminum sic desiunt, vt iurè dicatur, *Nimiũ omne naturæ inimicum*. At Auctoris naturæ legibus, & gratiæ institutis, Nimium si detrahes, amicum cor non ostendes. Audi cæleste statutum, nota & decretum. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis*: Vel cum Psalterio Romano, & cum Arnobio, *Cupit nimis*: Vel cum Ambrosio, Hieronymo, & Cassiodoro, *Cupiet nimis*. Vbi cum coloribus præsentis temporis *Cupit*: & cum luminibus futuri, *Cupiet*: variã figuram depingit, variamque describit voluntatem beati, qui dum immaculatus ambulat in via, & possidet, & cupit mandata legis, cùm enim non possit legem totã simul possidere, hinc fit, vt possidendo desideret, & desiderando possideat, & in possessionem addat desiderium, addat & Nimis. Nec mirum, nam per ea, quæ docet, Diuus Thomas. *Vbi est maior ignis amoris, ibi & maius ardet incendiũ desiderij: & desiderij maior flamma, magis facit desiderantem aptum, magis reddit possidentem paratũ ad maiorem susceptionem desiderati*. Pari ergo incedunt passu, & pede currunt pari, hinc amor desiderans bonum: inde desiderium amantis pulchrum. En in amore datur nimis, nam de amantibus decantatur, *Adolescentulæ dilexerunt te nimis*: & a Bernardo additur, *Modus diligendi Deum est, sine modo diligere*: & in desiderio legis datur nimis, nam modus desiderandi legem, est sine modo desiderare, nimis eam deperire, & diligere nimis: & ita secundum Titelmanũ, *In mandatis eius velit cupiatque nimis, vt ea vehementer amet, cupidissime exquirat, totus illis implendis intentet, & idem sit dicere, In mandatis eius volet nimis: ac, In lege Domini volũtas eius*. O amor legis sine modo! O ĩsatiabile desideriũ legis!

Hippocr. li. 2. Aphor aphor. 51.

Psal. 111. 1.

Psalterium Romanum. Arnobius. Ambrosius. Hieronym. Cassiodor.

D. Th. 1. p. q. 12. ar. 6. in corp.

Cantic. 1. 2. Bernard. in tract. de diligẽdo Deo

Titelman. in annotat. sup. Ps. 111.

CIR-

CIRCVLVS III.

Desiderium legis implendæ, amore perficitur, non timore.

5 ILle ergo ad legem desideriū habet, & in mandatis eius, & cupit, & cupiet nimis, qui nimis diliget, & qui legē implet, non quidem timore pœnæ, in quo & pœna est: sed virtutis amore, in quo iucūda delectatio est. Sicut Amorem Ægyptij per musicum instrumētū figurabant, in quo ex vocum diuersitate, qui consurgit concentus, Melos vocatur: Melos autem in musica sic est institutum, quia vt notat Rhodiginus, *μέλει*, *Græcè, signat curæ esse, ceu nil musica antiquius homini esse debere, nihilque quod curare debeat impensius*: Non alter diuinę legis desideriū, & Christi amor æstuans in corde, melodiæ cōparantur, quæ amoris est symbolum, & musicam nos docet, exigitque a nobis, vt amantes & legem seruemus, & scripturæ operam nauemus. Hinc præcipit Psaltes, *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi*: Nedum volens vt psallamus, sed vt cum instrumentis musicis, quæ amoris sunt hieroglyphicum, amātes legem, in lege adimplenda omne studium, & curam omnem adhibeamus. Vbi Augustinus nunc mysterium pandit, explicans modum, quo psalterium de supernis accipit aerem, vnde reddit & sonum: & nunc monitum addit, quo sic te hortatur, *Iam eum attendis superiora dona Dei, quid tibi contulerit præceptorū, qua doctrina cælesti te imbuerit, & quid tibi desuper ex illius veritatis fonte præceperit, cōuertere & ad psalteriū, & psalle* Domino *in psalterio decem chordarum. Præcepta enim legis decem sunt, in decem præceptis legis habes psalterium: perfecta res est. Habes ibi dilectionem Dei in tribus, & dilectionem proximi in septem, & vtique nosti, Domino dicente, quia in his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ.*

Rhodig. li. lib. 5. lect. antiq. c. 11.

Psal. 32. 2.

Aug. in cōc. 1. de 1. parte Psal. 32.

6 Subdit tamen & idem Augustinus chordarum diuersitatem, vnde vocum diuersitas, quæ consurgit, & melos vocatur, varium reddit sonum, ita subnectens, *Dicit tibi Deus desuper, quia Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Habes vnam chordam. Non accipias in vanum nomen Domini Dei tui, habes alteram chordam. Obserua diem sabbati. Hæc tria pertinent ad dilectionem Dei. In septem alijs caritas proximi. Hæc omnia præcepta Dei sunt: desuper sonant, tange psalteriū, imple legem, quam Dominus tuus nō venit soluere, sed adimplere. Implebis enim amore, quod timore nō poteras.* Cùm ergo amor sit desiderium pulchri, & lex non possit impleri, nisi amore: quid mirum, si beatus vir ille dicitur, qui ad legē Domini desideriū habet, & melos continuū reddit, assiduam adhibens curam in lege adimplenda? In lege & flores vernant, & fructus apparent: sed hi quærendi, illi vero vt Chrysologus docet, admirandi. Sic enim fatur, *Sed in hac lectione quid spiritualis intelligentiæ lateat si scire volumus, verborum flosculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum, Viola, Rosa, Lilia, Narcissus, gratia flores: sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus: quod dat panis vita, hoc scientia dat saluti. Seponenda est ergo eloquentia voluptas, quando scientia deposcitur fortitudo.* Hinc Dominus gloriatur, *Pulchritudo agri mecum est.* Si autē ager, ex Cassiano, *Scripturam significat*: pereius pulchritudinem, vt Euthymius docet, *Fructus intelligit, qui in agris nascuntur.*

Idem ibid.

Chrysolog. ser. 18. de so cru Petri.

Ps. 49. 11.

Cassian. col lat. 8. cap. 3. Euthymius in psal. 49.

CIRCVLVS IV.

Dulcedo legis nulla similitudine explicari potest.

7 SEd ad suaue melos redeuntes, quænam lingua, quis calamus

lamum, quis penicillus, quæ ars poterit mellifluam describere legis vocem? Omnia Dei attributa possunt aliqua similitudine declarari, at dulcedo desiderij, ac famelicus appetitus, quem accendunt in corde diuinæ legis voces, & quem excitant in anima diuina præcepta seruata, nulla similitudine adumbrari, nulla comparatione figurari, nullo vel colore vel lumine potest describi. De summo artifice Euphranore Valerius refert, quòd, *Cùm Athenis duodecim deos pingeret, Neptuni imaginem, quo poterat excellentissimis maiestatis coloribus complexus est, perinde ac Iouis aliquanto augustiorem repræsentaturus. Sed omni impetu cogitationis in superiori opere assumpto, posteriores eius conatus assurgere, quo tendebant, nequiuerunt.* Id ipsum, ni fallor, Sponsæ euenisse videtur. Rogata & ipsa a sodalibus, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Linguam quasi penicillum varijs coloribus imbuēs, nō vndecim falsa numina, sed vndecim veri Dei attributa ad viuum sic depinxit, vt colore candido, innocentiam: rubro, amorē: aureo, sapientiam: nigro, profunditatem indiciorum: lacteo, prouidētiam: aureolis aromatum, pulchritudinem: lilijs, eloquentiam: hyacinthis, omnipotentiam: sapphiris, puritatem: marmoreis columnis, æternitatem: & per bases, misericordiam figuraret, atque iudiciū. Vbi vero ad guttur deuentum est, nullus color, nullum lumen, nulla vmbra, & similitudo nulla reperta est, & tantum de eo dixisse illi satis fuit, *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Non est quidem meum, sed Ruperti Abbatis inuentum, sic enim ait, *Guttur illius suauissimum sponsa demonstrat & non dicit, quàm suaue, vel cui simile sit. Cæterorum singulis quadam similia dedit, videlicet, capiti aurum optimum, comis elatas palmarum, oculis columbas super riuos aquarum, genis areolas aromatum, labiis lilia, manibus tornum & aurum cum hyacinthis, ventri ebur distinctum sapphiris, cruribus columnas marmoreas cum basibus aureis. Porro guttur nulli rei simile, sed tãtummodo suauissimum dixit, vt per hoc recogites ineffabilem atque inenarrabilem esse internam dulcedinē diuinitatis.*

Valer. Max. lib. 8. c. 11.

Cant. 5. 9.

Cant. 5. 16.

Ruper. Ab. lib. 5. com. in Cant.

8 Smaragdis, naturæ Mystes, super omnes gemmas facilè tribuit principatum ex eo, quod, *Soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant.* Virentibus autem, viuentibusque smaragdis Scripturæ ager tali est gratia refertus: & verbum inibi reuelatum, implet cum tali melos cor & aures, vt Sponsa quę totum nouerat ex gustu, partem illius exprimens & verbo, ita dicebat, *Palatum eius dulcedines, Palatum eius cantica.* Sed quales dulcedines, & qualia cantica sint, noluit, vel quia non valuit, vel quia non licuit, colorare, sed tantū dixit, Guttur illius suauissimum, & ex Ruperto, *Vno dicto supplere contendit defectum totius sermonis, dicendo, & totus desiderabilis. Verè totus desiderabilis, & semper desiderabilis, quia cùm habetur tunc magis desideratur, estque visio eius in desiderio, & desiderium in visione.* Sic, sic oculos, aures, os, palatum, & cor Dei Verbum implet, & non satiat: cùm enim nil nisi desideriū sit, qui simul cum illo, desiderium amat, desiderium gustat, desideriū audit, & desiderium videt & haurit, cui mirum erit si sensus omnes tali desiderio impleantur, nunquam tamen satientur?

Plin. lib. 37. cap. 5.

Cant. 5. 16. ex Hebr.

Ruper. Ab. ibid.

CIRCVLVS VI.

Semper in lege est desiderium Iusti, quia in lege Deus est.

9 HInc Psaltes legis dilectionem volens extollere, se illam dilexisse canebat, *Super aurum, & topazion.* Sed certè, ô Dauid, sicut in auri electione, inter metalla pretiosius proposuisti: ita in topazij comparatione, non delectum gemmæ excellentioris ha- Ps. 118. 127.

buisti, adamas enim æstimatio præualet superatque topazium. Sed respondet Hilarius, *Quod vt cæteris metallis aurum: ita & alius lapidibus præstat topazion, continēs in se solo, & in diuersorum colorum permixtione, omnium pretiosissimarum gemmarum speciem.* Idipsum Hugo Victorinus cōfirmat ex nomine, *πᾶν enim Græcè, Latinè dicitur omne, nam topazius lapis omnium lapidum colores in se continet.* Ast, ego hāc vnionem auri topazijque contemplans, vt desiderium legis admiror in auro, ita & plenitudinē legis complector in topazio: Iustus enim, quamuis omnem legem impleat eamque possideat tamquam topazion, quod omne significat: semper tamen, vt aurum diligit eā. Sicut ergo de auro dicitur, *Qui aurum thesaurizant, & non est finis acquisitionis eorum*: quia vt Lyranus intonat, *Quanto plura acquirunt, tanto ad alia acquirenda ardētius anhelant*: Ita & amator legis, etsi legem possideat, quasi topazion, totamque impleuerit opere, vt πᾶν significat: attamen illam sic deperit, & sic amat, quasi aurum, vt quanto plura implet, tanto ad maiora adimplenda ardentius anhelet, hæc enim implent, non satiant. Talem Auctor iustitiæ Iustis proposuit legis normam, Topazion sic proponēs, *Cùm hæc omnia feceritis*: & aurum sic addens, *Dicite, serui inutiles sumus.* Non talem impleuit formam Euangelicus illa adolescens, qui topazion habens, *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea*: proposito sibi auro, vel thesauro cælesti, *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*: legem non dilexit super aurum, sed ne terrenum perderet, perdidit cæleste, *Et abiit tristis*: & obijt infelix.

Hilar in en. sup. ps. 118.
Hugo Vict. lib. 3. de Bestiis &c. c. 58.
Baruch. 3. 18.
Lyran. hic.
Mat. 19. 20.

CAELI DAVIDICI
VERSIO VIGESIMASEPTIMA.

Ex Suadeno, In lege Domini beneplacitum eius.

CIRCVLVS I.

Lex & sacra Scriptura comparantur mensæ omnibus bonis refertæ.

1 PEtrus Cellensis interpretans præceptum Domini, *Facies & mensam de lignis Sethim*: In mensa Scripturam sanctam figurari docuit, eamque omnibus refertam delicijs cælestialibus, cunctisque ferculis affluentem, sic ostendit, *Mensa de lignis sethim numquam vacua refectione est, quia sancta Scriptura, nec sentētiarum dapibus, nec ferculis exemplorum inanis est.* Si huius mensæ materiam quæris: *De lignis Sethim incorruptibilibus esse dicitur, quia Cælum & terra trāsibunt, verba autem Dei non transibūt.* Si ministros illius requiris: *Scriptores sunt & Auctores.* Si Dominū mensæ, *Spiritus sanctus est, qui & corda illustrauit, & linguas docuit illorum, qui contrectauerunt de Verbo vitæ.* Si conuiuas: *Meditantes adsunt in lege Domini die ac nocte.* Si epulas conuiuarum: *Instructiones legentium, quibus sicut adipe & pinguedine repletur anima.* Si taurina caro exquiritur: *Recitatio illorum, qui iugum legis sub lege agentes sustinuerunt, seruantes in cibis & potibus vsque ad præfinitum tempus à Patre, in cultura tantum legis frumentum gratiæ meditantes.* Si altilia iuxta cælum, euolantia: *Contempla-*

Exod. 25. 23
Petr Cell. lib. 2. mystice expos. Mos. Taber.
Idem ibid.

tiuorum proponitur vita, & exēpla, quomodo, quæ sursum sunt, quærere debeamus, innotescunt. Si poma noua, & vetera: *Ab initio mundi fidelium nomina, & dicta, & exempla singillatim retinens in Scriptura tota, mensam antiqua & noua Patrum memoria respersit.*

CIRCVLVS II.

Deliciæ legis in mensa sacræ Scripturæ propositæ, sunt ineffabiles.

2 SEd ecce reuertimur ad superiora, nam colores non reperiuntur, non similitudines proponuntur ad huius mensæ delicias describendas. Inde subdit idem Cellensis, *Huius mensæ delicias tam impossibile est explicare, quàm vniuersum abyssi pelagus absorbere.* Ideo fortè in mensa labium aureum addebatur: hoc enim requiritur in mensa scripturæ diuinæ, cùm ipsa, *Aureo labio plenitudinem ferculorum, & summam dapum concordi prædicatione mēsa eructās, non inflatione buccæ, & labiorum distensione vtitur loquens grandia, & magnificans labia sua. Quanto enim sensu altiora sunt diuina eloquia, tanto sunt voce modestiora, & prolatione suppressa. Agni enim sunt voces, qui nō clamauit, neque audita est vox eius in plateis. Quicquid ergo eloquium sonat diuinum, & vnum est fidei vnitate, & aureum sensus profunditate. Vnum, ne dilanietur errore schismatico: aureum, ne vilescat sermone nudo & rustico: & per circuitum, ne agrè exeditur de transitorio bono. Intellige iucundum, per labium: vitale, per circuitum: summum bonum, per aureum. Vitale quod promittitur, iucūdum per aureum, summum immortale per circuitum.* Sed vbi idem concludit, *Adde ipsi labio Coronam intransilem:* ò quàm aperte demonstrat, non posse labium huius coronæ, qua lex & mensa ornatur, verbis exprimere ineffabilem gloriam, & inenarrabilem iucunditatem, illis vsus verbis, Nā huius mensæ delicias tam impossibilis est explicare, quàm vniuersū abyssi pelagus absorbere.

Idem ibid.

CIRCVLVS III.

Legis & Psalmorum deliciæ nullo colore depingi possunt.

3 SI vero nomine legis Psalmos accipimus, nā & Christus hoc nomine Psalmos describit, dicens, *Nonne in lege vestra scriptum est, Ego dixi dij estis?* Et de Psalmis hoc dictum Eusebius sic interpretatur, *Legem hoc in loco Psalmos vocat, quia & ipsi sudeant, dum & docentes damnant, & bonos iustificant:* quæ lingua, quæ ars, quæ gratia dapium Psalmorum poterit dulcedinem vel in pagina figurare, vel verbis depingere? Sufficiat ad hoc probandum Nysseni doctrina. *Non vllum eius, de quo quæritur extat exemplum, comparatione vero aliqua hoc ipsum illustrare difficile est. Quis enim parua scintillula Solem cōparat? Aut paruam stillam cum immensa aquarum voragine conferat? Nullam enim comparationem habet, neque cum aquarum voragine gutta, neque cum Solis radiis minima scintilla. Eodem modo se habent omnia quæcumque homines tamquam pulchra admirantur, comparationē facta cum eo, quod omne pulchrum aut bonum excedit.* Quid ergo lex est? & Scriptura quid est? Scintilla forte? Stella forsan? immo Solis pulchritudine longe pulchrior, *Est enim hæc speciosior Sole, & super omnem dispositionem Stellarum, luci comparata inuenitur prior.* Estne gutta aquæ? estne vel fons, vel flamma? Immo pelago & mari maior est. Nam huius mensæ delicias tam impossibile est explicare, quàm vniuersum abyssi pelagus absorbere. Est illa fortasse dulcis vt mel? est suauis vt fauum? Immo & mellis & faui dulcedine longe dulcior, *Quàm dulcia fauci-*

Ioan. 10. 34.

Euse. Emiss. fer. 4. post Domin. pas.

Greg. Nyss. in lib. de virginit. c. 10.

Sapien. 7. 29

Ps. 118. 103.

autem totam misericordiæ legem Dominus implet, per VOLO, & NOLO, NOLO *mortem peccatoris:* en primum polum: *VVLT Deus omnes homines saluos fieri:* en secundum. Nam ex Theophylacto, *Voluntas Dei est salus hominum.* Est autem lex miserationis, & pietatis pactum, nam Deus pacto conuenit cum homine, vt tantum Deus homini donet, quantum homo homini donat. Hanc legem, hãc pactionẽ a Chrysologo reperies sic firmatam, *Homo sibi tantum donari postulat, quãtum ipse remittit & donat, ad placitum Dei, Deum taliter inuitat ad pactum, quisque quantum ipse præstiterit alteri, tantum sibi exigat & ipse præstari.*

Ezech. 18. 32. 1. ad Thess. 4. 5. Theophyl. in c. 4. Ioan. Chrysolog. serm. 68. in orat. Dominicam.

CIRCVLVS VII.

Lex norma est bonorum, & prauorum operum, & docet, vt hęc Nolis, illa Velis.

14 Regulæ proprium est, vt nedum norma sit recti, sed & iudex & index obliqui. Sicut enim rectitudo obliquum hinc prodit, tamquam non cohærens: ita rectum inde pandit, tamquam adhærens: nõ aliter lex Dei Theophilo Alexandrino visa est, & norma recti, & obliqui forma, quę et deflexa corrigat, & dirigat recta: & errantes reuocet, & prouocet amantes: & mala fugienda demonstret, monstret & bona sequẽda, ita enim ait, *Lex negligentes sic & in errorem demersos, consiliis optimis ad meliora reuocare festinat,* quasi Norma prauorum operum. *Eos autem qui sibi obediunt, absque premio esse nõ patitur, neque æternis angustiis premit, Propheta promittente, Eris Corona decoris in manu Domini, & Diadema decoris in manu Dei tui,* Sed hos normę actus varios, hos regulæ effectus contrarios apertius describebat his verbis, his coloribus, hisque luminibus doctus calamus, ac eloquens Augustini penicillus, *Quomodo distortum lignum, etsi ponatur in pauimento æquali, non collocatur, non quia inæquale est vbi posuisti, sed quia distortum est quod posuisti: Ita cor tuum quando prauum est, non potest collineari rectitudini Dei, Qui autem adhæret Domino vnus Spiritus est.* Si ergo mala omnia ex eo fonte scaturiunt, quia humana voluntas voluntati opponitur diuinæ, illamque præsumit ad se, decepta & errans, detorquere: quid faciendum vt vitia fugiat, sequaturque virtutes? Corrigatur voluntas distorta cum recta legis regula, sic enim beatus euadet vir, & de eo dicetur, In lege Domini voluntas eius. Sed audiamus iam Hipponensem Antistitem, ita dicentem, *Ecce tu volebas tibi aliquid accidere: sed Deus aliud voluit. Duæ voluntates sunt, sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Praua est enim tua, regula est illa. Stet regula, vt quod prauum est ad regulam corrigatur.* Sic, sic, o Domine Legifer noster, verbum tuum rectum est, verbum tuum regula est, verbum tuum vbi accesserit, inde confestim fugit malum, vitium mox recedit, nam virga æquitatis, virga regni tui: & virga rectitudinis virga legis tuæ, quæ nos in via regit, & ad te dirigit.

Theop. Alexand. in ep. 3. pasc. August. in Enar. sup. psal. 31. Aug. ibid.

CIRCVLVS VIII.

Lex Dei duci comparatur, qui modo ad arma vocat, modo receptui canit.

15 Sed non plene explanasse se putat Anthiochenus Antistes gloriam legis dum illam comparat normæ rerum, addit præterea, & ęquat summo Duci. Quemadmodum enim Imperator exercitus frena tenens, ac premens imperio milites, cum hostibus bella gerens, nunc ad canorum tubæ so-

nitum

nitum milites arma iubet arripe re, & inimicos inuadere: nunc re ceptui canens, ad castra choros reuocat militares: ita & lex lux, & dux, vel ad arma nos excitat contra vitia, vel præcipit vt scutum fidei sumamus, vel iubet vt in hoc, vel cum hoc omnia tela ignita nequissimi extinguamus: vetat ne prohibita faciamus: monet vt mãdata impleamus: hortatur vt de infesto principe mundi huius triũphemus: vrget vt Deum, vt amicos, ac inimicos amando amplectamur, inuitat ad diuidenda spolia, ad triũphales honores, ad pæana, ad Coronas Sed ipsius tubam ad hæc nos adhortantem, audiamus, sic enim intonat, *Qui curam sui gerunt, vt ad meliora proficiant, habentes LEGEM QVASI FORTISSIMVM DVCEM, parent imperiis eius, & venientia contra se peccata, subuertunt splendore operum, & securitate conscientiæ, perturbationum iacula negligentes, spe anticipant victoriam. Qui autem bonorum imitatores sunt, antequam ineãt prælium, desiderio virtutis palmam occupant triumphorum.*

Idem Theophilus ibid.

16 Obijcies forte Beato viro, qui in his immobilibus polis in quibus Cæli lex mouetur sic fixit voluntatem, vt Nolit quæ illa prohibet: & Velit cuncta, quæ iubet, antiquum prouerbium, Ante victoriam, canis triumphum? Sed pro comperto habeo, eum qui sic firmat in lege Domini voluntatem, triumphi compotem iã extare, sic Hildephonso docẽte, atque dicente, *Non enim ab Omnipotenti* Deo *tam effectus tantarum rerum, quàm voluntas requiritur: ante cuius thronum olim multitudo cælestis exercitus decantauit, Gloria in excelsis Deo. & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quapropter sit nobis bona voluntas in affectu, erit pro certo Dei adiutorium in prouentu.* Prouentus, qui ex Græco dicitur ἔκβασις, id est, euasio, non omnem euasionem significat, sed vel illam, qua miles è prælio vel duello euadit & victor, & gloriosior, & fortior: vel ex Augustino, Ex*itum demonstrat, nec omnem, sed gloriosi Principis triumphantis*. Vnde Archiepiscopus Toletanus, *Boni affectum* Beati *viri, & eius voluntatem in lege* Dei *bene dispositam, triumphantem æstimat ante triumphum*. Nec mirum, nam Beatus dicitur is, qui in lege Domini proprium inserit velle, id est, secundum Euthymium, *Qui legi diuinæ suam coniunxit voluntatem, eadem volens quæ iubet lex*. Qui ergo hæc volens, Deo vnitur, & vnus cum illo spiritus efficitur, & triumphator erit, & dicetur beatus: qui autem hæc nolens, à Deo abit, & separatur ab illo, & victus iacet, & succumbit damnatus. Hinc statuit Theophylactus, *Electio Dei non cogit voluntatem nostram cùm sit mala, vt fiat bona: sed electio quidem fit à Deo, in mente autem nostra & voluntate situm est saluari, & dignè ad electionem ambulare, vel è diuerso.*

Adagium.

Hildephõs. Archiepisc. Tol. ser. in Assumpt. B. & gloriosæ V. M.

Græcus.

Augu. in ps. 61. & in epist. 89.

Euthymius hic.

Theophylactus in enar. sup. c. 6. Ioa.



CAELI DAVIDICI VERSIO VIGESIMAQVINTA.

Ex Chaldæo, Ad institutum Domini voluntas eius.

CIRCVLVS I.

Instituta Christi, ab infantia sunt apprehendenda.

Arist. lib. 1. physic. text. 13.

1 CVm sint ex Philosophi placito, *Vniuersalia singularibus notiora:* perfectò ab illis est inchoandum, ac deinceps ad particularia, si opus est, descendendum. Propterea debemus & nos, qui versionem Vulgatæ de lege in vniuersum hactenus contemplati sumus, ad Chaldaicam accedere paraphrasim, quæ legi, quasi generi, vel speciei, institutum Domini addit, quasi indiuiduũ, & singulare. Instituta apud legis peritos, indiuidua pars legis sunt, leges complectuntur, instruunt mores: & Christi exemplar sic voluntati proponitur, vt tota in mandatis eius dirigatur, tota in imitatione illius versetur. Datur duplex lex, altera quidem viua, altera scripta: scripta vel est in tabulis lapideis, vel in tabulis cordis carnalibus, vel in cereis, vel in papyris, vel in folijs, vel in membranis. De viua autem, quæ est ratio sapientiæ, ita Chrysostomus quærit, ita & docet, *Quanã est ea lex nisi Christus, qui inenarrabiliter est à Patre genitus, nec est scriptus in tabulis lapideis? Ex Sion enim egredietur lex, & Verbum Domini ex Ierusalem, qui lex quidem dicitur, quia nos fert paterna consilia.* Ideo, iure meritò, ad demonstrandam & legem in lapidibus sculptam, dicimus cum Vulgata, & in lege Domini voluntas eius: & ab monstrandã viuam, & in Christi moribus descriptam, addimus cum Chaldæa, *Ad institutum Domini voluntas eius.*

Chrysost. in hom. super psal. 1.

2 Valerius Maximus de Institutis antiquis verba facturus, caussã assignans, dixit, *Opus est cognosci huiusce vitæ, quam sub Tiberio principe feliciter agimus, quæ fuerint elementa, vt eorum quoque respectus, aliquid præsentibus moribus prosit.* At Psaltes præscius felicitatis Ecclesiæ Gentium, quæ sub Principe pacis, & sub Patre futuri sæculi erat futura, non antiquum, sed nouum proponit institutum, & hoc in Domini motibus sic expressum, vt beatum reddat virum, qui in eo imitando pronum habet animum, & qui in eo amando accendit & voluntatem. Reddunt autẽ hæc elementa, hi mores, hæc instituta beatũ. Et fortè hinc est quod elementorum nomine prænotantur, quia ab infantia, & ab incunabulis pueris proponuntur. Idcirco obseruabat Ambrosius Psalmum de beatitudine ambulantium in lege Domini, per litteras esse compositum, vt pueris hoc primùm exhiberetur apprehendendum, in molli memoria tenaciter firmandum, & vsque ad senectam & senium retinendum. Sic enim fatur. *Vnde intelligimus ideo per litteras Hebræorum Psalmum Centesimum decimum octauum esse digestum, vt homo noster, tamquam paruulus, & ab infantia per litterarum elementa formatus, quibus ætas puerilis assueuit, vsque ad maturitatem virtutis excrescat.* Et quidem protritum prouerbium est, *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et si illud cum Vatablo explanemus, *Institue puerum iuxta ductum viæ suæ:* ò quam vtili-

Valer. max. lib. 2. c. 1.

Ambro. ser. 4. in psal. 118. ver. 1.

Prou. 22. 6.

Vatablus.

ter ad Domini instituta puer sic dirigetur in biuio, vt antequam pedem in vitiorum itineribus ponat: viam per virtutis semitam apprehendat. Si vero cum Pagnino legamus, *Imbue puerum*: optime cum illo quadrat & Horatij carmen,

Pagninus.

Horatius.

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu:

& Hieronymi effatum, *Difficulter eradicatur, quod rudes anni perbiberunt, Recens testa diu, & saporem retinet & odorem, quo semel imbuta est.*

Hieroymus ad Laetam. de Filiæ institut.

CIRCVLVS II.

In moribus Christi apparet in concreto, quod lex præcipit in abstracto.

3 QVemadmodũ mathematicæ scientiæ peritus præceptor, postquam in abstracto de triangulo, vel de quatrangulo, vel de alia quauis figura doctè disseruit, in albo illam describit, calamo firmat, lineis format, formam extendit, litteras in angulis, in medio, hinc & inde addit, & exponit ante oculos, quod auribus prius commisit, nempe, illũ habere tres angulos æquales duobus rectis: Ita, si fas est dicere, post præcepta proposita, post datas leges, easque per litteras digestas, placitum est Summo Patri atque Magistro, vt Sapientia diuina in carne apparens, in carne, quasi in candida pagina, triangulum formaret, in quo tres admiraremur, quasi in figura vna indiuiduaque persona, substantias, nempe diuinitatem, animam, & carnem. Isque Triangulus angulos haberet sic æquales duobus rectis, duobus scilicet testamentis, vt in Christi moribus & institutis, quidquid vtraque lex vel præcipit, vel docet in abstracto, in concreto reluceret, vt ipse dicebat, *Non veni soluere legẽ, sed adimplere*. Per ea enim, quæ

Matt. 5. 17.

Chrysostomus docet, *Christus hoc dicit, vt discipulos suos his verbis ad suum prouocaret exemplum, vt sicut ipse omnem legem adimplebat, sic ipsi studerent adimplere.*

Chrysost. relatus a D. Tho. in cat. sup. cap. 5. Matt.

4 Hanc legem viuam, hanc in carne visibili Sapientiam enixè poscebat Salomon à Patre luminum, cùm enim dixisset ei, *Tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum in oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis*: addidit preces, subtexuit & vota, *Mitte illam de sanctis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.* Augustinus autem legit, *Emitte*, & simul docet, *Emitti Sapientiam, id est, Filium ab illo, à quo manat, scilicet à Patre: sed aliter mitti, vt sit cum homine, aliter vt sit homo.* Vtrũque autem Rex postulare videtur, dũ enim dicit, Vt mecum sit, hoc est, esse cum homine: & dum subdit, Et mecũ laboret, in hoc petit, vt sit homo, nam homo nascitur ad laborem. Hinc autem factum est, vt tali edoctus exemplo, sciat & homo quid placitum sit Deo, dũ ad institutum Domini dirigitur intellectus, inuitatur voluntas, & accenditur sic effectus, vt sciens faciat, & faciens sciat, quid acceprum sit Deo, vt scilicet per ea quæ docet Hugo Cardinalis, *Nihil contra eum faciat, id est, contra voluntatem eius.* Beatus enim vir inuisibilis exemplaris, visibile habens exemplum, dum visibiliter Deum agnoscit, per hunc in inuisibilium, ne dum amorem, sed etiam imitationem sic rapitur, vt, ad institutũ Domini sit voluntas eius.

Sapien. 9. 9.

Ibid. ver. 10

Augustin. lib. 4. de Trin. c. 20.

HugoCard. in c. 9. Sapien.

CIRCVLVS III.

In incarnato Verbo lex reperitur increata & creata, candida & rubra.

5 SI Diuinus Plato olim præcipiebat, vt leges publicæ,

Plato apud Cælium

Rhod. lib. 25. Lec. Antiq. cap. 4.

ac Reipublicæ instituta, & in tabulis imputribilibus, nempe cypressinis scriberētur, & in sacris ædibus reuerenter repositæ seruaretur: & antiquitus maiorum leges rubræ dicebantur, sicut & cecinit Iuuenalis,

Iuuenal Satyr.

Perlege rubras
Maiorum leges.

Et annotauit Ouidius, ac Terētius indicauit,

Ouid. lib. de Trist.

Nec titulus minio, nec Cedro carta notetur.
Instar tituli fulgidula
Notabo minio.

Leges autem supernæ, & instituta diuina in Verbo scripta, in sinu Patris locata, & æternitati sacrata coluntur, nam ex his, quæ dicebat Chrysostomus, *Verbum, seu ratio, cùm à Patre sit inseparabilis, & in se ferat paterna consilia, æterno viuit tempore*. Hoc autem Verbum, in quo vt Origenes loquitur, *Sunt omnia verba*: rubro sanguine scriptum est, dum caro factum est. Vnde Spōsa interrogantibus, Qualis est dilectus tuus? mira arte illū depingens, dicebat, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*. Quæres quid demonstret candor, quid monstret rubeus color? Audi Gilibertum respondentem, *Singularis mixtura est colorum, qui in sola persona Domini operatione Diuina conuenerunt in vnum, nec vt fiat vnus, sed vt sint in vno, in quo generatio diuina candet, & rubet humana.*

Chrysost. hom. in Ps. 1

Orig. hom. 7. ex diuersis

Cant. 5. 10.

Giliber. ser. 48. in Cantica.

6 Sicut ergo in Verbo diuino humanato, & diuinitatis vetera, & noua humanitatis sunt in personæ vnitate coniuncta: Ita ex illius lingua, quasi ex viuaci calamo, & nouæ & antiquæ legis exarata sunt instituta, ab ipsomet celebrata, & sic lucis suæ splendore perfusa, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. O lingua efficax, ò velocis scribæ calamus. Quemadmodum calamus fixus est, duosque in vna cuspide apices gyrat, vtroque vnam tantum litteram ita formans, vt vbi alterum adimis, alterius inutile reddas opus: Eodem ferè modo & duo testamenta vnam litteram figurant, vnum Christum describūt, & si vnum vel auferes, vtrumque & adimes. Non est mea excogitatio, sed Zenonis: sic enim ait, *Calamus fixus est, fratres, duosque vertices gerit in vnius acuminis tenuitate digestos, vnam litteram vtroque conficiens: cui si vnum adimas, alterius inanis est vsus. Vnde rectè testamenta sunt duo, quæ similiter duobus capitibus vnam litteram fingunt, id est, sacra legis duobus edictis, vnum Christum Dei filium spiritali temperamento conscribunt. Quæ sine se vtilia esse non possunt, quia veteri sicut nouum præstat fidem, ita nouo vetus perhibet testimonium, sicut scriptum est, Semel locutus est Dominus: & hæc duo audiuimus.*

Psal. 44. 3.

Zeno Episc. Veron. in Serm. de Somnio Iacob.

7 Idipsum idem Zeno figuratū demonstrat in denario inuento à Petro in ore Piscis, & pro Christi ac Petri tributo iam soluto, ita enim fatur, *Sed & Dominus ipse in Euangelio hanc exprimit rationem, dicens ad Petrum, Mitte hamum in mare, & Piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies duos denarios, da pro me, & te. Piscē primum à mortuis ascendentem Christum debemus accipere: cuius ex ore duo denarij, id est, duo testamenta prolata sunt: quæ saluti eum Domini gloria, & Patri felicitate, vtpotè super quem ædificauit Ecclesiam duobus populis profecerunt. Mare autem mundum significasse non dubium est, hamum verò prædicationē, quia sicut hamus missus in mare mortem piscis ostendit: ita Euangelica prædicatio missa per mundum, mortē Domini aduentumque testatur, sicut ad Corinthios scriptum est, Annunciabitis mortem Domini, donec veniat. Aperies os piscis, id est, sacramentum, vel quæ in prouerbijs loquutus sum, non intelligentibus explanabis. Denique hoc alibi manifestius ad omnes discipulos ait, Ite ergo, & docete omnes Gentes, intingentes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque præcepi vobis. Dabis autem pro me & pro te: hoc est, meā prædicabis Crucē, sed & tu Crucis tua similiter dignitate gaudebis.*

Idem Ibidē.

8 Vbi autem me fugit scalæ Iacob mysterium, in qua hoc ipsum miro modo est figuratũ? Vbi gladius bis acutus, vnum capulum habens? Et vbi carbo forcipe ab altari desumptus, in quo testamenta duo sunt adumbrata? Sed audiantur hæc omnia à calamo Episcopi Veronensis eloquenter descripta, *Scala Iacob duo testamenta significat, quæ & euangelicis intexta præceptis, credentes homines, voluntatemque Dei facientes, quasi per quosdam obseruantiæ gradus in Cælum leuare consueuerunt. Hanc in Apocalypsi Ioannis bis acutum gladium cum vno capulo nuncupauit: quem ex ore Domini prodire describit. Gladius enim Spiritus sanctus est, vnum capulum habens, id est, vnam substantiam, virtutem, deitatem, maiestatem, voluntatemque Patris & Filii, contestans duas acies, id est, duo testamenta gerens: quorum regalibus monitis & creduli deuotique seruantur: & increduli desertoresque puniuntur. Hanc Isaias in modum forcipis vidit, quibus ad conflanda labia inquinata ab vno de Seraphim ex ara Dei sublatum carbonem, vaticinando perhibuit. Etenim labia inquinata duos populos Iudæorum Gentiumque debemus accipere, qui cum essent anterioris vitæ facinoribus inquinati, vnus Christum blasphemando atque persequendo, alius deos asserendo, atque abominanda figmenta colendo, tactu carbonis in vnum populum per confessionem nominis Christi noscuntur esse conflati. Etenim conflatio & puritatem designat, & vnitatem. Carbo enim, Verbum Dei est: ara, lex: forceps, duo testamenta: quæ credentes tenent, non credentes incidunt.*

Idem ibid.

9 Sed ad calamum reuertentes, mirabilem cum Ambrosio, in eo contemplemur de Christo allegoriam a calamo Dauidico eloquẽti sermone descriptam. En ipse quidem Verbum, & Calamum demõstrat & Scribam. Verbum, à Patre eructatum: Calamus, quia lingua carnis sanguineo cruore diuina mandata expressit: & Scriba, quia diuina mysteria & paterna mandata reuelauit, sic enim fatur, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: quod ad Christum alij referre volunt. Vno igitur loco & Verbum, & Calamus legitur, & Scriba. Verbum, quia de genitali Patris prodijt arcano, Eructauit cor meum Verbum bonum. Calamus, quia caro Christi paternæ decretum voluntatis expressit, & lingua mandata diuina sacri effusione cruoris impleuit. Scriba, quia calamo suo indiuidua quadã distinctione, noui & veteris testamenti, vel diuinitatis & carnis paternæ nobis dispositionis mysteria reuelauit.* Hinc idem Archiepiscopus Mediolanensis te exhortatur, vt & tu calamum carnis tuæ tingas in sanguine Christi, Christum imiteris, spiritu Dei informeris, Crucem amplectaris, vitia detergas, mortẽ Crucifixi in tua carne circumferas, & tali calamo serpentis caput confringas & conteras. Audi illius monita, amplectere salutaria documenta. *Hunc calamum imitare tua carnis temperamento. Et calamũ tuum, hoc est, carnem tuam tinge, non atramento, sed spiritu Dei viui, vt quod scribis æternum sit. Tali calamo Paulus illam Epistolam scripsit, de qua dicit, Epistola nostra vos estis, inscripta non atramento, sed spiritu Dei viui. Tinge carnem tuam in Christi sanguine, sicut scriptum est, Vt tingatur pes tuus in sanguine. Et tu ergo vestigium animi tui, & mentis incessũ indubitata confessionẽ dominicæ Crucis tinge. Tingis carnem tuam in Christi sanguine, si vitia diluas, peccata detergas, mortem Christi in tua carne circumferas, sicut Apostolus docuit, dicens, Mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferẽtes. Noli ad terrena inflecti, ne arundinem tuam frangas. Et ideo de Christo, quia nõ erat de terrena curuãdus, prophetatum est, Arundinem quassatã non confringet: quoniam carnem, quã peccata quassauerant, resurrectionis virtute solidauit. Bona arundo caro Christi, quæ serpẽtis diaboli caput, & mũdanæ cupiditatis illecebras patibulo Crucis affixit.* Beatus ergo & prædicatur, & est, q ad huiusmodi instituta volũtatẽ inclinat, applicat & affectũ.

Ambros. li. 6. commẽt. in Lucam c. de laudat Ioan. à constantia mentis.

Idem ibid.

CIRCVLVS IV.

Literę legis Hebræorum coronatæ, coronam cedunt Verbo incarnato.

הגין

10 NEdum lex ab Hebræis dicebatur Corona, ſed etiã aliquot litteræ, quibus illa erat deſcripta, vocabanr & ipſi, Thagin, id eſt, Coronatas: & in ſynagogis ſuis librum legis Coronis, ſiue argenteis, ſiue etiam aureis religioſiſſimè ſeruabant coronatum. Sed omnes Coronæ ab ipſis excogitatæ, quibus & legem, & legis litteras adornabant, in vnum redactæ sũt, & V tantum coronant, Verbum enim incarnatum eſt illud, in cuius capite vidit Aquila volans, *Diademata multa*. Multa quidẽ, quia & ipſe geſtat ſuper omnes Coronam, & reliquas obſeruantibus legem & diuinorum inſtitutorum cultoribus elargitur. Inde Richardus ob hanc æternam Coronam exiſtimabat, & iure, diuinam legem & eſſe glorioſam, & glorioſos reddere obſequentes illi, ſic enim fatur, *Glorioſam legem Dei dixerim, quia de hac ſola, vel maximè quiſque coronatur*. Et ob ſeruatum eſt ab Hebræis in tabulis, in quibus legis decalogus cõtinebatur, 620 literas exararas, eumdem numerum producere ac vox כתר Chether, quæ coronã ſignat, vt ſtatim innueretur legis cultores cotonam inde adepturos. Ita enim aſſerunt, *In decem præceptis 620 litteræ ſunt, totidemque numerũ produeit, הכתר Chether, Corona, quo ſignificatur legis corona, quæ ijs corona eſt, qui in ea ad Dei nomen & gloriã verſantur*.

Apoc. 19. 12.

Richard. Victor. in pſal. 118.

Ex Hebręorũ tabulis.

11 Quæres a quonam Agonotheta cultores legis his pretioſis munerantur Coronis? Dicam a ſummo vel Iudice, vel Rege, quẽ Iſaias cuilibet Iuſto, cuius voluntas eſt in lege Domini, vel promittit, vel prædicit Remuneratorem, ſic illum, propoſito premio, ad agonẽ exhortans, *Erit corona gloriæ in manu Domini, & Diadema decoris in manu Dei tui*. Sed ſi Corona capitis, & non manus eſt ornamẽtum cur Dominus, non in capite geſtat illam, ſed in manu? Ideo fortè, quia corona dum adhuc concinnatur in manu textrice geſtatur, quæ nunc vnum in ea, nunc alium nectit florem, donec completo iam opere, tempora exornet. Ita Deus Iudex iuſtus, dum adhuc in certamine ſumus, & legis armis decorati varias victorias obtinemus, varios propria manu addit coronæ gloriæ celeſtes flores, vt terminato certamine, & agone completo, Victorum capita ornet, & ita coronet, vt corona gloriæ, quam modo Iudex geſtat in manu, Iuſto donetur pro capitis ornamento. Sic Forerius explanãs Prophetæ verba, dicebat, *Corona, etſi capiti imponi conſueuerint, iuuat tamen in manibus habere, nam alludit ad Coronas, quæ ex floribus fiũt*. Et verè iuuat eas Deum habere in manibus dum Iuſtus adhuc viuẽs, Bonum certamen certat & legem ſeruat: nam per ſingulos obedientiæ actus ſingulos in illa addit gloriæ flores.

Iſa. 62. 3.

Forer. in c. 62. Iſa.

CIRCVLVS V.

Ad inſtitutum & exemplum Chriſti adhibenda eſt Chriſtiani voluntas in lege.

12 VAlerius Maximus illuſtrẽ & induſtrium referens Romanorum morem, quo, *Maiores natu in conuiuijs ad tybias egregia Superiorum opera carmine comprehenſa, pangebant, vt ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent*: tale inſtitutum ſummis laudibus ad ęthera eleuans, ſubdit, *Quas Athenas? Quam ſcholam? Quæ alienigena ſtudia huic domeſticæ diſciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricij, Marcelli,*

Valer Max. lib. 2. c. 1.

Idem ibid.

li, Fabij, ac ne singula imperij nostri lumina simul percurrendo sim longior, inde, inquam, Cæli clarissima pars diu fulserunt Cæsares. At nobis non in profanis & carnalibus conuiuijs conuenientibus in vnũ, sed in dominico ac diuino, tale est enim quod in sacro instrumento, & scripturarum scientia nobis paratur, dicente Theophilo Alexandrino, *Opulentũ virtutum conuiniũ requiramus, ornantes nos scientia scripturarum*: Quis neget per diuini Psaltis diuina carmina, per quæ ne dum antiquorum Santorum illustria facta, sed Auctoris fidei & Verbi incarnati panguntur encomia, ad ea imitanda alacriores reddi fideles: qui ad institutum eius applicant voluntatem?

Theoph. Alex. in epist. 3. Paschal.

13 Quæ autem schola cum hac poterit vmquam exæquari, de qua vt dicebamus, gloriatur Ecclesia, dicens, *Introduxit me Dominus in domum gymnasij doctrinæ Isdrael, vt discerem legem*? Inde orti sunt nõ Scipiones, non Camilli, non Fabij, non Marcelli: sed Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines: nec ibi Cæsares, Cæli clarissima pars fulserunt: sed Filij Dei, quos celebrat Apostolus, dicens illis, *Vt simplices filij Dei in medio nationis prauæ & peruersæ lucetis, sicut luminaria in mundo*. Filius enim, ex diuo Thoma, *Est similis Patri*: & fideles edocti a Domino, & instituta Domini imitantes, Patri luminum similes euadunt, & tamquam, luminaria, vt Ambrosius docet, in mundo sic lucent, vt, *Tam clari appareant vita, conuersatione, moribus, quemadmodum Sol & Luna inter Stellas splendore sublimes sunt*. Nec decet silentium agere de verbis Anselmi, *Sicut stellas cæli non extinguit nox: sic & mentes fidelium adhærentes firmamento sacræ scripturæ, vel cælestibus desiderijs, non obscurat mundana iniquitas. Qui enim mente sunt in supernis cogitãt, sicut dictum est, Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum: de ipsis cogitationibus supernorum patientes fiunt*. Quis enim non æquo ac patienti animo ferat omnia, patientiæ exemplum sibi in Saluatore nostro in Crucem acto, recogitans: & ad institutum Domini voluntatem habens? Audiamus Pontificiũ Decretum, *O quisquis Christianus dicitur, Christi se esse discipulum profitetur: qui Christi discipulus est, debet Doctoris exempla per omnia sectari, vt in discipuli tam habitu, quam conuersatione, Magistri tam forma, quàm doctrina resplendeat*.

Cant. 2. 4 ex Paraph. Caldaica.

Ad Philip. 2. 14.

D. Tho. hic

Ambr. in c. 2. epist. ad Philip.

Ansel. in c. 2. epist. ad Philip.

Sixtus Tertius Pont. in lib. de diuitijs.



CAELI DAVIDICI VERSIO VIGESIMASEXTA.

Ex Felice, In lege Domini desiderium eius.

CIRCVLVS I.

Pulchra nimis est lex, quæ ideo desideratur, quia amatur.

Plato in symposio amoris.

1 SI amorem definiens Plato demonstrabat illum esse desiderium pulchri: & si Psaltes virum beatum inde describit, quia legem desiderat, deperit legem: vtique legẽ formosam ipse depingit, & legem autumat esse pulchram. Et certe si verum est, vti & est eiusdem Platonis effatum, *Nonne vt maximum quoddam ciuitatis bonum, legem cõdunt latores legum?* Et si inficiari non possumus idem omnino esse bonum, ac pulchrum: quis vnquã negabit legem pulchram esse, cũ sit bona: immo summum pulchrũ esse, cùm summum sit bonum? Ideo dicentibus Apostolicis constitutionibus, *Lex bona est*: idipsum est ac, si dicerent, Lex pulchra est. Quid pulchrius gemmis, in quibus pars quædam, & parua latet cælestis lucis? quid plurimi fit, & plus desideratur a lapidarijs? Quid magis quæritur, & amatur? Quid tam hilari animo, etiam caro pretio, vel acquiritur, vel emitur: vel cum tristitia cordis, etiam ingenti pretio recepto, alienantur a venditore? At gemmam legis Legislator diuinus hominibus donans, lætatur de dono, dummodo a beato viro amabiliter & cum desiderio recipiatur. Sic R. Chaninah philosophatur, dicens, *Homo gemmam homini daturus, etiam pretio, maeret eius priuationem, emptor lætus est: sed Dominus Deus non ita facit, dedit Israeli suam legem, & lætatus est dũ eam receperunt.* Deus enim quærit hominem, non humana: cælestia dare cupit, non concupiscit inuenire terrena: legis gemmam vendens, largitur, nec aliud pro ea pretium præter desiderium requirit.

Ex Marsi Ficino in argum. super Dial. I. lat. de Amicitia

Ex Apostolicis constit. lib. 6. c. 21. referente Anastas. in quæst. script. quæst. 50.

R. Chanin. apud Hebræos.

2 Quæres cuiusnam generis hæc gemma sit? Adamas est. De eodem enim Deo modo dicitur, *In manu eius adamas*: & modo, *In dextera eius ignea lex*. Sicut ergo teste Plinio, *Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas*: Ita & de lege dicitur iudice Iob, *Nescit homo pretium eius*: Vel ex Hebræo, *Nescit homo appretiationem & æstimationẽ eius*. Vt enim Gregorius loquitur, *Nihil inuenit, vel habet aequum æstimationi illius*. Si vero id, quod subdit idem naturæ Secretarius, verũ est, quod, *adamas comes auri, nec nisi in auro nasci videbatur*: Lex, vt Iob addit, *Trahitur de occultis*: Vel iuxta versionem Septuaginta interpretum, *Pretiosior est lapidibus*: Vel iuxta Hebræos, *Pretiosior est gemmis, & margaritis*. Vnde & R. Salamon statuit, *Lex pretiosior est margaritis*. Et iure, nam si hæ pretiosæ sunt ob lucis minimum radium, quem condunt in sinu, & exterius iaculantur: Lex lux est, & talis a Salomone panditur, *Lex lux*. Et si de hac lege & luce in cælo sacræ Scripturæ a Deo producta multo melius dici potest, *Vidit Deus lucem, quod esset bona*: Vel cũ Basilio, *Quod esset pulchra*: meritò amanda est atque ardenter desideranda, cùm amor sit desiderium pulchri. Dicamus ergo Beatum esse virum, qui eo produxit affectum, vt sit in lege Domini desiderium eius.

Amos 7. 7. ex Septuag. Deute. 33. 2 Plinius lib. 37 cap. 4.

Iob. 28. 15. Hebræus.

Greg. Papa hic. Plin. ibid.

Iob ibidem

Septuag. Hebræus.

R. Salomon in cap. 31. Prouerb.

Prou. 6. 23

Genes. 1. 3.

Basilius.

CIRCVLVS II.

Desiderat legem, & possidet, quia successiuè eam acquirit.

3 SI verum est, quod amor tē dat ad bonum, sed absolutè: desiderium autem fit de bono, sed de bono nondum habito: verū etiam erit, quòd vir beatus incendi possit in legis amore, & sic nec videns, nec possidens eam, sed tantum audiens famam pulchritudinis eius. At quomodo verum sit quod illam habens adhuc desideret eam: adhuc sub iudice est lis, idemque dubium pendet, pendet & iudicium, & de ea & de legis lumine, ac de lumine gloriæ. Nonne de Angelis, qui lumen gloriæ possident, & Patrem luminum clarè vident, Petrus ausus est affirmare, *In quem desiderent Angeli prospicere?* Sed ambigenti, si ipsum læti possident, si felices & vident, dicente Domino, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: qui fieri potest, vt possidendo desiderent, quod iā desideratū beati possidēt? Certè ex hoc labyrintho non patet exitus, nisi apprehendatur filiū, nō à Dedalo datum, sed ab Angelico Doctore porrectū, q desideriū distiguēs, cæca vestigia regit. Sic ergo inde deducit, dū sic ducit, sic distinguit. *Desiderium dupliciter accipi, vno modo propriè, secundum quod importat appetitum rei non habitæ: alio modo communiter, secūdum quod importat exclusionem fastidij.* Hoc ergo secundo modo Angeli desiderant in Deum conspicere, quia etsi perfectè Deum cognoscant, possideantque totum: numquam talis amatæ possessionis & gratiæ visionis fastidium sentiunt, quia totaliter non possident eum. Primo autem modo, lex Dei à beato viro & habetur, & cupitur, cùm enim eam non totam simul possideat, sed successiuè impleatur ab ea, sicut summopere delectatur in eo quod habet: ita summopere desiderat potiri & eo, quod nondum habet, sed adhuc sine fastidio restat habendum.

1. Pet. 1. 12.

Matt. 18. 10.

D. Tho. 1. 2. q. 35. ar. 1. in corp.

4 Naturæ quidem leges modū determinant, rebusque terminum sic definiunt, vt iurè dicatur, *Nimiū omne naturæ inimicum*. At Auctoris naturæ legibus, & gratiæ institutis, Nimium si detrahes, amicum cor non ostendes. Audi cæleste statutum, nota & decretum. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis*: Vel cum Psalterio Romano, & cum Arnobio, *Cupit nimis*: Vel cum Ambrosio, Hieronymo, & Cassiodoro, *Cupiet nimis*. Vbi cum coloribus præsentis temporis *Cupit*: & cum luminibus futuri, *Cupiet*: variā figuram depingit, variamque describit voluntatem beati, qui dum immaculatus ambulat in via, & possidet, & cupit mandata legis, cùm enim non possit legem totā simul possidere, hinc fit, vt possidendo desideret, & desiderando possideat, & in possessionem addat desiderium, addat & Nimis. Nec mirum, nam per ea, quæ docet, Diuus Thomas. *Vbi est maior ignis amoris, ibi & maius ardet incendiū desiderij: & desiderij maior flamma, magis facit desiderantem aptum, magis reddit possidentem paratū ad maiorem susceptionem desiderati*. Pari ergo incedunt passu, & pede currunt pari, hinc amor desiderans bonum: inde desiderium amantis pulchrum. En in amore datur nimis, nam de amantibus decantatur, *Adolescentulæ dilexerunt te nimis*: & a Bernardo additur, *Modus diligendi Deum est, sine modo diligere*: & in desiderio legis datur nimis, nam modus desiderandi legem, est sine modo desiderare, nimis eam deperire, & diligere nimis: & ita secundum Titelmanū, *In mandatis eius velit cupiatque nimis, vt ea vehementer amet, cupidissime exquirat, totus illis implendis intentus, & idem sit dicere, In mandatis eius volet nimis: ac, In lege Domini voluntas eius*. O amor legis sine modo! O īsatiabile desideriū legis!

Hippocr. li. 2. Aphor aphor. 51.

Psal. 111. 1

Psalterium Romanum. Arnobius. Ambrosius. Hieronym. Cassiodor.

D. Th. 1. p. q. 12. ar. 6. in corp.

Cantic. 1. 3. Bernard. in tract. de diligēdo Deo

Titelman. in annotat. sup. Ps. 111.

CIR-

CIRCVLVS III.

Desiderium legis implendæ, amore perficitur, non timore.

5 ILle ergo ad legem desideriū habet,& in mandatis eius, & cupit,& cupiet nimis, qui nimis diliget,& qui legē implet non quidem timore pœnæ,in quo & pœna est:sed virtutis amore,in quo iucūda delectatio est. Sicut Amorem Ægyptij per musicum instrumētū figurabant, in quo ex vocum diuersitate,qui consurgit concentus, Melos vocatur: Melos autem in musica sic est institutum, quia vt notat Rhodiginus, μέλει, *Græcè, signat cura esse, ceu nil musica antiquius homini esse debere, nihilque quod curare debeat impensius:* Non alter diuinę legis desideriū,& Christi amor æstuans in corde,melodiæ cōparantur, quæ amoris est symbolum,& musicam nos docet,exigitque a nobis, vt amantes & legem seruemus,& scripturæ operam nauemus. Hinc præcipit Psaltes, *Confitemini Domino in cithara,in psalterio decem chordarum psallite illi:* Nedum volens vt psallamus,sed vt cum instrumentis musicis, quæ amoris sunt hieroglyphicum,amātes legem, in lege adimplenda omne studium, & curam omnem adhibeamus. Vbi Augustinus nunc mysterium pandit,explicans modum,quo psalterium de supernis accipit aerem, vnde reddit & sonum: & nunc monitum addit, quo sic te hortatur, *Iam cùm attendis superiora dona Dei, quid tibi contulerit præceptorū,qua doctrina calesti te imbuerit, & quid tibi desuper ex illius veritatis fonte præceperit,cōuertere & ad psalteriū, & psalle Domino in psalterio decem chordarum. Præcepta enim legis decem sunt, in decem præceptis legis habes psalterium: perfecta res est. Habes ibi dilectionem Dei in tribus, & dilectionem proximi in septem, & vtique nosti, Domino dicente, quia in his duobus præceptis tota lex pendet,& prophetæ.*

Rhodig. li. lib. 5. lect. antiq. c. 11.

Psal. 32. 2.

Aug. in cōc. 1. de 1. parte Psal. 32.

6 Subdit tamen & idem Augustinus chordarum diuersitatem, vnde vocum diuersitas, quæ consurgit,& melos vocatur, varium reddit sonum, ita subnectens, *Dicit tibi Deus desuper, quia Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Habes vnam chordam. Non accipias in vanum nomen Domini Dei tui, habes alteram chordam. Obserua diem sabbati. Hæc tria pertinent ad dilectionem Dei. In septem alijs caritas proximi. Hæc omnia præcepta Dei sunt: desuper sonant, tange psalteriū, imple legem,quam Dominus tuus nō venit soluere,sed adimplere. Implebis enim amore,quod timore nō poteras.* Cùm ergo amor sit desiderium pulchri,& lex non possit impleri, nisi amore:quid mirum, si beatus vir ille dicitur,qui ad legē Domini desideriū habet,& melos continuū reddit, assiduam adhibens curam in lege adimplenda? In lege & flores vernant, & fructus apparent: sed hi quærendi,illi vero vt Chrysologus docet,admirandi. Sic enim fatur, *Sed in hac lectione quid spiritualis intelligentia lateat si scire volumus, verborum flosculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit,despicit amana camporum, Viola,Rosa,Lilia,Narcissus, gratia flores: sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus: quod dat panis vita, hoc scientia dat saluti. Sepenenda est ergo eloquentia voluptas,quando scientia deposcitur fortitudo.* Hinc Dominus gloriatur, *Pulchritudo agri mecum est.* Sicutē ager, ex Cassiano, *Scripturam significat*: per eius pulchritudinem vt Euthymius docet, *Fructus intelligit,qui in agris nascuntur.*

Idem ibid.

Chrysolog. ser. 18. de so cru Petri.

Ps. 49. 11.

Cassian. col lat. 8. cap. 3. Euthymius in psal. 49.

CIRCVLVS IV.

Dulcedo legis nulla similitudine explicari potest.

7 SEd ad suaue melos redeuntes, quænam lingua, quis calamus

lamum, qu is penicillus, quæ ars poterit mellifluam describere legis vocem? Omnia Dei attributa possunt aliqua similitudine declarari, at dulcedo desiderij, ac famelicus appetitus, quem accendunt in corde diuinæ legis voces, & quem excitant in anima diuina præcepta seruata, nulla similitudine adumbrari, nulla comparatione figurari, nullo vel colore vel lumine potest describi. De summo artifice Euphranore Valerius refert, quòd, *Cùm Athenis duodecim deos pingeret, Neptuni imaginem, quo poterat excellentissimis maiestatis coloribus complexus est, perinde ac louis aliquanto augustiorem repræsentaturus Sed omni impetu cogitationis in superiori opere assumpto, posteriores eius conatus assurgere, quo tendebant, nequiuerunt.* Id ipsum, ni fallor, Sponsæ euenisse videtur. Rogata & ipsa a sodalibus, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Linguam quasi penicillum varijs coloribus imbuēs, nō vndecim falsa numina, sed vndecim veri Dei attributa ad viuum sic depinxit, vt colore candido, innocentiam: rubro, amorē: aureo, sapientiam: nigro, profunditatem indiciorum: lacteo, prouidētiam: aureolis aromatum, pulchritudinem: lilijs, eloquentiam: hyacinthis, omnipotentiam: sapphiris, puritatem: marmoreis columnis, æternitatem: & per bases, misericordiam figuraret, atque iudiciū. Vbi vero ad guttur deuentum est, nullus color, nullum lumen, nulla vmbra, & similitudo nulla reperta est, & tantum de eo dixisse illi satis fuit, *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Non est quidem meum, sed Ruperti Abbatis inuentum, sic enim ait, *Guttur illius suauissimum sponsa demonstrat & non dicit, quàm suaue, vel cui simile sit. Cæterorum singulis quadam similia dedit, videlicet, capiti aurum optimum, comis elatas palmarum, oculis columbas super riuos aquarum, genis aureolas aromatum, labijs lilia, manibus tornum & aurum cum hyacinthis, ventri ebur distinctum sapphiris, cruribus columnas marmoreas cum basibus aureis. Porro guttur nulli rei simile, sed tātummodo suauissimum dixit, vt per hoc recognites ineffabilem atque inenarrabilem esse internam dulcedinē diuinitatis.*

Valer. Max. lib. 8. c. 11.

Cant. 5. 9.

Cant. 5. 16.

Ruper. Ab. lib. 5. com. in Cant.

8 Smaragdis, naturæ Mystes, supper omnes gemmas facilè tribuit principatum ex eo, quod, *Soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant.* Virentibus autem, viuentibusque smaragdis Scripturæ ager tali est gratia refertus: & verbum inibi reuelatum, implet cum tali melos cor & aures, vt Sponsa quę totum nouerat ex gustu, partem illius exprimens & verbo, ita dicebat, *Palatum eius dulcedines, Palatum eius cantica.* Sed quales dulcedines, & qualia cantica sint, noluit, vel quia non valuit, vel quia non licuit, colorare, sed tantū dixit, Guttur illius suauissimum, & ex Ruperto, *Vno dicto supplere contendit defectum totius sermonis, dicendo, & totus desiderabilis. Verè totus desiderabilis, & semper desiderabilis, quia cùm habetur tunc magis desideratur, estque visio eius in desiderio, & desiderium in visione.* Sic, sic oculos, aures, os, palatum, & cor Dei Verbum implet, & non satiat: cùm enim nil nisi desideriū sit, qui simul cum illo, desiderium amat, desiderium gustat, desideriū audit, & desiderium videt & haurit, cui mirum erit si sensus omnes tali desiderio impleantur, nunquam tamen satientur?

Plin. lib. 37 cap. 5.

Cant. 5. 16. ex Hebr.

Ruper. Ab. ibid.

CIRCVLVS VI.

Semper in lege est desiderium Iusti, quia in lege Deus est.

9 HInc Psaltes legis dilectionem volens extollere, se illam dilexisse canebat, *Super aurum, & topazion.* Sed certè, ò Dauid, sicut in auri electione, inter metalla pretiosius proposuisti: ita in topazij comparatione, non delectum gemmæ excellentioris ha-

Ps. 118. 127.

Hilar in en. ſup. pſ. 118.

Hugo Vict. lib. 3. de Beſtiis &c. c. 58.

Baruch. 3. 18.

Lyran. hic.

buiſti, adamas enim æſtimatio præualet ſuperatque topazium. Sed reſpondet Hilarius, *Quod vt cæteris metallis aurum: ita & aliis lapidibus præſtat topazion, continẽs in ſe ſolo, & in diuerſorum colorum permixtione, omnium pratioſiſſimarum gemmarum ſpeciem*. Idipſum Hugo Victorinus cõfirmat ex nomine, *πᾶν enim Græcè, Latinè dicitur omne, nam topazius lapis omnium lapidum colores in ſe continet*. Aſt, ego hãc vnionem auri topazijque contemplans, vt deſiderium legis admiror in auro, ita & plenitudinẽ legis complector in topazio: Iuſtus enim, quamuis omnem legem impleat eamque poſſideat tamquam topazion, quod omne ſignificat: ſemper tamen, vt aurum diligit eã. Sicut ergo de auro dicitur, *Qui aurum theſaurizant, & non eſt finis acquiſitionis eorum*: quia vt Lyranus intonat, *Quanto plura acquirunt, tanto ad alia acquirenda ardẽtius anhelant*: Ita & amator legis, etſi legem poſſideat, quaſi topazion, totamque impleuerit opere, vt πᾶν ſignificat: attamen illam ſic deperit, & ſic amat, quaſi aurum, vt quanto plura implet, tanto ad maiora adimplenda ardentius anhelet, hæc enim implent, non ſatiant. Talem Auctor iuſtitiæ Iuſtis propoſuit legis normam, Topazion ſic proponẽs, *Cum hæc omnia feceritis*: & aurum ſic addens, *Dicite, ſerui inutiles ſumus*. Non talem impleuit formam Euangelicus illa adoleſcens, qui topazion habens, *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea*: propoſito ſibi auro, vel theſauro cæleſti, *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo*: legem non dilexit ſuper aurum, ſed ne terrenum perderet, perdidit cæleſte, *Et abiit triſtis*: & obijt infelix.

Mat. 19. 20.

CAELI DAVIDICI VERSIO VIGESIMASEPTIMA.

Ex Suadeno, In lege Domini beneplacitum eius.

CIRCVLVS I.

Lex & ſacra Scriptura comparantur menſæ omnibus bonis refertæ.

Exod. 25. 23

Petr Cell. lib 2. myſticæ expoſ. Moſ. Taber.

Idem ibid.

1 PEtrus Cellenſis interpretans præceptum Domini, *Facies & menſam de lignis Sethim*: In menſa Scripturam ſanctam figurari docuit, eamque omnibus refertam delicijs cæleſtialibus, cunctiſque ferculis affluentem, ſic oſtendit, *Menſa de lignis ſethim numquam vacua refectione eſt, quia ſancta Scriptura, nec ſententiarum dapibus, nec ferculis exemplorum inanis eſt*. Si huius menſæ materiam quæris: *De lignis Sethim incorruptibilibus eſſe dicitur, quia Cælum & terra trãſibunt, verba autem Dei non tranſibũt*. Si miniſtros illius requiris: *Scriptores ſunt & Auctores*. Si Dominũ menſæ, *Spiritus ſanctus eſt, qui & corda illustrauit, & linguas docuit illorum, qui contrectauerunt de Verbo vitæ*. Si conuiuas: *Meditantes adſunt in lege Domini die ac nocte*. Si epulas conuiuarum: *Inſtructiones legentium, quibus ſicut adipe & pinguedine repletur anima*. Si taurina caro exquiritur: *Recitatio illorum, qui iugum legis ſub lege agentes ſuſtinuerunt, ſeruantes in cibis & potibus vſque ad præfinitum tempus à Patre, in cultura tantum legis frumentum gratiæ meditantes*. Si altilia iuxta cælum, euolantia: *Contempla-*

tiuorum proponitur vita, & exẽpla, quomodo, quæ sursum sunt, quærere debeamus, innotescunt. Si poma noua, & vetera: *Ab initio mundi fidelium nomina, & dicta, & exempla singillatim retinens in Scriptura tota, mensam antiqua & noua Patrum memoria respersit.*

CIRCVLVS II.

Deliciæ legis in mensa sacræ Scripturæ propositæ, sunt ineffabiles.

2 SEd ecce reuertimur ad superiora, nam colores non reperiuntur, non similitudines proponuntur ad huius mensæ delicias describendas. Inde subdit idem Cellensis, *Huius mensæ delicias tam impossibile est explicare, quàm vniuersum abyssi pelagus absorbere.* Ideo fortè in mensa labium aureum addebatur: hoc enim requiritur in mensa scripturæ diuinæ, cùm ipsa, *Aureo labio plenitudinem ferculorum, & summam dapum concordi prædicatione mẽsa erustãs, non inflatione buccæ, & labiorum distensione vtitur loquens grandia, & magnificans labia sua. Quanto enim sensu altiora sunt diuina eloquia, tanto sunt voce modestiora, & prolatione suppressa. Agni enim sunt voces, qui nõ clamauit, neque audita est vox eius in plateis. Quicquid ergo eloquium sonat diuinum, & vnum est fidei vnitate, & aureum sensus profunditate. Vnum, ne dilanietur errore schismatico: aureum, ne vilescat sermone nudo & rustico: & per circuitum, ne ægrè credatur de transitorio bono. Intellige iucundum, per labium: vitale, per circuitum: summum bonum, per aureum. Vitale quod promittitur, iucũdum per aureum, summum immortale per circuitum.* Sed vbi idem concludit, *Adde ipsi labio Coronam intransilem*: ò quàm aperte demonstrat, non posse labium huius coronæ, qua lex & mensa ornatur, verbis exprimere ineffabilem gloriam, & inenarrabilem iucunditatem, illis vsus verbis, Nã huius mensæ delicias tam impossibilis est explicare, quàm vniuersũ abyssi pelagus absorbere.

Idem ibid.

CIRCVLVS III.

Legis & Psalmorum deliciæ nullo colore depingi possunt.

3 SI vero nomine legis Psalmos accipimus, nã & Christus hoc nomine Psalmos describit, dicens, *Nonne in lege vestra scriptum est, Ego dixi dij estis?* Et de Psalmis hoc dictum Eusebius sic interpretatur, *Legem hoc in loco Psalmos vocat, quia & ipsi iudicant, dum & docentes damnant, & bonos iustificant*: quæ lingua, quæ ars, quæ gratia dapium Psalmorum poterit dulcedinem vel in pagina figurare, vel verbis depingere? Sufficiat ad hoc probandum Nysseni doctrina. *Non vllum eius, de quo quæritur extat exemplum, comparatione vero aliqua hoc ipsum illustrare difficile est. Quis enim paruæ scintillula Solem cõparat? Aut paruam stillam cum immensa aquarum voragine conferat? Nullam enim comparationem habet, neque cum aquarum voragine gutta, neque cum Solis radiis minima scintilla. Eodem modo se habent omnia quæcumque homines tamquam pulchra admirantur, comparatione facta cum eo, quod omne pulchrum aut bonum excedit.* Quid ergo lex est? & Scriptura quid est? Scintilla forte? Stella forsan? immo Solis pulchritudine longe pulchrior, *Est enim hæc speciosior Sole, & super omnem dispositionem Stellarum, luci comparata inuenitur prior.* Estne gutta aquæ? estne vel fons, vel flamma? Immo pelago & mari maior est. Nam huius mensæ delicias tam impossibile est explicare, quàm vniuersum abyssi pelagus absorbere. Est illa fortasse dulcis vt mel? est suauis vt fauum? Immo & mellis & faui dulcedine longe dulcior, *Quàm dulcia fauci-*

Ioan. 10. 34

Euse. Emiss. ser. 4. post Domin. pal.

Greg. Nyss. in lib. de virginit. c. 10.

Sapien. 7. 29

Ps. 118. 103

bus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Cùm ergo Sampson afferat, & verum astruat, *Quid dulcius melle? aut quid dulcius fauo mellis?* & lex & Psalmus dulcior sit melle, ac fauo mellis suauior: quis adeo cæcus est, qui non videat? & quis adeo sensuum torpore correptus, qui non sentiat eius dulcedinem & palmam gestare: & mereri coronam? Quis ergo hunc cibũ non appetet? cuius voluntas ad talem fauum non inclinabitur? Quali beneplacito hoc mel, super omne mel non placebit.

Iudic. 14. 8.

CIRCVLVS IV.

Placere debet homini lex & Psalmus, sicut mel naturæ placet.

4 DEcretum Auicennæ fuit, *Non esse in abstersiuis purgatiuis aliquid sicut mel, ipsum enim est mundificatiuum, et cibus dilectus a natura*. Sed lex superat omnem mellis vel dulcedinem vel virtutẽ, nec datur, ni fallor, aliquid efficacius vel ad animas purgandas, vel ad cordis maculas detergẽdas, vel aptius, vel dulcius hoc melle, de cuius dulcibus præceptis, de cuius suauibus mandatis, cum suaui delectatione, & cum summa dulcedine, qui ex gustu ea cognouit dulciter canebat, *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum*. Quid in auro figuratur? quid in lapide pretioso signatur? Non aliud, si Anglico præstatur fides, *Nisi iustorum congregatio, & adunatio Sanctorum. Qui dicuntur aurum propter magnam gratiam perfectionem, & lapis pretiosus propter virtuosam conuersationem. Dicit Astrologus, quod in locis, & temporibus, quibus Sol dominatur, magis abundat copia auri, quia aurum inter cetera metalla magis appropriatur Soli. Sic & vbi Sol iustitiæ dominium habet in homine. Et quando habet dominium, nisi vbi Sol iustitiæ dominium habet in ijs, qui diuinis mandatis obtemperant? Dum ergo obediunt perfectè Deo, maximè abũdant auro gratia, propter quod & aurum dicuntur, Colabit eos, quasi aurum. Sunt igitur diuina iudicia magis desiderabilia, quàm aurum & lapis pretiosus, quia ea viri iusti plus diligunt, quàm seipsos, parati potius morti caput obijcere, quàm diuina iudicia præterire.*

Auic. lib. 3. canon. Fen. 10. tract. 5. cap. 5.

Psal. 18. 11.

Anglicus in Psal. 118. ver. 12.

5 His ergo dulciora sunt mandata Dei super mel & fauum: nam ex eodem Anglico, *Per mel & fauum intelliguntur voluptates & delicia temporales, quibus omnibus diuina iudicia sunt dulciora*. Nam *ista iudicia retribuunt malis supplicia, & hoc erit iustis, quos mali afflixerunt, valde dulce, Latabitur enim iustus cùm viderit vindictam: & retribuunt bonis premium, & ideo erit tunc, sicut modo, iustis dulcissima, etsi non reprobis*. Hoc figurabatur in lege scripta in tabulis lapideis digito Dei. Si enim quęras quomodo mollis digitus in duro lapide potuit legem scribere? Respondet Ambrosius, in digito Dei signari Spiritum Dei, de quo dictum est, *Spiritus meus super mel dulcis*: In tabulis ergo cordis iustorum Spiritus Dei dulcis legem scribit: at in cordibus impiorum ferrum incidit: illis in premium, his in pœnam. Sic ergo fatur, *Digito Dei scriptas esse tabulas Moysi, dicit, isti digitum Dei non legunt, ferrum legunt: atramentum vident, Spiritum Dei non vident. Sed Ecclesia nescit atramentum, spiritum nouit. Ideoque Paulus nouit scribere, non atramento, sed Spiritu Dei viui*. Hæc ille, nec aptius ad propositum poterat excogitari.

Idem ibid.

Eccli. 24. 27

Ambros. li. de Noe & Arca c. 13.

CIRCVLVS V.

Lex Dei Iustis dulcis, iniustis amara.

6 DIcebat Auicennas, *Nutriens esse melius, quod melius sapit, propterea quod stomachus & virtus retentiua vehementer ipsi* ap-

Auicenn li. 1. Canon. fen. 3. doctr. 2. c. 7.

Anglic. ibi. *applicantur, cùm bona fuerint substantiæ*. Vbi Anglicus subdit, *Sic est in proposito, nam ex quo diuina iudicia, id est, virtutes, & premia in lege promissa, ita sunt dulcia, oportet quod multum sapiant bene dispositis, & ideo magnum & optimum præstant nutrimentum*. Vis hanc dulcedinem ab Ecclesiastico declarari? Eccli. 23. 37 *Nihil dulcius quàm respicere in mãdatis Domini:* Vel cum Syriaco, Syrus. *Non est quidquam iucundius, quàm custodire præcepta eius.* Vbi optime philosophatur Palacius, Palacius hic *Habet planè mel, & habent delicia humana suum saporem, sed quantum vincunt diuinæ res temporales, tantum sapor diuinorum transcendit sapores terrenos*.

7 Ambiges, cur multis insulsus videtur hic cibus, & multi hoc nectar fastidiunt, quo alij & nutriuntur & delectantur? Responsio pendet ex eodem Auicenna, qui iam prædixerat, Auic. lib. 1. canon. fen. 5 Doct. 4. c. 1. *Nutriens, dico, quod est in potentia simile corpori*. Id autem, quod ipse asserit de corpore, astruam ego de spiritu. Quid sunt verba Dei? Verbum ipsum exposuit, Ioan. 6. 63. *Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus, & vita sunt:* Quasi dicat, si Chrysostomo præstatur fides, Chrysost. relatus à D. Thoma in c. 6. Ioan. *Spiritualia sunt, nihil habentia carnale, neque consequentiam naturalem, sed eruta sunt ab omni tali necessitate, quæ in terra: & a legibus, quæ hic positæ sunt*. Quid mirum ergo si homo, qui caro est, & corporis illecebris deditus, hoc Spiritus nutrimẽtum non recipiat, cùm ei dissimilis sit, & de illo dicatur, Gen. 6. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*? At qui non sunt in carne, sed in Spiritu, similitudinem habentes cum hoc nutrimento, illo pascuntur, & illi similes euadunt. Hinc Bernardus ex diuersa cibi appetẽtia, diuersas hominum facies argumentatur: diuersosque prædicit exitus, vel vitæ, vel mortis, sic enim ait, Bern. serm. 82. in Cant. Canticor. *Appetentia terrenorum, quæ quidem omnia ad interitum sunt, densat tenebras, ita ut in anima sic viuente, nil a parte aliqua, nisi pallida facies, & imago quædam mortis apparere cernatur.* *Cur non enim, quæ immortalis est, similia sibi immortalia appetit & æterna: vt quod est appareat, & quod facta est, viuat? Ceterum contraria sapit, & quærit, & mortalibus se
degeneri conuersatione conformans, immortalitatis candorem quodam mortifera consuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortalium appetitus, immortalem mortali similem, immortali dissimilem faciat*.

8 Et quidem, verificatur in variis affectibus vel piorum, vel impiorum celebre Philosophorum effatum, *Omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur*. Aristot. lib. de Anima. Recipitur enim idem Verbum Dei reuelatum, quasi Vnio, vel Margaritum, sed quæ cõculcatur ab impio tamquam a sue: in mensa piorum dulcissimum præbent cibum. De Margaritis, referente Plinio nouimus, quod nedum Cleopatra, sed & *Clodius, vt experiretur in gloria palati quid saperent Margaritæ: in aceto Vniones magnæ taxationis resoluit: atque vt mirè placuere, ne solus hoc sciret, singulos vniones conuiuis absorbendos dedit*. Plin. lib. 9. cap. 35. Sed vbi?aut quãdo vidit Sol Vniones vel Margaritas, quæ cum verbis diuinis possint vel æquari aliquo pacto, vel vllo modo componi? Cum Margaritis verba diuina comparabat Chrysostomus explicans verba, *Ne mittatis Margaritas vestras ante porcos*. Matt. 7. 6. At verborum Dei dulcedinem, omnem dulcedinem Margaritarũ superantem, sic extulit Iob, *Trahitur sapientia de occultis*: Iob 28. 18. Vel vt Aquila legit, Aquila. *Dulce est sapiẽtia vltra ea, quæ sunt spectabilia & illustria:* Vtque Pagninus traducit, Pagninus. *Pretiosior est sapientia Margaritis*. Hæ tamen margaritæ nõ minus pretiosæ, quàm dulces: ab impijs, quasi a porcis conculcantur, imitantur enim, tamquam filij viles vilem parentem, qui olim ante eum, vt Chrysostomus docet, expositum ab Heua Dei verbum cõculcauit. Chrysostomus homil. 16. in cap. 3. Gen. *Apposuit porco huic mala bestia, dæmoni, videlicet, qui per serpentem operabatur, diuinas Margaritas, & non solum illas conculcauit, sed & dictis se opposuit*. Ita & peccator af-

fe-

fectionis desertor, & pietatis refuga, porcorum pascua lutulenta percurrit, margaritas autem insanus & cæcus conculcat. At Iusti, & pij sicut verbo veritatis sunt geniti: ita verbis veritatis, quasi margaritis, vescuntur, & in Verbo, quod procedit de ore Dei nutriuntur, & viuunt, delicias prælibantes gloriæ æternalis.

9 His margaritis, his delicijs, hisque verbis primam instruxit Christus Seruator noster mensam quando in monte sedens cum discipulis suis, aperiens os suum docebat eos, & octo beatitudines, quasi octo dulcissimas margaritas, exposuit ante eos. Sed quid sibi vult Matthæus, dum explicare volens Verbi verba, illis vsus est verbis, *Et aperiens os suum docebat eos*? Matthæi 5.2 Nonne, si dixisset docebat eos iam os aperuisse dignosceretur? Cur ergo addidit, Aperiens os suum? Naturæ Mystes refert, quòd, *Concha ipsa cùm manum videt, comprimit se se, operitque opes suas.* Plin. ibid. Sed quænam Conca margaritis fæcunda cum ore Christi poterit cõparari, quod iure meritò Os gemmeum & apparet, & est? Ne tamen putares illũ cõdere opes, margaritas, auarũ, celare, & thesaurum, parcum, abscõdere, ideo Euangelista asseruit, & bene, *Aperiens os suum, docebat eos.* Ita philosophatur Ambrosius, dicens, *Denique sanctus Matthæus, Aperuit, inquit, os suum: thesauros, scilicet sapientia & scientia Dei, reclusis adytis veteris templi reserauit.* Amb lib. 6. in Lucam. Sic ergo, aperuit Dominus thesaurũ, & protulit de eo noua & vetera.

CAELI DAVIDICI
VERSIO VIGESIMAOCTAVA.
Ex Caietano, In Doctrina Domini voluntas eius.

CIRCVLVS I.

Lex, etsi regina omnium, in homines præcipuè dominatur.

1 Celebrabat Plato Pindari cantum, quo demõstrat, *Legem omniũ esse reginam mortalium atque immortalium, eamque ius agere violenter prapotenti manu.* Pindarus apud Plat. in dialog. de Rethor. Et quidem iure, nam ex magistra rerum patet, & ex Episcopo Syri clarè probatur legem, tam immortalibus, quàm mortalibus latam esse. Is enim cùm dubiũ præposuisset, *Soline Adamo legem imperauerit Deus, an vero cetteris rebus dum ipsas conderet, suos cuique leges dederit?* Moyses Bar cepha Syri Episcop. in com. de parad. p. 1. c. 18 Respondet, & bene, *Omnibus rebus esse positas leges, ratione praditis, & rationis expertibus: mortalibus, & immortalibus: animatis, & inanimatis: qua sensu percipiuntur, & qua sensum omnem effugiunt.* Idque inductione probat, tum in angelis, quibus primam legem imposuit, cùm ipsos creauit: tum cælo & terræ, vt in rerum natura perdurarent: tum Soli, & Lunæ ceterisque stellis suas perscripsit leges, quibus motus ipsorum æqualitas regitur, dum nunc accedunt propius, nunc recedunt, iuxta illud, Legem dedit, & nõ præteribit: tum mari legem dedit, ne præteriret arenam: tum herbis, seminibus, arboribus lex data est, vt pullulent augescantque: tum animantia omnia generali hac lege informauit, vt res sẽsu percipere, & motu sese agitare queant, tum animalibus præcipuas quasdam

dedit

dedit leges, Leonibus audaciam, Leporibus timiditatem, Pantheris vnguenti amorem, Vulpibus astutiam, Agnis simplicitatem, Aquilis rapacitatem, Columbis innocentiam, *Atque ita de ceteris legibus particularibus, quæ a Deo bestiarum, auium, reptilium denique naturis sunt imposita, dicendum est.*

Idem ibid.

2 Nouum autem Barcæpha proponit dubium, *Quibus in rebus differãt ea leges, quas Deus imposuit animantibus rationis expertibus, rebusque alijs corporatis, quæ & anima & sensu carent: ab illis legibus, quas hominibus præscripsit, & alijs creaturis ratione præditis.* Et licet ipse multas congerat differẽtias, præcipua tamen ad caput voluntatis reducitur, nam leges creaturarum ratione carentium in natura sunt sitæ: hominis autem sunt positæ in voluntate. Sic ipse, *Nam legum, quæ hominibus lata sunt, in ipsa voluntate posita est obseruatio, earum vero legum custodia, quæ nec anima nec sensu præditis rebus imposita sunt, in ipsa earum natura est sita.*

Idem ibid.

CIRCVLVS II.

Ad Legis obseruãtiam vltra voluntatem, requiritur & doctrina.

3 NOn sufficit autem voluntas hominis libera ad legẽ seruandam, nisi adsit & gratia & doctrina, sicut in ꝓposita versione declaratur, *Beatus vir, cuius in doctrina Domini voluntas est.* Et hoc ipsum addit idem Syri Episcopus, ita dicẽs, *Homines doctrina formãtur ad præstandas leges, quas debent: at ea quæ ratione, & quæ anima carent, naturæ impetu atque efficientia ducuntur, vt legibus suis obsequantur. Et vbi homines, si volunt, seruant: si nolunt, non seruant suas leges, pendent enim ex libero arbitrio: aliter se habent earum rerum leges in ijs animantibus, quæ ratione & sensu vacant, neque enim Leo & audax & timidus esse potest: neque Lupus pauidus & impauidus: sed vna audacia Leonum est, pauor vero Leporum. Ideo hæc non digna sunt premio.* At homo qui ratione vtitur, & ea doctrina, quæ fit ex præexistenti cognitione, clare cognoscit, a Deo sibi datas leges, dũ Legislatorẽ vel amat, vel timet, vel spe premij impellitur ad obseruãtiam legum ab ipso latarum, & meritum lucratur, & mercedem in æuo sempiterno præstolatur. Sic idem Episcopus subdit, *Leges per tres causas ferè obseruantur, aut per amorem, quo legislatorem prosequimur: aut per premij spem, quod paritibus nobis propositum est: aut denique per metum pœnæ, quæ peccantibus est præstituta.*

Idem Syri Episc. ibid.

Idem ibid.

4 Hæc tria idem Bar-cępha demonstrat in lege primis parẽtibus imposita, *Nam vt pœnam minatus est Deus peccanti, ita & premium promisit obsequenti. Promiserat enim si posita legi pareret, permissurum se illi vt de arbore vitæ ederet, atque ita vitam viueret sempiternam, immortalisque euaderet. Idque hinc cõstat, quod vbi edisset Adamus de arbore scientiæ, dixerit Deus, Ne forte extẽdat manũ suã, & sumat de arbore vitæ, edatque ac viuat perpetuò. Præterea, quod morte, vt pœna opposita sit ex aduerso vita æterna, quasi premium, & mortali conditioni, quã minabatur* Deus, *immortalis, quam promittebat.* Premium enim & pęna in columnis figurabantur nubis & ignis, quæ populum educebant ex Ægypto, in igne, demonstrantes terrorem poenæ, in nube gratiæ rorem: ita enim Clemens Alexandrinus, affirmat, *In igne terret homines, & ex columna flammã accendens, quod est simul gratia & amoris indicium: si obedieris, lucem: si non obedieris, ignem.* Idipsum docet idem Alexandrinus medicorũ exemplo, qui vt hominem pristinæ donent sanitati, quandoque lenioribus vtuntur medicamentis, quandoque durioribus, sic enim ait, *Quemadmodum bonus medicus*

Idem ibid.

Clem. Alexand. orat. hortatoria ad gentes.

corporum ægrotantium alia quidem curat cataplasmatibus, alia verò pur gationibus, alia fomentis, alia quoque ferro diuidens, alia autem vrens, & nonnulla etiam secans: Ita & cælestis Medicus alienos maledictis incessit, alicubi etiam minatur, nonnullos quidem deflet homines, nonnullos verò canit. Sed vbi me fugerat diuersum tempus apparitionis columnarum obseruatum ab Episcopo Veronēsi, dum nubes in die iustos demonstrat rore gratiæ coronatos, & ignis in nocte peccatores exustos? Sic enim ait, *Columna nubis te produxit per diem, vt ostenderet eacum: ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum.*

Zeno Epis. Veronensis serm. 2. de Exodo.

CIRCVLVS III.

Homo in creatione cur non laudatur a Creatore.

5 CElebre dubium est omniū ore vsurpatum, omnium calamo exaratum, cur æquus Deus videns cuncta quæ fecerat, ea laudauerit, vt valde bona: hominem tamen, pro quo creauit omnia, laudis exortem fecerit, nullisque commendationis præconijs illustrauerit? Bernardinus in ea fuit pia opinione, id tactum esse, *Quia vltima perfectionis consummatio vsque ad partum Virginis dilata est, & soli Virgini reseruata.* Rupertus Abbas putat in omnium collaudatione, hominem esse laudatum, *Quia omnium essentias in se continet homo.* Augustinus æstimat id, ideo dispositum esse, quia inobedientia hominis præuisa erat. Vnde, *Præsciebat, inquit, Deus hominem peccaturum, nec in sua imaginis perfectione mensurum, ideo non singillatim, sed cū ceteris eum dicere voluit bonum: veluti intimās quid esset futurum. Vel ideo quia perfectus nondum erat, quia nondum erat in paradiso constitutus.* Sed respondet Ambrosius hoc totum tactum esse, *Quia alia in specie sunt, homo in occulto. Nihil enim in bestijs plus reperias, quam quod videtur: in homine nihil est inferius, quam, quod videtur; qui cum ex animo constet & corpore, hoc vtique in eo seruit quod videtur: illud autem in eo regit hominem, quod non videtur. Meritò ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio nō præmittitur, sed reseruatur: quia aliorum gratia foris, huius intus: aliorum in natiuitate, huius in corde.*

Bernard. Senēs. serm. 6. de gloria B. V.

Rup. Abb. li. 2. in Gen. cap. 55.

Augu. lib. 3. de Genes. ad liter.

Amb. lib. de instit. virg. cap. 13.

6 Si autem quæras, vbi, & quomodo impletur Ambrosij sententia *Quod reseruatur?* Non alibi, vt coniector, nisi in voluntate & proposito circa diuina instituta, & doctrinam legis. Ad hoc respiciens forte Richardus dicebat, *Opifex Deus fecit creaturam rationalem ad imaginem & similitudinem suam, vt per hoc quod esset facta ad imaginē Dei, Deum cognosceret, & cognoscendo & possidendo Deum diligeret, & possidendo beata esset.* Vt autem verum fatear, pro præcipuo quæsito nulla aptior ab alio allata est respōsio, quàm à Bar-cepha, qui proposita primo sie difficultate, *Ceterū cur cum finxisset Deus Adamum, dixerit, videre se ea non quod condidisset, esse bonum, sicut de reliquis rebus a se effectis dixisse memoratur?* Subdit & vnam & alteram vel solutionem, vel rationem, dicens. Duplicem existimamus esse causam, alteram, quia hic dicturus erat non esse bonum, parum enim illa duo inter se consentanea fuissent: alteram quia in libertate arbitrij Adæ positum erat, vt aut bonus, aut non bonus esset. Sicut ergo ex eo quod exitus belli anceps est, turpe iudicatur canere ante triumphum: Ita cùm & libertate arbitrij vertibilis pendeat hominis, vel bonitas, vel malitia, noluit summa Veritas, quæ & lucem & reliquas creaturas bonas dixit, laudare & hominem, tamquam bonum: nam etsi ab ipso creatus sit bonus ex libero tamen arbitrio euadere poterat, vti & euasit, malus.

Ambros. ibid.

Richar. li. 1. de Emmanuel cap. 1.

Bar-cepha Syri Episc. in comm. de parad. p. 1.

CIRCVLVS IV.

Voluntas varia fit secundum varietatem doctrię quam apprehendit.

7 PLutarchus præcipiebat parentibus, vt omnia alia postposita cura summoque cum studio quærerent magistros, *Quorum & inculpata sit vita, & mores tuta reprehensioni non obnoxij, & peritia minime vulgaris. Fons enim, & radix virtutis, atque honestatis vitæ, est institutio proba.* Et subdit alibi, *Quod non id modo curandum est, vt circa voluptates, quæ ex cibo & potu percipiuntur, modestiam seruent: sed magis etiam ad hoc sunt assuefaciendi, vt in Lectionibus & auditionibus delectatione, tamquam obsonio fruantur, vtiliaque & salubria ex ipsis capiat.* Simile mihi videtur in voluntatibus obseruandum. Voluntas enim, quæ magistros habet moribus & doctrina corruptos, vti est doctrina sensus, mandi, & diaboli, & quæ affectionibus proprijs, & inanibus in fulget illecebris, præceps ruit. Illa autem, quæ sacrosanctis legibus morem gerit, & doctrinam apprehendit in cælesti palestra, vbi magister residet Dominus virtutum, de quo & Sponsa gloriatur, Introduxit me Dominus in domum gymnasij doctrinæ Israel, vt discerem legem: iste vere beatus annunciari potest, quia in doctrina Domini est voluntas eius. Nam ex sententia Hildephonsi, *Non ab omnipotenti Deo tam effectus tantarum rerum, quàm voluntas requiritur. Quapropter sit nobis bona voluntas in affectu, erit pro certo Dei adiutorium in prouentu.*

Plutar. in Com. de liber. educād.

Plutar. in com. quomodo Adolescēs Poetas audire debeat.

Hildephonsus Archiepisc. Tolet. in serm. de parturitione & purifi cat. B.M.

8 Sicut in lapide Lydio probatur & discernitur aurum verum a falso: ita in voluntate vel diuinis mandatis obsequente, vel sese remouente à cælesti sapientia diuinisque preceptis, dignoscitur & probatur vtrum sit bona voluntas an mala. Hic Lydius lapis proponitur pro hoc examine a Carpathio, *Nullum bonum neque malum, nisi voluntarium vel liberum: eoque laudabilius est, magisque damnabile quidquid agimus, quo magis voluntarium, hoc est, liberiore & magis diuturno iudicio mentis & electione peractum est.* Inde Sponsus celebrabat Sponsam, *Pulchra es amica mea suauis & decora, sicut Ierusalē.* Vbi obseruabat idem Episcopus Carpathiorū circa pacem promissam ab Angelis hominibus bonæ voluntatis, quod voluntas & probatio idem sint, sic enim ait, *Pax hominibus est bona voluntas, nam bona & probata voluntas εὐδοκία, a Græcis dicta, quæ & Probatio latinè dici potest, quemadmodum & alibi sacra littera ostendunt, In voluntarijs benedicite Dominum.*

Philo Carpat. in interpret. Cant. Cantic. 6.

Can. 6. 3.

Idem ibid.

9 In hoc lapide Lydio, vt Os aureum probat, probati sunt Abel, & Cain, & hic ob malam voluntatē reprobatus, probatus autem ille ob optimam: nam etsi vterque eamdem habuerit conscientiæ doctrinam, legisque regulā eamdem: varietas tamen affectus variauit effectum, & vni fuit pernicies, alteri salus. Audite iam Chrysosto mi iudicium, *Habes hic occasiones, vt quod oportet contempleris, merito poenas luere eum, qui suam ob ignauiam amittit salutem, neque enim ille doctorem aliquem habuit, neque hic suggestorem & consiliarium, sed vterque conscientia sua magistro, & sapientia diuinitus humano generi suppeditata, ad hanc oblationem incitatur: sed varietas mentis & voluntatis segnities, illius quidem acceptissimam fecit oblationem, huius autem repudiatam.*

Chrysost. hom. 18. in Genesim.

CIRCVLVS V.

Thesaurus voluntatis in diuina lege conseruandus est.

10 PRæcipiebat olim Ecclesiasticus, & salutare consilium

Eccli. 29. 14 præbebat, *Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum.* Quasi diceret, Thesaurum tuum pone, non in ære, sed in æthere: non in auro, sed in Dei ore: nõ in mãdatis hominũ, sed in lege Dei. Legis enim Dei Amor, & cælestium præceptorum obseruatio magis honestabit, iuuabit magis, quàm aurum omne, quàm quilibet thesaurus. Petes fortè, quid per thesaurum intelligit, quem iubet a te poni in præceptis Altissimi? Respondeat Augustinus, & dicat thesaurum esse bonam voluntatem. Ipse explicãs canticum Angelorum, In terra pax hominibus bonæ voluntatis, sic ait, *Totum habet, qui bonam voluntatem habet, ipsa est, quæ potest sufficere si cetera non sint: si autem sola desit, nihil prodest quidquid habitum fuerit, sola sufficit, si adsit. Si haberes in domo tua thesauros, vnde securus esses, gauderes & exultares: in corde tuo habes voluntatem, & tristis es?* O quanto ditior, & maior thesaurus est bona voluntas, quàm quilibet thesaurus vel Cræsi, vel Crassi: his enim nihil profuerunt thesauri impietatis: tibi bona voluntas & pietas ad omnia vtilis est, & voluntas bona pro opere habetur & locuplere, quid ditius? locupletius quid? Ecce, vt Augustinus statuit, *Si habet, profert & dat. Si non habet, sufficit ei coram Deo voluntas bona. Pauper est in area, sed diues est in conscientia pauper est in domo, sed diues in anima.* Pone ergo hunc thesaurũ bonæ voluntatis in præceptis Altissimi: vel cum Syro, *Pone tibi thesaurum in iustitia & caritate, & ille melior erit tibi omni eo, quod habes.* Vbi enim voluntatem bonam, quasi thesaurum exponis in præceptis Altissimi, in lege Dei, & in doctrina Domini: ibi thesaurus tibi seruatur, depositum custoditur, ęterna gloria emitur, arcus triumphalis erigitur, triumphus disponitur, Corona paratur.

Aug. in lib. 50. Hom. hom. 2.

Prouerb. 10. 2.

Aug. ibid.

Syrus.

11 Aspice coronas Abrahæ paratas in premium bonæ voluntatis habitæ in lege, dum iuxta præceptum Domini voluit filium immolare, vnde ei dicitur, *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito: multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Sed quomodo hanc rem fecit, si Isaacũ non interfecit? Fecit, vt Chrysostomus docet, quia voluntate iugulauit, & dexteram cruentauit. Audi quæso ipsius exhortationem, *Considera obsecro misericordiam Domini. Non pepercisti filio tuo dilecto propter me, & sanè viuum reduxit. At nondum finem vides, dilecte, sed voluntatem & mentem disce, qua fatiebat mandata citra ratiocinationem curiosam. Quãtum enim ad voluntatem attinet, cruentauerat dextram Patriarcha, & per cutem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium: idcirco, & Dominus, quasi sacrificio re ipsa consummato, laudat Iustum, & dicit, Non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* O mirum, quòd vbi Ausonius cecinit, *Diffidet ambiguis semper mens obuia votis:* Mens & voluntas Abrahæ adeo firma fuerit in ambiguis, & diuinæ legis præcepto ita obtemperauerit, vt pari constantia ac adamantina fortitudine & filium & agnũ immolauerit. Hoc extulit miris laudibus Zeno Episcopus, *Bos ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat: a filio ad agnum transtulit dexteram semper latus & gaudens, nec mutatus est vultus eius cum esset victima commutata: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium.*

Genes. 22. 16.

Chrysost. homil. 47. in c. 22. Gen.

Ausonius in Æclog.

Zeno Episc. serm. 1. de Abraham.

12 Cùm ergo ex Plinij sententia, *Sacrificantium mens, non res attendatur:* mens & voluntas Abrahæ in sacrificio filij, sic à Deo attẽditur, vt pro opere imputetur alacris ac parata voluntas eius sacrificandi, & hic thesaurus tales ac tã diuites fructus parit, vt pro vno filio, quem voluit sacrificare, innumerabiles lucratus sit filios viuos. Non mea est sentẽtia, sed Chrysostomi, ait enim, *Tu quidem non pepercisti propter meum mandatum, Ego autem peperci propter tuam obedientiam. Propter hanc tuam obedientiam remunerans te, Benedicens*

Plin. Senior in præfatione.

Chrysost. ibid:

be-

benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Vide cumulatam benedictionem. Hic qui per voluntatem tuã vestsus es. in tantam multitudinem propagabis semen tuũ,vt stellas & arena adaquetur. Et omnes gentes in semine tuo multiplicabuntur, eo quòd audisti vocem meam. Hac omnia inquit,tibi propter obedientiam erunt. O mirum sacrificium, o diuinam hostiam, cuius ara est conscientia, victima volũtas,merces,pax. Hinc Laurentius Iustinianus, explicans verba, *Multo melior est obedientia: quàm stultorum victima*: ita philosophatur. *Quia Deus cor quarit,cor inspicit, intus testis est, & velut iudex approbat voluntates, sufficit, ò homo, vt ei offeras per obedientiam tua sacrificium voluntatis. Quam enim potes, ore confitere ad salutem, opere te exerce ad pietatem; quam autem non potes, corde laudere, propriam reprime voluntatem. In ara conscientia victimas voluntatis impone, & infundetur tibi pax in terra cum hominibus bona voluntatis. Ipsa etiam Deum glorificat, hominemque excellentem facit,vnde dicitur, Si glorificaueris Deum tuum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt non loquaris sermonẽ, tunc delectaberis super Domino,& sustollã te super altitudinẽ terra*. Digna retributio pro eo, q suã sustollit volũtatẽ supra cælũ.

Laur. Iust. lib. de ligno vitæ c. 7.

CAELI DAVIDICI
VERSIO VIGESIMANONA.
Ex Vatablo, In doctrina Domini propositum eius.

CIRCVLVS I.

Propositum quodnam sit, & quam benè in doctrina Domini firmetur.

1 PRopositum, si nominis vim attendas, vel intentionẽ significat ac mentis statutum, iuxta illud Plinij, *Hoc et propositum erat, vel superare, vel credere*: Vel demõstrat decretum stabile,ac firmum,vt canit Ouidius,

Ouid. lib. 10 Metamorp.

Propositique tenax. quodcumque est, orat, vt ipsi indicet.

Ille ergo vir & beatus dicitur, & felix est; & electionis obtinet signum, & prædestinationis tenet pignus, in cuius triumpho canitur, In doctrina Domini propositum eius. Audiamus in tali causa Apostoli statutum, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt Sancti*. Quæres de quo proposito loquatur Paulus, de vocantis ne, an vero de vocatorũ? Respondent Augustinus & Anselmus, *Per propositum accipi aternum Dei beneplacitum, liberale decretum, & gratuitum Dei consiliũ, quo proposuit & statuit homines perditos vocare ad gratiam, sine vllo eorum merito*. Attamen pro nostro themate magis consonat expositio Chrysostomi, Theophylati, & Oecumenij, qui propositum, non Dei, sed ipsorum hominum, qui à Deo vocati sunt, intelligunt, ita vt bonũ hoc eorum propositum, non quidem sit caussa & ratio cur à Deo vocati sunt, sed conditio & determinatio eorum, qui vocati sunt. Nõ enim omnibus vocatis omnia cooperãtur in bonum, sed ijs, qui suo proposito & gratia præuenti, vocationi Dei consentiunt & obediunt.

Ad Rom. 8. 28.

Aug. lib. de correct. & grat. c. 7. Anselm. hic

Chrysost. Theophyl. Oecum. in c. 8. epist. ad Rom.

2 Id fortè Sponsus voluit indicare, dum celebrans laudes Spõsæ,

& Soli eam comparat, & Lunæ, & aciei castrorum ordinatæ. Sed in hoc vltimo encomio titulum addidit, *Terribilis vt castrorum acies ordinata*: Vel vt Carpathiorũ Episcopus legit, *Stupor, vt castrorum acies ordinata*. Si addubitas, & inquiris, cur non simpliciter aciei illam comparat, sed aciei ordinatæ? Dicam id fieri, quia non omnibus, sed illis tantùm, qui secundum propositum, & Dei, & propriæ voluntatis ordinati sunt ad salutem, & ad illam se præparant per obseruationem mandatorum, stupenda apparent & mira opera Christi.

Cant. 6. 9, Philo Carpathius in interpret. c. 6. Cant.

Non est mea interpretatio, sed eiusdem Philonis, ita scribentis, *Sed animaduertẽdum est diligenter, quòd fidelem animam, non castrorũ aciei simpliciter comparauit, sed ordinatæ, vt daretur intelligi iis solis admiranda fuisse, & futura esse omnia Christi gesta & exempla, qui se bene præparant ac muniunt obseruatione mandatorum: quosque Deus ab æterno præuidit ad vitam sempiternam accessuros. Sed prius Sponsus in hortum descendat oportet, nihil enim ad id per se potest humana fragilitas, nisi diuina gratia præuenta.*

Idem ibid.

CIRCVLVS II.

Propositum bonæ volũtatis pacem hominibus reddit.

3 HInc est, quòd secundum aliquos, canticum Angelorum, *Pax hominibus bonæ voluntatis*, vel ex Græco εὐδοκίας, idem significat, ac si diceretur, Pax sit hominibus, non omnibus, sed ijs tantum, qui sunt bonæ voluntatis: vbi enim bona voluntas abest, pax non adest. Nec tantum Angeli, sed etiam Rex Angelorum eodem cantico sic celebrat Ecclesiæ pacem, *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem*: Vel cum Philone, *Pulchra es dilecta, vt probata voluntas, electa vt Ierusalem*. Vbi in voluntate iam probata per firmum propositum obseruandæ legis diuinæ, & pulchra Sponsa euadit, & dilecta redditur, electa declaratur, & comparatur cum Ierusalem, quæ dicta est Pacis visio. Sed cum qua Ierusalem comparatio fit an cum cælesti, an verò cum terrena? Philoni visum est non cũ cum terrestri, sed cum cælesti exæquari: sic enim ait, *Illius supernam cælestis Ierusalem beatissimis spiritibus comparat, ob id electam appellat, quod Sponsi præceptis sanctissimis paruerit, fidelissimequè seruierit.*

Græcus.

Cant. 6. 3.

Philo Carpathius.

Phil. Carp in interp. c. 6. Cant. Cãtic.

4 Sed dices, qui fieri potest, vt anima in terra degens, armis cincta, vitæ stationem seruans, & in castris bellicis morans, cum cælesti Ierusalem, quę est iam discincta, quæ est & pacis visio, & quæ posuit fines suos pacem, comparetur? Quid enim Castris cum pace commune est? quæ cum otij securitate, armorum fragor ac strepitus datur affinitas? Sanè nulla: quietem enim turbat tubarum clamor, ac tympanorum clãgor ad bellũ milites prouocat, pacẽque interpellat. Præfert tamẽ ipsa, si rectè inspiciatur, & pacẽ & bellum: hinc enim pacem Angelis, oliuamque cælo procedit: illinc bellũ infert vitijs, & gladio infernum inuadit. Dum enim instruit exercitũ, virtutũque cohortes colligit, non relinquit vitijs locum, legitimè decertat, Domini Dei exercituum leges seruat, audacter ad certamen progreditur, spe præsumit victoriam, amplectitur fidei scutum, caput operit galea spei, impugnat gladium spiritus, pectus munit amoris thorace, & sub Crucis vexillo militat: tunc simul ac semel & terribilis apparet tartareis spiritibus, & stygi infesta: sed beatis mentibus, quæ in cælo degunt, pacifica redditur. Inde cõcludit Carpathiorum Episcopus, *Non solum inexpugnabilis est prorsus, verum etiam terrorem hostibus incutit ac fugam, sibique met salutem parat sempiternam, immortalemque triumphum. Nam dum se fidei vnitate colligit ac tegit, & charitate munit, nullus aditus ad irruendum hostis*

Idem ibid.

patere potest, nullus ad expugnandum datur ingressus: sicque collecta in semetipsa & conglobata, incolumis est omnino, pacifica atque tranquilla. O admirabile propositum in doctrina Domini, o laudabilis voluntas firma in lege Dei, ex qua viri beatitudo tamquam ex fonte, deriuatur, & oritur.

5 Propositum in doctrina & lege Domini assimilatur clauo nauis, qui per hoc mare periculis obnoxium, tutum dirigit iter, vt anima cælestem portum tenere valeat. Breuibus descripsi, quod longioribus lineis Theophilus Alexādrinus depinxit, dicens, *Sicut gubernatores magnarum nauium, cum viderint immensum ex alto venire gurgitem, quasi venatores ferocissimam bestiam spumantem fluctus suscipiunt: eosque proræ obiectione sustentant, flectentes in diuersum gubernacula, & prout ventorum flatus & necessitas imperarit, stringentes funiculos vel laxantes. Cumque vnda subsederit, ex vtroque nauis latere laborantia clauorum vincula dimittunt, vt parumper quiescentia venturo gurgiti præparentur. Qui cū rursus aduenerit, stringunt clauorū capita & palmulas dilatant, vt huc, atque illuc scissis fluctibus, æqualis fit vtriusque lateris labor: & quod simul non poterat sustineri, diuisim tolerabilius fiat. Qui sui curam gerunt, imitantur exempli similitudinem, & diuinorum dispensatione verborum, quasi gubernaculo vtentes, occurrunt Hæreticorum tempestati & fluctibus, legem Dei pro arte retinentes: vt qui corruerant, suscitentur: qui stant, firmo perseuerāt gradu, & omnes in commune, doctrinæ opitulatione seruātur. Quod enim gubernatori clauus, hoc animo est lex Dei.*

Theophilus Alex. Episc. epist. 3. Paschali.

CIRCVLVS III.

Bona voluntas eleemosynę speciem pręsefert.

6 CÆsarius Arelatensis tria eleemosynarum genera distinguēs, primum de superfluis, pauperibus erogandis: secundum de iniurijs condonandis: tertium vero bonæ voluntatis, his verbis pauperem censu, diuitem proposito & voluntate solatur, *Accipe ergo, & fideliter tene præclarum ac præcipuum tertium genus eleemosynarum. Sit in te bona voluntas, omnes homines dilige sicut teipsum, & clamatur tibi ab Angelis, Pax hominibus bonæ voluntatis. Et quia bona voluntas ipsa est caritas, si illam habere volueris, impletur in te quod scriptum est, Caritas operit multitudinem peccatorum.* At ipse dicam, quòd etsi Apostolus de caritate loquens, asserat, *Caritas non quærit quæ sua sunt:* in hoc autem genere eleemosynæ vellem te seruare præceptum Ecclesiastici, *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine:* Vt prius hanc eleemosynam animæ tuæ, quàm alijs longiaris. *Nam qui sibi nequam, cui bonus?* Hinc est, quòd vbi nos legimus, *Miserere animæ tuæ:* Græcus sic habet, *Dilige teipsum, & consolare cor tuum.* Tunc certe, & misereberis animæ tuæ, & diliges teipsum, quādo Deo placere studebis, & cum proximo pacem seruabis, Vt enim Ambrosius docet, *Cum interiora tua vacua fuerint ab omni labe peccati, ne dissentiones contentionesque ab affectu tuo prodeant, a te pacem incipe, & sic pacem alijs feres.*

Cęs. Arel. Episc. hom. de eleem.

1. Corin.

Eccli. 30.

Eccli. 14.

Græcus.

Ambros. relatus à D. Th. in catena sup. c. Matt.

7 Quæres, quid faciendo id assequi possis? Modum docet Origenes, & modus est, vt imaginem Dei animæ tuæ impressam, & tāquam ex deposito tibi traditam, in sanctitate contineas, integram Deo reddas, nullisque eam malis moribus deprau es. Audi illius monitum, præcepto obaudi, *Deus animæ tuæ suam imaginem & similitudinē commendauit. Illud ergo depositum tam insigne, tibi restituendum est tā integrè, quàm a te constat esse susceptum.* Inspice diuinam formam à diuino Magistro diuinis illis verbis iam propositam, & quasi in tabula cedrina delineatam. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Tunc ergo Deo placebis, quando

Orig. rela. a Cornel. c. 30. Ecc. ver. 24.

Ioan. 14. 2

eum

cum diliges: tunc eum diliges, cùm in doctrina Domini propositum firmum habebis: & tunc beatus vir eris, cùm de te verificabitur, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Iure Cæsarius hominem reprehendit, qui eleemosynā caritatis ex corde manantem, negat se posse habere, sic illum conuincens, *Illam eleemosynam, quæ de corde profertur, qua fronte aut qua conscientia vllus homo se dicturus est habere non posse?* Ego autem contra te irascar, & sermonum eius mutabo figuram, dicamque. Quomodo hāc eleemosynam tibi ipsi negas, ad quam faciendam, supposita gratia Dei, sufficit cor tuum, vt velis in lege Domini propositū habere, præceptis illius obedire, & id tantum velle, quod ipse vult, & quod præcipit, ex hoc enim thesauro cordis & voluntatis proferes bona, & beatus vir eris? Aduocetur ad hoc Hildephonsi axioma, *Non enim ab omnipotenti Deo tam effectus tantarum rerum, quàm voluntas requiritur.* Quasi diceret, Apud homines qui & egent, & voluntatem non vident, affectus non pensatur, sed effectus: at, apud Deum, qui bonorum nostrorum non eget, & corda scrutatur, plus affectus requiritur, quàm effectus.

Matt. 12.

Cæsar ibid.

Hildephōs. serm. 1. in Assumpt. B. Mariæ.

CIRCVLVS IV.

Propositum de seruanda doctrina Domini, & beatum reddit virum, & quasi Deum.

8 BEatus verè & dicitur vir, & est, qui in doctrina, in lege, in verbo Domini propositum, intentionem, atque statutum voluntatis pertinax firmat, quia sicut in hoc lapide lydio Deus probat hominē amatorem: Ita & homo in eo inuenit Dei amorem. Amor reciprocus, ex doctrino Platonis, ille est, quo, si amator moritur, quia anima illius transit in amantē: ex vna morte duplicē lucratur vitam, quia anima redamantis in illo viuens, simul cum illa reddit & animam, quam receperat ab amante. Vnde fit, vt mors talem pariat vitā, & pro vna morte duplicem animam adipiscatur. Eadem lege, si dicere fas est, reciproco existente amore inter diligentem Deum, & seruantem sermonem eius: ac inter Deum, & eum qui propositū habet in doctrina eius, dicitur enim, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* inde beatus vir, nedum propria vita fruetur humana, sed & diuina, eritque per gratiæ donum, & ipse Deus. O admirabilem virtutem Verbi diuini, quod homini vitam reddēs, hominem reddit & Deū. Si enim Gregorius asserit, *Panis alimentum corporis est, verbum mentis: qui vero corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt, carne viui:* asseramus & nos. Qui verbo ex lege Dei mētem reficiunt, carne mortui sunt, mente viui: sed vita diuina viuunt, vita beata.

Plato in cōuiuio amoris.

Ioan. 14. 23.

Greg. Papa hom. 17. in Euangelia.

9 Cum Thasij ad Agesilaum legationem misissent significantes illū & templis, ac diuinis honoribus dignasse: percunctatus est ipse a Legatis, *Num illorū patria potestatem haberet ex hominibus faciendi deos: illisque respondentibus, habere, Agedum, inquit, primùm vos ipsos deos facite. Id si præstiteritis, tum vobis credam, quod me quoque Deum facere poteritis.* Vtinam hoc & Heua, nō statim propositæ diuinitatis cupiditate cæcutiens, seruasset, & vaferrimū tartareum legatū diuinos honores falso pollicentē, si de arbore vetito comedisset, eodem pacto delusum dimisisset. Serpenti enim, vt Moses Barcepha notat, idem dicere poterat, *Si vera narras, abi tu, & prior aufer de arbore illa, & vescere, vt aperiantur tibi oculi, fiasque Deus sciēs boni & mali: tum deinde, ego quoque accedens vescar. At cùm horum nihil illi responderit, satis colligere est*

Ex lib. 1. Apoph vbi de Agesilao nu. 26.

Moses Barcepha Syri Episcop. 1. par. com. de Paradiso c. 28.

neque vt disputabilia, neque vt incerta serpẽtis verba ab Heua esse accepta: tamquam si procuidubio vera essent Nam per dæmonis nequitiam simul cum verbis illis, Et eritis sicut dij, iniectum est illi desiderium arboris gustanda, incensaque est cupidine diuinitatis.

CIRCVLVS V.

Incarnatum Verbũ Deos facit homines in verbo diuino propositum habentes.

1 DIces fortè cũ Agesilao, vt is pro quo legatione fungor, se prius Deum faciat, vt inde credas eum te quoque posse Deũ efficere? En vtrumque habes, de vno inimici nostri sunt iudices, ipsi enim Verbo humanato dicunt, *Tu homo cùm sis, facis teipsum Deũ.* Ergo & iste homo iam Deus factus & Verbo vnitus, & ipse hominem Deum facit, si Dei verbum recipit, & custodit, sicuti & ipsemet asserit, *Nonne in lege vestra scriptum est, ego dixi, dij estis, & filij Excelsi omnes? Si ergo illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum?* Vbi philosophatur miro modo Hilarius, *In eo primo ineptia ridiculi opprobrij confutatur, quòd in reatum vocatur, quod se, cũ homo esset, Deum faceret. Cùm enim huius lex nominis appellationem sanctis hominibus decerneret, & sermo Dei indissolubilis confirmaret hãc impartiri nominis professionem: iam ergo est criminis quòd se Deum, homo cùm sit, faciat, cùm eos, qui homines sunt, deos lex dixerit.*

Ian. 10. 33.

Ibid. ver. 34

Hilar. lib. 7. Trinit. relatus a D. Th. in cat. sup. c. 10. Ioan.

11 Et si quæras, quomodo homines dij facti sint, & quibus præsidiis, vel qua via ad diuinæ gloriæ fastigium terrigenæ & filij hominum sint elati. Dicam, nec mentiar, ex eo, quòd Dei sermone, Dei adoptionem sunt adepti. Ad quod probandum, & distinguendum est Dei nomen cum Cyrillo, & cum illo repetendum, *Nomen Dei trifariam in Scriptura dici, Primo natura, vt Deus: secundò adoptione, vt Sãcti: tertiò, ex sola nuncupatione, quemadmodum dæmones & idola? Si igitur, inquit Dominus, ideirco homines dij appellati sunt, quia sermo Dei ad ipsos factus est: ipsum Verbum Dei, quod erat in principio apud Deum, quomodo non est Deus? Si illi dij appellari meruerunt, qui participes facti sunt sermonis Dei: ipse sermo Dei, vnde participant, quomodo non sit Deus?* O verè beatus vir, qui in lege Domini, in doctrina Domini, & in sermone ac verbo Domini propositum ac voluntatem habet, quia per sermonis ac verbi Domini virtutem, deus fit, & filij Dei obtinet dignitatem. Probetur hoc ex Caietani doctrina, sic enim docet, *Ratione diuini sermonis facti ad homines, homines nominati sunt dij, quod est ratione diuina natura participata, audiendo Deum homini loquentem, communicari homini diuinum nomen.*

Cyrill. A lib. 7. in I c. 11.

Caietan. c. 10. Ioan

12 Sicut massa farinæ postquã fermentum excepit, & fermentata est, potest & aliam fermentare: ita & caro humana vnita Verbo diuino, eos qui illam recipiunt, diuinos per gratiæ donum, & ipsa reddit. Hinc est, quod substantiale Verbum fermento comparabat Verbum reuelatum, quia sicut humanitas illius diuina euasit hypostaticè vnita Deo: Sic illius Verbũ fermentat homines, ac reddit ex dono Deos. Ad hoc reuoco Chrysostomi doctrinam, qui in fermento Verbum prædicationis agnoscens, sic ait. *Quemadmodum fermentum in farina submersum, non deperditur, sed in naturam suam farinam conuertit, & quod semel fermentatum est rursus ad aliqua efficitur: pariter in prædicatione Euangelij fiet:* Caro enim Christi Verbo Dei fermentata, & Verbo personaliter vnita, per verba Dei non fermentat, & reddit Deos.

Chrysost. homil. 47. Matth.

CAELI DAVIDICI VERSIO TRIGESIMA.

Ex Guidacerio, In lege Domini affectus eius.

CIRCVLVS I.

Lex Domini beatos reddit eos, qui ex amoris affectu custodiunt illã.

1 SCiscitante quodã ab Agesilao, *Quid Sparta fructus attulisset Lycurgi leges, Voluptatum, inquit, contemptum.* At si ego sciscitarer, quid boni hominum generi attulerunt diuinæ leges? non ita breuiter, sed multo magis vtiliter respõderem, & voluptatum contemptum, & virtutum affectum. Ad cælestem legem seruandam & boni pariter ducũtur, & mali, sed respectu ducũ impariũ, nimis dispariter. Mali .n. timorem habent ducem, & veluti inferioris notæ famuli, oderunt peccare, sed atrocitate pænè detẽti: boni vero, ducẽ sequuntur amorem, & tamquam bene morigerati filij, oderunt peccare, sed virtutis amore. Non ergo Beatus vir est, qui aut stimulo timoris vrgetur, aut freno pænæ seruili coercetur, vt vel per viam mandatorum currat; vel a flagitiorum semita deflectat: sed ille qui hinc calcari au reo caritatis incitatus, inde freno diuini affectus coercitus, & remouetur a vitijs, & de virtute sic ambulat in virtutem, vt in lege seruanda, & foras excludat timorem, qui poenam habet: & perfectam inducat caritatem, quæ delicijs effluit, nedum affluit. Hinc varijs temporibus varios Deus excitauit duces, qui ad diuinã legem adimplendam variam hominibus porrigerent amicam manum. Dux ergo Iudæorum in antiqua lege seruanda, timor fuit: Dux autem Christianorum in noua lege adimplenda, amor extitit, & amor sic est, vt asserat Augustinus, *Breuis differentia legis & Euangelij, timor, & amor.*

x lib. 1. apopht. vbi Agesilao im. 21.

Augustinus Hom. elaus a Lyrano in c. 1. Hosee.

2 Sed curiosis oculis intuere & respice longe dispares amoris affectus, ac timoris effectus, si vis ex varijs fontium capitibus deducere tamquam riuos, vel vnius periculosa damna, vel alterius pretiosa dona. Timor non implebat alueum legis, amor sic implet, vt exuperet, & redundet. Sic statuit idem Episcopus Hipponensis, *Timor legem non implebat, Amor impleuit. Timuerunt homines, & non impleuerunt: amauerunt, & impleuerunt.* Immo nedum impleuerũt, sed plenè, & planè inundantem reddiderunt, vt idem subdit, *Timebant homines, & rapiebant res alienas: amauerunt, & donauerunt suas.* Par ergo est differentia inter timentes & amantes, ac inter auaros aliena rapientes, & prodigos propria donantes. Quia beatius est dare, quàm accipere. Beatus ergo vir est, beatus & prædicatur vir, de quo meritò dici potest, In lege Domini affectus eius, & non offendet ad lapidem pedem suum. Si vltra quæras cum Augustino, *Ad quem lapidem?* Responde cum codẽ Augustino, *In legem in tabulis lapideis datam. Ne enim pedes diuini capitis incurrerent in legis reatum, missus est Spiritus sanctus, vt amorem faceret, & solueret a timore.*

Augustin. in enar. super Psalm. 90.

Idem ibid.

Idem ibid.

3 Sed tamen hic hæreo, & quæro quomodo cõsonant verba Psalmi, quæ de iusto canunt, *In lege Domini affectus eius:* cum verbis Pauli qui de iusto decernit, *Lex iu-* 1. ad Tim. 1. 9.

ſto non eſt poſita, ſed iniuſtis? Non aliter, ad concordiam hæ diſſidentes inter ſeſe voces reducuntur, quàm aſſerendo, Iuſto non eſſe poſitam niſi regulam honeſtatis, & legem amoris: iniuſto autem legem poenæ & timoris. Ita ab Ambroſio hæc oppoſita concordãtur. *Non latebra ſapienti eſt, ſpes impunitatis: ſed innocentia eſt. Denique lex non eſt iuſto impoſita, ſed iniuſto: quia Iuſtus legem habet mentis ſuæ, & æquitatis, ac iuſtitiæ ſuæ normã: ideo non terrore pœnæ reuocatur à culpa, ſed honeſtatis regula.*

Ambroſ. in lib. 3. de offic. c. 5.

CIRCVLVS II.

Lex ignea in ſapphiro ſculpta, hinc amorem producit bonis, inde malis timorem.

4 EX diuerſis affectibus varios lex inducit effectus: nam ſi verum eſt quod Anaſtaſius refert *Legem, quæ Moyſi data eſt apparuiſſe ſapphiro*: vti & veriſsimũ eſt quod ſcriptum legimus in Deuteronomio, *In dextera eius ignea lex, dilexit populos*: & quod ab Oleaſtro ibi notatur, *In dextra ſua afferre igneam legem, quo eos deterreat: ſecum tamen ſimul amorem tuliſſe, quo populos, quos terruit, diligebat*: Quis nõ videt ex varijs affectibus, varios manare, atque contrarios effectus? Vis ergo dignoſcere diſcrimen inter eos, qui affectum habent in lege, & eos qui timore tantum ducti illam ſeruant? En iſti ignem tantum territi, vidẽt, quo tabulæ erant opertæ & inuolutæ: at illi pulchritudinem ſapphiri & læti aſpiciunt, & amantes amplectuntur. Illi, vt Leones terrentur ab igne, ſed ſicut Leones ad prædandum accedentes, ſi a paſtoribus fugantur, Leones fugiunt, nõ mutãt affectum: iſti verò, econtrà, legem amant, amando, mala fugiunt, & amantes ſequuntur, quæ lege duce vel fugienda, vel amanda nouerunt. Coloret Auſtinus eloquentiæ ſuæ penicillo, quæ ego tenui ſtylo adumbraui. *Qui enim timendo non facit mala, mala faceret, ſi liceret: itaque etſi facultas nõ datur, voluntas tenetur.* Sic timentes deſcribit: deſcribit & amantes, *Habet iuſtitia formam ſuã, oculos quærit, accendit amatores ſuos. Pro hac martyres ſæculum calcãtes, ſanguinem fuderunt.* Sed breuius expreſſit Ambroſius differentiam inter amãtes & timẽtes, *Qui amat, ex voluntate facit mandata legis: qui timet, inuitus obſeruat.* At Deus hilares diligit datores, hilares obſeruatores.

Anaſtaſ. hic quæſt. 38. in ſcript.
Deut. 33. 2.
Oleaſt. hic in 2. annot. ad morum compoſitionem.
Auguſt. in enar. pſ. 31.
Idem ibid.
Ambroſ. in Enarr. ſuper Pſal. 1.

CIRCVLVS III.

In ſapphiro ſculpta lex, vbi tot aurea puncta, quot Sanctorum exempla.

5 NEc myſterio vacat in ſapphiro ſculptam dari legẽ, & non in alio lapide pretioſo, nam ſicuti Sapphirus, ex Victorino, *Talem habet colorem, qualem habet cælum, cùm eſt ſerenum: ita ſignificat illos, qui in terra adhuc poſiti, intendũt cæleſtibus, & cuncta terrena deſpiciunt, quaſi nõ ſint in terra.* Et ſi hæc gemma, referente Plinio, *Aureis guttis collucet*: quinam aurei puncti conferri poterunt cum Sanctis, de quibus dixerat Moſes, *Venit cum millibus ſanctis, & in dextera eius ignea lex*? Si quæritis & vos à Domino, *Quid eſt Domine, quod ad promulgandas leges tuas Sanctos tuos tecum affers? Reſpondebit vobis, vt tot contra vos, ſi legem non obſeruabitis, adſint iudices, ſint & teſtes quot Sanctorum exempla vſque ad ſanguinem eam ſeruantes, præceſſerunt, dicente* Paulo, *Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatum repugnantes*: id eſt, ex Anſelmi gloſa. *Iterum iterumque pugnantes, non dico aduerſus peccatores, ſed aduerſus peccatum, quod illi vobis ſuadent, dum aliquid illicitum facere vos hortantur.*

Hugo Vict. lib. 3. de beſtijs cap. 58.
Plin. lib. 37 cap. 9.
Deut. 32. 2.
Ex Oleaſtro Ibidem.
Ad Hebr. 12. 3.
Anſel. hic.

Augu. relatus ab Oleastro ibid.

6 Hos iudices formidabat Augustinus, cum dicebat, *Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserũt in opere bono.* Ita refert Oleaster, & ita addit, *Solent transgressores legis diuinæ, excusationes ad iudicium afferre. Aliùs cum ieiunium præceptũ est, & non ieiunauit, causatur imbecillitatem carnis suæ. Alius, quem aduenam fratri dandam inclinare vix potes, dicit se hominem, nõ Christum. Et sic quisque trãsgressorum excusationes suas ad manum habet, quas Iudici offerat. Ad quarum confutationem Sanctos secum affert. Si enim te non potuisse ieiunare causeris ob carnis imbecillitatem, obiectabit tibi Baptistam, non Angelum quidem, sed hominem, qui non solum ieiunauit, sed ferè non comedit, quo confutabit quidquid ad excusationem prætenderes. Si delicta te condonare non posse excuses, quoniam magnus es, Stephanum ad manum habebit, qui non solum inimicis pepercit, sed genibus flexis, Deum pro eis rogauit, vnde possis & tu pauore cõcussus repetere, Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono, his enim lucernis scrutabitur iustus Iudex, & criticus cogitationum, Ierusalem.*

CIRCVLVS IV.

Vere beatus est, qui affectum habet in lege.

7 REx Salomon, etsi sapiens, præceptum tamen videtur statuere, contra sapientem legis dispositionem, vbi enim Legis mandata difficilia non sunt: ipse ne dum difficilia, sed impossibilia mandat, de lege sic dicens, *Liga eam in digitis tuis, scribe eam in tabulis cordis tui.* Petam enim cum Vranio, *Quis autem legem in digitis ligare potest? aut si fecerit, quæ vtilitas erit?* Et addam, si tacta substantia cordis, mors inducitur, quomodo poterit lex in corde scribi? Mysticum sanè, & arcanum est, quod iubet, nam in digitis opera, in corde figurans amorem, sic figurate præcipit, Ama legem, & opere imple illam, ita enim beatus eris. Hac arte, hanc figuratam locutionem, Salonius respondens Vranio, interpretatur, *Legem in digitis ligat quicumque in bonis operibus eam studet implere, & exornare. Et in tabulis cordis scribit, qui eam scribit in latitudine cogitationis.* Sed mihi videtur interpres iste indigẽs alio interprete, nam etsi de digitis clarè loquatur, de corde autem loquitur nimis obscurè, asserens in eo scribi, cùm scribitur in latitudine cogitationis. Mysterium in latitudine latet, quod Augustinus aperit, dum velum eleuat, & sub latitudine figuratam reuelat caritatem, dicens, *Latitudinem caritas facit, quæ non nouit angustias: & Deus sibi in nobis latitudinem facit, dicente Apostolo, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Scribitur ergo in latitudine cordis, quod seruatur in plenitudine caritatis.

Prouer. 7. 3.

Salonius Vien. Gall. Episc. in myst. in Salom. parab. explicat.

Idem ibid.

Ang. ser. 3. de verb. Apost. c. 1.

8 Quis autem neget vere beatos effici illos, qui hunc affectum habent, & hanc latitudinem habẽt, & Spiritum sanctum habent, & Deum sic habent, vt in eis Apostolicum verificetur Oraculũ, *Vos estis tẽplũ Dei viui. sicut dicit Deus, Inhabitabo in illis, & deambulabo inter eos?* Audiẽs incarnatum Verbũ Mulierem extollentem vocem eique dicentem, *Beatus venter qui te portauit:* ita respondit, *Immo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Virgo enim ex duplici est fonte beata, & quia portauit in carne, & quia portauit in mente, cùm, *Prius conceperit mente, quàm corpore:* At qui affectum habet in lege, beatus dicitur & est, quia in corde illius & inhabitat Deus, & Deus deambulat. Quæres, quomodo inambulat in paruo corde, qui mundum replet? Respondet Augustinus, *Deambulat in nobis præsentia Maiestatis, si latitudinem inuenit caritatis.* Caritatis enim latitudo mundi latitudinem longe superat, reddit enim hominem Deũ, nam si qui Deum, diligit Deus est: quidni perambulet Deus in diuina latitudine, vel reperta in corde

2. Cor. 6. 16.

Luc. 11. 7.

Leo Papa ser. 1. de Natiuit. Dom.

Augu. ibid.

Ad Rom. 5. 5. amantis, vel in corde amantis à Spiritu sancto effecta, dum, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis?*

CIRCVLVS V.

Deus in Cęlo sedet, sed cum ambulante in lege, inambulat.

9 Contraria forte dicam, sed tamen vera, si vis in latitudine ambulare, gradere per angustam semitam mandatorum, & incede per arctam legis viam. Si mihi non creditur, credatur itineris Duci, qui nos præmuniens, munit, ita dicens, *Arcta via est, quæ ducit ad vitam*. (Matt. 7. 14.) Sed si Dauid & nos præmonuit, & de se prædixit, *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui*: (Psal. 118. 45) Quomodo Christus, qui & via est, & viæ Dux, non latam, sed arctam nobis proponit viam? An potest simul via legis, & arcta esse, & lata? Sicut erumpens ex alto monte fons viuus, aquis abundans, sed intra occultas venas arctatus nimis: ad os artificialis aquæducti perueniēs, sic dilatatur, vt nedum in terra diffundat aquas, & in aere, eleuet, sed ad astra cæli sonoras extollat, & de miro glorietur opere, ita dicens, *Cohibita surgo*: Ita Verbum diuinum fons sapientiæ de excelsa sede descendens, primùm in nostris auribus atque in corpore humano coarctatur: demùm dilatatur in corde, extenditur in ore, & in cælum, vnde descenderat, & eleuat, & eleuatur. Hoc innuere videtur Ambrosius qui eodem dubio proposito, in Pauli persona, qui modo asserit, *Pressuram patimur*: modo astruit, *Sed non angustiamur*: (2. Cor. 4. 9. ex Ambros.) quærens, qui fieri potest, vt simul præmatur, & non angustietur? Respondet, *Et quomodo coangustari poterat, cuius os semper patebat? Quia etsi corpus angustum est, cor dilatatum est. Sapiens in cordis sui ambulat innocentia, & de eius fonte supereffluunt aqua super eius plateas, qui mentem suam, non intra corporalia & terrena concludit, sed dirigit ad cælestia, vt conuersatio eius in cælo sit.* (Ambro. ser. 6. in Ps. 118. ver. 5.) Nec aptius dici poterat ad rem nostram, nec melius excogitari ad coloronda, quæ nos adūbrauimus, nam fontem Verbi attingit, legis flumen pandit, pressuram corporis profert, dilatationem cordis expandit, latitudinem oris expādit, cursum ad superna dirigit, conuersationem in cælo describit, & hi rari effectus omnes, qui miraculi instar, indigitantur, ab affectu legis oriri demonstrantur.

Emblema.



CAELI DAVIDICI VERSIO TRIGESIMAPRIMA.

Ex Hebræo, In lege Domini delectatur.

CIRCVLVS I.

Vir beatus in lege Dei delectetur, quia Deus delectatur in eo.

1 Sicut dilectus ille Discipulus volens in nobis excitare diuinæ caritatis flāmam, ex diuinæ caritatis altari, quasi terrestris Seraphim carbones sumens, dicebat, *Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos:* idque iurè secundum Bernardum, *Vt si amare pigebat, redamare delectet:* Ita & ipse dicā, Delectemur in lege Domini, quia ipse prior in nobis delicias collocauit, & dixit, *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Nec mirum id Deū asserere, fidemque docere, cùm solo naturæ ductu idipsum Seneca & nouerit, & docuerit, *Neque enim necessitatibus tantumodo nostris prouisum est, vsque ad delicias amamur. Tot arbusta, tot herba salutares, tot varietates ciborum, iam animalia omnis generis, vt omnis rerum natura pars, tributum aliquod nobis conferret.* Has autem omnes delicias hominibus à Deo amante distributas, vno verbo idem Deus, qui Caritas est, complectitur, dicēs, *Delicia mea esse cum filijs hominum.* Nam vbi Deus seipsum dat, talem dat beatitudinis & deliciarum omnium redundantem fontem, vt possit qui hoc bono potitur, dicere ei, *Satietas deliciarum est cum vultu tuo.*

1. Io.4.19.

Bernardus.

Prou.8.31.

Seneca lib. 4. de benef. c. 5.

Prou. 8. 31.

Psal.16. 15. ex Hebræo.

2 Datur satietas, quæ non delicias affert, non somnum conciliat, non quietem patit, sed turbationis est mater, somnum arcet, torsiones intrudit, *Et saturitas diuitis non sinit eum dormire.* Vt enim Boetius docet, *Natura paucis & minimis est contenta, cuius indigentiam si superfluis vrgere velis, aut iniucundum fiat quod infundis, aut noxium: vnde Lucanus,*

Discite quàm paucis liceat producere vitam,

Et quantum natura petit.

Et ne Aurei oris, aurea verba præteream, cum ipso dicam, quòd, *Sicut nauis onerata, quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, ponderis magnitudine grauata submergitur, nautas, gubernatores, aliosque nauigantes, & ipsum onus cum ceteris perdit: Ita anima & corpus nostrū, si plures acceperit cibos, quàm fert natura sua, iniectorum grauitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur.* At satietas, quam Dei vultus animæ & corpori affert, dulcem cōciliat contemplationis somnum, delicijs implet cor, gaudijs animum reficit, & liquidis cæli voluptatibus mentem recreat. Et vbi Deus Emmanuelis nomen accipit, id est, Nobiscum Deus: ibi butirum & mel comedit, vt sciat, idest, vt scire faciat reprobare malum, & eligere bonum: quod totū lex in homine operatur. Delicias autem hasce cū hominibus Deus habet, & non cum Angelis, nam hi nullis sensuum illecebris oppugnati, faciunt verbum eius ad audiendam vocem sermonis eius: at cū hominibus, quia rationi dominatrici animorum semper aduersantur inferiores vires, & procliues ad peccandum libidines animi, maximè suam virtutem Deus prodit, cùm illos adeo delinit, vt sponte, & maxima cum voluptate, superatis tot repugnan-

Eccli. 5. 11.

Boetius de consol. philosop. lib. 2. prosa 2.

Lucan. lib. 4

Chrysost. in hom. contra crapulam tom. 5.

tium

tium sensuum conflictibus, secundum rationis nomen viuuant, secundum præceptorum regulam operētur, & secundum legem ab eo latam, & cogitationes regant, & gressus dirigāt, & coronati incedant. Ideo Deus dans legem populo Iudęorum Coronam imposuit obseruatoribus legis, & de tali Corona interpretatur R. Salomon verba Exodi, *Iam nunc depone ornamentum tuum*. Ait enim, *Per ornamentum hic dictum, non intelligitur pretiosa vestimenta, quæ iam deposuerant, sed intelliguntur Coronæ, quas sibi principes populi imposuerunt in die dationis legis, quando Dominus locutus est eis decem verba: tunc enim populus fuit Deo desponsatus per susceptionem legis: & ideo fuerunt coronati ad modum sponsæ, vt has Coronas non deponerent, ad ostendendum quod volebant esse subiecti legi. Nam coronam ferre non meretur ad modum spōsæ, qui se Deo legique diuinæ non subijcit, vt vxor viro.*

Exod. 33. 5. R. Salomon relat. a Lyrano in c. 33 Exodi.

CIRCVLVS II.

Vir beatus in lege Domini delectari debet.

3 Rationi ergo congruum est, vt si Deus in homine delicias reperit, homo celestes delicias quærat in Deo. Ad has ergo delicias te Psaltes adhortans, canebat, *Delectare in Domino*: Vel ex Ruffino, *Deliciare in Domino*: Vel secundum Hieronymum, *Delicijs fruere in Domino*. Duplex in homine repetitur lex, lex sensus, & lex rationis. Et quoniam vtraque lex delectatione vtitur, tamquam duce, sicut qui illam sequitur, ad tartara ducitur: Ita qui ab hac dirigitur, ad astra extollitur. Nonne vides Adam, qui mentē signat, hinc illectum ab Heua, quæ sensum figurat: inde vero a serpente, qui delectationem adumbrat, ruisse ad tartara? Vel Ambrosium audi hunc ordinem, & inordinati præcipitij describentem, & ordinatę damnationis obseruantem, dum ait, *Delectatio prima est origo peccati, ideo non mireris cur ante Serpens damnatur iudicio Dei, secūdò Mulier, tertiò Vir, nam secundū erroris ordinem, damnationis quoque ordo struatus est: delectatio enim sensum, sensus mentem captiuam facere consueuit*. Ideo pacificus Rex pacificum tibi iter demonstrans, sic te hortatur, *Ne delecteris in semitis impiorū: nec tibi placeat malorum via*: Vel ex Hebręo, *Nè oblecteris in semita malorum*. Dum enim a delectatione vitiorum te retrahit, retrahit & a via illorum, nam delectatio ita in vię aditu cōmoratur, vt per ea q̄ docet Augustinus, progredientes vltra, statim deserat, sic enim fatur, *Delectatio in via est, occidit, & prateriȷt: vulnerauit, & transiuit: miserum fecit, & abijt: infelicem reddidit, & reliquit*. Et Thalassus Monachus subdit, *Mala cogitationis dux est affectio, & affectionis auctor sensus est, quo vt male vtamur, in caussa est mens*. Sic dum cęca affectio cæcis sensibus ducatum præstat, nec mentis lux corrigit errantes, & illuminat cæcos, in foueam ambo cadunt.

Psal. 36. 4. Ruffinus. Hieronym.

Ambros. li. de Paradiso cap. 15

Prou. 4. 14. Hebræus.

Aug. ser. 3. de nat. Domini.

Thalassus monac. in Hecatontas 3. num. 5.

4 Diuina verò lex pædagogus fidelis est, qui numquam deserit per viam præceptorum ambulantes, itinera mādatorum terentes, semitasque iustitiæ firmiter tenētes: immo tenerrima nutrix est, quippè, quæ eos, quos per gratiam diuina clementia generat, ipsa & lacte dulcissimo pascit, & in sinu fouet, & in pectore gestat. Hæc Aponij sentētia est, sic enim fatur, *Lex lactat Ecclesiam, quam gratia generat: & rectè vsque ad Christi aduentum primùm mater ponitur lex, ad quā nos gratia generatos, calo allēdos transmittit. Mater enim, a lactis mammas porrigendo, & a generando genitrix nuncupatur. Et sicut lactentibus paruulis præ omnibus alimonijs necessaria sunt vbera lacte plena: Ita & animabus generatis per gratiam, præ omni censu terreno necessaria est obseruantia legis diuinæ, ad quam nos gratia nutriendos transmittit.* Sicut ergo paruulus re-

Aponius li. 5. com. in Cāt. Cant.

li-

liquas delicias vel non nouit, vel respuit: sed in mammis solis vel genetricis, vel nutricis suauiter accubat: Ita vir beatus in sola obseruãtia legis diuinæ & delectari debet, & delicias collocare.

5 Immo lex Nauta est, quæ necdum animæ nauim per varium huius sæculi mare dirigit, ac perdubium regit iter, cùm æquora tranquilla sunt, & blandiens aura spirat: sed etiam cùm procellosa tempestas insurgit, cum turbo vẽtorum exoritur, cùm vndæ calamitatum ac rerum aduersarum spumantes sæuiunt, cùm fluctus frementes libidinum animum inuadunt, cum turbidi elati animi tumores irruunt, cùm procellæ horribiles persecutionum commouentur, & cùm horrendum in modum pelagi horror sæuit, fremit, ac frendet. Tunc enim ipsa gubernatoris, rectoris, ac vectoris vices gerens, & clauum tenens, etsi modo nauis feratur ad cælũ, modo ad tartari ima violentius descendat: nunc varijs affectionum impulsibus hac illac iactetur, nũc operiatur fluctibus passionum, & nunc onere stimu lantium cupiditatum deprimatur, semper ipsa pericula tenet procul, discrimina fugat, fluctus sedat, naufragia submouet, componit mare, vẽtos occludit, turbines retundit, tumentem pelagi furorem, ac væsanam iracundiam frenat, vortices exundantium aquarum sternit, fluctus compescit, & ad portum virtutis lętum, læta perducit. Sic, sic inquit Chrysologus diuina lex, vel incarnata Sapientia, quæ viua lex est, *Vbi Christus Ecclesiæ suæ nauim mare sæculi trãsfretaturus ascendit, gentiliũ flabra, Iudæorũ turbines, persecutorũ procella, vulgi nubes, dæmonum nebula, sic ruerunt, vt totius mundi fieret vna tempestas: Regum spumabãt vnda, feruebant potestatum fluctus, sonabat rabies traditorum, populorum gurgites rotabantur, perfidię notabantur scopuli, mugiebant historia Christiana, lapsorum naufragia vexabantur, & erat totius mundi vnum discrimen, vnumque naufragium: tunc, tunc Christus per legem mare, hoc est, mundum corripit, tranquillat orbẽ, Reges mitigat, potestates placat sedat fluctus, componit populos, Romanos efficit Christianos, ipsosque peccatores verbi christianæ fidei reddit, qui fuerant persequutores nominis Christiani. Hanc tranquillitatem seruant principes Christiani, Ecclesia tenet, habet Christianitas, gentilitas admiratur.* Hęc vtilia, hæc magna, hæc admiranda operatur lex, quæ vt dicebamus cũ Theophilo Alexandrino, & nauta, & clauus est, quo animæ nauis regitur ac dirigitur, *Quod enim gubernatori clauus, hoc animæ est lex Dei.* Nec intermittit cursum, nec terminat motum, donec tuta perducat ad tutum portum, & ad deliciarum inducat Paradisum.

Chrysolog. ser. 20. de sedata maris tempestate.

Theophil. Alex. Episc. in epist. 3. Paschali.

CIRCVLVS III.

Sponsa omnes delicias in Christi lege collocauit.

6 HInc Sponsa quærens delicias, nullo reperit in loco, nullo in subiecto, nisi in Legislatore & in beatitudinis Authore, vnde & ipsa dicebat, *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Et Gregorius Papa addebat, *Illum inuenire non posset, si istos pertransire noluisset.* Cùm autem secundũ Richardi doctrinam, *In triplici creatura sua inuestigari & cognosci possit Deus, in mundo, in homine, & in Angelo: hos singulos pertransit anima Deum sitiens, vt eum, quem quærit inueniat: eoque inuento dicat, Tenui illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ. Tenet itaque dilectum, quamuis aurora sit, nec dimittit, donec benedixerit eis.* Si autem lege lata statutum est, *Benedictionem dabit legislator:* Vel ex Cromatio, *Benedictionem dabit, qui legem dedit: Quis non videt, quòd tunc illum tenet, cùm eius legem seruat: & tunc non dimittit, cum benedictionem exposcit*

Cant. 3. 4. Greg. lib. 18 moral. c. 27. vel 33.

Richard. de S. Vict. in p. 2. expos. cãt. c. 5. & 6.

Psal. 83. 8. Cromatius.

poscit, & simul obtinet? Benedictio autē hęc, benedictioni a Iacobo ob rētæ, vt idē Richardus subdit, conformatur, *Benedictione enim percepta, claudicabit altero pede, quia qui duplicibus incedebat desiderijs, carnalia quidem sentiens sed spiritualibus consentiens: nūc perfectius mortificatis vitijs, & marcescente carnalitate spiritualibus tātum desiderijs fertur.* Quid mirum ergo si taliter incedentem admirantes Angeli, vel canant, vel dicant, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens?* Nec alias delicias describunt, si Gregorio præstatur fides, nisi verborum Dei, & diuinæ legis, pro quibus & mūdū deserit, & ad superiora cōscēdit. Vnde sic ait, *Quia nimirū sācta Ecclesia, nisi verborum Dei delicijs afflueret, de deserto vitæ præsentis ascendere ad superiora non posset. Delicijs ergo affluit, & ascendit. quia dum mystica intelligentiis pascitur, ad superna quotidie contemplanda subleuatur.*

Idem Rich ibid. c. 6.

Cant. 8. 5.

Greg. Papa lib. 16. mor. c. 9. alias 10.

CIRCVLVS IV.

Legi obtēperans, a Christo, tamquam a fonte, delicias haurit.

7 Sed quoniam deliciæ accidētia sunt, & indigēt subiecto, subiectum indicant Angeli, addētes, *Innixa super dilectum suū:* Vel, vt Origenes legit *Innixa, super pectus recumbens dilecti, quia principale ibi cordis est nostri.* Sicut ergo Ioannes fluenta Euangelij de ipso Dominici pectoris fonte potauit: Ita anima, quæ in lege Dei delectatur, a Christi pectore & corde diuitias mandatorum, & delicias haurit Angelorum. Inde Sponsa gloriabatur, *Apprehēdam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis.* Si quæras quænam sit domus? In Philone gratiam, in Richardo reperies scripturam. Sic enim ille philosophatur, & docet, *Per domum matris Sponsæ scripturas accipit sacras, quarum mysteria, tamquam promptuaria habentur, in quibus pia anima sæpe cum cælesti sponso loquitur, meditansque in his, sanctissime reficitur.* Richardus autem sic asserit, *Mater nostra est gratia Spiritus, quæ spiritualiter nos regenerat. Cuius domus est humana mēs, in qua eadem gratia suscipitur. Manet autē in illa anima Christus, quæ virtutes eius possiderit, & quæ mandata illius seruat: & sicut ipse ambulauit, & ipsa ambulat.*

Cant 8. 5.

Orig. hom. 1. ex duab. in Cant.

Cant. 8. 2.

PhiloCarp. hic.

Richar. a S. Vic. p. 2. expos. in cant. 6. c.

8 Vtrumque videtur expressisse eadem Sponsa, tam de doctrina, quàm de imitatione, *Ibi me docebis*, en doctrinam: *Apprehendam te*, en imitationem. De hac apprehēsione imitationis repetam & ego Salamonis vel monitum, vel præceptum, *Vade ad formicam.* Formica si casu aliquo, vel dolo, per mediam viam ambulans, oculis orbatur, vel iacet immobilis vel in circuitu ambulat: formicam transeuntem expectat, illius transeuntis pedem apprehendit, pedemque sic apprehensum non dimittit, donec vel ab ea sic apprehensa voluntarie trahatur, vel necessitate cogente ita ducatur, vt in portum communis domus, etsi non læta, secura certe perueniat & quieta. Sic anima, quæ, clausis oculis, legis præcepta implere desiderat, Christi pedes apprehēdere debet, vt ab illo ducatur per viam virtutis, & in cæleſtem domum cum gaudio introducatur. Non est mea, sed Anglici comparatio, sic enim ait, *Formica excæcata vadit errando, & si quam formicam apprehenderit, tenet eam vt per ipsam, ad casam reuertatur, nec facile permittit se separari. Vade ad formicam, ò piger, & disce sapientiam. Sciat enim quilibet se esse excæcatum, & in magnas tenebras ignorantiæ incidisse ex primo peccato, & ideò si relinquatur, vadit errando, Errauí sicut ouis, quæ periit. Ergo debet apprehendere primò occurrentem de genere suo, qui videat, vt eam possit reducere in patriam: Christus enim est vnus de primis, immo & primus, qui tibi occurrit erranti, & manum porrigit, Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me.*

Prou. 6. 5.

Angelicus in pl. 1. ver. 7.

Ergo

Ergo debemus eum apprehendere, & non dimittere, Tenui eum, nec dimittam. Ipse enim vertitudinaliter deducet nos per viam rectam & optimã in domum patris sui, Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Ideo petit, Vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna. Nonne formicæ exemplum amplexus est Iob, cùm dixit, *Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ab ea?*

Iob 23.11.

Vel ex Hebræo, *Apprehendit pes meus illius gressum*: id est, tenuit vestigium illius, & firmiter adhæsit gressibus eius.

Hebræus.

Nouum tibi fortè videbitur, quòd vbi apprehendere & tenere ad manũ pertinet, non ad pedem, vnde Philippus Rex macedo cadens, & manibus terram apprehendens, ex casu præsagiẽs triumphum, dicebat, *Teneo te Aphrica*: sapiens Iob hoc opus, hunc actum non manui tribuat, sed pedi.

Ex Plutar. in Apopht. Illustrium:

Sed licet in reliquis hoc verum sit, in legis tamen gressu, & in spiritali progressu, non manibus, vestigia Præcursoris apprehẽdũtur, sed pedibus tenentur, orante simul Psamista, ac docente, *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea*: Vel ex Hieronimo, *Sustenta gressus meos in callibus tuis, & non labãtur vestigia mea.*

Psal. 16. 5.

Hieronym.

Si autem quæras quid per vestigia Dei significatur? Gregorius in illis agnoscit & cælestia præcepta, & legis mãdata, quæ vestigia Domini virtutum dicuntur & sunt, per quæ & ille præit, & nos trahit, vt sequamur vestigia eius. Ita enim ait, *Nos itaque, cùm virtutem longanimitatis atque pietatis eius intuentes, imitari contendimus, quid aliud, quàm gressum eius vestigia sequimur, quia extrema quadam eius operationis imitamur? Quidam nempe gressus Dei sunt, quos cernimus, operationes eius, quibus bonus quisque regitur.*

Greg. lib. 16. Moral. c. 16.

Additur autem vestigiis doctrina, quia postquàm dixit, Apprehendam te, addidit illicò, ibi me docebis: hoc est dicere, vt Hugoni videtur, *Apprehendam te per gratiam, & ibi me docebis pati pro te.*

Hugo Car. hic.

Nec breuior, nec copiosior doctrina a lege diuina datur, & mundo vera probatur esse lex, quàm pro Deo benè viuere & mala pati. Audiamus in hac causa Lactantij decretum, *Cùm ab ortu Solis vsque ad occasum lex diuina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, gens & regio vnitis & paribus animis Deo seruiant, eadem sit vbique patientia, idem contemptus mortis: intelligere debuerãt aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa vsque ad mortem defendatur.* Põderanda verba, *Aliquid rationis in ea esse:* & rationis vis virtus est amoris, quo roborati per gratiæ legẽ Christi fideles, patiẽti ac forti animo pro ea seruanda, perferebant supplicia, mortemque subibant.

Lactan. li. 5. Diuin. Inst. c. 13.

Vbi consonat nimium Chrysologi concentus, *Gloriemur, fratres, de noua istius commutatione commercij, quia mors, quæ erat inter homines reparatio tota pietatis, per Christum diuina commendatio est facta caritatis.*

Chrysolog. ser. 110. in verba Apol. Non est autem scriptũ.

CIRCVLVS V.

Qui delicias in lege ponit, beatum se agnoscit.

9 BEatus ergo est vir, quia in lege Domini delectatur, & beatissimus æstimandus est, ob thesauros deliciarum, quos reperit in diuinæ legis sinu, quasi in primi hominis domicilio. Doctrina Senecæ ad hoc explicandum miro modo confert, sic enim ipse philosophatur. & bene, *Miser est, qui se non beatissimum iudicat, licet imperet mundo. Vt scias autem hos sensus communes esse, natura scilicet dictante, apud Poetam comicum inuenies,*

Seneca in epist. 9.

Non est beatus, esse se qui non putat,

Quid enim refert qualis conditio tua sit, si tibi videtur mala? Beatus ergo vir, qui in lege Domini delectatur, & beatus est, & se esse beatum cæleste lumen, quo anima eius illustratur, ei clarè demonstrat. Hinc Isaias, felicia illi omi-

Isa. 58. 8. na canens, aiebat, *Anteibit faciem tuam iustitia tua*. Et Glosa hæc felicia explicans, ita subnectit, *Iustitia Christus est, qui omnes iustificat, & anteibit ad gloriam*. Quid inde? O Felix premium! o beatam mercedem! *Et requiem dabit tibi Dominus semper*: Vel ex Forerio, *Erit perpetuo Iehoua requies tua*. Sicut Iehoua est ineffabile Dei nomen, sic ineffabilem requiem animæ, quæ in lege delectatur, infundit. Sed times ne ipsam lateat propria beatitudo, ita vt ex hoc, beata nec sit, nec dici possit? En subdit, *Et implebit splendoribus animam tuam*. Vt enim Lyra consonanter sonat, *Implebit splendoribus animam tuã, id est splendoribus diuinæ notitiæ & virtutis*. Quis modo neget, hunc virum esse beatum, qui splendoribus diuinæ notitiæ sic illustratur, vt se beatum esse & cognoscat, & putet, & cui Augustinus dicat, *O beate popule, putas intelligis iubilationem? Nullo modo beatus es, nisi intelligas iubilationem, & scias vnde gaudeas, quod verbis explicare nõ possis*.

Glosa ord. hic.

Isa. 58. 11.

Lyran. hic.

Aug. in cõc. 1. de prima par. ps. 88.

CIRCVLVS VI.

Delectatio, qua fruitur legis obseruator, est ineffabilis.

10 SEd repetenda sunt verba Isaiæ, quæ raptim relata sunt, *Erit perpetuò Iehoua requies tua*. Requies est opulenta, quæ ob nimiam copiam parit verborum inopiam, a fonte enim inexhausto manat, & a fonte ineffabili, & excelso. Quis enim delicias, explicet, quibus anima beata circumfunditur, quæ cor iusti implent, & quibus diuinæ legi addicta mens affluit? Vos autem vel hinc immensæ plenitudinis sumite argumẽtũ, quia nec os, quod arcana cordis recludere, consueuit naturaliter huiusmodi delicias nequaquam exprimere valeret, quamuis vellet. Sicuti vel messores fertilis agri, vel fecundæ vineę vindemiatores, vbi & manus manipulis, & racemis implẽt, & implent spicis sinũ, & vuis cartallum: & sicut milites, vbi deuictis hostibus, spolia diuidunt, lętitiam corde conceptam inarticulata plus explicant voce, quàm si articulatas redderẽt cantiones: Ita qui legis vel copiosos fructus metit, vel vberrimas vuas legit, vel exuuias & opima spolia colligit, sic exultat, & tali gaudio superabundat, vt illud exprimere nullo pacto queat. Adũbret hoc Psaltes, vt expertus, & ita canat, *Beatus populus, qui scit iubilationem*. Et coloret illud illustris Augustini penicillus, *Qui iubilat, non verba dicit, sed sonus quidam est lætitiæ sine verbis; vox est enim animi diffusi lætitia, quantum potest exprimentis affectum, non sensum comprehendentis. Copia fructuum iucundati vel messores, vel vindemiatores, & in ipsa faecunditate terræ & fertilitate gaudentes, exultando cantant: & inter cantica, quæ verbis enunciãt, inserunt voces quasdam sine verbis in elatione exultantis animi, & hæc vocatur iubilatio: ita gaudens homo in exultatione sua, ex verbis quibusdam, quæ non possunt dici, erumpit in exultationem quamdam sine verbis, ita vt appareat eum sine voce gaudere quidem sed se quasi repletum nimio gaudio, non posse verbis explicare quo gaudet*.

Isaiæ 58. 11.

Psal. 88. 16.

Aug. in ena. sup. ps. 149.

11 Quidni iubilo impleatur cor, dum oculi vultum Dei vidẽt, & in lumine illius ambulant, vnde subditur, *Domine in lumine vultus tui ambulabunt*? Si de vultu eius dicitur, *Facies tua plena est gratiarum*: siquè gratia, vt a Theologis asseritur, est gloria inchoata: iure iubilant ambulantes in lege Domini, cùm inchoata gloria & beatitudine incæpta fruantur. Sed vbi lumen & exemplar vultus Dei vident, & in eo ambulant, nisi in lege, in qua delectantur? Sic Ambrosius, *Lex exemplar est, & vmbra cælestium, vmbra futurorum bonorum, In vmbra, inquit, illius concupiui, & sedi: legem enim acceperat, hanc sequebatur, per hanc currebat viam*.

Ps. 88. 17.


Esther 15. 17.

Ambros. serm. 5. in ps. 118. ver. 1

Ita enim legi adhærent, cælesti beatitudini appropinquans, vti in vmbra corporis ambulans, corpori appropinquat O deliciæ paradisi, o delectationis cæli, qbus repletur q in lege delectatur. Repetat ergo & ipse dulcia Psaltis verba, & cum illo canat, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo*. Ad fauum formandum Apes multæ conueniunt, multis ex floribus liquorem attingũt, in alueario totum colligunt, mel in cellulis abscondunt, & qui edunt ex eo, ad horam delectãtur, dulcedinem quidem sentiunt, quæ tamen cito euanescit, & sæpe lædit. At lex diuina & dulcia cælica verba à variis non apibus, sed legislatoribus & Prophetis: à floribus non terrenis, sed æthereis: & à Spiritu non humano, sed diuino in tot fauos distincta, in quot libris est digesta, tã dulce mel distillat, vt & oculis lumen præbeat, & faucibus dulcedinem præstet, & animæ salutem instillet, & cor libamine quoddam æternæ felicitatis oppignoret. Hoc innuebat Ambrosius, qui explicãs verba, Quam dulcia faucibus meis verba tua super mel & fauum ori meo: sic asserebat, *Quia mel apum ad horam delectat, sed cito sapor eius euanescit, & plerumque viscera vitiosa læduntur: verborum autem moralium, etsi pungunt mella, non lædunt. Cognosce tamen cui illa credãtur, scriptum est enim, In aurem insipientis nihil dicas, nequando irrideat prudentes sermones tuos. Euomet enim & reijciet sermonem tuum stultus, qui eius non potest sentire suauitatem*. Hanc autem suauitatẽ Iustus ex gustu cognoscit & sẽtit.

Ps. 118. 103.

Ambro. ser. 13. in ps. 118 ver. 5.



CAELI DAVIDICI VERSIO XXXII.

In Psalmi primi, Versus secundi, Partem Secundam.

Versio prima, Ex vulgata, Et in lege eius meditabitur die ac nocte.

2 Ex Aquila, In lege eius resonabit die.

3 Ex Hebræo, In lege eius commentatur die ac nocte.

4 Ex Ambrosio, In iuribus eius meditabitur die ac nocte.

CIRCVLVS I.

Beatus vir tam in die prosperitatis, quàm in nocte aduersitatis in lege meditatur, & ab ea dirigitur.

1  I moralis Philosophus oculis cordis inspiciēs Sapiētem, cumque conspiciēs iam in tuto positum, his viuis eum coloribus depingebat, his claris eum luminibus figurabat, *Tanta si lucia sui est, vt obuiam fortunæ ire non dubitet, nec vnquam loco illius cessurus sit: nec habet vbi illam timeat, quia non mancipia tantum, possessionesque, & dignitatem, sed corpus quoque suum & oculos, & quidquid est cariorem vitam facturum, seque ipsum inter precaria numerat, viuitque commodatus sibi, & reposcentibus sine tristitia redditurus:* Mirũ nemini videatur, nemini accedat nouum, beatum virum, qui & se ipsum, & bona omnia, quorum vsum habet inter præcaria numerat, qui die ac nocte legem Domini meditatur, quique æquo animo in secundis ac aduersis ab ea lege regitur, quæ secundum Cassiodorum talis dicitur, *Ex eo quod animos nostros liget, suisque teneat obnoxios institutis:* sic tutus ad nutum legis dirigatur per secundas res, regaturque per aduersas, vt neque in lætitiæ clara die, neque in mæstitiæ tenebrosa nocte, vel in diuersa mutetur, vel loco moueatur, & nutet.

Seneca lib de tranquillitate animi c. 11.

Cassiodor. in psal. 1.

2 Ea lege, qua Cælum, cùm nubibus operitur, obumbrari quidē mortalium oculis videtur, sed altius existens nubibus, nubesque lōge superans, non subditur vmbris, non quatitur imbribus, procellis non turbatur, turbinibus non cōcutitur, non inundatur pluuiis, tēpestatibus non conuoluitur, nec crepitans grando, vel eius musicū sonum interrumpit, vel rumpit harmonicam illius melodiam: Eodem ferè tenore & Iustus, qui Cælum est, & superior Cælo, dum pati videtur, non patitur: dum turbinum persecutiones sustinet, non turbatur: dum aduersantium euentuum nocte comprimitur, non

obſcuratur: & dum ſtrepitans grãdo, & procelloſus turbo circa illũ tonat, nec tonum diuinæ laudis rumpit, nec ſonum interrumpit confeſsionis. Non mea eſt, ſed Aurei oris doctrina, ſic enim fatur, *Cælum altius eſt imbribus ac pluuijs: cælum quidem cum nubibus obducitur, pati putatur, ſed nihil patitur. Sic & nos etiam ſi putamur pati, nihil patimur, id eſt, triſtitia quaſi nubibus obduci putamur, ſed non triſtamur.* Sic, ſic, *Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manum eius annunciat firmamentum*, In Cælis Origenes figuratos aſſerit Apoſtolos & Prædicatores: Ambroſius, Martyres: Chryſoſtomus, Iuſtos: quia hi omnes, vt Anglicus docet, ne dum cæli ſunt, ſed, *Firmamentum dicti ſunt à firmitate*: quia nũquam infirmi, ſed firmi perſeuerant. Sed quomodo à firmitate nomen habent, & immobiles dicuntur, ſi ſemper mouentur? Vtique, nam in motu immobiles perſiſtunt. Sicut ergo de quadrato lapide dictum eſt, *Quocumque vertas*: Ita de Iuſto dicitur, *Non contriſtabit iuſtum quid quid acciderit ei*. Iuſtitia enim inſtar ſubſtantiæ primæ, quæ ſemper ſtabilis permanens, ſuſceptiua eſt cõtrariorum, Quocumque vertatur, ſiue dies ei accidat proſperitatis, ſiue nox ei adueniat aduerſitatis, ſemper eadem permanet, nec mutatur. Reddatur fonti riuus, nam ab Hugone deriuatum eſt, ita philoſophante, *Sicut accidens eſt, authore Philoſopho, quod adeſt, & abeſt praeter ſubiecti corruptionem: Ita præſens tribulatio & ærumna, & adeſt, & abeſt, præter Iuſti contriſtationem & conturbationem*. Sic, ſic de Iuſto planè verificatur, quod à Seneca de Sapiente aſſerebatur, *Tutus eſt Sapiens, nec vlla affici aut iniuria, aut contumelia poteſt.*

Chryſoſt. hom. 16. in Epiſt. ad Hebræos.

Pſal. 18. 2.

Origen. hom. 1. in Geneſ.

Ambroſ. lib. 2. de Abraham. cap. 8.

Chryſoſt. Ibid.

Emblema.

Prouer. 14. 12.

Hugo Card. in c. 14. Prouer.

Seneca ad Serenum quod in Sapiẽtem non cadit iniuria.

3 Accidunt, accidunt Iuſtorum animis mala, & nox perſecutionis eum obumbrat, & inſtar Lunæ defectus menſtruos patitur laborũ & ærumnatum: ſed in diem nox mutatur, & Luna in Solem: & ipſi defectus, quos patitur, ad tantam dignitatem attollunt, vt qui modo Lunam referebant, ſolare ſinemora lumen induant, & qui fragilitate fœminam referebant, exercitus robur, ita ſibi adſciſcẽt, vt in admiratione Angelos rapiant, vt hymnum triumphalem lætantes, ita canant, *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens: pulchra, vt Luna: electa, vt Sol: terribilis, vt caſtrorum acies ordinata?* Vbi & Ambroſius cantum proſequens laudibus, ita ſubdit, *Proficiens ergo Eccleſia, ſicut Luna defectus habet, & ortus frequentes: ſed defectibus ſuis creſcit, & his meruit ampliari, dum perſecutionibus, & Confeſſorũ martyrijs ornatur.*

Cant. 6. 9.

Ambroſ. ſer 44. de Latrone.

4 Si vero huius triumphi currũ quæras, Heliam aſpice in Cælum euectum, eumque poſt tot diſcrimina rerum, triumphantem ſic videbis, ſicut Ambroſij penicillus illum deſcribit, *Helias famẽ, inſidias, mortiſquè terrores, & calorum acerba tolerabat, & tantùm ſolus ille igneis curribus, equis igneis de Cælis deductis ad terras, & de terris reuectis ad Cælum, ſolus meritum huius militiæ abſcondit, atque vltra humana omnia gratia pij aſſiſtoris euexit.* Ergo cantam huius mirabilis aceſus Heliæ refert Ambroſius in labores, quos perpeſſus eſt. Expende illud igneis equis & curribus reuectis ad Cælum. Currus & equi, qui nos ad cælum euehunt, ignei ſunt, quia multa nobis toleranda ſunt, priuſquam ad Cælum aſcendamus. Heliæ autem ærumnæ, quæ nos adurunt, in currus & equos vertuntur, qui nos à terrenis trahunt, ad ſuperna deducunt. Sanè, qui quondam triumphabant, in Capitolium aſcendebant, Equis, Elephantibus, Leonibus, Ceruis vecti: qui verò in cæleſti patria triumphum agunt, nonniſi igne tribulationis vehuntur. Plurima exigebat Senatus, vt cuiquam ius triumphandi decerneret, At triũphus in cæleſtem patriã illis ſolùm decernitur, qui labores & miſerias perpeſſi ſunt, iſti enim de terris reuehuntur ad cælum, aſſeruat enim Paradiſus Heliam, cuius corpus tot miſerijs fuit attritum: eoſque

Ambroſ. lib. 1. de Interpellat. Iob. cap. 2.

Para-

Paradisus veneratur, tanquam sacrosanctas Reliquias, qui in hoc sæculo multa passi sunt. Sicut enim nos Sanctorum Reliquias veneramur: Ita Paradisus eos, qui apud homines multis sunt ærumnis conflictati. Fortè huc allusit Ioan. dicēs, *Vidi subtus altare animas interfectorum*. Sub altari enim, antiqua Ecclesię consuetudine, Sanctorum Reliquiæ asseruabatur: illi autem in futuro sæculo instar sunt Reliquiarum, qui multa in hoc passi sunt.

Apoc. 6. 9.

5 Sed præcarium, quo Philosophus moralis hanc docet sublimē philosophiæ dignitatem, non est raptim pertranseundum. Ex Vulpiani statuto, *Præcarium distat à donatione, eo quòd, qui donat, sic dat, ne recipiat: at qui præcario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cùm sibi libuerit præcarium soluere. Et est simile commodato: nam, & qui commodat, rem sic commodat, vt non faciat rem accipientis, sed vt ei vti re commodata permittat.* Hac lege cōsulente Iob in tuto positus, & in die felicitatis, & in infelicitatis nocte quadratus erat, pro certo sciens possessa ab ipso, non dono, sed precatio titulo sic teneri, vt requirente Domino, ne dum reddere, sed cum gratiarum actione restituere teneretur. Ipse de se loquatur, sapientiam enim habet, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.* Dominus dedit, en diem: Dominus abstulit, en noctem. Sicut Domino placuit, ita factum est, en legis meditationem. Sit nomen Domini benedictum, en gratiarum actionem. Sed pensanda sunt maturius verba, & cum nouo Expositore ponderāda, *Dominus dedit: qui dedit commodato, nec abdicauit à se dominium, vt cùm velit, suo iure repetere possit. Dominus enim cùm sit, auferre potest, quod suum est.*

l. Præcariū est. ff. de Precario.

Iob. 1. 21.

Pineda hic.

Si dederis, perlatus ero: repetiueris, aquus.

6 Si cum Hebręo legimus, *Iehoua dedit*: quod principium significat essendi, sic dicere, & gratus & sapiens Iob videtur, Hæc omnia à bonorum omnium fonte manarunt, & ad locum, vnde exierunt reuertuntur. Interim gratias illi agam, quòd dum præterfluerent, me, domumque meam gaudio & lætitia perfunderunt: sed reuertuntur tamen, vt in spem adducor, vt iterum fluant. At illi satis erat id totum lege ac voluntate diuina factum esse, vt hac meditatione munitus, ne dum perturbatione vlla quateretur, sed lætus, hilaris, gratus, & die cùm dedit, & nocte cùm abstulit, benediceret, ac si, vt Nazianzenus illū inducit loquentem, sic diceret, *Gratias ago, vt in latis rebus, ita etiam in acerbis: quādoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationem, expers rationis esse.* Verbum enim Dei, λόγος, græcè dicitur, quod & Rationem & Legem sonat. Et sicut per ipsum Pater omnia facit: ita omnia cum ratione & lege facit. Vnde & beatus vir in die consolationis, & in nocte afflictionis in hac lege meditans, illa, quasi regula nauigandi sic dirigit iter, vt nec secundis euentibus efferatur, nec aduersis timeat ictus.

Greg. Nazianzen. in epist. 63.

7 Nec mysterio vacat quod Sācti in cælo citharas in manu gestāt: demonstrant enim præteritæ vitæ variam harmoniam compositam ex grauibus & acutis, & etiam dum in cælo sempiternis redundāt gaudijs, lætātur tamen pro diebus, quibus humiliauit eos Deus in terra, sed in disciplina reddidit alacres, ita vt etiam in tribulationibus gloriarentur: Cithara enim non minus suauem sonum efficit per chordas, quæ grauem sonum excitant, quā per eas quæ acutum: & nos dulcē efficiamus harmoniam & suauem sonum, tam cùm aduersa, quàm cū prospera accidunt. Sic Philo ponderans præceptum Moysi, à Deo datum, *Vade & dic eis, Reuertimini in tentoria vestra, tu verò hic sta mecum*: Similitudine citharæ adhibita rem expendit. & Mosem, & virum iustum stantem demonstrat, non modo cum res è voto accidunt in die, sed etiam cū aduersa eueniunt in nocte, sic enim, dum verba explicat,

Deut. 5. 30.

plicat, Tu sta mecum, addit & bene, *Mentem fixam & adeo numquā dimotam commendat: est enim profectò mirandum, si quis Lyra in modum animam musica arte coaptarit, non sonis acutis, sed rerum inter se contrariarum sententia.*

Philo Heb.

CIRCVLVS II.

Lex æmulatrix picturæ vel harmoniæ, miscet læta tristibus, tristibus læta.

8 PLutarchus ad animi trāquillitatem seruandam salutare consilium nobis proponit, & remediū vtile atque salubre sic disponit, *Debemus in animo, quasi in tabula picta varijs coloribus, res floridas et splēdidas ob oculos ponere, atque ita intexere & premere, quando expungere omnī ex parte, atque obliterrare non licet acerbas.* Hæc ille. At nos qui de virtute in virtutem tendimus, & virtutē aut in corporis pelle, aut in tela, aut in tabula animæ vel scribere, vel describere, vel figurare tenemur, persecutoris manum, non æstimemus ferro armatam, sed calamo: non ignea face, sed penicillo: & non aculeo, sed acu: pingit enim cam, dum pungit: figurat, dum perforat: describit, dum sculpit: pigmentat, dū cruentat: & picturas addit varias, dum multiplicat punctiones. Hāc pingendi formam, hanc depingēdi normam mirabili artificio demonstrans Cellensis, ad illam amplectendam, sic nos hortatur, *Subiugatur ergo corpus in pœna, verberibus laniatur, crucis supplicio affligatur, quid ad conscientiam? In pelle mortuina potius scribuntur ista ad meritum coronæ, quam infligantur pro delicto culpæ. Et quæ proinde ad conscientiam molestia? Quo inquit conscientia, tortor maligna acrius pungis, eo decentius pingis pellem carnis meæ, quæ est vna de pellibus Salomonis. Punctura tua est mihi pictura. Cedo ego pellem, vt pingas cū pungis, pungendo enim, & pungis, & pingis. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro conscientia sua: Extendis in supplicio pellem, sed tunc magis apparet figura picta.*

Plut. in comment. de trāquillitate.

Petr. Cell. lib. 1. ad Alcher. de cōscientia.

9 Nec illustris amictus, quo terra ornatur, dum vario florum vernat candido & purpureo indumento, æquari potest illi, quo splēdet anima inter plagas pulchra, inter tormenta speciosa, & inter arma trimphans, dum varietate mirabili circumamicta, tā in aduersis, quàm in prosperis, gloriatur, cum Petro Cellensi repetens, *Glorior de amictu vario, quando vermiculatas aspicio plagas, quando candentia lilia, quando rosam de spina, quando studia singularum virtutum singulas depingunt mansiones cælestium cellarum, quid gloria, quid gratia tunc præ gaudio suoerebullit conscientia?* Id autem totum euenit, quia cum manu Tortoris, manus Redemptoris vnitur: & si illa plagas infligit, hæc gemmas addit. Inde Iob a manu diaboli percussus, a Dei manu dicitur flagellatus. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?* Quasi diceret, Si manus Dei hyacinthis plena est, malum quod de manu illius suscipimus, malum esse non potest, sed vertitur in hyacinthos: sicut serpens in Moysi manu conuertebatur in virgam, virgam gēmis ornatam, & virgam, quæ per mare rubrum ducebat populum in promissam terram.

Idem Cell. ibid.

Iob 2. 10.

CIRCVLVS III.

Vita beati viri est harmonia ex acutis & grauibus composita.

10 SEd vbi me fugerant, quæde harmonia composita ex acutis & grauibus idem Plutarchus subtexuit? *Vt musica ex sonis grauibus cōstat & acutis: Ita in rebus quoque humanis, cū sint oppositi inuicem ordines, non debemus in altero animum*

Plutar. de tranquillitate.

mum ob dolorem despondere, verum Harmonicorum more, melioribus super deteriora, ac calamitosa prosperis occupando, concinnam mixturam facere, vita nobisque accommodatam. Eadem lege beatus vir varium legis sonum meditando, Psaltem æmulando, sumere debet Psalmũ & pulsare tympanum, & canere,

Psal. 118. 54

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Sic

Ambros. ser. 7. in ps. 118. ver. 6.

sic, inquit Ambrosius, *Peregrinabantur in hoc mundo Hebræorum tres pueri naturam incendij non sentientes: cantabiles habebant iustificationes Dei, cùm hymnum Dei de creaturarum laudatione cantarent.* Et canticum totum ex acutis & grauibus compositum esse cernimus. Si inuitant cælum, en acutam: si terram, en grauem. Si ignem, en acutam: si aquam, en grauem. Si æstum, en acutam: si frigus, en grauem. Et si diem inuitant, en vocem acutam: si noctem, en grauem. O mirabilem cantum, immo incantatum, quo incantatus ignis, conuersus est in rorem, & incanta flammam, versa est in auram. Vnde proposito eorum exemplo; con-

Ambros. ibidem.

cludit Ambrosius, *Egregium superest propositum viri iusti, quia omni tempore circa Dei laudes debet esse intentus, non solum die, sed etiam nocte:* Id est in die bonorum, & in nocte malorum.

11 Sed si inquiras quis ad hæc idoneus? Iustus quidem, cui Deus cantica hæc dictat, eumque Amor ita musicam docet, vt de eo dica-

Iob. 35. 10.

tur, *Dedit carmina in nocte.* Quid enim sunt carmina in nocte, nisi lætitia in ærumnis, spes in pressuris, latitudo in angustijs, lux in tenebris? Non mea est, sed Gregorij glo-

Greg. Papa lib. 26. mor. c. 12. alias 11

ssa. *Carmen in nocte, est lætitia in tribulatione: quia etsi pressuris temporalibus affligimur, spe tamen de æternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat, dicens, Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Foris quidem nox erat in circumdatione pressuræ, sed intus carmina resonabant de consolatione lætitiæ.* Quæres in quo libro hic modus canendi in nocte vel legitur, vel dictatur? Nõ in alio clarius, quàm in libro legis diuinæ, vbi docemur, Id quod est momentaneum, & leue præsentis tribulationis, æternũ gloriæ põdus operari in cælis. Hoc idem Pontifex docet, *Quia enim ad* Idem ibid.
æterna gaudia peruenire non possumus, nisi per temporalia detrimenta, tota sacra Scriptura intentio est, vt spei manentis lætitia, nos inter hæc transitoria aduersa corroboret. Sponsa in nocte quidem cæpit quærere spõsum, sed in lecto quietis, & consolationis. Vbi eum non inueniens, decreuit. *Surgam, & cir-* Cant. 3. 2.
cuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea. O Spõsa, si Deus promisit, Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius: quomodo illum inuẽturum te speras in placis? Vtique, nam inueniens fures, qui pallium tollant: vigiles, qui me vulnerent, per arma per cædes perueniam ad Sponsum, vbi enim vulnerauerũt me, & tulerunt pallium meum, paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Sic Ambrosius, *Multi qui in otio* Ambrosius lib. de Isaac
quærunt Christum, & non inueniũt: cap. 5.
quæsierunt eum in persecutionibus, & citò inuenerunt.

CIRCVLVS IV.

Librorum legis meditatio solatur afflictos.

12 IVlianus de suo Præceptore testatur, quòd illum instruẽs, sic ei præcipiebat, *Ne sinas te a tuo-* Iulianus in Misopog.
rum æqualium multitudine in theatra induci, neque vlla eius spectaculi cupiditate tenearis. Circenses desideras? apud Homerum eos elegantissimè descriptos reperies, cape librum, & lege. Histriones audis saltatores? sine eos valere, Portius saltant iuuenes apud Phæaces. Habes illic citharedum Phœnium, & cantorem Demodocum. Sed multo salubrius nos ita instruit Cyprianus, *Sacris* Cyprian. in lib. de Spectaculis.
scripturis incubat Christianus fidelis, ibi inuenit condigna fidei spectacula. Quodnam spectaculum cum

Tobiæ constantia, & cum Iob fortitudine ac tolerantia poterit cōparari? Et quid de singularibus dicam, si quilibet iustus potest gloriari, *Prodigium*, vel ex Hebræo, *Spectaculum factus sum multis*: & si Paulus de eis dicit, *Spectaculum facti sumus mundo Angelis & hominibus?* Vbi Anselmus, *Nā sicut omnes certatim accurrunt, vbi ludi celebrātur, vel pugiles certant, aut aliquod monstrum producitur: Sic omnes boni vel mali conueniunt ad aspiciendas pœnas nostras.* Vis arma aspicere, quibus armati simul & ornati in hanc arenam descendunt viri iusti? *Arma sunt dextra & sinistra, quibus hostem nostrum superamus, si nec prosperis corrumpimur, nec aduersis angimur.* O dulce canticum acutarum vocum & grauium, diei ac noctis! O cælestia carmina data in nocte!

Psal. 70. 7. — Hebræus. — 1. Cor. 4. 9. — Ansel. hic. — Idem ibid.

13 Sed quæres, vnde est datus hic liber? & vnde hæ variæ notæ ad canendū? Dicā, de cælo aduenit, & primùm Ezechieli datus est, vt nobis postea omnibus sic daretur, vt omnes de eo dicere possemus, *Ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & scripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Quis vidit vmquam librum musicum tam harmonicè cum acutis & grauibus descriptum, qui cum hoc possit conferri, in quo carmina & lamentationes, consolationes & væ exarantur? Repetam cū Gregorio, *Quid libro hoc nisi diuina eloquia figurantur, quæ quia nobis lacrymas luctusque præcipiunt, lamentationes in eo scripta referuntur? Carmen quoque & væ continēt: quia sic de spe gaudium prædicant, vt præsentis pressuras atque angustias indicent. Carmen & væ continent, quia etsi illic dulcia appetimus, prius necesse est, vt hic amara toleremus.* O mirū! quod labor durus, pius parēs quietis a Deo & à natura prodierit, vnde Philo, *Labor durus, & difficilis, vnde felicitas prouenit, quapropter perdurandum est. Nam qui fugit laborem, fugit felicitatem.*

Ezech. 2. 9. — Greg. Papa lib. 16. moral. c. 12. aliàs 11. — Philo Heb. lib. 3. de vita Mosis.

14 Mira vnio carminis & væ, mortis & salutis, antidoti & veneni. Sicut dum mordet vipera carnem hominis, si ab hominis sapientis carmine & victa capitur, & ex eius carne, medica arte, therica componitur, cor corpusque tali antidoto efficaci sanatur: Ita dum tartareus serpens væ infert corpori, venenum effundit martyrij, & tribulationibus atque pressuris illud mordet: si carmine excipis ictus, si illū è latebris trahis, si antidotum inde efficis, per illud & spiritus sanatur, & eleuatur mens, & anima vitam acquirit, & Martyr ad gloriam euehitur. Doceat nos Ambrosius modū componendi hanc theriacam, *Nihil serpens nocet ei, de latebris eruat eum, de veneno eius faciat spirituale antidotum, & quod veneni est, medicamentum fiat: venenum ad interitum carnis, medicamentum sit ad salutem Spiritus.*

Ambros. li. de pœnit. cap. 13.

CIRCVLVS V.

Quę nox tribulationis aufert, dies consolationis, & premij reddit.

15 EXtollens Psaltes mira arte miram diuinæ prouidentię in diei ordinatione statutam legē, ita canebat, *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniā omnia seruiunt tibi:* Sed Ambrosius legens, *Dispositione tua permanet dies:* dubium proponit, & petit, *Quomodo permanet dies, eum post breue momentum dies sequatur occasus, & fiat noctis successio?* Et inde ad mysticum sensū recurrēs, de Christo Duce, & de Iustorū luce hoc totū interp̄tatur, & asserit, *Sunt quibus semper dies est, illis vtique, quibus Christus adest, qui dicit, Ambulate dum lucem habetis. Sunt ergo Sancti, quibus sol numquam occidit, quia Dominus lux eorum est. Videtur itaque significare futurum illud, quando nox non erit amplius, & Ciuitas nō indigebit lucerna, vel Solis lumine, quia Dominus illuminabit eos.* In Patria ergo

Psal. 118. 91 — Ambros. in Psal. 118. ver. 3.

lumine superplena continuus lucidusque perseuerat dies: in exilio autem non perseuerat, sed luci succedunt tenebræ,& nox diei. Vita enim Iustorum, & aureo stamine,& nigro filo variegata contexitur. Ita Chrysostomus notat de Ioseph loquens, *Enimuerò misericors Deus mastis rebus etiam quadam iucunda permiscuit: quod certè in sanctis omnibus fecit, quos neque tribulationes, neque iucunditates fecit habere continuas: sed tum de aduersis, tum ex prosperis Iustorum vitam, quasi admirabili varietate contexuit.*

Chrysost. hom 9. in c. 2. Matt.

16 Nos autem literalem sensũ sequentes, tum duce Theodoreto, qui ita legit, *A nocte diem distinxisti, & secundum tuam legem progreditur*: tum ductore Agellio, qui ex Hebræo & transfert, *Ordinationi tuæ adsistunt hodie, quoniam omnia seruiunt tibi*: & explicat ita, *Dixerat cælis ac cælestibus creaturis, hæc omnia, inquit, ordinationi tuæ tamquam apparitores adstant, vt quod iusseris expleant & exequantur: nec mirum cùm omnia tibi seruiant: nam & Sol, & Luna, & Stella, & si qua sunt alia, vel cælestia corporibus vicina, Dei iussis obtemperant.* Hine fit, quòd sicut inter noctem & diem talis datur commutatio, vt quòd æstate dies aufert nocti, id hieme nocti reddatur a die: Ita viro beato statutum est euenire, vt noctes tribulationum, quas Iob dicebat sibi enumerasse laboriosas: in dies consolationis & lætas ac longissimas conuertantur: & lætos, quos nox abstulit atra colores, vultu nitentis sideris, ne dũ reddantur, sed & cum magno fœnore multiplicentur. Non est mea excogitatio, sed Theophili Alexãdrini, qui variam Iustorum telam hac arte contexit. *Per continentiam breui & paruo labore, magna sibi & æterna conciliant premia. Et multò plus accipiunt, quàm offerunt: & futuri temporis gloria præsentes angustias mitigant, quia in hoc stadio pro virtute pugnantibus, finis erit aliquando certaminis. Qui autem pugnam ineunt contra vitiã, & sapientiæ disciplinis suas animas dedicarunt, quantumcumque patitur humana conditio, scientiam appetunt futurorum: per speculum & imaginem, sensu & fide cælorum regna cernentes, consequentur æterna premia, & nullo temporum fine claudenda.* Deinde subdens simile de diei & noctis commutatione, commutationem eamdem demonstrat in varia tela & vita Iustorum. *Dies ac nox, certis horarum sibi succedunt spatijs, paulatimque decrescẽtes, quod amittunt, recipiunt: & quod recipiunt, tribuunt. Atque ex hac vicissitudine spatiorum, vel menstruus Lunæ orbis efficitur, vel Solis sua per vestigia reuertentis, annus impletur, dum crescunt atque decrescunt, & lapsu præteritorum, futura succedunt, eadem semper atque alia tempora commutãtur.* Sapiẽter ergo beat⁹ vir in lege Domini meditatur die ac nocte, in nocte tribulationis expectãs diem consolationis: & in die consolationis noctẽ tribulationis, nam hac lege permanet, vel perseuarat vitæ præsentis dies, fitque ex vespere & mane dies vnus. Nam dies septima æternæ beatitudinis, vespera, vt notat Rupertus, non cognoscit, sic enim dies mortalium ab immortali distinguit, *Hic à ceteris diebus differt, quòd vespere & mane non habet, quia factus nõ est, sed erat, & est ante omnes.*

Theodoret. hic.

Agellius ex Hebræo.

heoph. Alex. Episc. ast. 3.

Idem ibid.

Ruper. Ab. lib. 2. de trinit. & oper. eius in Gen. cap. 13.

CIRCVLVS VI.

Sicut Angeronia & Volupia in eodem templo, ita in eodem tempore nox & dies.

17 **M**Irum inuẽtum, & celebre artificium Romanorũ, qui vt Masurius refert, *Simulacrũ Angeroniæ deæ, ore obligato atque signato, in Ara Volupiæ propterea collocarunt, quòd qui suos dolores anxietatesque dissimulant, perueniant, patientia beneficio, ad maximã voluptatẽ.* Sed nobiliori modo Ecclesiastic⁹ in eadẽ cõmuni Ara bonorũ

Masurius relatus a Ludouico Vines in comment super lib. 5. Ciuit. Dei c. 8.

statuam posuit & malorum: sic di-ceus, *In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum.* Vtrumque templum, & tempus vtrumque Gregorius hac arte complectitur, *Si cum bona habemus*, en Volupiæ tēplum: *Malorum reminiscimur*, en Angeroniæ statuam. *Accepta bona mentem non eleuant*, en temperatur Volupiæ felicitas: *Quia eorum gaudium timor malorum premit*, en Angeroniam obseratis labijs tacitam & expectantem. Sic Hesperus Luciferū expectat, & Lucifer Hesperum, nam qui modo noctis tenebras mæstas inuehit, postea lucē, vt Boetius canit, lætus ducit,

Eccli. 11. 27.

Greg. Papa homil. 19. in Ezechielē.

Boetius.

Et qui prima tempore noctis
Egit agentes Hesperus horas:
Solitas iterum mutat habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Vnde Chrysologus & theoricè & practicè hoc totum docet, & in eadem Epulonis domo, Volupiam depingit in diuite, Angeroniam fingit in paupere, docens nec prosperis, nec aduersis homines debere vel erigi, vel deijci. *Ergo neque prospera ignauos erigant, neque fortes aduersa prosternant: quia neque diuitiæ, neque paupertates, sed animus aut ducit gratos ad premium, aut ad pœnam deducit ingratos. Ianuæ diuitis pauper apponitur, vt diuitis & pauperis conflictus esset in terra, spectaculum maneret in cælo.* En describit & ipse arma diuersa, disparem comitatum: hinc vnius tela, inde scutum alterius: hinc illius epulas, inde huius famem. Sed mors quæ inæquales æquat, in hoc theatro à se ipsa diuersa, Parem attulit mortem, terminū disparem, quia Diuiti exitum ferale præparauit, trudidit Diti, & sepeliuit in inferno deorsum: Pauperi vitalem exitum disposuit, Angelis tradidit, & in Abrahæ sinum asportauit, vt idem Chrysologus eloquenter cōcludens, Diuitem sic eludit, sic extullit Pauperem. *Immutatio quanta rerum! quo descendit Diues? quo Pauper ascendit? Respicit ibi sursum, quem despexerat hic deorsū: & videt eum de inferno in sinu Abrahæ, quē iacentem sē coram, superbo de sigmate non videbat.* Sic immutantur sortes, sic vices mutantur: sic diuites depauperantur, sic ditantur & pauperes. Immutatio quanta rerum!

Petr Chrysol. ser. 124. de Diuite, & Laz.

Idem ibid.

CIRCVLVS VII.

Vir beatus ex vespere mæstitiæ, & ex mane lętitię variam orditur diei telam.

18 Hinc beatus vir in lege Domini, & in eius placitum aciem mentis intendens, non tantū diem & mane consolationis, sed & vesperam & noctem meditatur tribulationis. Et sicut Bos inde aream videns, hinc aram, possessori suo gratus, & morem gerens, dicebat, *Ad vtrumque paratus:* ita & Iustus ad vtrumque paratus, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: Quasi dicat, per ea quæ Bernardus docet, *Paratum ad aduersa, paratum ad prospera: paratum ad humilia, paratum ad sublimia: paratum ad vniuersa, quæ præceperis. Vis pastorem ouium facere? vis constituere Regem populorum? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Symmachus legit, *Stabile cor meū:* Hebræa vox, נכון Nauchon idem valet ac *Firmum & confirmatum*. Est enim in motu immobilis, & quocumque vertatur, libenter vertitur, paratus ad noctis pressuras, paratus & ad diei lætitias, ita vt fiat in eo, *Ex vespere & mane dies vnus.* Hamerus, ex mente Gregorij Magni, Numisma exculpsit, hinc Hesperum cudens, & Luciferum inde, vbi poterat addere, *Dies vnus: Vt vesperam, & mane referat ad infelicia, atque prospera mortalis huius vita: hæc enim duo inuicem connexa, & sibi perpetuo coherentia sunt, vt læta tristibus, infelicibus prospera succedere soleant, & felicium atque infelicium mixtura semper quadam sit.*

Emblema. Psal. 56. 8.

Bern. ser. 2. de Quadragesima.

Hebræus.

Gen. 1. 5.

Hamerus in c. 1. Genesis

CAELI DAVIDICI
VERSIO XXXIII.
Ex Aquila, In lege eius resonabit die.

CIRCVLVS I.

Cur Aquila tantum diem recensuit, non tamen noctem.

1 AMbrosius de hac Aquilæ diminuta translatione verba faciens, illũque excusans, sic fatur, *Aquila diem tantummodo posuit, nõ etiam noctem: quòd non tam a ceteris discrepans, quàm alio referens posuit: quoniam qui legem meditatur, semper in luce est, noctem non habet.* Et iure, si enim hoc colore, & lumine describitur, dies, *Est presentia solis super terram:* quomodo poterit nox babere locum, vbi lex est, quæ & Lux est & Sol, immo, ex Salomonis sententia, *Est ipsa pretiosior Sole, & luci comparata inuenitur prior?* Lex ergo Sole est pretiosior, & luce prior, quia illis succedit nox, at legis lux vmbras deijcit, tenebras fugat, noctem eliminat. Vnde Sinaita notat, mystice tenebras precessisse lucem, & vespere diem, *Quia ante lucem erant tenebræ impietatis, & tenebræ omnium aliorum peccatorum, quoniam prius eramus in errore, deinde transiuimus ad lucem: nempe ad Euãgelij legem.*

Ambros. in enarr. super psal. 1.

Glosa in I. more ff. de ferijs.

Sapien. 7. 29

Anastas. Sinaita lib. 1. Anagogicarũ contẽpl. in Hexęmeron.

2 Aquila Volans, quæ oculos in æterni Solis rotam figere quiuit, & quiuit manu hominis inaccessibilem describere lucem, solicitis auditoribus non paruam generat quæstionem, nunc dicendo, de superna Ciuitate, *Lucerna eius est Agnus:* nunc subnectendo de ciuibus beatis, *Non egebunt lumine lucernæ.* Quomodo enim si non egent lumine lucernæ, lucerna vtuntur, talis enim est Agnus? Respondet Ambrosius, *Per Solem, nouum testamentum: per Lunam, vetus designatur: eamdemque significationẽ habet Lucerna, quam Luna.* Lucerna ergo & Luna veteris legis non egẽt beati, dũ Agnũ vidẽt, qui Lucerna, Luna & Sol est. Si ergo lex noui testamenti, Sol est: iure merito viri beati in lege eius resonànt die, vbi Sol semper lucet, & nox & tenebrę nusquam apparent, sed a solaribus radijs eliminantur. Immo, si idem Iustus dies est, nox locum non habet vbi illius clarum nomen elucet. Hinc Ambrosius interpretans verba Domini, *Multæ viduæ fuerunt in diebus Eliæ:* Sic philosophatur, *Non quia Eliæ dies fuerunt, sed in quibus Elias operatus est: aut quia Elias dies faciebat illis, qui in eius operibus lucem videbant gratiæ spiritalis, & conuertebantur ad Dominum. Et ideo aperiebatur cælum videntibus æterna & diuina mysteria.* Si ergo Iustis cęlum aperitur, & cælicum lumen pãditur, quidni in die semper sint, in die resonent, & in die versetur?

Apocal. 21. 23.

Apoc. 22. 5.

Ambros. in c. 21. & 22. Apocal.

Luc. 4. 25.

Ambros. li. 4. in c. 4. Lucę.

3 Plato percunctatus a varijs, Quid sit Iustus, Varias recenset de Iusto opiniones. *Quidam enim, ait, Iustum, solem esse. Solum quippe Solem discurrendo, calefaciendoque, omnia gubernare.* Subdit autem & hoc ridiculum videri, quærique ab alio, *Numquid existimem post solis occasum, nihil hominibus superesse?* At Salomon talem Solem Iustum esse definit, vt nũquam abeat in occasum, *Est enim speciosior Sole, illi enim succedit nox, Sapientiã autem non vincit malitia.* Sequitur autem Filius sapiens, sancti Genitoris doctrinam, Dauid enim vt

Plato in Cratylo.

Sap. 7. 29.

Psal.118.97. Iustus,ita canebat, *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est*. Sed, o Propheta veritatis, quomodo talia componis, quæ vix videntur esse vtraque vera? Si tu prædicis, *Meditatus sum nocte cũ corde meo*: cur asseris te tantum die, non autem nocte meditati? Iure id astruit, nam Iustus meditans legem, lucis solaris sic auream accendit flammam, vt semper tamquam Sol, producat diem. Non est meum, sed Ambrosij inuentũ, is enim præfata expẽdens verba, sic fatur, *Vide ne illud magis videatur significare, quòd ei qui in lege meditatur, semper dies est & lumen sine defectu, quòd nulla tenebræ noctis interpolent, alioquin quomodo negligentiorem in processu operis declararet, quam diligentiorem in ipsis operis sui Propheta principijs esse voluisset? In die ergo meditatur legis & Euangelij Prædicator.*

Psal. 76.7.

Ambr. ser. 13. in ps.118 ver. 2.

CIRCVLVS II.
Christus Sol, & Sanctorũ solares radij noctem eliminant.

4 Lis adhuc est sub iudice, nec per ea quæ hactenus diximus, dubium soluimus, quomodo qui prædixerat cælestem Ciuitatẽ Lucerna nõ egere: subtexuit paulo post, Lucernam ibi ardere, dicẽs, *Lucerna eius est Agnus*. Sed vere vtrumque dicitur, si de diuersis Lucernis intelligitur, nam Lucernis communibus non datur ibi locus, vbi claritas Dei fulget, & lumen maius occupat minus: at Agnus, qui Vas admirabile est & opus Excelsi, in corpore humano lucẽ continens diuinam, tamquam lucerna ibi sic lucet, vt etiam corporeis sensibus beatorum conferat beatitatem. Non mea est responsio, sed Hugonis, ita statuentis, *Lucerna eius est Agnus, id est, Christi humanitas continens diuinitatem erit lumẽ omnium, etiam quoad corporum illuminationem*. Cùm ergo idem Agnus in Ecclesia militante latens in sacramẽto, beati viri oculis illucescat, quid mirum, quòd in lege eius in lege .s. eximij amoris, ipse mediteur die, cum nox ibi nõ sit, vbi septiformis Spiritus relucet gratia, quam Princeps ille sacerdotum fulgore supernæ diuinitatis illuminat?

Apoc.21.23

Hugo Car. in cap. 21. Apocal.

5 Immo, si ipsimet Iusti, Solis speciem habent, dum lex in corde eorum scripta, resonat ore, quem locum reperient alæ noctis, vbi solares põnæ afferunt diem? Si Anastasius in ea est opinione, *Quòd lex in monte Synai iam data moysi, apparuerit in sapphiro*: & si Aretas opinatur, *Sapphirum cælesti corpori assimilari*: & si lex luci comparatur ac Soli: quis non videt corda Iustorũ, in quibus lex scripta est digito Spiritus, & sapphirina dici, & cælestia esse, & legem instar Solis ibi lucere? Sic Hugo philosophatur, interpretans verba Apocalypsis, *Et fundamentum secundum sapphirus*: ait enim, *Hæc est species Sanctorum, qui per caltam conuersationem Cælo sereno sunt similes, sicut sapphirus: & veri Solis radijs perui sunt, qui Sol tripliciter eos exurit, dum ad tria facit idoneos, scilicet, ad fidem, ad operationem, & ad prædicationem*. O Sancti, o Soles, iustitiæ Solem aperte repræsentantes!

Anast. Nic. Episc. q. 38. in script.

Aretas cap. 67. in c. 21. Apocal.

Apoc. 21.19

Hugo Car. hic.

6 Platonani commento iam asserebat, *Solem, & Lunam magnos deos esse*: nos autem si dixerimus, Iustos ac Sanctos & dies esse, & gratiæ dono deos, rectè id statuemus, nec sine Dauidica fideiussione, sic enim canit, *Dies formabuntur, & nemo in eis*: & sic eius cantum adiuuat Cassiodorus, *Dij firmabuntur, & nemo in eis infirmabitur: id est, de vero illo Sole perfecta luminis claritate complendi sunt, vt fiat illud, quod dictum est, sicut Stella differt a Stella, ita & resurrectio mortuorum*. Hi ergo gratiæ dono, siue formati, siue firmati dij, tamquam Sol fulgent in terra, & ab ea tenebras omnes ita eliminant, vt tacita & obscura nox, vbi ipsorum lex resonat, splendetque lux, nullũ reperiat locum, nam quilibet Iustus, In lege Dei resonabit die.

Plato in Dial. 7. de legibus.

Psal. 138.16.

Cassiodor. in ps.138.

CIR-

CIRCVLVS III.

Opera Iustorum in luce legis facta, noctem excludunt.

Ad Phil. 2. 15.

7 HIs diuina adiuuante clementia iam dijs, dicebat Paulus, *Vt sitis simplices filij Dei in medio nationis prauæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Et verè, Iusti, vt notat Theodoretus, *Simplices appellari possunt, & simplices sunt, id est, integri, intacti, incolumes, illæsi, nihil mali adhuc passi, sinceri, puri, & non adulterati.* Hi ergo sunt simplices, id est, veri filij Dei, & nō adulteri, nam ex D. Thoma, *Filius est similis patri, Deus autem simplex est, vnde simplices sumus sicut filij Dei, quod est quando intentio est ad vnum.* Hæc autem intentio tunc est ad vnum, quando impletur diuini Doctoris pręceptum, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est:* tũc.n implebitur quod Apostolus subdit, *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.*

Theodoret. hic.

D. Thom. hic.

Matt. 5. 16.

Emblema.

8 Finxit nescio quis nobile theatrum, & in eo scripsit, *Iustus sibi.* At si ego non erro, errauit ipse, nam Iustus, ne dum sibi theatrum est, & gaudet in se ipso, quia omnis gloria eius ab intus: sed etiam alijs præbet illustre spectaculum, & dũ In fimbrijs aureis circumamictus est varietatibus, & induitur vestibus occellatis, omnium animos, & oculos ad se attrahit. Vidit & Seneca hoc lumen, etiã humano tãtũ preditus lumine, & de Sapiẽte asseruit, *Fecit multis intellectum sui, & non aliter, quàm in tenebris lumen effulsit, aduertitque in se omnium animos, cùm esset placidus & lenis, & humanis diuinisque rebus pariter æquus.* Sed multò altius theatrum hoc describit Doctor Gentium, dicens, *Spectaculum facti sumus mũdo & angelis, & hominibus,* Vel ex Græco, θέατρον, & ex Hieronymo, *Theatrum facti sumus.* Quasi diceret, si Titelmano non negatur fides, *Angelis boni spectaculũ facti sumus digne admirationis ac venerationis, malis autẽ cõfusionis & terroris, hominibus vero bonis spectaculũ sumus & exemplũ fortitudinis, fidei, innocentiæ, patientiæ, mansuetudinis, constantiæ, & sanctæ conuersationis.* Huius theatri certamina depingebat Ambrosius cōponens verba Psalmographi modo canentis, *Si sumpsero pennas meas diluculo:* Et modo repetentis, *Perijt fuga a me.* Petit enim, *Quomodo dicit fugam a se perijsse, qui supra dixerat. Si sumpsero pẽnas meas ante lucem? Numquid contrarium est? Absit: multa enim iustorum certamina. Numquid semel athleta luctatur? Quoties post Coronas multas, vincitur in alio certamine? Quoties qui sæpe vicerat, interdum fluctuat, & in incerto hæret? Et sæpe fit, vt fortioribus fortis congrediatur, maioraque oriantur certamina, vbi maiora virium documenta.*

Seneca in epist. 120.

1. Corin. 4. 9

Græcus: Hieron. in epitaph. Paul. Titelm. hic.

psal. 138. 9.

psal. 141. 5. Ambr. lib. de fuga Sæculi. c. 5.

CIRCVLVS IV.

Theatrum, in quo splendent Iusti, non est terrestre, sed cæleste.

9 SEd luminaria ista, quamuis in terra splendere videantur, & cum hominibus commorentur: in cælo tamen fixa, in medio nationis prauæ sic lucent, sicut luminaria in mundo, & Stellæ in firmamento. O Stellæ felices, quas numerat Deus, quas nouit ex nomine, quas nomine vocat quas gaudio replet, & quas tali lumine exornat, vt noctem hanc radijs suis illustrent. Ita philosophatur Augustinus expendens verba, *Qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Sic enim fatur, *Sunt enim Stellæ quadam lumina in Ecclesia consolãtia noctes nostras, omnes de quibus*

psal. 146. 4.

Aug in enar. sup. pl. 146.

dicit Apostolus, In quibus apparetis tamquam luminaria in mundo. Ipsas Stellas numerat Deus omnes secū regnaturos, omnes secum aggregandos corpori Vnigeniti sui, qui indignus est non numeratur. Animaduertat quisq. vtrū luceat in tenebris, & tāquā Stella erit, quā iā numerat Deus. Dignoscitur autem eadem differentia inter Iustos & Iustos in terra degentes, quæ agnoscitur inter Stellas & Stellas in Cælo splendentes. Sublimiores enim Iusti, instar Solis lucentes, nedum lumina terræ, sed etiam Stellarum radios obumbrant: nam ex Ambrosio, *Tam clari apparent vita, cōuersatione, moribus, quemadmodum Sol & Luna inter Stellas splendore sublimes sunt, sicut enim Stellæ, apparente Sole, obscurantur: Ita iniusti & infideles, fidelibus apparentibus & iustis, turpes & deformati videntur.*

Ambros. in c. 2. epist. ad Philipp.

10 Sicut ergo & hominum sedula cura fanales in turribus altis nocturnas inter tenebras accēdere solet, vt inde splendorem non exiguum emittentes, ac lumen vndique diffundentes, errantibus nautis in cæco pelagi horrore remigātibus certātibus vndique cum sæua tempestate, cum spumantibus hinc inde fluctibus, & cum morte instante contendentibus, subueniant, atque aureo vel filo, vel radio, ex vndarum & fluctuum labyrintho deducant, & in portum voluntatis eorum adducant: Et sicut prouidentia Creatoris splendidam Stellam accēdit in Polo, cuius lucem in ducem posuit nauigantiū, vt in illam oculos erigentes, & in eius claritate figentes obtutum, ad tutum dirigant locum errantē nauem: Ita & Iustos ac Sanctos in terra quidem conuersantes, sed in Cælo viuentes, disposuit Pater luminum, vt errantes homines per deuia vitiorum, ad viam virtutis reuocet, & ad æternæ salutis portū lætantes ducat. Non meum est inuentum, sed Nili Abbatis, qui de Sanctis loquens in terra degentibus, talibus eos coloribus describebat, *Lucernæ profectò erant in tenebris fulgentes, & Stellæ minimè errantes, quæ vita splendore noctem illustrabant, ac veluti portus quidā tuti, qui perfugium facile omnibus a cupiditatum tempestatibus ostendebant. Et quidem in eadem essent naui, & nauigantes & Nautæ, si nocte intempesta, dum ab atra tempestate, & a cæco turbine quaterentur, nec Stella radios expanderet, nec phanale pro eis luceret: ac mortales, qui eum corporum quassatis nauibus, mundi tenebrarum harum nauigant tempestuosum mare, si vel Stella doctrinæ Sanctorum, vel lumen exempli Iustorum extingueretur, nec ab eo in viam pacis, & in portum salutis dirigerentur.*

Nilus Abb. in ascetico.

11 Id ipsum & Nyssenus, iisdē vel pallidis luminibus, vel atris depingebat coloribus, *Si probati vitam in exemplis sumpserimus, ostēdemus quomodo possibile sit hos vitæ fluctus absque naufragio superare, animamque nostram perturbationū vndis minimè submersā, in tutissimū virtutis portum educere. Idcirco enim credendum est præstatissimorū virorum vitas exquisitissimè perscriptas, vt vita nostra imitatione ad virtutem ac bonum rectius reducatur.* Sed si quęras in quibus Cęlis Iusti, vel lumen hoc ostendunt, vel illud recipiunt: dicam, in Cælis diuinarum legum, de quibus cecinit Psaltes, *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Vbi Anglicus, *Quid per Cælos intelligitur, nisi Apostoli & prædicatores, qui & in figura circulari magnam demonstrat officij perfectionem?* Id autem probat ex Gregorio Papa dicente, *Quod sicut sphæra ex omni parte voluitur: Ita prædicatio, quæ nec aduersitate retineri potest, nec prosperitatibus eleuatur, sphæra est, quia & inter aduersa fortis, & inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis incursū.* Hi ergo cæli, nedum verbo, sed etiam exemplo enarrant gloriam Dei.

Nyssenus in vita Mosis.

Psal. 32. 6. Anglic. in Ps. 32. ver. 3.

Greg. Papa hom. 6. in Ezechielem.

12 Cuilibet autem sacro Concionatori, nedum Apostolo illud conuenit, quòd in gloriam Eliæ in Ecclesiastico legitur, *Elias, quasi ignis, & verbum ipsius, quasi facula*

Eccli. 48. 1.

ar

Græcus.

ardebat: vel ex Greco, *λαμπὰς ἐκαίετο* id est, *Quasi facula fanalis, vel lumen fanale ardebat & vrebat:* Vel ex Cõpultẽsi, *Verbum ipsius, quasi fax vrebat?* Talis o Apostolice Vir, o Seraphice pater Francisce, Apostolorum imitator, Apostolorum Magistri viua imago, in hoc mari illuxisti, quasi fanale lumen, ardens & vrens, & quasi insolens miraculum, prodigium nouum, flãmis ignitus caritatis, igne succẽssus amoris, doctrinæ emittẽs radios, & exemplorum talia expandens lumina, vt immortalium lumina ad te cum admiratione conuerteres. Sic Bonauentura de eo testatur, *Omnis ætas, omnisque sexus properabat virum nouum modò calitus datũ, & cernere & audire. Erat enim verbum eius, velut ignis ardẽs, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat.* Sed vbi Christi Prodromum, & Antecursorem prætereo, de quo Veritas incarnata testatur, *Ille erat Lucerna ardens & lucens?* Mira vnio, ait Bernardus, luminis & ardoris, *Est enim, tantum lucere vanũ, tantum ardere parum: ardere & lucere, perfectum. Audi quid dicat scriptura, Sapiens permanet vt Sol. Ceterùm singulariter Apostolis & apostolicis viris dicitur, Luceat lux vestra coram hominibus: nimirum tamquam accensis, & vehementer accensis.* Dum ergo sic lucet Iustus, sicut meridianus Sol, quem locũ in cõspectu eius vel nox inueniet, vel eius commemoratio habere potest, cum nulla sit conuentio vel lucis ad tenebras, vel clari diei ad noctis obscuritatem?

Compluteñsis.

Bonau. in vita S. Frãc. c. 12.

Ioan. 5. 35

Bernard. ser. nat. Io. Bapt.

CAELI DAVIDICI
VERSIO XXXIIII.

Ex Hebræo, In lege eius commentatur die ac nocte.

CIRCVLVS I.

Sripturæ Commentatores Aureola decorantur.

1 SIcut verbum, Commentari, quo Hebręus hic describit beatum virum, fęcunda radix est, quæ plures flores producit, plures parit & sensus: Ita & plures aperit vias, plures generat flores, vt nos plura ex varijs pratis colligentes lilia, pluresque adunantes & rosas, variam illi Aureolam, & variam beatitatis intexamus Coronam. Commentari ergo, aliquãdo significat scribendo aliquid cõponere, vnde Cælius dicebat, *Nonnulli qui commentaria in Virgilium composuerunt.* Aliquando denotat Cogitare vel tractare, vt Cicero, *Necum in his locis commentor.* Aliquando, *Comminisci:* Et aliquãdo, *Contemplari*, vt idem Tullius, *Tota philosophorum vita commentatio mortis est.* Omnibus ergo his modis beatus vir in lege Domini die ac nocte commentari debet, vt impleatur in eius laudibꝰ, quod cũ Hebræo proposuimus, In lege eius commentatur die ac nocte.

Cælius.

Cicero.

2 Beatus ergo & dici potest, & vere est vir, qui a Spiritu diuino & ductus, & doctus sic dirigitur per viam fugacis vitæ, & temporis euolantis, vt sacræ Scripturæ interpretationi operam nauet, & illius cõmentationi se totum dedat. Et verè, si amore sapiẽtiæ tam arduũ & altum opus aggreditur, poterit

a Sapientia Coronam, nō quidem florum, sed Stellarum tutus expetere, & peremne premium expectare. Hanc illis Aureolam & proposuit,& promisit Vir ille desideriorum, *Qui autem docti fuerint,*

Daniel. 12.3

*fulgebunt quasi splendor firmamenti,& qui ad iustitiam erudiunt multos,quasi Stellæ in perpetuas æternitates.*Quasi dicat,ex Hugonis Cardinalis interpretatione, *Omnes boni ibunt in vitam, sed doctores, &*

Hugo Car. hic.

prædicatores iusti, aliquid amplius habebunt,quia habebunt duplex premium, auream scilicet,& aureolam. Et iure Sancti Doctores & splendori Cæli comparantur, & æquantur Stellis:illud enim eis datur ob premium essentiale, hoc exhibetur ob meritum accidentale, Aureolam scilicet, & Coronam. Vbi notat idem Hugo, quòd duo dicit de eis,& ex duobus elementis cōponit Doctorem, bonitas est primum, doctrina secundum: bonitas,substantiæ locum habet:doctri-

Idem ibid.

na,accidentis vicem gerit. *Vt sint docti in se, en primum: & erudiant alios,ex secundum.* Docti autem in se tunc fiunt,cū faciunt:docti vero in alijs tunc cùm docent: doctrina enim opera supponit.Hinc subtiliter notat Theophylactus ordinem

Matt.5.19.

verborum Domini, *Qui fecerit, & docuerit,hic magnus vocabitur in regno cælorum:*dicens, *Primùm ponit,*

Theophy in enar. cap.5. Matt.

fecerit: postea, docuerit: quomodo enim alium inducam in viam,quā numquam transiui? Circūlocutio il la Euangelistæ de sermone Domi-

Matt.5.2.

ni in monte, *Aperiens os suū, docebat eos:*a peritis rhetoricis Pleonasmas diceretur,id est, adiectio verbi superuacua, quomodo enim eos deceret,nisi os aperiret?Dubium proponit Theophylactus,ita dicēs,

Theophyl. ibid.

Quare additum est,aperto ore suo? Videtur,quod superfluat. Sed non superfluit quidem, immo mysteriū, vel magisterium plenum ostendit, vt qui docuerat vita & exemplo, docuerat& miraculis, modo verbis doceat. Ita respondet idem

Idem ibid.

Bulgariæ Antistes, *Docuit enim etiam non aperiendo os suum. Quomodo? per vitam,per miracula, nunc autem aperiendo os, doceat.* Additū est autem, apperiens nedum os, sed os suum, quia tunc ore proprio erudiebat,qui antea per ora Prophetarum, & modo per ora erudit concionatorū, nūc testante Chrysostomo, *Prophetarum ora,* Chrysost. homil. 2. de verbis Isaiæ & hom. 19. in acta Apostolorum.

Dei sunt os: & nunc attestante, *Os per quod Deus loquitur, os Dei est.* Tunc autem os Dei sunt, cùm separant pretiosum a vili, cum peccatores ad pęnitentiam conuertūt, & cum Dei inimicos reddunt Dei amicos,de his enim dicitur, *Beati pacifici, quoniā filij Dei vocabuntur.* Matt.5.9.

Quæres quinam sint pacifici? Vtique illi, qui sermonibus recōciliant inimicorum animos, durāque virorum deflectere mentem pacificis verbis curant. His autem filiationis Dei dignitas & corona datur, nam Vnigenitum Dei imitantur, qui nos Deo conciliauit. Non mea est interpretatio,sed Theophylacti, asserentis, *Pacifici sunt,qui per doctrinam inimicos Dei conuertunt. Filij autem Dei fiunt tales,etenim Vnigenitus constituit nos Deo.* Ex his autem duobus ele- Theophylactus ibidem:

mentis componitur quasi miraculum, Concionator,vnde Chrysostomus, *Si quidem sacerdos est, doceat, & doctrinam suam bona vita, quasi miraculis, factis commendet.* Chrysost. homil. 11. in Matt.

Vis scire quænam sint compositi huius miracula? Nullum maius miraculum, ex Augustini senten tia, dari potest, quàm mortuum resuscitare,In illo enim omnia concurrunt, nam cæcus videt, surdus audit,claudus ambulat, mutus lo quitur. Hæc ergo miracula bonitas vitæ cum efficacia doctrinæ operatur: & tanto maiora, quanto maius est peccatorem ad vitam spiritalem reuocare, quàm mortuum corporaliter resuscitare. Valeat ad hoc probandum Pontificium Decretum, *Maius est miraculum prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem conuertere,quàm carne mortuū resuscitare. In ista resuscitatur caro iterum moritura, in illo vero anima in æternū victura.*O beati pacifici,qui vita & verbo peccatores reconciliāt Deo. Augustin. Greg. Papa lib 3.Dialogorum c.17.

CIR-

CIRCVLVS II.

Scripturæ interpretes cõparantur fodientibus venas auri.

3 CHrysostomus, diligentissimus sacrarum literarum inuestigator, cõparabat Scripturę Interpretes auri metalla fodientibus, sicut enim hi ne minimam quidem venam, vel partem solent omittere: ita & illi nec iota vnum, nec apicem debent prætererire. Vnde, & dicebat, *Quemadmodum in auri metallis ne minimam quidem venam quispiam, qui rem intelligat, omittere patitur, vtpote, quæ ad augendas diuitias plurimum faciat: ita & in diuinis scripturis ne vnum iota, aut vnus apex sine damno prætermitti potest, sed ne dimidium quidē prætermittendum est, sed omnia diligenter inuestiganda. Nam a Spiritu sancto omnia prouenìunt, neque in his quidquam superfluum, nihil non necessarium.* Confirmemus Chrysostomi sententiam, ex Chrysologi sensu, quo æstimat quodlibet Scripturæ verbum requirere librum, si esset plenè glosandum, dicens, *Singula scripturæ verba si libris singulis mandarentur, nec sic Mysteria, quæ in ipsis sunt, audientibus perlucerent.*

Chrysost. homil. 35. in Ioan.

Chrysolog. serm. 64. de Lazaro à mortuis suscitato.

4 Sępe, qui thesaurum effodiũt, vehementer gaudent sepulchro sub terram inuento, solebat enim in vrnis cinerum, aut in sarchopagis auri gemmarum & vestium pretiosa supplex asseruari intra sepulchra. Effossores itaque thesaurorum, si repente ligone contingãt forte, sepulchrum, atque ictu concauum locum reperiant, vehementer gaudent, & incredibili lætitia gestiunt, sperantes inuentis opibus in loco mortis, felicem etiã se vitam inuenturos: Ita sacrorum librorum Interpretes, qui non ligone, sed calamo: non terram fodiunt, sed paginas exarant, dum vrnam, nempe Scripturam sacram inueniunt, inueniũt thesaurorum omnium copiam pretiosam. Sic de ventre Sponsi Sponsa dicebat, *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris*: Vel ex Nysseno, *Venter eius tabella eburnea, in lapide sapphiro.* Vel ex Paraphraste Chaldæo, *Quo tempore Legulator naturæ insculptã lapideis tabulis legem Moysi tradidit, illas ipsas tabulas appellauit lapideas tabellas, quibus diuini caractheres insculpti erãt.* Subdit autem Nyssenus, *Etenim hoc in loco, illud quod edicta & leges Dei recipit, indicatum vocabulo Ventris esse, tabella eburnea dicitur.* Ventrem autem Septuaginta sic depingunt, *Pyxis eburnea, super lapidem sapphirum*: Nam in sapphiro, vt diximus, lex erat sculpta. Qui ergo in hac pyxide, & in obscuro loco iacentem legem, in lucem tradit, & omnium oculis, omniumque auribus ad omnium vtilitatem exponit, premium a scripturę Authore expectet, & magnum.

Cant. 5. 14. Nyssen homil 14. in Cant. Paraphrast. Chald.

Nyssen. ibidem.

Septuag.

5 Audi gaudens diuitem promissionem, & aspice lætis oculis vel premium, vel coronam. *Qui operantur in me, non peccabunt, qui elucidant me, vitam æternam habebunt*: Vel cum Tigurina, *Interpretes mei, vitam æternam consequutur.* O diue Bernarde, tu qui Spiritu diuino pfluens, & dono sapiẽtiæ effluens, poteras hoc totum & intelligere, vt expertus: & exponere, vt eruditus, edixere nobis & opera hæc & premia. En exequitur vtrumque, nunc enim sic ad opera nos inuitat, *Operemur in sapientia, quæ dicit, Qui operantur in me non peccabunt, ager enim est mundus, ait Veritas, fodiamus in eo: thesaurus absconditus latet, effodiamus eum: ipsa est enim sapientia, quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes concupiscimus eam, sed frustra quærit, qui in Lectulo suo quærit: neque in terra suauiter viuẽtium inuenitur. Lectulus est, & ibi gigantem quæris? Tuus est, & ibi speras inuenire, qui diuersoria semper ignorat? Si quæritis inquit, quærite, conuertimini & venite.* Vis nosse, & quo ab ipso inuitamur, & quo

Eccli. 24. 30.

Tigurina.

Bern. ser. de 7. donis.

conuertemur? Ad sapientiæ studium, ad interpretationem sermonum Dei, quibus promissum est, Qui elucidant me vitam æternam habebunt: vel interpretes mei vitã æternam consequentur. Inde & subdit Bernardus, & bene subdit, *Benignus est Spiritus sapientia, & placet illi Doctor benignus & diligens, qui ita cupiat satisfacere studiosis, vt morem gerere tardioribus non recusset. Denique, Qui elucidant me vitam æternam habebunt, ait ipsa sapientia, quo quidem premio ego fraudari noluerim.*

Idem. ibid.

6 Hoc quidem premio orbatus non fuit Richardus Anglicus, qui & in scribendo, & in interpretando Scripturas multa fecit, tulit multa, sudauit, & alsit: cuius manus non marcescibilem, sed incorruptam meruit Coronam, sic enim Cæsarius refert, *In Arnsberg monasterio ordinis præmonstratensis, scriptor quidam erat Richardus nomine, Anglicus natione, hic plurimos libros in eodem cœnobio manu propria conscripsit, mercedem sui laboris præstolans in cælis. Hic cùm fuisset defunctus, & in loco notabili sepultus, post viginti annos tumba eius aperta manus eius dextera tam integra & tam viua est reperta, ac si recenter de corpore animato fuisset præcisa: reliqua caro in puluerem redacta fuit.*

Cæsar lib. 12.c 47.

CIRCVLVS III.

Lucta Iacob, & premium victoriæ, premium notabat Luctantis in Scripturæ agone.

7 ET iure quidem optimo Iacob, qui totam noctem cũ Deo luctatus est vigilias trahens, benedictionis mercedem, nocte transacta, & petijt, & obtinuit: id enim euenit iis, qui in sacræ Scripturæ, vel in studijs vigilant, vel in stadijs currunt. Audiamus Rupertum huius cursus laborem, huius discursus coronam describentem, ita enim fatur, *Ceterum, & bene, iuxta anagogem, claudicat Iacob ille, qui cum Deo luctatus est, & longo, atque assiduo luctamine vsus victoria, palmam de illo feliciter consecutus est. Luctatur enim cum Deo quãdiu sacræ scripturæ studijs accinctus incumbit, sensumque verbi Dei fugientem tenere contendit.* O terque quaterque beatus, qui sic contendit, vt apprehendat: sic apprehendit, vt teneat: sic tenet, vt non dimittat: sic non dimittit, donec benedictionem obtineat, quoniam benedictionẽ dabit Legislator, in explicanda lege defatigato.

Rup. lib. 8. in Gen.c.9.

8 Sed ambiges quomodo palmam obtinet, si claudicat is, qui vicit? Verè hæc est victoria, subnectit idem Abbas. Qui studio litterarum operam nauat, salubriter claudicat, dum vno tantum pede terræ innitens, altero cælorum sublimia tãdit, & penetrat, sic enim ait, *Quomodo claudicat? Videlicet vno pede terra innitens, alterum è terra suspendens, claudus salit, vel ascendit sicut ceruus, terramque vix tangere dignatur: nam conuersatio eius in cælis est. Verumtamen ex parte. vno enim tantum pede nunc interim illuc suspensus est, donec veniat quod perfectũ est.* Angelus ille celestis ab Angelico Ioanne visus, vnum pedem habebat in terra, in mari firmabat alterum: at hic Angelus terrenus, Scripturarum sacrarum interpres, alterum pedem statuit in terra, altero circuit gyrum cæli. Nec differtur eius corona vsque ad mortem, sed & benedictionem statim obtinet, & nominis meretur mutationem. Nam vt idem Rupertus obseruat, Corona ei sic promittitur, sic promissio statim impletur, *Non vocabitur nomen tuum Supplantator, hoc est, Iacob: sed vocabitur nomen tuum Princeps tu, sic & tu, qui mecum luctari potuisti, Princeps eris.* O tituli sublimes, qui in meritum studiorum sacrorum dantur a Deo, qui nõ fine re sũt, & nusquam obliuioni mandantur.

Idem ibid.

Ruper. Ab. lib.8. in Genes.c. 5.

CIR-

CIRCVLVS IV.

Commentans Sctipturam ſacram, cor Dei reperit in ea.

9 ET quæ res maior vel exoptari, vel dari cum hoc titulo poſſet, quàm proprium cor Dei, quod in ſacra Scriptura vel datur, vel reperitur? Non mihi habeatur fides, ſed Auguſtino, dicenti, *Certè profundum ſacramentum nos intelligere voluit, vt Cordis ſui nomine ſignificaret Scripturas ſuas, vbi eius vtique latebat conſilium, quod tunc apertum eſt, cùm ea, quæ de illo prophetata fuerunt, paſſus impleuit.* Quid ei negabit Deus, cui Scripturæ clauem, vt eam, interpretando, aperiat dedit: qui cor in ſcrinio ſcripturæ celat, vt ſeruat? De Philippo Macedone legimus, *Quum eſſet illi clauicula in bello fracta, & medicus, a quo curabatur, in ſingulos omnino dies aliquid poſceret: Sume, inquit, tibi quantum voles, nam clauem habes. Ludens ancipiti voce. κλεὶς, is enim Græce, & clauē ſonat, quæ aperit ſcrinium, & commiſſuram humeri cum pectore.* At Rex regum dum tibi tribuit fidei clauem, qua ſcrinium ſacrę Scripturæ aperias, vt intelligentiæ theſauros inuenire poſsis, modum præſtat, quo illius cor inuenias, in illo enim ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, vt ſumas tibi quantum voles, locuples vt fias, myſteria cognoſcas, & cæleſtibus bonis diteris. Sic Beda, *Fides eſt clauis ſcientiæ, fit enim per fidem veritatis cognitio, ſecundum illud Iſaiæ, Niſi credideritis, non intelligetis.* Hinc infidelibus legis peritis minatur, væ, dicens eis, *Væ vobis legisperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui intrabant, prohibuiſtis.* Clauem enim fidei non habentes, nec ipſi ſibi, nec populo reſerabant ianuas notitiæ Chriſti. Vnde & Beda ſubdit, *Suſtulerunt ergo legisperiti clauem ſcientiæ, non permittentes homines credere in Chriſtum.*

Auguſt. in epiſt. 120.

Ex lib. 4. Apoph. vbi de Philippo nu. 8.

Beda in c. 11. Lucæ.

Luc. 11. 52.

Idem Beda ibid.

10 Nec inſolens videatur, vel nouum, cor Dei in ſacra Scriptura contineri, nam ſi Verbum ſubſtantiale dicitur a Theologis Verbum cordis, & in ſacra Scriptura idem Verbum continetur, ſed reuelatum, meritò à Principe Theologorum aſſertum eſt, cordis Dei nomine ſignificari Scripturas. Hinc Deus diuinas paginas interpretanti, nunc dicere poteſt, *Vulneraſti cor meum*: nunc, *Abſtuliſti cor meum*: nunc, *Excitaſti cor meū*, & nunc, *Indidiſti cor.* Si quæras quomodo poſſunt hęc contraria ſociari, vt cor auferat, & cor det: cor vulneret, & cor excitet? Totū fit ab interprete Scripturarum. Ibi diuinum cor quaſi dormiens, dū reperit, vel voce, vel calamo ſic pungit, vt excitet, & vulneret, nam *Verba ſapientum ſicut claui in altū defixi*: quo enim altius poſſunt eleuari, quàm in cor Dei? Ibidem cor Dei abſconditum reperiens, inde aufert: ſed illud coloribus, luminibus, lineamentis, pigmentiſque, ac varijs coloribus illinens, ac figurās: denuo Deum, ſi dicere fas eſt, cordificat, omnibus notum faciens quàm bonus ſit, quanto erga hominem æſtuet amore, quales ſint eius cogitationes pacis, quæ premia bonis polliceatur, qualeſque poenas minitetur & reis. Audiamus Legiferi noſtri dulcem ferentem pro iuſtis fauorabilem gratāque ſententiā: & amarum pro iniuſtis formidabileque Decretum. Sicut enim de cithara dicebatur, *Varia a varijs*: Ita & cithara Scripturę ſacræ varijs varium edit ſonū, vnde Deus per Michæam, *Nonne verba mea bona ſunt, cum eo qui rectè graditur? Et, econtrario populus meus in aduerſarium conſurexit*: quaſi eo modo ſonum variet, quo Rupertus Abbas diſtinguit, *Nonne verba mea, cum quo eſſe debent, cum eo ſunt bona & proſpera? Et quis ille eſt, niſi is, qui rectè graditur? Nimirum, e contrario, debent eſſe dura & aduerſa cum eo, qui non rectè graditur, qui in contrarium conſurrexit, quod fecit populus meus.*

Cant. 4. 9. Septuagin. Symmach. Nyſſenus.

Eccli. 12. 11

Michçæ 27.

Emblema.

Ruper. Ab. lib. 1. in c. 2. Michçæ.

CIRCVLVS V.

Muneratur a Deo, qui Scripturas explicat.

11 ARma potentia, per quæ tot illustres victoriæ obtinentur de inuicto corde Dei, non alia sunt, nisi oculus vnus, & colli ornatus vnus, de quo Deus ipse subdit, *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorũ, & in vno, vel Crine, vel Torque, vel Ornamento colli tui: Vel vno è collibus tui, vel collorum tuorum.* Quamuis autem sub oculi figura ab Ambrosio cognoscatur *Fides cum sensu mystico & morali*: a Theodoreto, *Intelligibilium & sensibilium cognitio*: ab Aponio, *Mundum cor, quo Deus videtur*: & a Richardo, *Contemplatio diuinorum atque cælestium*: Magis tamen nostro arridet themati explanatio Gregorij, Pilonis, Carpathij Bedæ, & Anselmi, qui putãt in vno oculo significari vnitatem Doctorum: & in vno Crine multitudinem plebis fidelis vnitæ. Hęc ergo, ex Cassiodoro, *Inhęret sanctis Doctoribus, qui sunt Ecclesiæ collum, quo nutritur Ecclesia, eorum scilicet doctrina atque praeceptis.*

Cant. 4. 9.

Tres Patres Hieronym. Septuag.

Ambros. serm. 11. in ps. 118. ver. 2.
Theodoret. in c. 4. Cant.
Aponius.
Richar. Victorinus,
Greg. Papa
Philo Carpathius.
Beda.
Anselmus.
Cassiodor. hic.

12 Sed quomodo nũc Doctor collum dicitur, & nunc collorum nomine describitur? Fortè hinc significatur Interpretationum varietas, quæ pulchriorem reddit Scipturæ formam, dum Doctor, quasi quattuor extendens colla cibum ministrat pro vario auditorũ gustu varium, nunc litterali sensu infantes nutriens, nũc morali adolescentes, nunc mystico proficientes, & nunc anagogico perfectos. Hoc autẽ collum, hæc colla, Torque adornantur, tale enim premium Doctori promittitur, *Vt addatur gratia capiti tuo, & torquis collo tuo.* Si enim Lyrano fides non negatur, *Atiquitus Sapientis vtebãtur torque aurea, & bulla ad pectus demissa in sapientiæ Symbolum, quæ in pectore claudi existimatur.* Et certè si gestamen Triumphantium erat bulla, vt Valerianus refert, *Quam in triumphis præ se gestabant, inclusis in eam remedijs, quæ aduersus inuidiam pollere credebantur*: o quàm opportunè traditur legum diuinarum Interpretibus, quorum triumphis cedit omnis triũphus. Sic idem Pierius refert, *Insignem hoc gestamine prædicari illum, quem in Simendij monumentis, cuius a collo suspensa veritas penderet, octo legum libris circumstantibus.* Sicut enim bulla veritatis est Hieroglyphycum, figuram cordis præferẽs, & in corde inhærens: Sic qui vera dicit, vera scribit, & sacra monumenta nota reddit, Triumphatoris gloriam promeretur, quam & Danieli interpretanti scripturas promissam legimus, *Purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis.*

Prou. 1. 9.

Lyran. hic.

Pier. Valer. lib. 41. cap. de Bulla.

Pier. Valer. lib. 41. cap. de Bulla.

Daniel. 5. 7

CIRCVLVS VI.

Ne dum torque, sed & Corona donantur sacræ legis cõmentatores.

13 SEd cur dimidiatum sacrarum legum Interpretum recensui premium, si duplum cuilibet eorum legi promissum? Et cur de torque solùm, non autem de Corona verba feci, si Salomon Rex vtramque sic spopondit, *Vt addatur gratia capiti tuo, & torquis collo tuo*: Vel, vt Septuaginta legunt, *Coronam enim Charitum accipies tuo vertici*? Plutarchus refert, *In mercurij fano Gratias addi*: forte ad demonstrandam vnionem Coronæ gratiarum & sapientiæ. Hoc autem Coronæ, siue ornamentum, siue premium, non fabulosis scriptoribus, sed diuinæ veritatis narratoribus iure debetur, vnde Richardus statuit, *Gloriosã legem Dei, dixerim, quia de hac sola, vel maximè quisque coronatur.* Et Nilus addit, *Coronam doctrina nectit, eam-*

Prou. 4. 9.

Septuag.

Plutarchus in opusc. de Auditione.

Richardus Vict. in psa. 118.
Nil. in Cãt. Syriaco.

que

quæ amicorum capiti imponit. Amici autem doctrinæ & sapientiæ diuinæ sunt, qui in lege eius commentatur die ac nocte, hi autem pignora honoris gestare debent, nam vt Lyranus concludit, *Antiquitus dabatur Corona sapientibus in signum, quod debebant ab alijs honorari.*

Lyran. in c. 4. Prouerb.

14 In Locrorum Vrbe, per ea quæ Paschalius refert, *Vsus obtinuit apud Matronas, vt sibi quælibet Coronas necteret ex ijs floribus, quos ipsa sibi propria manu legisset, vsque eo, vt illi vitio dari mos fuerit, si qua diebus festis Coronas emptas, non absi se lectas gestaret.* Et verè, quæ gloria pariter a dignitatibus, a titulis, & a Coronis pretio emptis? Illa est Corona digna viro, quę gladio, quæ lingua, quæ calamo, quæ laboribus comparatur. Hinc Salomon, *Expectabunt astuti scientiam:* Vel ex Pagnino, *Callidi imponent sibi Coronam scientia:* Vel ex R. Aben Abraham, & Aben Ezra, *Coronabuntur sapientes, scientia diadema acquirent, & ad honores praeuehentur:* Vel ex R. Salomon Irasides, *Capiti suo scientia CORONAM NECTENT:* Vel ex Hebræo, *Callidi imponent sibi CORONAM SCIENTIAE*: quam scilicet ipsi nectunt ex iis floribus, quos ex Agro Scripturæ, vbi pulchritudo omnis adunatur, ipsi sibi propria manu legerunt. Sed pro te, cui de super datum non est ex hoc agro propria manu colligere flores, flores, vt minimus omnium, ego legi, qui sicut non mihi soli laboraui: sic etiam cum Hieronymo repetere possũ, *De his speciosissimis floribus CORONAM tibi texui, quam imponas capiti tuo.* Vtinã & vobis, & mihi illud de sursum donetur, quod Psalmista promisit, *Reuelabit condẽsa, & in templo eius omnes dicent gloriam.* Est enim Scriptura similis magneti, quæ vbi & linguam, & calamum pij Scriptoris attrahit, etiam corda ferrea auditorum ad pietatem trahit. Hoc videtur innuere Richardus Victorinus explicans præmonstrata Psalmi verba, sic enim ait,

Paschalius lib. 3 de Coron. c. 18.

Prou. 14. 18

R. Aben Abraham & R. Aben Ezra.

R. Salomon Irasides. Hebræus.

Hieronym. epist. 46 ad Rusticum.

Psal. 28. 9.

Rectè quidem priùs accipiũt, intelligentiam scripturarum ad instructionem sui: postea donum prædicationis ad vtilitatem & ædificationem proximi. Prius datur intelligentia, vt vera credant, & recta intelligant: postea additur eloquentia, vt vtilia doceant, & salubria persuadeant.

Richar. Victor. in psal. 28.

15 His duobus elementis componitur beatus vir, nedum a sacris sed etiam a profanis scriptoribus: Seneca enim ita statuit, *Non est beatus qui scit ista, sed qui facit.* Adderem & ipse, sed qui facit, & qui docet, siue lingua, siue calamo, siue prædicando, siue scribendo. Vbi quadrat illud, quod Vegetius memoriæ tradit, & Anglicus scribit, *Quòd ita seuerè apud maiores exercitij disciplina seruata est, vt & Doctores armorum duplis remunerentur annonis. Et milites, qui parum profecerant, pro frumento ordeum cogebantur accipere.* Sic, inquit Anglicus. *& in Ecclesia Doctores armorum spiritualium sunt Prædicatores & Doctores Catholici, qui dupliciter remunerantur, quia non solum auream, sed etiã Aureolam promerentur.* Non potest Rex maiori honore aliquem eleuare, quàm vt in conspectu eius & operto capite assistat, & magnus dicatur. At Rex regum Doctores & sacrarum Scripturarum Commentatores ita eleuat, vt non pileo & vmbra caput tegant, sed duplici Corona tempora cingant, *Qui enim fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Vbi Augustinus ita demonstrat modum, quo acquiri potest hic titulus, non vmbraticæ, sed lucidæ, ac magnæ celsitudinis, dicẽs, *Vt sit magnus facere debet, & docere, quæ Christus docet.* Id autẽ, quod Anglicus docet de Aureola, quæ Doctoribus datur, qui in lege Domini commentantur, mirum non videatur. Sicut enim, qui per floridum viridarium animi causa deambulat, ex varijs plantis, varios colligit flores, eos concinnat, Aureolam inde componit, & caput cingit, & ornat: Ita qui inter florẽtes Scripturarum hortos, commentando deambulat, varios inde potest

Senec. epist. 13.

Vegetius li. 1. de re militari c. 13.

Anglicus in ps. 18. ver. 1.

Matt. 5. 19.

August. relat. a D. Th. in Catena sup. cap. 5. Matt.

test legere flores, varias sibi texere potest Coronas. Non est meum inuentum, sed Petri Cellensis, ita enim ait, *Anima quoque, cùm peragrauerit omnem hanc regionem diuinarum plantationum, & Corona Aureola ex his omnibus compacta caput suum protulerit redimitum, apparebit tamquam mensa Domini purissima.* Est autem hæc mensa vere Aureola digna, quia non solum sibi Commentator illam præparat, sed & aliis.

Pet. Cellen. lib. de panibus c. 9.

16 Differentiam assignabat Albertus inter apes & araneas, *Araneæ totam artificij subtilitatem ad insidias ordinant: apes autem non intendunt insidias alieni, sed deponunt in thesauros, multas adhibendo operationes, vt rorem, quem colligunt, in ceram & in mel conuertant, & ideo apes dicuntur argumentosæ, quia cõmodata suo commendant opere.* Id ipsum asseri potest de araneis, id est, de scriptoribus profanis, & vanis: & e contra, de apibus, id est, de veris sacræ Scripturæ Commentatoribus. Illi operam perdunt, & inuanum laborant: isti ecclesiam illuminant, Lectoribus mela ministrant, se ipsos Coronant. Audiatur Anglicus, qui hæc omnia distinguit & explicat, ait enim, *Quidam subtiliant se in sententijs lucratus causa, & totam subtilitatem videntur ordinare ad insidias, non dico vt alijs iniuriam faciant, sed vt lucra temporalia sibi acquirant, & capiant, saltem non est eis insicitijs suis prohibitum: sed qui Student in lege Domini, debent vti subtilitate sui studij, sicut apes, vt scilicet, rorem collectum, id est, veritatem cælitus inspiratam, ex libris sacris, quasi ex floribus congregatam, conuertãt in ceram, ad Ecclesiæ illuminationẽ: & in mella, ad sui & aliorum ædificationem.*

Albertus li. 8. de animabus.

Anglicus in Ps. 1. ver. 2.

CAELI DAVIDICI
VERSIO XXXV.
Ex Arabico, In viribus eius meditatur die ac nocte.

CIRCVLVS I.

Iura Scripturæ sacræ similia vidẽtur ritibus mensæ Solis.

1 RItus, quo pratus Ethiopiæ semper epulis apparebat refertus, inter omnes alios antiquos ritus admirabilibus laudibus celebratur, tùm ab Herodoto, tum a Solino, & tum a Pomponio Mela, qui rem sic refert, *Est locus in Æthiopia paratus, semper epulis refertus: & quia, vt libet, vesci volentibus licet* ἡλίου τράπεζαν *vocant: edulia passim apposita sunt, quæ affirmãt innasci subinde diuinitus.* Hæc autem teste Rhodigino, *Mensa Solis vocabatur.* Quid tamen ad ritus sacrę mensæ in agro Scripturarum paratæ, de qua gloriabatur noster Psaltes, *Parasti in conspectu meo mensam?* In illa cibi ab hominibus noctis tempore suppositis parabãtur, & falsò dicebantur, De celo elapsi: hic a Deo cibi parantur, sed per ora & manus hominum, *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines:* vbi Occumenius, *Prophetiam quidem a Deo accipitũt Prophetæ, & nouerunt quomodo a Deo demissus sit ad eos spiritus.* Nam

Herodotus in Æthiopia. Solinus in polyhistore. Pomponius Mela relatus a Rhodigino li. 19 lect. ant. c. 4.

Psal. 22. 5.

2. Pet. 1. 21.

Occumen. hic,

sic vltronei subministrabāt, vt secūdum Glosæ interpretationem, *Ea sola docerent, quæ a Spiritu didicerant.*

Glossa ordinaria hic.

2 Quis tamen mensæ huius ritus non admirabitur? En illa disposita est ad pacis delicias, parata ad belli tumultus, armata edulijs, & sic ornata armis, vt Manu fortis eam celebrans, canat, *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus omnes, qui tribulant me*: Et Aureum os eam sic extollat, *Non errabit quispiam si hoc eloquium ad mensā conferat Monachorum. Nam quis facilius hostes fundere potest, quam qui comedendo trophæum erigit?* Sed qua norma, qua forma Monachi in humili mensa erigere possunt triumphale trophæum? Quia in illa, ex ritu perpetu, Scripturæ sacræ lectio insonat salutaris: & his meditationibus magis corroboratur animus, quàm cibis nutriatur corpus, vnde Cyprianus, *His meditationibus corroborandus est animus, eiusmodi exercitationibus contra omnia diaboli iacula firmandus, sit in manibus diuina lectio, in sensibus dominica cogitatio, oratio iugis omnino non cesset, salutaris operatio perseueret, spiritualibus semper actibus occupemur, vt quotiescumque inimicus accesserit, quoties adire tentauerit, & clausum aduersus se pectus inueniat, & armatum.*

Psal. 22. 5.

Chrysost. homil. 71. in Matt. & 57. ad Populū.

Cyprian. in lib. de zelo & liuore.

CIRCVLVS II

Mensa Scripturæ qualis, & a quibus parata.

3 Diuinæ Scripturæ, quæ æterni Solis est mensa, ab alijs omnibus secernitur, & est a mēsis alijs omnino diuersa. Panis .n. in illa proponitur, non tamen est panis naturalis, qui vsu consumitur, sed supernaturalis, qui crescit cùm reficit: ita Petrus Cellensis demōstrat, & bene, *Nam præter, & supra naturam nostri panis quotidiani, qui deficit, cùm reficit, panes Dominici sunt, qui è conuerso crescunt, cū reficiunt: dum sumuntur, non consumuntur: comminuūtur, sed non imminuuntur: immutant sumentes, sed a sumētibus nō mutātur.* Diuersa etiā ab alijs ob dignitatē ministrorū, talis enim est Moyses talis est Paulus, talis & ipse Deus. Hunc ordinē distinctè describit idem Cellensis, de Moyse enim asserit, *Certè omnia vasa vtensilia, & luminaria in vsus epulantium necessaria,* Moyses *tamquam fidelis dispensator in domo Dei, quæ est Ecclesia, administrat: præcipuè tamen in aquis parandis, vnde & nomen habet, officium suum exercet. Quid enim aliud, ordinem creationis totius creaturæ contexēs, insinuat: nisi, quando, & a quo, & vnde, & quomodo, ad quid & hac mēsa, siue massa vniuersitatis subsistat? Vnde terram fūdatā animaduertere potes, quasi mensam positam. Cælum super et circum positum, quasi mappam circum extensam, sicut & Arca circumtexta erat ex omni parte, auro. Firmamentum, tamquam candelabrum, & in candelabro duo magna luminaria, solem & lunam: sublucētibus stellis tamquam candelis Aerē imbriferum, tamquam lauatorium, vel infusorium. Rursus serenum, tāquam exhibentem manutergium. Mare, velut omnium sordium emundatorium. Terram, panem & vinū, carnem & pigmētum, & aliud vita huius sufficiens sustentamentum natura subinferentem, ex moderatione* Spiritus *cuncta regente & disponēte. Hic ordo est in mensa historia cōmunantium.*

Petr. Cell. lib. de panibus c. 2.

Idem ibid.

4 En Paulus ministrator succedit, de quo idem Cellensis optime subdit, *Paulus igitur, ad Paradisū siue tertium cælum raptus, quid ministraret & qualiter, didicit: & prius in officio strenuus, postea incomparabilis, in omni administratione sua enituit. Parauit delicias, non deliciosus, sed auidus deliciarum ineffabilium reparator & contemplator.* O *quantos sudores in ciborum præparatione sustinuit! O quàm studiosus palati alterius inuestigator, & sui crudelissimus persecutor extitit! Gratiosus dispensator iste, sermones exhortationum suarum, pro voluntate & vtilitate Auditorum, sale gratiæ*

Idem ibid.

nouit condire, & omni benedictione & gratia spirituali, tamquam adipe superfundere. Hic, hic, Ecclesiam tamquam mensam habuit: mappam in mensa, fidem in Ecclesia: magna luminaria, quatuor Euangelia: Aquam Salomonis, Sacramentum Baptismatis: Panem & vinum, Eucharistiæ mysterium: Cibos innumerabiles, sanctas virtutes: Seruitores distinctos, Ecclesiæ ordines: Conuiuatores, vniuersos fideles: Vestes epulantium, mores Credentium: Fructus pomorum: exempla Sanctorum. Miser & miserabilis, qui non intrat in locum conuiuij siue tabernaculi admirabilis: qui extra est tamquam frater senior in agro, qui audit, nec exaudit symphoniam vnitatis et chorum caritatis: qui audit, sed extra, organum diuinæ iubilationis: qui audit, sed exsors, Psalterium modulationis. Qui enim intus est, lætatur. Qui extra, cruciatur. Qui intus est, satiatur in bonis: qui extra est, deficit in malis. O *quam bonum & quàm iucundum sedere ad mensam* Pauli! *Et hæc refectio allegorica.* Sed vbi principalem mensæ prętereo Authorem, de quo idem Cellensis ita concludit. *Est autem Scriptura diuina mensa* Domini *purissima? Velut mensa enim de imputribilibus lignis Mandatorum diuinorum composita: in omni copia deliciarum exuberat. Anima etiam Christiana* Baptismi *trina immersione, ad plenum tàm ab originali, quàm actuali peccato purificata, mensa Domini est purissima. Ad hanc enim, superborum Regum & omnium prædiuitum mensis despectis, accedit Dominus, vt reficiat, & reficiatur: vt ministret, & ei ministretur. Libamenta corporis & sanguinis sui prior in hac mensa ponit: ac deinde imitationem suæ passionis, pro recompensatione, multum dignanter resumit.* In *honore quoque Dei, sancta Altaria solemniter dedicata, mensa Domini sunt purissima.*

Idem. lib. de panibus c. 9

5 Numquid mensa hęc tantum panibus & cibis referta erit, & aqua ibi deficiet ac pocula? Nequaquam, immo aqua præter naturã reficiens ibi surgit, & abundans. Vnde & gloriabatur regius Propheta, ita canens, *In loco pascuæ ibi me collocauit* O rem admirandam, quòd vbi aqua non reficit, sed alimenti vehiculum est, illudque ducit: hæc aqua alit, reficit, & saturat bibentes. Quæres, quæ sit hæc aqua? Respondet Hugo Cardinalis Scripturam esse cælitus reuelatã, in qua nos nati ex aqua baptismi, in hac aqua doctrinæ viuimus, & nutrimur. Audiamus verba ipsius, *Et omninò benè dicit, quod super hãc aquam educauit me Dominus. Piscis in aqua nascitur, & nutritur, & sine ea moritur: Sic nos in aqua Baptismi nascimur, in aqua doctrinæ nutrimur, & sine ea morimur. Aqua sapientiæ salutaris potauit illum: Haurietis in gaudio aquas. Hæc aqua fiet fons aquæ salientis in vitam æternã. Sed mirum est, quòd nos sumus per hanc aquam, nec reficimur: vnde rectè significamur per boues fœdas exeuntes a flumine.*

Psal. 22. 1.

Hugo Cardin. hiu.

CIRCVLVS III.

In omni loco & tempore vir beatus meditari debet in iure diuino.

6 QVi in iure Canonico vel ciuili, glorię auidus, diligenter sudat, & studet in hoc, genere laudis excellere, iura vbique respicit, in corde gerit, in ore resonat, præ manibus habet, ante oculus gestat, & domi & foris, & vigilans, & dormiẽs, & ne dum die, sed etiam nocte sic meditatur in eis, vt possit innouare illius vota, qui nõ inaniter iactabatur, Plus olei, quàm vini consumpsi. At Legifer noster, cupiens nos in diuinis iuribus primas tenere, sic pręcipit, *Erunt verba hæc in corde tuo, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque, et mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostijs domus tuæ.* In quo præcepto obseruat

Demosth.

Deuter. 6. 6.

Oleaſter in 1. Adnot. ſuper c. 6. Deuter.

Oleaſter velle Deum in quattuor locis verba hæc vel incidi vel ſcribi, *In corde ad creandum, in ore ad loquendum, in manibus ad operandum, & ſuper oculos ad videndum ea iugiter.*

Idem in 1. adnot. ibid.

7 Si autem cum illo legas, *Erũt in frontalia ante oculos tuos: id eſt ſpecilla, qua & ipſa videntur, & omnia alia per ea, & bina ſunt, & ante oculos ponuntur, vt oſtendat mandata Dei vtroque oculo eſſe aſpicienda, & magna conſideratione:* iure cũ eo dices, quòd ſicut viridia ſpecilla geſtanti, omnia apparent viridia, & cerulea vel purpurea ante oculos habẽti, omnia purpurea vel cerulea referuntur: Ita *Vult Dominus nos nihil videre aut operari ſine præuia lege eius.* Notandum verbum, ſine præuia lege, vt prius colore legis operiatur, & iuri congruum æſtimetur: deinde vel ametur, vel opere compleatur. Hoc autem totum præuia meditatione fieri congruum eſt, hinc enim magnũ tibi emolumẽtũ eueniet, nam ſpecilla in monilia conuertentur, vndè locuples euades multum, atque prædiues. Hinc eſt, quod vbi nos legimus, *Mouebuntur inter oculos tuos:*

Idem in 1. adnot.

Deuter. 6. 6. Ambroſ. in enarr. ſuper pſ. 1.

Ambroſius transfert, *Et erant monilia ante oculos tuos.* Monilia non ſolent oculos, ſed colla circũdare, & ornare: attamen qui omnia ex inſtituto iuris videt, ſeruat, obſeruat, meditaturque, nunc bona amplectens, nunc mala detrectãs: nunc illa amans, nunc hæc vt inuiſa deteſtans: & nunc iura diuina eleuans, nunc carnis leges & inſtituta deturbans: nondum collum, ſed omnes ſenſus ac membra monilibus ſic cõdecorat & exornat, vt in laudem illius iure dicatur, *Collum tuum ſicut monilia.* Audi ſalutare conſilium Nyſſeni, *Non oportet nos ad vnum aliquod aſpicientes, in cæteris rectè factis eſſe negligentes, ſed ſit tibi monile temperantia, veluti quibuſdam margaritis pura vita reſplendens. Sit tibi aliud monile, quod pretioſas gemmas præceptorum in ſe contineat. Sit etiam tibi colli ornamentum, nempe pietas, rectaque ſana fides.* Sed ſi fides ad oculos ſpectat,

Cant. 1. 10.

Greg. Nyſſ. hom. 3. in Cant. Cantic.

cur non fatebimur oculos ſic concinnare, vt verè poſſit dici, Erunt monilia ante oculos tuos?

CIRCVLVS IV.

Iuſtus fructum ſuum dat, Hypocrita non ſuum.

8 Poſtquam diuinus Pſaltes Iuſtum viridi ligno iam comparauit, & arbori fæcundæ: volens fructus ſpeciem deſcribere, nõ ſimpliciter oſtendit fructum dare, ſed dare ſuum. Si cauſam quæris, Bernardus illam docet, aſſerens hoc conſultò additum, vt hypochritarum excludat fructum, qui non ſuum faciunt, ſed ſpectatorum gratia, quibus, gloriæ vanæ pretio, illum vendunt. Sic ergo fatur, *Arbores, quæ fructum faciunt, ſed non ſuum hypocrita ſunt, cum Simeone Cirenæo portantes crucem non ſuam, qui religioſa intentione carentes, & angariantur, & quæ non amant, amore gloriæ, quam deſiderant, ferre cõpelluntur.* Notanda verba, *Quæ non amant, amore gloriæ faciunt.* Fructus bonus, amoris eſt partus: ſed Iuſtus, qui Deũ amat, fructũ ſuũ dat, dans gloriã Deo: hypochitæ vanã gloriã amãtes, fructũ faciunt, non ſuũ, nam ſpectatoribus vendunt, & recipiunt mercedem ſuam. *Ex nuda enim prolatione*, vt Maximus docet, *faciunt mercaturam gloriæ.*

Bernard. in ſerm. de S. Benedicto.

Maximus cent. 4 cap. Oecumen. cap. 61.

9 Hypocrita terreſtris polypus, varias induit formas, in varias ſe transformat figuras, nam Hypocriſis definitio eſt, vt Climacus docet, *Et corporis & animæ contra ius ſtatus, adinuentionibus omnibus impletus.* Cùm ergo, ex Plinio, *Inuentionis cauſa amor ſit:* non mirum ſi hypocrita amore gloriæ adinuentionibus omnibus impletur, & vt polypus varias induit figuras. Id autem agit, vt fur, vt venator, eſt enim venator, qui mutato habitu gloriam inſequitur: & fur eſt, qui Cornicis inſtar, furtiuis induitur plumis, vt alium ſe eſſe ſimulet. Non mea ſunt, nec noua hæc attributa, ſed idem Maximus talibus

Clim. in ſca la paradiſi gradu 24. Plin. lib. 21. cap. 2.

Max. Cent. 4. cap. oecu nomicor. c. 65. & 66.

illum dignauit honoribus, *Hypocrita fur est, qui ad circumueniendos auditores diuinis vtitur sermonibus, quorum vim per opera non nouit, ex nuda prolatione faciens mercaturam gloriæ, ac sermone lingua prolato venatur laudem, vt iustus habeatur ab audientibus. Et fur est de bonis alienis perperam se ostentans, in quem dictum est, Erubescite, qui induimini vestibus alienis*. Sed acrius contra eos inuehit Deus, *Numquid auis discolor hereditas mea mihi? Numquid auis tincta per totum? venite congregamini bestiæ agri, properate ad deuorandū.* Vbi ex his, quæ alibi diximus, sicut Cornicem furtiuis indutam pennis: ita & hypocritam paribus describit coloribus paribus damnat & pœnis.

Ierem. 12. 9.

10 Vnde quadrat in Hypocritas idem vel cantus, vel planctus, quo inuehitur Nazianzenus in mulieres ambitiosius se ornantes & excolentes,

Greg. Naz. in car. 63. aduer. mul. amb. se se ador. & excol.

Deflere at ferum est fraudem meditaminis huius,

Cum densis rugis simia conficitur.

Defiendum enim est & in hypocritis, virtutum coloribus vitia, vel vanè ornantes, vel vanissimè ita celantes, vt cùm intus sint Hecuba, Helenam foris effingant. Vtinam saperent, & intelligerent, tum Salomonis oracula, *Fallax gratia, & vena est pulchritudo*: tum Salonij monita, *Fallax gratia humana laudis, quam hypocrita ab omnibus exquirunt: vana est pulchritudo Castitatis, vel bona operationis, quam hypocrita hominibus ostendere cupiunt, vt ab eis laudentur. Quia fallit, hoc est, decipit simulatores: quoniam dum in hac vita quærunt mercedem, in futura nullam recipient remunerationem. Et si castitatem seruant, vel aliqua bona operantur, vana sunt omnia, quæ faciunt*. Sic velut Simiæ de theatro recedent ingloriæ, sic velut vetulæ conquerentur, *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me*. Nā Lyrano Auctore, *Ecclesiæ rugæ, Christiani duplices & ficti dicuntur.*

Prouer. 31.

Salonius Vien. Gall. Episc. in Myst. explicat. parab. Salomonis.

Iob 16. 8.

Nic. de Lyra hic.

11 Hypocritis autem, quæ tacetis mendacij specimen gerit, Deo, qui Veritas est, est adeo inuisa, sicuti & illi mendacium inuisum est, nam ex Antiochi decreto, mendax, in diabolum se conformat. sic enim ait, *Nihil ab hoste humana salutis differt mēdacium, pater enim mendacij diabolus est. Vbi veritas Deus est*. Hos ergo mendaces exclusit Christus a vocatione, dicens, *Non veni vocare iustos, sed peccatores*. Vbi Rabanus addit, *Non veni vocare iustos falsos, qui in sua iustitia gloriantur, vt Pharisæos*. Hi enim propter simulatam ab hypocrisi iustitiam, ironicè vocantur Iusti. Inter omnia autem mendacia nullum dānabilius illo, quo homo in vitam suam mentitur. Distinxit Dorotheus, *Tria mendacij genera, primum, cùm quis animo: secundum, cùm verbo mentitur: tertium, cùm in vitam suam quis mendax est. Mentitur enim aliquis in vitam suam, cùm turpis & luxuriosus, continentiam simulat: auarus & tenax, de eleemosyna loquitur, compassionem & misericordiam laudat: superbus & audax, humilitatem admiratur. Hic propriè est, qui in vitam suam mentitur, non simplex; qualem virtus desiderat: sed duplex, aliud interius, aliud exterius*. De quo optime dictum est, Intus Hecuba, foris Helena. Fulminetur ergo in ipsum eadem sententia, qua Daniel adulterum percussit senem, *Mentitus es in caput tuum, ecce Angelus Domini scindet te medium*. Sicut enim mēdacium illius, vt Lyranus notauit, *Ad damnationem capitis sui, quæ ex hoc sequuta est valuit*: Ita aduersus hypocritam, qui diuisus est, aliud exterius, interius aliud retinens, præualebit. Et iure hypocritæ pœna diuisio est, vbi enim Matthæus de serui mulcta loquitur, ita statuit, *Diuidet eum, partemque eius ponet eum hypocritis*: quem autem ipse Hypocritam, Lucas appellat Infidelem, *Partemque eius cum infidelibus ponet*. Nam ex Chrysostomi decreto, *Impossibile est, vt credat Christo cælestia prædicanti, qui gloriam hominum concupiscit terrenā*. Si ergo hypocrita hanc concupiscit,

Antiochus hom. 66. de veritate.

Matt. 9. 13. Rabanus Maurus hic.

Dorotheus, doctrina 9. de mendac.

Daniel. 13. 55.

Lyran. hic.

Matt. 24. 51.

Luc. 12. 46.

Chrysost. homil. 73. in Matt.

scit, ergo Christo non credit, Christum negat. Confirmat hanc veritatem Theophylactus, asserens, *Quoties aliquis non Deo, sed sibi ascribit bona quæ facit, quid aliud est, quam Dei negatio?* Quilibet autẽ hypocrita Iudæ æmulator est, & diuisus est, videtur enim osculari Christum, dum labijs honorat illum: sed eum tradit, dum cor longe est ab eo: vnde Ambrosius explicans verba, *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Ita subnectit, *Quasi dicat, Propter te suscepi, ingrate, quod tradis in hypocrisi.* Infidelis enim Iudæ proditio, qua crimen maius excogitari neqt, hyppocrisis malitia infectum fuit: vnde & hypochritæ ęmuli sunt proditoris Iudæ, infidelitate maculati, & in partes scissi. Sic cõcinit sententia Danielis, cum decreto Christi, ille enim seni hypocritæ dixit, *Angelus scindet te*: Dominus autem ait, *Diuidet eum, partemque eius ponet cum hypochritis*: vt per ea quæ peccauerit puniatur, diuisus enim vixit, externa Deo, interna diabolo tradens: moriatur diuisus, nam diuidet eũ, & ex Origenis sensu, *Diuidet eum, quando Spiritus eius, id est spiritualε donum reuertetur ad Deum: anima autem eum corpore suo vadet in gehennam. Iustus autem non diuiditur, sed anima eius vadit cum spiritu, id est cum spirituali dono ad regna calestia.*

Theophylactus in c. 18. Lucæ.

Lucæ 22. 48 Ambros. hic.

Orig. relatus a D. Th. in catena sup. cap. 24. Matt.

12 Ea penè forma, qua peior dicitur hostis fictus, quàm apertus: & damnabilior est inimicus sub amici nomine palliatus, quàm notus: ab hoc enim fugimus, etiam quæsiti: illum autem quærimus, sequimurque: eadem & norma maius periculi est in superbia sub humilitate latente, quàm in aperta, & patente: superbus enim manifestus, non decipit, quia odio habetur: occultus autem decipit, quia amatur. Audite Fideles, Nouati, Catholici consilium salutare, *Hac ergo agite nunc vos, vt primùm humilitatem custodiatis, non vt hominibus humiles videamini, sed Deo. Illa vera est humilitas, quę Deo, & nõ hominibus mõstratur: nã quæ hominib⁹ monstratur, ficta est, non humilitas, quod a seruis Dei omnino alienum esse debet. Prima ergo via salutis est, humilitatem tenere, & simpliciem esse propter Deum, non propter hominem: non placere inde hominibus, sed placere inde Deo: nam si humilitas nõ fuerit fundata in corde tuo, ostendis fratri tuo, quia ficta est humilitas tua.*

Nouatus Catholicus homil. ad fratres de humilit. & obedient.

13 Hydropisi, quæ vt plurimũ, vt Auicennas docet, *Non sanatur nisi medicinis calidis*: vbi frigidæ procula adhibentur, ex aqua ardorem concipit, & febrilem ignem magis accendit: & hypocrisis, quæ curanda erat igne diuini amoris, si aquam iniquitatis bibit, in operibus bonis quærens placere hominibus, febrem ambitionis semper auget, & flammas excitat damnationis. Adeamus, non Hippochratem, sed Chrysologum, qui pandit in tali medicamine latens venenum, *Hypocrisis cognata febris frigido poculo propinat ardorem. Quod corporibus est hydrops, hypocrisis animabus hoc est: hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit.* Ad hãc hypocrisiã, vel hydropisiã, vel Hydram fugiendam, sic nos hortatur Medicus celestis, *Attẽdite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis.* Vbi Theophylactus modum loquendi ponderans, dicebat, *Attendite, itaque & cauete, quasi de aliqua mala bestia dicat, Attende ne te dilaceret.*

Auicen. lib. 3. canonis. fen. 14. tr. 4. c. 13.

Chrysolog. serm. 7. in illud Matt. Cum ieiunatis, &c.

Matt. 6. 1.

Theophylactus in enar. sup. cap. 6. Matt.

CIRCVLVS V.
Fructum operum Deo dat, qui gloriam Dei in operibus quærit.

14 SIcut naues, vel fructus vel poma portantes, ne oneris leuitate, dum secundis ventis vehuntur, in fluctibus mergantur, subutra grauari, immo firmari solent: Ita & anima, cuius gloria sub nauis hieroglyphico a Salomone figuratur, *Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suũ*: vbi fructus dat, fructibus oneratur,

Prou. 31, 14

fructibus honoratur, fructusque operum bonorum vehit, saburra humilitatis reddi debet grauata, ne alis vanitatis concidat eleuata. Talis fuit Ambrosij doctrina, sic enim te erudit, *Ergo & tu, si munera diuina superfluere in te & redundare cognoueris, tuam metire virtutem, gratiam Deo redde, contemplationemque corporis, velut nauis, saburram suscipe, ne te in tantis mundi fluctibus, iactantia alicuius aura circumferat.* Quis vestrum, o Curiales, non sententiam ferret æterni Pontificis Vicarium inurbanè Christum reiecisse, *Exi a me, quia homo peccator sum?* Sed verè ciuiliter, nedum humiliter, remedium contra elationem, & sibi ipsi promouit, & nobis omnibus præbuit, vt notat idem Ambrosius, & nos admonet, *Vir sapiens & grauis, in quo esset Ecclesiæ firmamentum, & magisterium disciplinæ, nihil sibi vtilius esse conspexit, quàm ne secundo extolleretur euentu, & ideo, Exi, inquit, a me, quia homo peccator sum: non ergo rogat, vt deseratur, sed ne infletur.* Vtile onus, saburra salutaris, quæ mentem deprimit, animam humiliat, ne eleuata concidat, *Et illidatur quasi in procella nauis.*

Ambrosius lib. 3. de Virginibus.

Marci 6. 8.

Ambrosius Ibidem.

Eccli. 33. 2.

15 Requirebat Philo cur Iudas in carbunculo insculpatur, & cur carbunculo nomen lapidis aufert, quod fransino tribuit? Respondetque, dicens, *Quia Iudas confessionis figura, caret materia & corpore, nam ipsum confessionis nomen declarat eam esse non externam. Cùm enim mens extra seipsam constituta, Deo seipsam obtulerit, sicut ille visus Isaac, tunc confitetur ei, qui solus verè est: quamdiu vero se causam rei cuiuspiam existimat, multum abest, quin confiteatur, cedatque Deo.* Notanda verba, *Quamdiu se causam rei existimat:* vt enim homo gloriā suorum operum reddat Deo, cōfiteri tenetur cum Isaia, *Omnia opera nostra operatus es in nobis:* dum autem se caussam illorum æstimat, gloriam sibi seruat, & Deo aufert. Et ex his, Bernardus docet, *Pacem pro se petere, gloriam autem Deo relinquere, illam enim Deus Zelotes sibi soli seruat, dicens, Gloriam meam alteri non dabo. Si autem vetat, quid ergo dabis nobis? Pacem, inquit, da nobis.* Dic ergo & tu cum Claræuallis Abbate, *Abiuro gloriam prorsus, ne forte, si vsurpauero, non concessum, perdam meritum, & oblatum. Pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius. Cui non sufficit pax, non sufficies tu, qui es pax nostra, qui fecisti vtraque vnum.*

Philo lib. 1. Allegor. legis.

Isaia 26. 12.

Bern. serm. 13. in Cant.

Idem ibid.

16 Præcipiebat Moyses, vt si fur parietis perfossor, in ipso facto ictus moriatur, non imputetur cædes. Quòd si exorto Sole, fur occisus sit, percussor quoque morietur reus homicidij. Vbi non videtur ratio disparitatis, cur Sole exorto, homicidij reus sit percussor furis: non autem occidente, vel tenebris obducto Sole. Et quamuis Glosa Ordinaria distinguat inter nocturnum, atque diurnum furem, sic asserens, *Intelligitur non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur, si autem diurnus pertinere: quia poterat discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in antiquis legibus sæcularibus inuenitur, Impune, scilicet, occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem, si se eum telo defenderit, iam enim plus est quàm fur.* Sed altius repetit Philo Hebræus præceptum hoc a lege diuina latum. Per furem intelligēs eum, qui in operibus, Dei omnipotentiam infringit, sibique tribuit, quod proprium illius est. Si autem hæc cogitatio è medio tollatur, nulla est cædis actio. At si clarus intellectus, q nobis inest, sculptile sibi formet, & gloriam sibi vendicat, reus est mortis. Audiamus Philonem philosopantem, *Deus omnia possidet, itaque quisquis sibi aliquid tribuit, aliena vsurpat, simulque vulnus accipit grauissimū & insanabile, arrogantiam cognatam ruditati, & ignorantiæ: percussor autem securus sit, nec enim est alius quàm ipsa percussus. Ergo si talis cogitatio moriatur, qua se existimat causa rerum, non Deum, nulla est cædis actio.*

Exod. 22. 2.

Glosa ordinaria.

Philo lib. 2. Alleg. legis.

Quod

Quod si Sol ortatur, id est, clarus intellectus, qui nobis inest, videatur omnia despicere, praesse rebus omnibus: reus erit, & talionē mortis feret, ob vinam opinionem, quam sustulit asserentem Deum causam rerum omnium, cùm ipse deprehendatur inefficax, fereque mortuus, & mortuae inanimis erroneaeque opinionis.

17 Sed ab antiquis legibus trāseundo ad nouas, quis non æstimabit impossibile præcipi a Christo, dum ait, *Nesciat sinistra tua qd faciat dextera tua?* Vbi argumētatur Chrysologus, & subtiliter nimis, dicens, *Putas quantum vult nescire alterum, qui te ipsum, qui facis, vult aliqua tui parte, nescire?* Sed qui fieri potest, vt sinistra, eadem anima, qua dextra informata, quæ ista faciat, illa nesciat? Mysticum est præceptum, vt Archiepiscopus Rauennæ docet, vult enim virtutes & opera dexteræ non publicari a sinistra, in qua vitia locū habent. Sic ergo fatur, *Sicut sunt nobis in dextra parte virtutes; ita nobis pars vitiorum in sinistra. Ergo, vt opus est dextra, quod facit tacitus dator: quod facit dator garrulus, hypocrisis est sinistra. Hypocrisis dolus, simulatio, fraus, mendacium, elatio, tumor, iactantia, insistunt nobis, & imminent a sinistris.* Et a sinistris iminent, vt ad sinistram Iudicis hypochritas ducant, vbi & ipsi, tamquam damnatorum principes, quemlibet damnatum pręcipitānt, nam de quolibet horum dicitur, *Cum hypocritis suscepit partē suam.* id est, vt Rabanus addit, *Duplicem gehennæ pœnam scilicet frigoris, & ignis: vnde seqitur, Ibi erit fletus, & stridor dētium: ad ignem enim pertinet fletus oculorum, ad frigus stridor dentium.* Breuius hanc hyperbolē explicat Theophylactus, *Sinistra est inanis gloria, dextera est eleemosyna: nesciat igitur eleemosynam inanis gloria.*

Chrysolog. serm. 9. in illud Matt. Attendite ne iustitiam vestram faciatis, &c.

Matt. 24. 51.

Raban. hic.

Theophylactus in enar. sup. cap. 6. Matth.

CIRCVLVS VI.

Meditatio iuris diuini ac legis æterna mortalibus proponitur, quasi speculum.

18 MIrum, certè, videtur vel opus Mosis, vel dispositio Cæli, quo ordinante, *Fecit & labrū æneum cum basi sua de speculis mulierum*: Vel vt legit & explicat Oleaster, *Cum speculis, quoniam huiusmodi specula conchæ effixa erant. Erat autem vsus horum speculorum, vt Sacerdotes postquàm essent in fonte loti, respicerent se ad specula, an quicquam macula in eis remaneret.* Si tamen quæras cur hoc de speculis mulierum statuatur, & non de speculis hominum? Quia vbi de homine considerante vultum natiuitatis suæ in speculo, dicturus erat Iacobus, *Considerauit se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit*: nullum enim ex tali speculatione fructum retulit, nam maculas in vultu cernens, nec tersit, nec absterxit: mulier, e contra, diligenter aspicit, affluenter abstergit, exactè corrigit, lauat, dealbat, colorat, depingit, ornat, exornat, vtque eam cum Hieronymi penicillo describam, *Comam nutrit, vellit pilos, cutem polit, & ad speculum comitur, quæ propria passio, & insania feminarum est.* At si vir beatus insaniam illarum & æmulatur in bonum, & sapienter ac vtiliter imitatur, vertet eam in virtutem, & non erit ad insipientiam ei, dum in speculo iuris diuini animam aspicit, & ex Pontificio vel monitu, vel decreto corrigit ea, quæ cælesti Sponso displicent, componit quæ placēt. Audiamus verba ipsius, *Specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, & quasi renidentes vultus, velut ex reddita imagine componunt: quia dum præce-*

Exod. 28. 8.

Oleaster hic in 1. annotatione.

Iacob 1. 23.

Hieron. in comm. sup. c. 1. Sophoniæ.

Greg. Papa homil. 17. in Euang.

ptis Dominicis solerter intēdūt, in eis procuuldubio, vel quid in se cælesti Viro placeat, vel quid displiceat, agnoscunt. O vtilem iuris diuini speculationem! o pulchram animæ compositionem! Notanda verba, *Vitia corrigunt, & renidentes vultus componunt:* & cum Henrico amplianda, sic enim fatur, & sic correctionis & compositionis artem edocet, *Anima in cælesti abstracta vita domicilio, vitijs oportet vt sit ante nudata ac expoliata, ornata virtutibus, libera ad occupationibus superuacaneis, rosis purpureis flagrantissis caritatis consita, suaue fragrātibus humilis abiectionis violis, & albicantibus inuiolatæ puritatis ac castimoniæ lilijs stipata.* Sed vnde hos flores leget, nisi Scripturā legēs, quæ Lectulus floridus est, & ager vernans, pullulās, floridus, viridis, lætus, ac fructibus coronatus, vanum enim est florere, sine fructu? Hinc obseruat Ambrosius Sponsam inuitasse primo Sponsū ad hortum, postea ad agrum, quia boni quidem sunt virtutum flores, sed flores qui fructus operum parturiunt, sic enim fatur, *Supra ad hortum inuitabat, hic ad agrum habentem non solùm florum gratiā, sed etiam triticum & hordeum, hoc est, solidarum firmamenta virtutū, vt fructus eius aspiciat.* Aspicit flores virtutum, quibus anima coronatur: aspicit fructus mundos, quibus cor ornatur, *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vbi sic obseruat, & bene, Theophylactus, *Christus iubet eum alijs virtutibus, etiam mundos, hoc est, castos esse: non solum corpore, sed & corde. Nam absque sanctificatione, hoc est, castitate, nullus videbit Deum. Sicut speculum si fuerit mundum, accipit imagines: Ita & anima pura faciem Dei, & Scripturarum scientiam suscipit.* Speculum ergo purum debet esse cor, si faciē Dei vult suscipere, vti & speculū sine macula est Scriptura, in qua facies Dei perspicitur.

Henric. Suson. in Dialog. cap. 23.

Ambrosius lib. de Isaac & anima c. 8

Matt. 5. 8. Theophylactus in enar. sup. cap. 5. Math.

19 Nec speculi nomen absque mysterio vsurpatur, nam scientia Sanctorum, ex eo prudentia dicitur a Salomone, quia vt Lyranus explicat, non est scientia tantum speculatiua, sed etiam practica: nō tantum intellectum illuminans, sed affectum inflammans: non tātum mentem docens, sed ad opus dirigens. Non ergo iura & præcepta Dei tamquam specula speculanda tantum sunt, sed tāquam consiliaria sic aspicienda, vt pareatur eorum consilijs, & mundentur mundanda, emendentur emēdanda, corrigenda corrigantur, & omnia seruentur, quæ præcipiunt obseruanda. Hinc subtexuit Iacobus, & optime, *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, nō auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Et Augustinus explicans verba Dauidis, *Tunc non confundar, cum perspexerò in omnibus mandatis tuis:* atque Iacobi dictis applicans, sic de Psalte dicebat, *Talem se iste vult esse, vt inspiciat tamquam in speculo mandata Dei, & non confundatur: quia non auditor eorum tantum vult esse, sed factor. Propterea optat dirigi vias suas ad custodiendas iustificationes Dei.*

Lyran. in c. 9. Prouerb.

Iacob. 1. 24.

Psal. 118.

August. in enarr. super Psalm. 118. conc. 4.

20 Sæpe Concionatores speculum solent, tamquam ad vanitatē paratū, prohibere: at ipse libenter paratus sum exhibere, dummodo eo vice consiliarij, & vir vtatur, & mulier. Sic Moralis Philosophus putabat specula inuenta esse, *Ad consilium: formosus, vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret redimendū esse virtutibus.* Et sic Hieronymus ad vsum hunc speculi Demetriadē hortabatur, *Vtere lectione diuina vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conseruando, & pulcherrima faciendo.* Et Hugo Victorinus ad idem nos inuitat, aiens, *Scriptura est liber vitæ, cuius cognitio vita, cuius aspectus desiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius scientia dulcis, cuius profunditas inuestigabilis, cuius verba innumerabilia, & vnum tantum verbum omnia. In hoc ergo speculo, in quo nos Deus docuit vias suas, nos perspicere debemus, & scrutari vias nostras, ac quærere quomodo reuertamur ad Dominum, & leuare corda*

Seneca lib. 1. quæst. natur. c. 17.

Hieron. in epist. ad Demetriadem.

Hugo Vict. in lib. de Noe & Arca.

nostra

nostra ad Dominum cum manibus ad cælos. Notāda verba, Sicut enim eadē est via, vt Aristoteles docet, qua Thebis itur ad Athænas, & qua Athænis ad Thebas: ita, vt Victorinus dicit, eadem lex est via, qua Deus venit ad nos, & nos reuertimur ad Deum: hæc autem Scriptura sacra est.

21 Mulieres artificiosè & vanè in speculo se adhornantes, naturalem figuram non immutant, internam formam non mutant: sed extrinsecus tantum operiunt cum defectu defectum, immo illud augent: regunt albedine vultus nigredinem, rubro genarum pallorum, auro argenteam comam, & sic mentiuntur, vt si illarum viri, præditi essent spiritu Macedonis Philippi, ex hoc tamquam infideles tenerentur abijcere. *Philippus ex Antipatri amicis quēdam in iudicum numerum ascripserat. Verum post, vbi cognouit illum tingere barbā & capillos, submouit eum, dicens, Qui in capillis fidus non esset, eum in rebus gerendis non videri dignum, cui fideretur.* Et vir videns mulierē in capillorum ac faciei tinctura mentientem, argumentari deberet infidam fidem, fictamque atque fucatum erga se amorem. At Sponsa Christi, *Si prospexerit in legem perfectā libertatis, & permanserit in ea:* Vel ex Græco, *Si introspexerit oculis intentis:* & maculas deleuerit, vultumque animæ composuerit ad præsentiam legis, & permanserit sic, obseruando & puliendo vultum: & vultum mutat, & nouum plasma sic fit, vt anima nigra in albam, pallida in rubram, foeda in pulchram, & deformis sic reddatur formosa, vt possit cum Nazianzeno gloriari, *Ego in diuinis oraculis euoluēdis mentis puritatem collegi.* Mulieres enim vanæ colligunt ex varijs colorū mixturis corruptionē: anima vero Iusti ex varijs Scripturis colligit internā pulchritudinem, ac plenam perfectionem. Hinc Bernardus explicans prædicta verba, Si quis auditor est verbi, & non factor, comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit se & abijt: ita se ipsum commonet, & nos monet, *Nos autem, fratres, non sic obsecro, non sic, sed cōsideremus nosmetipsos, & in ea, quā audiuimus sacri Euangelij lectione, meditemur, vt proficiamus ex ea, & corrigamus secundùm eam, si qua in nobis deprehenderimus corrigenda: propter hoc enim optat Propheta dirigi vias suas ad custodiendas iustificationes Domini, Tunc, inquiens, non confundar, cùm prospexero in omnibus mandatis tuis.*

Ex lib. 4. Apoph. vbi de Philippo Maced. nu. 23.

Iacob. 1. 25. Græcus.

Nazianz. in oration. de Quadrag. ieiun.

Bernar. ser. 1. de septem panibus.

CIRCVLVS VII.

Meditatio iuris ac legis Domini necessaria est cuilibet fideli.

22 MIrabatur Ambrosius hinc aspiciēs sæculares homines adeo prudētes in emptionibus terrenorum bonorum, quæ nullius æmolumenti sunt, momenti nullius: inde prospiciens & fideles cælestium donorum, immo æterni & summi Boni emptionem pro nihilo habentes, dum in lege non meditantur, exhortationes Sapientum nō exquirunt, & penè præcepta necessaria nedū consilia salutaria paruipendunt. Sic ergo tecū loquebatur, & tali te gratia adhortabatur, *Tota ergo die in lege meditare, non perfunctoria tibi debet esse transcursio. Si agrum emere velis, si mercari domum, prudentiorem adhibes, & quid iuris sit diligenter cōsideras, & ne in aliquo fortè fallaris, tibi ipse non credis. At nunc tu ipse emendus es tibi, de tuo precio tractatur. Considera quis sis, quod nomen habeas, quid acquiras tibi: non agrum, non pecuniam, non gemmarū monilia, sed Christū Iesum, cui nulla possint pretia, nulla ornamenta conferri.* Nunc ergo pro tali vel emptione vel venditione, cur non meditaris die ac nocte? Cur non Consiliarios requiris? Quæris forte quinam sint sapientes a consilijs? En eos tibi demonstrat idem Ambro-

Ambros. serm. 13. in psalm. 118. ver. 2.

Idem ibid. brosius, *Adhibe tibi consiliarios Moysen, Eliam, Ieremiam, Petrum, Paulum, Ioannem, ipsum magnum Consiliarium Iesum Dei filium, vt acquiras Patrem. Cum his tractandum, cum his conferendum est tibi, tota meditandum die.* O salubre consilium, quo acquirere Patrem docemur, qui sufficit nobis! O ditissimus mercimonium, quo homo seipsum vendit, vt emat Deū! O locupletem commutationem, qua pro immortalibus mortalia, pro cælestibus terrena, pro pretiosissimis vilia, & pro diuinis traduntur humana! Concludam omnia cum Nazianzeno, *O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum sola voluntate venale tibi proponitur: cupiditatem ipsam Deus ingentis pretij loco habet.* Quis ergo thesaurus cum voluntatis poterit cōparari thesauro, quo solo Cælum comparatur, gloria emitur, Deus promeretur? Et iure, nam Deus nō bona hominis quęrit, sed hominē, & hominis voluntatem, & ex eodem Theologo, *Nulla reperinde Deus delectatur, vt hominis, pro quo omnis sermo & omnia mysteria, resipiscentia & salute.* Omnia enim Scripturæ mysteria, & omnis sermo reuelatus in ea, ad hoc tendunt, vt resipiscētiam salutemque hominum operentur.

Greg. Naz. orat. 40. in sanctum Baptisma.

Idem orat. in sancta lumina.

23 Nec te deterreat meditationis labor, nam in illa nouum miraculum expertus videbis, inuenies enim terram adeo nouam, vt in illa non virificetur antiquum Prouerbium, *Quemadmodum dies eris sementem, ita & metes:* quia ex opposito, si lacrymas in ea seris, risū metis. Nō meū est, sed Olympiodori inuētū, sic enim docet, *Meditatio, quam intendimus circa diuinos libros, non laboris est carnis, sed exultatio spiritus. Quamuis enim in sudore & lacrymis seminemus laborentes circa honesta: in exultatione tamen metemus inclytum fructū bonorum, siquidem laborum, gloriosus est fructus.*

Adagium.

Olympiod. in enarr. in Ecclesiasté Salomon. in fine.

24 Tunc autem gloriosus est meditatæ legis fructus, cum fructus est, non lapis: tunc fructus est quando ex radice caritatis, legis oritur memoria, legis meditatio proficiscitur: at lapis est, quando legis memoria in lapide scripta, excitatur quidem, sed nō amatur: vnde ab ea non ornatur, sed oneratur. Fallor si hoc non docuit Augustinus, dicens, *Quibus autem iniustis, & non subditis, lex in lapideis tabulis ponitur: prauaricationis reos, non promissionis efficit filios. Sed & ille, qui eius meminit, non tamē diligit, eo modo reus est, quia memoria eius lapis illi est quodammodo scriptus, non quo adornetur, sed quo prematur: pondus oneris, non titulus honoris.*

August. in conc. 11. super Ps. 118.

25 Non sic beatus vir, in cuius gloriam illa commutatio fit, quam diuinus Legislator pro se renuit: Lapides enim Legis, vt Isaias promisit, illi panes fiunt, *Panis ei datus est:* Vel cum Alijs, *Lapis ei panis.* Sicut enim, ex Augustino, *Cibus panis quotidianus est:* Ita legis meditatio quotidiana est ei, & meditatur die, & contemplatur nocte, & ruminat, vt mundum animal, semper legem. Et quia Lex, nedum panis, sed poculum est, ideo idem subdit, *Aqua eius fideles sunt,* Fideles sunt, quæ numquam deficiunt, etiamsi indeficiēter bibantur. Biberat Dauid dum dicebat, *Testimonia tua exquisiui:* bibere cupiebat, dum repetebat, *Legem pone mihi Domine, & exquiram eam semper.* Cur, o Propheta, id exquiris, quod habes? Respondet pro illo Augustinus, *Quia & habet agendo, & exquirit proficiendo.* In tali enim meditationis mensa scriptum legitur, & impletur, *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient:* Nam cibus vnius meditationis, fames est alterius: & potus præcedens, sitis est subsequentis. Quia tum ex Palacio, *Sapiētia ipsa est cibus, ipsa est esuries: nam qui eam comedit, eam esurit:* tum ex Macario, *Quanto magis spiritalem profectum in se senserint, tanto plus esuriunt & sitiunt augmentum gratiæ.*

Isa. 33. 16. Alij.

August. in enar. super psal. 13.

Isaias ibid.

Psal. 118. 22. Ps. 118. 33.

August. in cōc. 11. sup. Ps. 118.

Eccli. 24. 29

Palacius in c. 24. Eccli.

Macarius in hom. 10.

CAELI DAVIDICI
VERSIO XXXVI.
In Psalmi primi, Versus Tertij, Partem Tertiam.

Prima. Ex Vulgata, Et erit tamquam lignum, quod plantatum est decursus aquarum.

2 Ex Aquila & Hieronymo, Quod transplantatum est iuxta riuos aquarum.

3 Ex Pagnino, Erit sicut arbor plantata secus riuos aquarum.

4 Ex Oct. Chaldæo, Erit sicut lignum plantatum iuxta fonticulos aquarum.

5 Ex Felice, Secus diuisiones & decursus aquarum.

6 Ex Glosa, Erit tamquam lignum, quod plantatum est ad exitus aquarum.

7 Ex Paraphraste Chaldæo, Et erit sicut arbor, cuius fructus maturescit.

8 Ex Eugubino, Et erit sicut arbor vitalis secus scissiones & scaturigines resonantes.

CIRCVLVS I.

Connectitur hæc Versio cum præcedentibus.



1 AVreum os aurea verba depromēs, sacras Scripturas auri fodinis æquans, ac Interpretes earum aurea metalla fodientibus comparans, hos vt iam dicebamus, sic instruebat, vt illorum boni æmulatores essent, pro comperto habentes, quòd, *Nec vnum iota, aut vnus apex prætermitti potest, & ne dimidium quidem prætermittendum est, sed omnia diligenter inuestiganda: nam à Spiritu sancto omnia prouenerunt, neque in his quicquam superfluum, quicquam non necessarium.* En tertij iā versiculi cælicus motus nō aliunde exotitur, quàm ex particula, *Et*. Si ergo, vt Gregorius Papa philosophatur, *Et, sermo coniunctionis est, & scimus quia non coniungitur sermo sequens, nisi sermoni praecedenti*: sapienter quidem huius circulationis Psalmographus sumpsit initium ab hac particula *Et*, coniungens huius sphæræ cum sphærarum præcedentium versionibus. Hoc ab vno tantum Gene-

Chrysost. hom. 35 in Ioannem.

Greg. Papa lib. 1. in Ezech. ho. 1

Genebr. hi. brardo obseruatum reperio, sic enim ait, *Et emphatica particula: Alij, Et, pro Nam, vt reddat rationem cur talis sit beatus*. Sicut ergo ibi fructus beatitudinis protulit, ita & hic fructiferam radicē pandit: sicut ibi riuos aperuit, ita hic fontem prodit: & sicut effectus ibi descripsit, ita & hic effectuum caussam depromit. Caussa autem, per ea, quæ Ambrosius docet, alia non est, nisi fæcundus & vber aquarum decursus. Ait enim, *De quibus dicit Euangelium, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dicebat de Spiritu, quem incipiebant accipere, qui credituri erant in eum*. Et per ea quę Eugubinus adnectit, *Quia is, qui perenniter diuinis lectionibus, meditationibusque vacat, velut ab his irrigatus, semper profert fructum, ipsas videlicet virtutes, florens, virescensque, instar arboris ad fluuium virescentis*. Inter innumera Numina a cæca gentilitate venerata, etiam aquam numerat Nazianzenus, dicens. *Alij rursus propter necessarium vsum, terram, aquam, aerem, ignem, quod his sublatis, humanæ vitæ incolumitas stare non potest*. Errabant illi, non tamen is errabit, qui asseret, in aqua sacræ Scripturæ Deū reuelatū reperiri, Verbo incarnato asserente, *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluant aquæ viuæ*. Vbi Theophylactus ponderans verba, dicit, *Flumina fluere, non flumen aquæ viuæ, Spiritus liberalē gratiam & largitatem insinuans. Et de ventre, sicut Dauid dicit, Et legem tuam in medio ventris mei: ventrem quidem cor nominans tropo Hebraico*. Quicumque ergo in corde legem habet, flumina Spiritus, & gratiæ habet, ac Deum habet, sine qua aqua vitæ incolumitas stare non potest, per eam enim arbor inuersa floret, fructumque reddit in tempore suo.

Ambros. in enarr. super psal. 1.

August. Eugubin. sup. psal. 1.

Greg. Naz. orat. 34. quæ est 2. de theologia.

Ioan. 7. 38.

Theophylactus in enar. sup. c. 7. Ioa.

CIRCVLVS II.

Spiritus, & cor viri beati cælum est, a Cælorum Creatore formatum.

2 CAelum verè, & dicitur, & est vir beatus, nam vt expertus loquitur Cellensis, *Efficitur cælum per inhabitantem Spiritum eius, qui fecit Cælum & terram, & habitat in Cælis: Verbo enim Domini Cæli facti sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorū*. Iure secus decursus aquarum describitur beatus vir, quasi lignum plantatum, quia vt possit fructu beatitudinis frui, a decursibus aquarum ex diuina fonte per Patrē, per Verbum, & per Spiritum sanctū, & fundatur in Cælo, & irrigatur. Sic subdit idem Cellensis, *Hæc tria, scilicet, Verbum, Dominus, & Spiritus oris eius, creant, formant, & ordinant Cælum conscientiæ. Dominus quidem creat, Verbum format, Spiritus ornat. Dominus in ore suo creat, Verbum Domini instructione sapientiæ confirmat, Spiritus oris eius donorum varietate exornat*.

Petr. Cell. in lib. de cō. scientia.

3 Exornat, quidem, animam, tamquam rude lignum, est enim tabula rasa, & tali arte disponit, vt sicut in æreis cæli tabulis varia lumina, micantes planetas, & varias Stellas admirabili arte descripsit: Ita in tabula animę innouet signa, imagines renouet, immutet mirabilia. Ad opus hoc, & opus grande perficiendum, primas vices timor habet, qui eam primò dolat, disponit, & aptat, eiusque manus tales Cellensis describit, *Timor, tamquā bonus accedit dolator, & susceptam a corde, quasi a silua, cogitationum materiam, disponit eam, modo superflua resecās, modo distorta dirigēs, & modo inequalia ad æqualitatis statū in mēsuratione colligēs*. Sed animæ tabulæ sic dolatæ, addita est linitura mandatorum Dei, dixerat enim Psaltes, In lege Domini voluntas

Idem ibid.

Idem ibid.

eius.

Petr. Cell. ibid.

eius: sine hac enim pictura nõ inuenit locum. Ita idem Abbas subdit, *Cùm a timore ad mandata currimus, quasi supposita compositioni hnituram superinducimus, mandatorum quoque adimpletio, & duritiam timoris exasperantis animam emollit, & valliculos imperfectionis complemento spei ad æqualitatem vnitatis, & vnanimitatis conducit. Confirmat denique quæ erant ruitura, immo, quæ iuxta Apocalypsim, erant moritura, instabile namque est quodcumque sine dilectione & mandatorum obseruatione timor proposuerit, ideo scriptura dicit, Deum time & mandata eius obserua.* Hinc est, quod subiecit Salomon, *Hoc est omnis homo*: si enim Petro Damiano credimus, *Qui non studuerit cauere prohibita, qui neglexerit implere præcepta, quia ratione caret, vocabulum quidem hominis habet, sed hominis esse non habet, quia non veraciter vtitur virtute nominis, quo censetur.* Nec mirum cùm possit dicere, *Si caritatem non habeo nihil sum*: vnde si nihil est, multo minus omnis homo poterit esse.

Eccli. 12.13

Petr. Dam. Opusc. 23. cap. 5.

CIRCVLVS III.

De Pictura caritatis in tabula animæ beati Viri.

4 AT beatus vir, qui & Deum filiali amat timore, & sancto timet amore, is mandata Dei obseruat, in lege Domini est voluntas eius, est omnis homo, est lignum iam dolatum & linitum, est secus decursus aquarum, & amoris imago viuis coloribus, clarisque luminibus in eo figuratur. Hanc mirabilem picturam mirabili arte formatam, admirabili eloquentia, ita describit Petrus Cellensis, *Quã pulchras, & quàm decoras nouit depingere formas dilectio?* Si caput quæris, *caput sphæricum & rotundum, sed aureum pingit, quia intentionem puram & perfectam facit.* Si oculos, *Columbinos aspectus ingit per innocentiam.* Si manus, *Manus tornatiles per eleemosynam.* Si nares, *Nasum apertum & recuruũ per discretionis temperãtiam.* Si vbera, *Vbera plena per abundantiam gratiæ.* Si pedes, *Pedes perfectos per incessum misericordiæ.* Si corpus, *Corpus totum plenum oculis per circumspectionem industriæ.* Et si vltra quæritur, cor suũ & corpus dat in similitudinem picturæ, vbi emblemata varia pingit, *Pingit trinum & vnum Deum in capite, pingit Iesum in oculis, pingit librum Euangely in manibus, pingit flagella in dorso, pingit lanceam in latere, pingit totum corpus extensum, adeo vt ossa dinumerentur, pingit acetum in potu, fel in gustu, pingit coronam spineam in capite, pingit velatum facie, pingit alapis cæsum, pingit mortuum, pingit Mariæ Magdalenæ apparentem in horto & confabulantẽ, pingit cum Apostolis conuescentem, pingit ad cælos ascendentem, pingit ad dexteram Patris residentem & regnantem, pingit ad iudicium manifeste cum potestate magna & maiestate venientem, pingit a sinistris terribilem, a dextris amabilem. Ecce sculptura, ecce pictura caritatis.*

Petr. Cell. in lib. de conscientia.

5 Si quæras, Vnde emuntur, & quales sunt colores, quibus immaterialis depingitur animæ imago? En idẽ Cellensis eos omnes enumerat, & demonstrat. Vis rubrum? *Rubrum habet colorem in sanguine.* Vis nigrum? *Nigrum in passione seu in morte.* Vis viride? *Viride in resurrectione.* Vis terrenum? *Terrenũ in conuersione mortalis.* Vis purpureum? *Purpureum in vexatione assidui certaminis siue cum hominibus, siue cum spiritibus. Ecce colores.* Si autem colores requirunt vasa in quibus seruantur: vbi ergo hæc poterimus inuenire? En idem Abbas vel illa tribuit, vel loca distribuit, in quibus reperiuntur, subdens, *Quæ cornua iustitiæ colores continent, nisi cornua Iusti? Et quæ sunt cornua Iusti, nisi corda iusta? Vnum cornu, in quo melius reponitur ista, est illud modicum humilitatis cornu, de quo Daniel loquitur, quòd factum est grande contra me-*

Idem Abb. ibid.

ridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem. Veri humilis conscientia, quæ sicut cornu de carne procedit, sed carnem fortitudine, duritia, & longitudinis quadam prominentia excedit, grande efficitur contra Meridiem, quando vicerit calorem noxium libidinis: contra Orientem, quando inanem gloriam: contra fortitudinem, quando omnem tentationem diabolicam. Virtus conscientiæ tanta in facie Moysis apparebat, ut cornua diceretur, ut oculos reuerberaret inspicientium exuberans gloria Legislatoris, Hæc autem omnia vnde manant, nisi a fonte lucis, a vena legis, per quam caro mutatur, vincitur sensus? Sic idem Pater subtexuit, ita dicens, *Feruentis gratia, velut musti noui impetus, Sanctorum pectoribus cohibetur carnis ponderibus, si lex cum gratia mōtem mentis conscenderit, & totas tabulas descriptione mādatorū impleuerit. Sicuti enim instabilis littera vel pictura mandatur ad informationem mentium, vel delectationem oculorum: sic in corde memoria bonorum cælestium retinetur, vel ad meritum gloriæ, vel ad munimentum conscientiæ.*

Idem ibid.

CIRCVLVS IV.

Addenda sunt prēmonstratis coloribus lumina legis, vt appareat splendidi.

6 DIcetis mihi, Ecce colores & vascula, sed vbi sunt lumina? Lex lumina addit, lux enim est, quæ omnia illustrat, & picturam sic viuificat caritatis, vt canere possit, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis:* nam, *Mandatum lucerna est, & lex lux.* A mandatorum enim custodia, peculiari cognitionis lumine mens perfunditur, & interiores oculi noua luce illustrantur, sine quibus omnia tenebricosa sunt, vt Philo asserebat, *Tenebricosa, vespertina, nocturnaque res est insipientia: splendida vero, fulgida, & verè orientalis prudentia.* Prudentiam autem iuris intelligit, cum hoc enim addito solet describi, Iuris prudentia. Et miro modo Dauid coniunxit lucernam cum pedibus, lumen cū semitis: nam vtroque oculo pictura iusti debet exornari, vt scientia adiuuetur ab operatione, & operatio sic a scientia iuuetur, vt scientibus & operantibus dici possit cū Apostolo, *In omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia Dei.* Vbi sic te hortabatur Theophylactus, *Contemplare, qui supra eos cognitione dixerit indigere, ad hoc vt dignè ambularent Deo: nunc rursus exigit ab eis, vt crescant in operibus bonis, vt simul etiam Deū agnoscant, vtrumque enim vtriusque est constitutiuum.* Quemadmodum propositiones essentiales ad inuicem conuertuntur, & dicitur, Rationale est risibile, e risibile est rationale: ita scientia legis & opera legis, se inuicem constituunt, & ad inuicem conuertuntur: nam si legem scis, opera legis facere teneris: & si opera legis facis, legem scis, cū ex Theophili Alexandrini sententia, *Lex norma sit operum.*

Ps. 118. 105.
Prou. 6. 23.
Philo Heb.
Ad Colos. 3. 10.
Theophylactus hic.
Theophyl. Alexand. in epist. 3. Paschali.

CIRCVLVS V.

Caritas legem docet, legem implet.

7 SI autem optas arborem tui cordis hoc insito fructu cognitionis & operis vel ornare, vel corona redimere: necessum erit vt secus decursus aquarum caritatis plantes illud, caritas enim & bonorum operum est fæcunda mater, cùm fides per dilectionem operetur, & scientiarum omnium est vniuersalis magistra, nam in gymnasio amoris quid non discitur, quid non docetur? Loquens cum Deo homo secundum cor Dei, ita canebat, *Qui sedes super Cherubim.* Si autem petas, quomodo, o Dauid, vel primum inter cælites locū

Psal. 79. 2.

Se-

Seraphim negas: vel Deum in inferiorem ſedem inclinas? Reſpondet Hipponis Antiſtes, & ad myſterium refugiens, te attrahit ad Cherubicam dignitatem. Si enim ſuper Cherubim, qui eſt plenitudo ſcientiæ, Deus ſedet, cùm anima iuſti ſciẽtiæ plenitudine pollet, anima iuſti Dei ſedes euadit. Ne terrearis de plenitude ſcientiæ legis tu, qui litteras neſcis, nam ſi caritatem habes, plenitudinem legis habes. Loquatur Auguſtinus, teque alliciat ad gloriam hanc ſublimem. *Si tu vis, eris Cherubim: ſi enim Cherubim ſedes eſt Dei, audi quid dicat Scriptura, Anima iuſti ſedes eſt ſapientia.* Obijcies, Quomodo ero plenitudo ſcientię, cum litteras neſciam? Sic ipſe reſpondet, *Habes vnde impleas, plenitudo legis caritas eſt, Noli per multa ire, atque diſtendi.* Quaſi diceret, qui caritatẽ habet, & Cherub eſt, & plenitudine ſcientiæ pollet, & legem implet.

Auguſt. in enarr. ſuper pſ. 79.

Idem ibid.

8 Si quis tibi præciperet, vt plãtam ſimilem arbori a Daniele deſcriptæ, cuius proceritas tangeret cælum, & aſpectus eſſet vſque ad terminos terræ, inter arcta brachia clauderes, concluderesque in anguſto ſinu: reſponſum dares, Ad impoſſibile neminem teneri: attamen ſi velles impoſſibile poſſibile reddi, radicem amplexando, totam abſque dubio videreris plantam amplecti. Sic vbi tu pro impoſſibili habes omnes legis ramos, legis præcepta, quæ numerũ dierum anni complectuntur amplecti: tene radicem, caritatem retine, & omnes ramos, omnia mandata tenebis. Non mihi præſtetur fides, ſi Auguſtino negatur, ipſe .n. ſic te ad hoc opus aggrediendũ hortatur, *Terret te ramorũ diffuſio, radicem tene, & de magnitudine arboris noli cogitare. Sit in te caritas, & neceſſe eſt plenitudo ſcientiæ conſequatur. Quid enim neſcit, qui caritatem ſcit, quandoquidem dictũ, Deus caritas eſt?* Sed, dic mihi, o Doctorum Phœnix, quomodo ex hoc, quòd Deus caritas eſt, deducitur eum omnia ſcire, qui caritatẽ habet? Explicabo cum Angelico Doctore Doctorum Principis verba, ſi enim is docet, *Ideam, quæ in mente diuina ponitur, ſecundũ quod principium cognoſcitiuum eſt, ſe habere ad omnia, quæ cognoſcuntur a Deo ſecundum propriam rationem:* mirum non erit ſi is, qui caritatẽ habet, & in quo Deus manet: habens in Deo ideam & radicẽ omnium ſcientiarum, omnem habeat plenitudinem ſcientiarum. Idque clarius patet ex Nazianzeno ſic aſſerente, *Amor legis, & Prophetarum myſterium & caput eſt.* Lex erat apud Athenienſes, referente Rhodigino, *Quæ cauebatur, ne peregrinis impartirentur myſteria*: Et lex lata eſt a Deo, ne peregrinis a fide, & a dilectione peregrinis, Scripturæ ſacræ myſteria aperiantur: ſed tantum impartiantur fidelibus, & amantibus, Scriptũ eſt enim, *Si non credideritis, non intelligetis.*

Aug. ibid.

D Tho. 1. p. q. 15. ar. 3. in corp.

Greg. Naz. orat. 18. in laud. S. Cyprian. mart. Rhodigin. lib. 16. lect. antiquar. cap. 9.

Iſa. 7. 9. ex Septuag.

CIRCVLVS VI.

Caritas Dei ſcientiam parit.

9 NEc a doctrina Apoſtoli abit hæc ſpeculatio, ipſe .n. huius fœcũdæ radicis vim ita, an dicam neſcio, expẽdit vel expãdit, *In caritate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Quas omnes dimenſiones ad ſciẽtiam & myſteriorũ plenam cognitionẽ ſic Dionyſius plenè refert, *Caritas ergo, ſiue præceptorum Dei obſeruatio, quod idẽ eſt, facit intellectui præfert, eique tanto ſplendore effulget, vt ipſum certò quodam modo cæleſtium rerum ac myſteriorum comprehenſorem reddere videatur.* Non auderem hoc dicere, niſi Bernardi inniterer authoritati. Ipſe enim cum Apoſtolo exclamante, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſũt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Ita & exclamat, & notat, *O ſapientia*

Ad Epheſ. 3. 17.

Dionyſ. lib. de diuin. nomin. c. 9.

Ad Rom. 11. 1.

Bern. lib. 5.

po

de conside ratione, in fine libri.

potens, attingens a fine vsque ad finem fortiter! O potentia sapiens, disponens omnia suauiter! Res vna, effectus multiplex, operationesque diuersa. Et illa vna res est, longitudo propter æternitatem, latitudo propter caritatem, sublimitas propter maiestatem, profunditas propter sapientiam. Nouimus hæc: num ideo arbitramur ea comprehendisse? Non *ea disputatio comprehendit, sed sanctitas, Sancti enim comprehendunt.*

10 Dic mihi o Bernarde, quænam sanctitas ad hoc perueniet, & quid hanc pariet sanctitatem? Respondet ipse, *Sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina, timor Domini sanctus, & sanctus amor. Sancti igitur comprehendunt. Quæris quomodo? Si Sanctus es, comprehendisti & nosti. Si non es, esto, & tuo experimento scies.* Breuius id explicat Augustinus, ita dicens, *Qui vult habere notitiam Dei amet.* Sed oro te, o Hypponensis Antistes vt me doceas, ac dicas, quid amori cum cognitione datur commune, cùm ille voluntatis sit ignis, hæc intellectus sit lumen? Si ergo intellectus non amat, amor quomodo intelliget? Sed verum est, quod vbi caritatis ignis trabem, quæ intus in oculis est, comburit, mundam reddit mentis aciem, quam peccata reddiderant obscuram, & sic scientiæ lumen parit, & notitiam. Hæc omnia sic extendit Basilius magnus, *Hic ignis trabem illam, quæ intus est in oculo nostro comburens, mundam constituit mentis aciem, vt recepta natiua perspicitate, admiranda Dei opera continuè videat, iuxta eũ qui dicit, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Mirabilis lux Solis non potest, nisi ab Aquilis intueri: & mirabilis lux legis, quæ est speciosior Sole, & luci comparata inuenitur prima, nõ potest, nisi ab illis, quibus amor reuelat oculos, contemplari, & dignosci. Ideo petit, *Reuela oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua.* Profanus amor velo operitur, diuinus autem velum aufert: nam ex Cassiodoro, *Reuelare dictũ est, remouere velum. Quodam enim velo ignorantiæ interior aspectus obducitur, & nisi misericordia ipsius fuerit hoc velum ablatum, Scripturas sanctas non possumus lumine cordis intueri.* Hinc est, quod in sacris litteris cognitio cum amore, amor cum cognitione commutat nomen. Gloriosos Prophetas, sed falsos, increpat Iudex, dicens, *Nũquam noui vos.* Sed si Petrus confitetur, *Domine tu omnia nosti*: nonne addubitare possumus cum Gregorio, *Numquid aliud Iudex nunciat, & aliud præco clamat?* Iudex nunciat, *Numquam noui vos*: Petrus, vt præco clamat, *Domine tu omnia nosti*: quomodo ergo possunt discrepantes hæ voces amicũ reddere concentum? Non alia arte, nisi in altera audiatur amoris tonus, in altera vero cognitionis sonus. Sic Theophylactus interpretans verba, Nũquam cognoui vos, hanc commutationem vocum nos edocet, dicens, *Hoc vult, Nec tunc quando miracula faciebatis, diligebam vos. Hoc enim loco caritas cognitio dicitur.* Cognoscit ergo, qui amat: qui non amat, non cognoscit.

Idem ibid.

Augusft. in manuali c. 10.

Basil. in homil quod sine diuina gratia resistere Satan. non poss.

Psal. 118. 18

Cassiod. hic

Matt 7. 23.

Greg. Papa homil. 37. in Euangelia.

Ioan. 15. 16.

Theophylactus in enar. sup. cap. 7. Matt.

CIRCVLVS VII.

Sacra Scriptura est simul fons & lumen, aqua & ignis.

11 Sed fortè aliquis arguere me posset, cur ego lignum secus decursus aquarum a Psalte plãtatum, secus lumen collocem, reddamuq; ignitum? Verũ, si Scripturam noscit, eamque scit, fontem simul esse ac lumen, aquam & ignẽ: merito id fecisse cognoscet. Si fõs Iouis lumen parit, nam extinctas faces, vt sæpe cum Augustino diximus, accendit: *Si Illyricis supra fontem frigidum expansa vestes accenduntur*, vt Plinij testimonio cõprobauimus: & hæc mirabilia in terrenis fontibus possunt reperiri: quanto magis in cælesti Scriptura-

Plin. lib. 2. c. 3. alias 6.

rum

Psal.35.9.

rum fonte inuenientur? De hoc ergo canitur, *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Quæres, qui fieri potest, vt fons sit & lumen, cùm lumen & fons cõtraria esse dicantur? Dicam cum Cassiodoro hoc extra naturæ ordinem euenire, nec mirum cùm hic naturæ adsit Author. Sic ergo fatur, *In cõsuetudine mortalium aliud est lumen, aliud fons, immo & contraria sibi sunt, quia fons aqua flãmarum lumen extinguit. Apud Deũ vero, vnum est: quia quidquid dixeris & verum est, & adhuc minus. Dicimus enim Deum lumen, quia omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. Fontem, quia sitientem & inanem satiat. Montem, quia fortis & excelsus est. Viã, quia rectus est. Magistrum, quia Doctor est vitæ æternæ. Petram, quia fundamentum & firmamentum esse probatur Ecclesiæ: & cetera, quæ leguntur in litteris sacris. Verumtamen in his omnibus vnus intelligitur Dominus Christus.*

Cassiodor. in psal. 35.

12 Et quidem iure id asserit, nã & Verbum diuinum reuelatum, & lex in sacris litteris exarata, tota pendet à Verbo diuino substantiali, quod ratio est, λόγος dicitur, & lex est æterna in mente Patris, quæ in tempore scripta fuit in membranis. Vidit etiam Tertullianus hãc legis lucem, & sic eam descripsit, *Non tum denique incipit lex esse, cũ scripta est, sed tum cùm orta est. Orta autem simul est cum mente diuina. Quamobrem lex vera, atque princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio est recta summi Iouis. Ergo vt illa diuina mens, summa lex est.* Idipsum Philo Hebræus miro modo explicat in Deo, Moyse, & Aaron: Aaron enim interpres est Mosis, & Moses mentis, id est, Dei, & diuinæ legis, cuius verba incantatores Ægypti confunduntur, sic enim ait, *Hos putas sustineri potuisse ni mentis interpres sermo, cui nomen Aaron, præparatus fuisset: qui nunc quidem orator dicitur, mox autem vates vocabitur: quando & mens iam angustior Deus appellabitur. Do te, inquit, Deum Pharaoni, & Aaron frater tuus, erit tuus Propheta. O consequẽtiam aptissimã, nam qui voluntatem Dei nobis prædicat, propheticum est genus, quod afflatum diuinitus, & agitatur, & sedatur. Eam ob rem Aaronis virga deglutijt virgas illorum, vt docet Scriptura. Euanescũt enim & absorbẽtur a vanis naturę artificio sermones omnes sophistici, vt fateri cogantur adesse Dei digitum, ac si dicerent Scripturam diuinam, quã asseuerãt semper sophisticam, vinci à sapientia. Nam digito Dei tabulas etiam, in quibus insculpta fuerãt oracula, scriptas narrãt sacra eloquia, ideo non possunt amplius venefici coram Mose subsistere, sed cadunt tamquam in certamine deiecti robore aduersari.*

Tertull. relatus ab Eugubino in enarr. super ps. 1.

Philo Heb. in lib. de migratione Abrahami.



CÆLI

CAELI DAVIDICI
VERSIO XXXVII.
Ex Aquila, & Hieronymo.

Et erit tanquam lignum, quod transplantatum est secus decursus aquarum.

1 Liceat nobis hoc lignum ex Ambrosij doctrina sic auspicari, vt in illo dignoscatur lignũ vitæ æternę, Verbum beatitudinis fons, & oceanum mere gratiarum, ex sinu Genitoris in Genitricis gremio transplantatum, *De ipso Salomon dixit, Lignum vitæ est omnibus percipientibus eum, qui est lignum vitæ, lignum sapientiæ, lignum plantatum in vtero Virginis, voluntate Patris, à quo in perpetuum mansurus plantatur, vt fructum daret in tempore suo. Non enim poterat arescere ista plãtatio, quæ habebat vbertatem in se manentem gratiæ spiritualis.* (Ambros. in Enar. sup. Psal. 1.)

2 Quæres, quinam sint decursus aquarum, in quibus hoc lignũ transplantatum est? Idem Archiepiscopus Mediolanensis sic illos demonstrat, *Hi sunt decursus aquarum, de quibus dicit Euangelium, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* (Ambros. Ibid.) Sed fluenta, quæ alij vix prælibarãt, in Virgine cum tota plenitudine se infuderãt: Spiritũ enim, quem credituri in Christum prælibabant, ipsa affluenter acceperat, quia crediderat abundanter. Fides ergo, scalam erexit, per quam Virgo ascendit, & Verbum in sinu Patris inuenit, ac toto hausit pectore. Si Chrysostomus docet, *Gradibus & scalis subiectis loca, ad quæ non patet aditus, & quæ sunt excelsiora adiri posse*: (Chrysost. hom. in Psal. 119.) quid excelsius verbo Dei, de quo inquirit Apostolus, *Quis ascendet in cęlum, hoc est, Christum deducere?* (Ad Rom. 10. 8.) Vtique nemo, nisi scala fidei adeo sublimis in eo reperiatur, q̃ pertingat fastigia cæli: vnde subdit, *Hoc est verbũ fidei, quod prædicamus.* (Ibidem.) Hæc autem fidei scala in sola Virgine reperta est, & ab ipsa primitus erecta, & euecta, sic fuit, vt prędicere merito posset, quod postea Aureum os de ea dixit, *Scala mihi in cęlum fidem esse voluit, & erexit.* (Idem ser. 3. de Abrahã.) Per eam ergo ascendit Virgo in cælum, in cælo arborem vitæ inuenit, arborem vitæ de sinu Patris extraxit, de terra viuentium illum duxit, in terram mortalium transplantauit, & in Virginali viridario gratia pleno, & secus decursus aquarum posito, sic plantauit, vt fructum daret fæcunditatis, & florem non amitteret virginitatis. Inde ei aptius conuenit, quod Zeno de Sara dixit, *Sic meruit fides, quod ademerat tempus: extorsit credulitas, quod natura negauerat.* (Zeno Epis. Veron. ser. 1. de Abraham.) Quid enim magis natura negauerat, quàm Virginem concipere, Virginem parere, Virginemque post partum permanere? At fides ad omnia vtilis, & fides magna, quæ nedum mõtes, sed eũ, qui montes ponderat, transferre potuit, & hæc facit mirabilia sola, quia ex eodem Episcopo, *Nihil difficile est fidei, quæ tantum habet, quantum credit.* (Idem ser. 3. de Abrahã.) Si enim quemcũque locum calcauerit fidei pes, fideli cedit, eiusque possessio euadit: iure Virginis pes, Virginis fides, cæli cacumina calcans, cæli Regina euasit, de cælo Verbum

traxit, Verbum Virgo concepit, Virgo & peperit,& Virgo post partum, quem genuit, adorauit.

3 Credidisti Virgo, & fuit fides tua similis grano sinapis, Si enim illud dicitur à Chrysostomo, *In facie humilis, in pectore feruens:* En tu humilis in facie, dum in principio sermonis te Ancillam fateris, *Ecce Ancilla Domini*: & feruens ac ardens in pectore, dum oras & dicis, *Fiat mihi secundum verbum tuum*: per eam iam arduum & magnum opus aggressa imples, *Si dixeritis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, obediet vobis*. Quid enim in arbore moro, ex sensu Chyrsostomi figuratur, nisi Crucis mysteriũ, & Crucifixi? *Per morum enim, cuius colore sanguineo fructus & virgulta rubent, Euangelium Crucis exprimitur.* Arborem ergo morum, o Virgo fidelis, nempe Filium æterni Patris in tuo mari, id est, in tuo vtero omni aquarum & gratiarũ congregatione repleto, nec redũdanti, iam triumphando traxisti, transplantasti de cælo, in te plantasti, & secus decursus aquarum sic nutriuisti, vt fructum vitæ daret in tempore suo, & rubro colore purpuratus, & mortis pallore tinctus, dum pependit in ligno, & ligni damna soluit, & vitam reddidit, & colore sanguineo Euangelium Crucis expressit. Fidei pulchritudinem sic colorat Nazianzenus, *Pulchra res est fides: ac fidei testis est Abraham, qui iustitia laudem ex fidei consecutus est.* Sed tanto magis elucet pulchritudo fidei in Maria, quanto lux superat vmbrã, Abrahami enim fides vmbra fuit fidei Virginis: senem enim generare, & hominem parere non est magnum: at Virginem parere Deũ, hęc ex Alberto, *Est fides in altissimo gradu, quæ tam immensa rei sibi promissa fidem adhibuit.* Si ex qualitate fructus qualitas arguitur plantę & radicis: qualis radix fidei, qualis planta Virgo, cuius fructus est Deus? Hinc Ambrosius, *Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam?*

Chrysost. relatus à D. Thom. in catena sup. c. 47. Lucę.

Lucæ 17. 6.

Chrysost. ibidem.

Greg. Naz. tract. 16. de pauperum amore.

Albert. Magnus in c. 1. Lucæ.

Amb. relatus a D. Th. in cat. sup. c. 1. Lucæ.

CIRCVLVS II.

Decursus aquarum Virginis preces fuerunt, per quas Verbum transplantatum est.

4 SI per decursus aquarum Virginis preces figurãtur, cui Propheta dicebat, *Consurge lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*: Vel ex Chaldæo, *Quoniam Maiestas Domini habitat in conspectu tuo*: En Maiestas Domini in cõspectu Mariæ habitabat, dicente Angelo, *Aue gratia plena, Dominus tecum*. En promissum ei Verbum in eius vtero incarnandum proponitur, & tamen ipsa consurgit, & aquam orationis effundit, dicens, *Fiat mihi, secundum verbum tuum*: nam vt Bernardus putat, hoc verbum, *Fiat*, fuit verbum orantis, *Nemo quippe orat, nisi qui credit, & sperat.* Addubitabis, & iure, si ei gratis offertur, & in benedictionibus dulcedinis præuenitur, ac in capite eius Corona gratiarum de lapide pretioso ponitur: vt quid orationi vacat, & illud petit, quod sponte Deus obtulit? Vtique, respondet idem Abbas, *Vult enim requiri Deus, etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa, quæ dare disposuit, prius pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur.*

5 *Mos erat apud Lacedemones, vt Rex hostes aggrederetur, præcedente quopiam gestãte Coronam, qui in certamine victor aliquando tulisset Coronam. Cùm igitur Lacon quidam in Olypiis magnã pecuniam respuisset, sed multo cum sudore deuicto aduersario coronam tulisset: interrogatus, quid emolumenti tibi afferet victoria, Lacon? Respondit, Ante Regẽ Coronatus incedens, pugnabo cum hostibus.* En mulier fortis ante Regem & Dominum exercituum egressurum in salutem populi sui,

Thren. 2. 19.

Chaldæus.

Luc. 1. 28.

Bern. hom. 4. in missus est.

Bern. ibid.

Ex lib. 2. Apophr. Laconum innominatorum num. 73.

vt legitime Coronam illam gestaret, ad quam videndam filiæ Sion inuitantur, *Videte Regem Salomonē in diademate*, *quo Coronauit eum mater sua*: quia secundum Ambrosium, *Hoc ipso quod ad omnium salutem eum concepit, & peperit, Coronam capitis eius æternæ pietatis imposuit*: orat, vt Coronam ex merito obtinere possit, quia non in Olympijs certaminibus, & cum hominibus, sed in Olympo bellū aggressa est cum Rege cælorum. Ambiges, quodnam bellum cum Deo aggressa est, qui se ei pacificè & spontè offert? Bellum precum, dicam ego, quo multo melius, quàm Iacob, *Fortis in Deum fuit: fleuit, & rogauit eum*. Rogādo ergo pugnauit, & Coronam nedum ante Regem exercituum egredientem ad bellum detulit, sed & dedit, cum illum de cælo traxit, & carne vestiuit. O nouum, o mirum bellū, de quo vno tātum mutato verbo, dici meritò potest cum Nazianzeno, *Quot tandem armorum apparatus, ac machinarum inuentiones, quot virorum myriades & instructæ acies, & perficere potuisset, quæ Virgo precibus solis, & Deus voluntate sua perfecit?*

Cant. 3. 11.

Ambros. in lib. de instit. virg. c. 16.

Hos. 12. 6. ex Septuag.

Greg. Naz in orat. 4. aduers. Iulian.

6 Hinc Bernardus subtexit, *Sic prius Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, merita nobis extorquet a nobis, & dum nos præuenit tribuendo, quod retribuat gratis agit, ne gratis tribuat. Hoc vtique prudens Virgo intellexit, quando præuenienti se muneri gratuita promissionis, iunxit meritum suæ orationis, Fiat mihi, inquiens, secundum verbum tuum. Nec fiat mihi Verbū scriptum & mutum, sed incarnatum & viuum: hoc est, non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana meis castis visceribus viuaciter impressum: & hoc nō mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione*. Sic, sic Coronam bellando & orādo obtinuit, quam ante Regem ac Dominum exercituum portat, qui, *Deus Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ*: id est, ex eodem Bernardo, *In vtero Virginis Mariæ, qui admirabili proprietate terra mediū appellatur, vbi non fuit vita ipsius otiosa, dum nouem mensibus purgat vulnus antiquum, vt sanitas sempiterna succederet*.

Bernard. ibid.

Psal. 73. 12.

Bern ser. 2. in die Pent.

7 Fiat ergo eius ratio, tam grata & lucida, verecundo colorata rubore: tam serena & placida, nullo interturbata clamore, & tam potens tamque dulcis ab eius labijs distillata, vt in laudem eius dicatur, *Fauus distillans labia tua*. In fauo tria reperies, formam, ceram, & mel: mel distillans, verba significat, quibus humilis Regina dixit, *Ecce ancilla Domini*. Cera, materiā figurat, in qua Verbum in carne describitur, *Fiat mihi secundum Verbum tuum*. Et forma, castra bellica repræsentat, quæ talibus coloribus ab Ambrosio est descripta, *Quid est fauus, nisi quædam castrorum species?* In hoc enim fauo virginalium precum, insigne militiæ apparebat elatum, castra apū erant disposita, & desideria ac suspiria sic elucebant ordinata, vt Omnipotēs, in quo nulla cadere potest admiratio, & arma cederet, & admirabundus diceret, *Pulchra es amica mea, suauis & decora, sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata*. Sed quomodo possunt hæc cōtraria vniri, vt simul Ierusalem sit, quæ est pacis visio: & castrorum acies, quæ est bellica dispositio? Respondet Glosa, ideo prius describi suauem & decoram, & postea terribilem vt aciem castrorum ordinatam, quia in Ecclesia pax vnitur cum bello, & olea cum ferro, sic enim philosophatur, *Castra Romanorum terribilia erant, quia totum mundum premebant, sed non erant suauia, quia veram pacem non habebant: In Ecclesia nec terror suauitatem, nec suauitas terrorem aufert: quia in terra cælestem vitam agit, & barbaras diuersarum nationum animas ad suum ritum trahere satagit*. Quod autem Glosa Ecclesiæ tribuit, hoc ad Virginis gloriā vergit, quæ suauis & terribilis, Ierusalem & acies, pacifica & belligera cum Deo sic apparuit, vt ei dicat Deus, *Verba tua, o Virgo in me*

Cant. 5. 11.

Ambrof. li. 5. Hexæmer. c. 21.

Cant. 6. 3.

Glosa ordinaria hic.

Cant. 6. 3.

irruunt,

trruit, tanquam exercitus, nec minorem mihi vim inferunt. Ita modernus quidam Doctor hæc exponit.

8 Inde Pater ad Filium vertens sermonem, sic loquitur, *Quid videbis in Salamite nisi choros castrorum?* Quid choris pacificis, cum bellicis castris? Multum per omnẽ modum, nam verba Virginis pacifica erant, vt chori cantantium: sed bellica procedebant, vt castra militantium: vim enim inferebāt cælo, inferebant Deo, illumque armatis precibus ad se trahebant. Vbi enim pro impossibili videbatur asseri, *Quis ascendit in Cælum? id est, Christum deducere*: Fortis hęc Mulier & ex choris, & ex laborū fauis castra componens, Cæli sublimia penetrauit, & inde Christū in terram traxit, clarè demonstrās inuictam, precis potentiam, & victricem verbi vim, dicens enim, *Fiat mihi secundum verbum tuum*: de quo prædictum fuerat, *Iuxta est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illū*: Vel ex Oleastro, *Propinquum est valde Verbum tibi, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud*: vix illa dicente, *Fiat mihi secundum verbum tuum*: Verbum caro factum est, & impletum apparuit quod Sedulius cecinit,

Et verbum subsequuta fides, vterumque Puella
Sidereum mox implet onus.

9 Addubitant, & meritò Patres ac Doctores, cur Angelus suæ legationis partem vltimam non impleuerit, & obtento iam Reginæ Cæli consensu, antequam cæli sublimia repeteret, ab ea nec veniam petierit, nec de eius exaltatione ad dignitatem, quæ omnes creaturarum longè superat dignitates, nec verba congratulationis protulerit, nec de opere cōpleto verba fecerit: sed audito verbo, Fiat mihi: cōtinuò, insalutato hospite, discesserit ab ea? Forte voluit Gabriel indicare efficaciā mirā Virginei, Fiat, ad quod immediatè subsecutū est opus, & factū est. Vnde Ambrosius *Habes obsequutum, vide votum. Ecce ancilla Domini, apparatus officij est. Fiat mihi secundum verbum tuum, conceptus est voti*. Votum enim fecit, & gratiæ Authorem accepit. O mirū Fiat, Virginis, celerius operās, quā, Fiat, omnipotētis Opificis: illud enim absque mora produxit effectum: hoc autem, vt notat Augustinus, cū aliqua mora. Sic enim fatur, *In secunda die quadam mora, & verborum multiplicatio, Fiat, & fecit Deus, & factum est: ita, vt intelligamus istas naturas ad obediendū minus aptas*. Ad, Fiat, autem, prolatum ore Virginis, nihil subiungitur: vt hoc signo pateat, ad obediēdum huic, Fiat Mariæ, magis paratum fuisse Deum, quàm creaturas ad Fiat Dei. Ideo, vt notat Eusebius, *Statim discessit Angelus ab ea, stupens in virginea forma, & virtutis plenitudine*. De Dionysio Plutarchus refert, quòd, *Tunc maximè se frui imperio aiebat, cùm celeriter faceret, quæ vellet, & cum simul ac dictum verbum est, factum scilicet extat*. Ex tunc autem Cæli & terræ Regina, se frui imperio apparuit, cùm verbi virtutis plenitudine, id egit, vt celeriter faceret, quæ vellet, & vix dicens, Fiat mihi secundum verbum tuum: verbum subsecutum est opus, vterumque Puellę sidereū mox impleuit onus.

Cant. 7. 1.
Ad Rom. 10. 6.
Deuter. 30.
Oleaster hic in 1. adnotat.
Sedulius.
Ambros. relatus a D. Tho. in cat. sup. c. 1. Luc.
August. de Genesi ad lit. c. 3. & 5.
Eusebius relatus a Diu. Thoma in catena sup. c. 1. Lucæ.
Plutarchus ad Principē ineruditum

CIRCVLVS III.

De aqua gratiæ Virginalis, in qua Verbum diuinum plantatum est.

10 Lignum ergo, id est, Verbum plantatum est secus decursus aquarum & plenitudinis gratiarum, dum ex sinu Patris transplantatum est in gremium Virginis matris, & ex Hugonis sensu, *Plantatum est secus decursus aquarum, id est, gratiarum*. Plinius de adamantis gloria, multa refert, & inter cetera, sic asserit, *Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas pretium habet adamas, diu nonnisi regibus, & ijs admodum paucis cognitus, vnus modo in metallis repertus, per quàm raro comes auri,*

Hugo Car. din. in ps.
Plin. lib. 37 cap. 4.

nec nisi in auro nasci videbatur. Id tamen quod ipse refert de Adamante, de Deo amante aptius vos asserite. Hunc maximum pretium habere affirmat Iob, *Nescit homo pretiũ eius*. Hunc Regibus & Prophetis tantum cognitum, sed inuisum docet Matthæus, *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, & non viderunt*. Et hunc non alibi, quàm in aureo gratiæ thesauro, sic disponente cælo, nasciturum demonstrat Gabriel, dum Virginem sic salutat, *Aue gratia plena*. Quæres, quæ communio gratiæ cum aureo thesauro? Multa per omnẽ modum, nã sicut in thesauro magno, magnę & variæ congregantur & nummorum formæ, & auri ac argẽti virgæ, & lapides pretiosi, & vasa, & gemmæ: Sic in Virgine omnes gratię. Ita Gregorius Thaumaturgus memoriæ prodit, *Conuenienter Archangelus sanctæ Mariæ Virgini primò omnium illud, Aue gratia plena præsignificauit, quoniam cum ipsa totus gratiæ thesaurus reconditus erat*.

Iob 28. 15. — Matt. 13. 17. — Luc. 1. 28. — Greg. Thaumat. ser. de Deipara.

11 Ex ciuili iure hoc de thesauro statutum est, *Thesaurus est quædam vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat, sic enim fit eius, qui inuenerit*. At si ex cælesti decreto, *Non permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat*: Gratia enim, quæ vni aufertur, alteri datur: consequens erit, vt gratia originalis innocentię primis parẽtibus data, illisque ablata, & omnibus hominibus simul, quasi thesaurus cõgregata sit, quæ dominum nõ habebat, nam Deus illam dono dederat homini: & quia absque pęnitentia sunt Dei dona, quæ vni ablata erat, alteri seruabatur. Hæc ergo gratia ex omnium hominum gratia congregata, & hic immensus thesaurus factus est eius, qui inuenit. Sed qualis persona adeo fœlix inter mortales potuit inueniri? Demonstret illam Spiritus immortalis, En ipse dicit Virgini, *Inuenisti gratiam apud Deum*: vbi Græcum verbum, εὗρες, de eo dicitur, cui nihil tale cogitanti, aut speranti, obtingit, sicut & thesauri inuentio fortuita vocabitur, & est. Sorte ergo Maria inuenit gratiam ab alijs perditam, & forte sublimiori eam gratiæ magnitudinem, & singularitatem, vt mater Dei efficeretur, quã ipsa nec opinabatur, nec sperabat, & quæ à nullo olim inuenta, nec alias inuenienda erat, vnde Bernardus, *Inuenisti, quod nemo ante te potuit inuenire, inuenisti gratiã apud Deum*. Hinc Virgo & thesaurus dicitur Dei, & gratiarum thesauraria: hoc asserit Idiota, cum illa sic loquens, *Honorãtibus te promittis gloriã, quia thesauraria gratiarum existis*. Illud autem astruit Bernardus, dicens, *An non thesaurus Dei Maria?* Sed quomodo potest simul esse thesaurus & thesauraria? Vtique: nam qui illam inuenit, inuenit & thesaurum ita ab eius pia prodigalitate semper apertum, vt non indigeat claue ad gratiarum diuitias capiendas. Sic ergo inuenit gratiam apud Deum, vt ei Angelus nunciaret, dicens, Ne timeas Maria, inuenisti gratiã apud Deum. Propositio, παρὰ, vt Græci auctores tradunt, casui dandi iuncta, vti nunc legitur, idem significat, quod latinè, iuxta, seu propè, quasi dictum sit, *Inuenisti gratiam prope Deum*. Sicut Filius iuxta Patrem, ita Mater prope Filium, de qua Idiota subdit, *Sicut nemo venit ad tuum Filium, nisi Pater traxerit eum: sic nemo venit ad Filium tuum, nisi tuis subsidijs traxeris eum*.

L. Numquã ff. de acquir. rer. dom. — D. Tho. 1. p. q. 23. art. 6. ad 1. — Luc. 1. 30. — Græcus. — Bernar. ser. 4. in missus est. — Idiota in 1 i. contemp. B. Virg. c. 1. — Idiota ibid.

CIRCVLVS IV.

Gratia Virginis ab omni hominum gratia separata, diuinæ tantum propinqua.

12 Sed quomodo aliquid dici potest vel longe distare, vel prope esse illi, qui cælum & terrã implet, & de quo Apostolus asserit, *Cum non longe sit ab vnoquoque nostrum in ipso enim viuimus,*

Actu. 17. 27.

mus, mouemur & sumus? Respondet Augustinus accedi, vel recedi à Deo per similitudinem, vel dissimilitudinem, sicut Solis lumini vbique diffuso, videns accedit, cæcus longe recedit, licet vterque in eodem adsit loco, & æquè distet: nec ob aliud, nisi quia cęcus lumini est dissimilis, & videns similis. Audiamus ipsum sic philosophantem, *Non locorum interuallis accceditur ad Deum, aut receditur à Deo. Dissimis factus, longe recessisti: similis factus, proximè accedis.* Id autem explicans exemplo à nobis proposito, ita subdit, *Vno loco stans cæcus, & videns, iisdem formis rerũ vterque circumfunditur. Iste est præsens rebus, ille absens, ex duobus vno loco stantibus, vnus est præsens, alius absens: non rebus ipsis ad alterum accedentibus, & ab altero recedentibus, sed propter dissimilitudinẽ oculorum suorum. Ille, qui cæcus dicitur, quia extinctum est ibi, quod cõtemplari solet luce cuncta vestienti, frustra est præsens rebus, quas non videt, immo rectius absens, quàm præsens dicitur. Vbi enim non est sensus eius, rectè dicitur absens: hoc est enim absentem esse sensu abesse: Sic & Deus præsens est, vbique totus est, Sapientia eius attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Quod autem Deus pater, hoc Verbum eius, & sapientia eius: lux de luce, Deus de Deo. Quid ergo optas videre? Non est à te longè quod vis videre. Apostolus dicit a quidem non longè positum ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus & mouemur, & sumus. Quanta ergo miseria est, longè esse ab eo, qui vbique est? Esto ergo similis pietate, & diligens cogitatione, quoniam inuisibilia eius per ea, quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur. Ea quæ facta sunt intuere, mirare, quære Auctorem. Si dissimilis sis, repelleris: si similis, exultabis.*

Auguft. in enar. super Psal. 99.

Idem ibid.

13 Idem vero Doctorum Phænix scalam erigit ex lateribus similitudinis, & ex gradibus caritatis, per quam & Deus ad hominem, & homo accedit ad Deum, dicens, *Quantum accedis ad similitudinem, tantum profecis in caritate, & tanto incipis sentire Deum. Et quem sentis? Qui venit ad te, & ad quem tu redis.* Si per scalam ex lateribus similitudinis & ex gradibus caritatis formatam, & anima ad Deum ascendit, & Deus ad animam descendit: En Virgo per hanc scalam prope Deum, vt Gregorius demõstrat, eleuatur, *Quæ, vt conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit?* En Deus ad illam per eosdem gradus descendit, *Hodie enim primùm auditur, Spiritus sanctus superueniet in te: & auditur, & creditur.* Si Verbum, Super, ex Dionysio, & Platone, Deo sẽper tribuitur, quia dicitur super sapiens, super bonus: en per idem diuinæ Virginis gratia explicatur, dum dicitur, Superuenet in te, aperte enim eius gratia super omnem gratiam hominum, & Angelorum describitur, vnde Amedeus, cum Maria loquens, dicebat, *In alios Sanctorum venit, in alios veniet: sed in te superueniet, quia præ omnibus, & super omnes elegit te, vt superes vniuersos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiæ.*

Idem Aug. ibidem.

Greg. Papa lib. 1. Reg. cap. 1.

Ambrof. li. 2. in Lucam.

Amedeus hom. 3. de laud. Virg.

14 Sicut ergo planta quantò propinquior est fonti, tanto magis participat ex aqua fontis, & inde abundantius vestitur folijs, ornatur floribus: vnde & in benedictionibus Ioseph dixit Iacob, *Vt ramus crescens Ioseph, vt ramus crescens iuxta fontem*; vel ex Oleastro, *Filius frutificans Ioseph, filius fructificans super fontem, id est, tam fructuosus erit filius meus Ioseph, quemadmodum arbor iuxta, aut super ipsum fontem plantata.* Haud aliter & Virgo super omnes plantas humanas & Angelicas lõgè creuit, plãtata enim iuxta fontem, prope Deum inuenit gratiã. Nec mirum, nam si aquæ propriũ est, vt illò ascendat, vnde & descendit: dum ergo Verbum diuinum, quod fons sapientiæ est in excelsis, prope Mariam descendit in terram, iure meritò, Mariam propè ipsum exaltauir in cælo, vnde

Gen. 49. 22. ex Pagnino.

Oleaster in adnot. ad literam in c. 49. Gen.

Guer-

Guerricus Abbas ser. 1 de assũptione B. V.

Guerricus Abbas cum Christo sic loquitur, modo de Incarnatione dicens, *Tunc tibi posuisti in Maria sacrarium gratiæ*: & modo de Assũptione subdens, *Nunc thronum gloriæ*. Sicut ergo thronus gloriæ virginalis prope thronum Dei est, & super omnes Angelorum choros: ita sacrarium gratiæ marianæ. Si enim ex Vlpiano, *Sacrarium est in quo sacra reponuntur*: & in Maria omnia sacra gratiarum dona reposita sunt: & prope eam, immo in sinum eius gratiæ fons & Author descendens, sacrarium illius compleuit: meritò & illam eleuat super omnes, & sibi reddit proximam super omnes.

L. sacrarium ff. de rer. diuis.

CIRCVLVS VI.

Gloria Virginis erat fons Paradisi, & Verbum ibi plantatum sicut arbor vitæ.

15 CVi autem comparabo, & cui hanc Virginis gratiam exæquabo, nisi cælesti & diuino Paradiso, repetens cum Ecclesiastico, *Gratia sicut paradisus in benedictionibus*: & cum Rabano addẽs gratię nomen Dei, *Gratia Dei*. Vbi sonũ verè paradisi Lyra reddit, qui Virginis gloriam intonans, lætitia animum replet, iubilo cor implet. *Sicut paradisus est locus amenus, & bonis fructibus plenus: sic gratia Dei, gratiosam facit animam ad Dei habitationem*. En in hoc Virginali paradiso gratiæ flumina gratiosam fecerunt & animam & carnem Mariæ ad Dei habitationem, quia Verbum fuit lignum, quod transplantatum est secus decursus harũ aquarum. Id autem, quod Moses Barcepha de terrestri paradiso, & de primo Adam dixit, de Virgine, & de secundo Adam meritò potest dici, *Paradisus ante Adam conditus est, & veluti sponso thalamus à Deo præparatus atque instructus. Igitur locum ei conseuit ornatissimũ, magnificentissimum, voluptuosissimum, ob summam elegantiam, pulchritudinemque maximè expetibilẽ, in quo versaretur, habitaretque. Neque in hac, quam nos habitamus terra Paradisus extitit, sed in alta, non natura differente, sed tenuitate, genuinaque puritate.* Bone Deus: quis vmquam colores, ac lumina viua magis, magisque clara excogitabit ad Virginalem depingendam paradisũm, talis enim Virgo Dei Genitrix appellatur à Proclo, *Sapientialis secundi Adami paradisus*? Secundus enim Adam fuit arbor vitæ iuxta fontem gratiarum, & secus flumina omnium donorũ in hac cælesti plantatus Paradiso.

Eccli. 40. 17.

Raban. hic.

Lyranus hic

Mosés Barcepha par. 1 com. de parad. c. 5. 6.

Proclus orat. 1.

16 Cùm ergo gratia Matris efficiat paradisum, quis negabit gratiam hanc quodammodo transisse in eam gloriam, quam Epiphanius ineffabilem æstimabat, dicens, *Quibus verbis explicabo gloriam radicitus fundatam?* Sed quomodo, ò Epiphani, gloria dici põt hæc gratia Virgini matri adhuc peregrināti in terra è cælo data, si gloria est beatorũ, & gratia viatorum: illa certa, hęc dubia: & illa in clara Dei visione firmata, hæc in ęnigmatica inspectione cõstituta? Sed verbum, Radicitus, cum gloria positum, per Isaiam fuit iam expositum. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*. Idcirco enim flos de radice, & non de virga ascendere asseritur, quia ex radice maternitatis talis oriebatur gratiæ flos, vt etiam in hac vita degens, in fructum gloriæ sic verteretur, vt dici posset gloria radicitus fundata. Nonne gloriam habuit in radice, dum illum, qui dicit, *Ego sum radix, & genus Dauid*: vel gestabat in vtero, vel fouebat in gremio, vel ab vtero portabat lactabatque; cùm mulier illa ex hoc beatum asserat ventrem, qui Christum portauit, & vbera, quæ suxit? Dicamus ergo cum Arnoldo, *Filij gloriam cum Matre, non tam communẽ iudico, quàm eamdem*: & sicut Filius viator fuit, & comprehensor: ita suo modo, fuit aliquando & Mater, quæ & gloriam Dei per raptum sæpe vidit: & Deum carne

Epiphanius de laudibus Deiparæ V.

Isa. 11. 1.

Apoc. 22. 16

Arnoldus in tractatu de laudib. Virginis matris.

velatum in vtero, in brachijs, in oculis, tanto temporum spatio, portauit, & lactare, & amare plus quàm Seraphim, & aspicere digna fuit. Verè paradisus, nam si paradisus, ex Casaneo, idem est ac *Parans Dei visum*: cùm in ea visus sit Deus, iure dicitur, paradisus, & gloria radicitus fundata, nam ex tali iam prodijt fœcunda radice.

Casaneus Cathol. par. 12. consid. 2.

CAELI DAVIDICI
VERSIO XXXVIII.

Ex Pagnino. Et erit sicut arbor plantata secus riuos aquarum.

CIRCVLVS I.

Vir beatus est arbor inuersa, in cęlo radices habens, vnde & irrigatur.

1 Plato hominem vocans Plantam inuersam, non cuilibet homini id conuenire putabat, sed tantum Beato viro, qui radices affectuum, tamquam comas, e terra transplantat, plantat in Cælo, & ita eas mittit secus decursus Virginalium gratiarum, vt iure dicatur, *Et erit sicut arbor plantata secus riuos aquarum*: id est, ex Hugone, *Secus decursus gratiarum*. Hunc beatum virum, & arte pati, & similibus coloribus atque luminibus descripsit Ieremias, *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittet radices suas, & non timebit, cùm venerit æstus*. Vbi Hieronymus, in aquis, Spiritus sancti gratiam recognouit, dicens, *Super aquas autem, id est, super Spiritus sancti gratiam, & diuersas donationes transplantatur*. Sed vnde hæ donationes & gratiæ, nisi a Maria pendēt, cui dixit Angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te*: vt quæ erat plena sibi, superplena esset nobis? Bernardus pendens hinc præmissa verba Gabrielis, *Aue gratia plena, & Inuenisti gratiam apud Deum*: inde eiusdem Angeli promissa, *Spiritus sanctus superueniet in te*: merito addubitat, *Quid? Plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenire quod quærit, cui non propria sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: sed quemadmodum scriptum est, Qui bibit me, adhuc sitiet, petit superefluentiam in salutem vniuersitatis*.

Hugo Car. in ps. 1.

Ierem. 17. 7.

Hieron. li. 2 in c. 17. com. in Ierem.

Bern. in ser. de aquæductu.

2 Oritur in deserto ex fœcunda vena fœcundus fons, & ora fontis supergrediens, vndique effluit, affluit vsquequaque, terram irrigat, plantas irrorat, folia producit, flores germinat, fructus parit, non tamen à deserti limitibus egreditur, vnde & ciuitas propè posita arescit in siti. Vbi vero aquæductus extenditur, qui aquam ex fonte manantem in sinu excipiat, & intra mœnia trahat, ibi liberum est ciuibus ad proprios vsus illam diuertere, viridaria irrigando, maculas detergendo, & sitim extinguendo. Eodem modo aqua gratię ex vena paterni cordis in fonte Verbi diffusa, & intra Cæli tantum fines effusa, angelicas tantum inebriabat plātas, nec in terrestri ciuitate diffundebatur, quia aquæductus, id est, Maria nondum intercesserat inter Cælum, & terram. Audiatur Bernar-

Bern. ibid. nardus, qui hanc nostræ ariditatis caussam flens priùs trahit, *Nimirū propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod nondum intercesserat is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquæductus.* Vbi vero demonstrat, quod in Virgine talis erigitur aquæductus, cuius summitas instar scalæ Iacob, cælos tangeret, immo transcenderet astra, ac viuidissimum illum aquarum, quæ super cælos sunt, attigit fontem gaudens subnectit, Idem ibid. *Tunc derivatus est fons vsque ad nos, in plateis derivatæ sunt aquæ, licet non bibat alienus ex eis. Descendit per aquæductum vena illa cælestis, vt accipiant ceteri de plenitudine eius.* Beatus ergo est vir, qui sicut arbor plantatur circa has aquas, vt inde flores gratiarum colligat, fructusque gloriæ legat, ad quos Mater pulchræ dilectionis filios inuitat, Eccli. 24. 26. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis implemini.*

CIRCVLVS II.

Beatus, vir, qui iuxta riuos gratię Virginalis veræ deuotionis radicibus plantatur.

3 DEscripserūt Naturales maximas ac miras aquarum virtutes, ad corporum vitia, vel infirmitates curandas, vnde & aquarum miracula nuncuparunt: sed quænam aqua vnquam in terris visa est, quæ cæcis visum, claudis incessum, surdis, ac mutis redderet auditum, & vocem? At aqua hæc, quæ per aquæductum Virginis à deserto Cęli ad nos descendit, hæc mirabilia, & maiora operatur. Hinc quintus Euangelista infirmos in quinque porticis commorātes, non ab Angelo, sed à Maria hāc aquam è Cęlo ad terram mouente, curatos demonstrat, Isa. 35. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet, sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Et si petas, quando hæc erunt? subdit, *Quia scissæ sunt in deserto aquæ.* Quasi diceret, Dum aquæ intra Cæli fines continebantur, & extranei earum participes non erant: omnes in terra languebant. At vena iam scissa, & per aquæductum effusa, in terra est diffusa: ibi redduntur oculi, aures, pedes, voces. Sic ibi Forerius asserit, *Videtur esse allusio ad virtutem nonnullarum aquarum, vt Termarū & calidarum aquarum, quæ a Scriptoribus celebrantur, in quibus multa corporum vitia sanantur.* Forer. hic. Sed ipse dicam allusionem fieri ad Fontem virginalem, nam ab illa petit Ecclesia, *Profer lumen cæcis. Mala nostra pelle, Bona cuncta posce. Bona enim cuncta elargitur his, qui sicut arbores inuersa circa inundantes aquas gratiarū ipsius figunt radices,* Ecclesia in Hymno, Aue maris stella. Hinc Ephrem fausta sperantium in cæli Reginam & extollit, & his verbis salutat, *Aue periclitantium auxiliatrix, iucunda libertas, fons gratiæ & consolationis.* Ephrem Syrus de laudibus B. V. Cedant, cedant huic diuino fonti terreni fōtes, in his enim multa corporis vitia, sed magno cum labore sanantur: at in illo, & corporis, & animæ mala curantur, periclitantes inueniūt auxilium, captiui libertatem, desolati consolationem, & tot & talia, ac tanta bona obtinentur cum iucunditate. Vnde Amedeus optimè dicebat, Amedeus hom. 8. de laud. Glor. Virg. *Non solum animarum saluti, verum etiam humanorū corporum sanitati, atque necessitati pia diligentia prouidet, & meretur. In locis quippe memoriæ sanctitatis eius dicatis, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbensque innumera beneficia sanitatum. Accedunt ad eius limina rei, tundentes pectora, confitentes delicta, & accepta venia, læti ad propria reuertuntur.* Vtinam & nos, qui ad huius circuli cælestis limen accessimus: inde à quacumque & corporis & animæ infirmitate, & læti recedamus & grati.

CIRCVLVS III.

Dei per gratiam à Deo, tamquam Oceano, & a Virgine generantur.

Homerus apud Platonem iu Cratylo.

4 HOmerus à Platone laudibus extollitur, quia Oceanum deorum originem instituit, & Thetim genitricē: at minus est, quod ille finxit, quàm id quod veritas nos docet. Ecce Deus Oceanus est gratiarum & ipse generat per gratiam deos, *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*. Id autem non fit ex Theti, sed ex Virgine genetrice, quæ effundit flumina: & quæ dicit, *In me gratia omnis viæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini*. Hæc est, quæ inuitat omnes, quos ex Dei munere, amor Virginis tetigit, ita vt in ea radices caritatis fixerint, vt ex mundo transplantati, & circa aquas gratiarum, quibus ipsa abundat, plantati feliciter, eius generationibus repleantur. Sed quænam fuerunt Virginis generationes? Verbum diuinum à Patre ab æterno genitum, & homo in tempore generatus ab ea. Et quæ erit nostra per illam generatio? Quod homines à terra genitos, regeneret ꝑ gratiā deos. Ideo Ephrem eā sic salutat, *Aue fons gratiæ. Aue clauis regni cælestis. Aue nostra gloria*. Primò fons gratiæ, vnde nos generat filios Dei, ac deos. Secundo, clauis regni cælestis, quæ nos regeneratos, introducit in regnū. Demum nostra gloria, dum regeneratos per gratiam deos, coronat gloria & beatos exornat.

Iacob 1. 18.

Eccli. 24. 24.

Ephrem Syrus ibid.

5 Sed apertius hanc maris Oceani abyssum, & venæ virginalis efficaciam expressit Richardus, dicens de Virginalis gratiæ plenitudine, *Hæc est beata plenitudo, & plena beatitudo Domina nostra, quæ fons est, & origo totius nostræ beatitudinis: quidquid beatitudinis ab illo magno mari, id est, ab illa infinita bonitate Dei Trinitatis ad genus humanum peruenit: totum per eam venam defluxit*. Quis vmquam vidit arborem Ioanne Baptista excelsiorem, de quo Veritas testata est, *Inter natos mulierum non surrexit maior? Sed vbi genitus, vbi plantatus creuit? Vtique iuxta huius aquæ fōtē, ac riuos*. Non mihi præstetur fides, sed Guarrico Abbati, qui de gratiæ Virginis plenitudine sic loquitur. *Vere gratia plena Maria, manifestè Deus totius gratiæ in ea erat, de cuius munificentia tam copiosè, tam magnificè principaliter in Matrem, de Matre in Ioānem, de Ioanne in parentes, gratiæ largitas profluebat, & flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ, & gratiæ oriebatur de medio paradisi. Proxima erat fonti arbor ista nobilis, Ioannem alloquor, ideoque vberius irrigata, in tantum excreuit, vt inter natos mulierum, nihil illa sublimius posset inueniri*.

Richard. a S. Laurētio lib. 1. de laudib. Virg. c. 6.

Matt. 11. 11.

Guarric. Ab. ser. 1. in Natiu. Ioa. Bapt.

CIRCVLVS IV.

Maria spontè elargitur aquas gratiarum his, qui deuoto affectu circa illam plantati sunt.

6 SEneca benefactores docet, *Tum initia beneficiorum suorum spectare, tum etiam exitus: & ea dare, quæ non tantum accipere, sed etiam accepisse delectet. Pulcherrimum autem opus est, etiam inuitos, nolentesque seruare*. Id autem totū, & cum fœnore gratiarum in Virgine, quasi in Idea beneficientiæ, clarè cernes. Vis initium beneficiorum eius? Ecce, non exorata exoritur, *Ego quasi fluuij Dioryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso. Dixi rigabo, hortum meum plantationum*. Si cum aliis leges,

Seneca lib. 2. de benef. cap. 14.

Eccli. 24. 41

Alij apud Salazar.

Ego quasi fluuius vorax: inuenies Virginem omnium gratiarum aquas ebibisse, nam ex Bonauentura,

Bonauent. in spec. c. 3.

Flumen gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, flumina gratiæ Martyrum, Confessorū, Virginum, & Doctorum intrant in Mariam. Sed quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam omnis gratia ad omnes defluxit? Ipsa ergo tot gratiarum fluminibus superplena, sua sponte, *Exit de Paradiso*; vel ex Græco, & Tigurina, *Exit in Paradisum.* Quid vtilius, quid delectabilius?

Græcus & Tigurina.

7 Quid autem pulchrius, quàm cursum huius fluminis admirari? Si fluuius iste, vt hic Rabanus refert, *Araxes dicitur, quod rapacitate cuncta prosternat.* En Virgo si videt eos, qui aliquo pio affectu erga illam tenentur, etiam a febribus magnis teneri, vinculis peccatorū constringi, & mole vitiorum & criminum obrui, sæpe sic circa has plantas currit, vt Artaxes, & aquarum & gratiarum rapacitate sic cuncta mala prosternit, vt ea in bonū conuertat, & sic fructiferas reddat, vt etiam inuiti nolentesque, & obstinati, suis beneficijs diuites fiant. Ideo & ipsa subdit, Sicut aquæductus exiui de Paradiso: & Bernardus concludit, *Neque enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet, sed tibi vehiculum voluit prouidere.* O vehiculum, quo paradisus in terra formatur, tot consitus arboribus, quot Virginis sunt Deuoti, quotque ab ipsius fonte in quatuor flumina diuiso, irrigantur, & Iusti, & pænitentes, & peccatores, & purgantes, nā de omnibus curam gerit, Dixi rigabo hortum meum plantationum.

Raban. Maurus hic.

Bernard. in ser. 2. in nat. B. M. de aquæductu.

8 Notandum verbum, Rigabo hortum, quo significat gratiæ Genitrix, se non in superficie solum, sed intus & in corde aquæ gratiam infundere. Et sicut obseruat Augustinus verba Psaltis, *Lacrymis meis stratum meum rigabo:* & docet, *Quod rigatio ad interiora permanat, vsque ad cordis intima:* Ita mater misericordiæ irrigat corda, interiora fæcundat, sic enim cū Chrysologus miratur, *Gratia vere plenā, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet creaturam.* Fundere, si verbi ethimologia pensetur, spargere est: infundere vero est intro fundere, nam ipsa aquam fundit & infundit, penetrat viscera, emollit cor, mentem fæcundat, animam florentem facit, & spiritum Spiritus fructibus coronat, coronat & virtutibus, dum Spiritum sanctum accipimus intrinsecus debellatorē victoremque vitiorum.

Psal. 6. 7.

Aug. in enarr. sup. ps. 6.

Chrysolog. ser. 142. de Annunc. diuæ M. Virg.

CIRCVLVS V.

Virgo sæpe sponte, sæpe vix inuocata, aquam elargitur, & vitam.

9 PErierat casu lignum, & præcisis comis, ramis incisis ac trūco, vix nuda radix relicta erat in terra proxima aquarum decursui, quarum virtute denouo pollulās germinat, truncum firmat, ramos expādit, & coma coronatur. Sic vsu euenire solet, vt fidelis, qui tamquam lignum cum trunco viuæ fidei, ramis virtutum, & coma caritatis ornatus erat: a romphεæ bis acutæ ictu & caritatis coma, & ramis virtutum, & viuæ fidei truncus, sic atteratur, vt vix mortua fides, cum radice tamen deuotionis erga Dei genitricem, in terra supersit. Et ecce, vis aquæ gratiæ Virginalis tantæ virtutis est, vt in ipsa Iob Oraculum verificetur, *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant, Si senuerit in terra radix eius: ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primò plantatum est.* Audiamus suauem Lyræ sonum, quo huius figuræ diuinæ diuinum explicatur mysteriū, *Lignum habet spem, id est, homo, qui dicitur arbor inuersa. Si præcisum*

Iob 14. 7.

Nicol. de Lyra hic.

uerit,

meret, a Christo per peccatum mortale. Rursus virescit per recuperationē gratiæ. Si senuerit in terra radix eius, id est, si diu manserit in terrenis desiderijs, tamen recuperare poterit gratiam Saluatoris. Ideo subdit, *Ad odorem aquæ, id est, præuenientis gratiæ: germinabit concipiendo bonum propositum. Et faciet comam id, est, opera bona: quasi cum primo plantatum est, id est, antequam in peccatum laberetur*.

10 Circa verba, Ad odorem aquæ: quis non miretur aquæ tribui odorem, cùm illa, vt Philosophi docent, nec colorem, nec saporem, nec odorem dicatur habere? Sed quamuis huiusmodi qualitates, auara illi natura negauerit, terra tamen vnde pertransit, nescio an liberalis, an grata, sic ei retribuit, vt reciprocum sit vel officium, vel beneficium humoris accepti, & retributi odoris, ita Ambrosio testante. *Vna nempe, eademque est aqua, & diuersas plerumque se mutat in species, assumpto locorum, quibus influit, colore*: assumpto, addere poterat, & odore. Sed per quæ loca aqua gratiæ Virginalis discurrit? Per Libani odores, vt ipsamet asserit, *Quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam*. Dices, quid significat Libanus, vel non incisus, vel incisus? Incisum thus est, vt aliqui dicunt, *Quod ex arbore incisa stillat: non incisum, quod ex arbore grauida & pregnante, sponte, quasi destinato, & fæcūdo naturæ partu, profluit, quod est maturrimum, & concoctum, ideoque perfectissimum, & odoratissimum est*. Sic Matris gratiæ aqua aliquando non inciditur gladio linguæ orantis, sed sua sponte influit, plantasque vitæ reddit, ac fructiferas, nedum florentes sic reddit, vt ad eius aquæ odorem virescant, & comam gratuitæ coronæ acquirant: aliquando, vero, incisa manat, merito precum orātis, cui & ipsa promittit, *Dilata os tuū, & implebo illud*. Sed dilatato ore, quo modo potest oratio formari? Non alia forma, nisi tamquam Echo respondeat oranti. Talis apparuit Ismael semimortuus iacens & mutus, sed Agar cum fletu orante, dū *Leuauit vocem suam, & fleuit: exaudiuit Dominus vocem pueri*. Ambiges, cur puer exauditur tacens, & non potius mater clamans? Quia vox Genitricis in Genito, quasi Echo, resonabat. O Mater gratiæ, tua deprecatio existimatur filiorū, in eorum enim ore anhelante, & aperto, Echo reciprocatur, dum tua vox editur: & in tua oratione, non tantum exauditur tua pietas, quantum tuorum necessitas filiorum. Hanc precum Virginalium reciprocationem Seleucius adumbrabat, dicens, *Cùm multa nobis bona, quæ nullius oratio posset assequi; Deipara opera nobis contingant, eā benemerenti vicem rependimus, quæ in nos reciprocatur*. Vbi enim, ex Grammaticorum doctrina, *Reciprocatio dicitur eiusdem via retrograda repetitio*: dum Deipara clamante, & petente veniā pro nobis, nobis tamquam Echo, reciprocantibus veniā, veniā Deus dat, & ideo vocem nostrā dicitur exaudire, quia vt Echo resonat Marianæ vocis, quæ in nos reciprocatur.

Ambros. li. 3. Hexęmer. cap. 15.

Eccli. 24. 21.

Auctores relati a Cornelio hic.

Psal. 80. 11.

Genes. 21. 16.

Basilius Seleucus orat. 39.

CIRCVLVS VI.

Radices, seu cogitatus & affectus omnes in Virginem conuertendi.

11 Sicut arbores naturali quodam pondere & affectu, ita affectæ sunt, & trahuntur ab aqua, vt ad eam conuertant oculos, vertant folia, prætendant florentes ramos, & illò expandant radices, quo illæ vel oriuntur, vel effluūt: haud aliter Iustorum cor, quasi radix: affectus, quasi ramos: verba, quasi folia: & oculos, quasi flores ad aquam Virginalis gratiæ odorem spirantem, sic conuertitur, vt de ea Bernardus asserat, *Ad illam, sicut ad medium, sicut ad arcam, sicut ad rerum caussam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in Cælo*

Bernardus ser. 2. io die Pentecostes.

habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Hi ergo ab illa tracti, lætabundi canunt, *Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Nam flumen gratiæ ipſius dulciter murmurans, abſcondite ſuſurrans, talem emittit ſonum, *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino:* Vel ex Hebræo, *Qui me inuenerit, inueniet vitas, & educet beneuolentiam à Domino:* Vel cum Caietano, *Quicquid voluerit, à Deo facile impetrabit.* Si enim quæcumque bona velle poteſt homo, ad duo capita reuocantur à Pſalte iubente, *Diuerte à malo, & fac bonum:* vtrumque à Virgine pendet, de qua Germanus teſtatur, *Nemo eſt, qui liberetur à malis, niſi per te: nemo eſt cui donum concedatur, niſi per te.* Dicamus ergo Virgini, Omnia ſimul in te vna habentes.

Cant. 1. 3. — Prou. 8. 35. — Hebræus. — Caietan. — Pſ. 33. 15. — Germanus Pat. Conſt. de Zona Virgin.

12 Radices ergo deuoti cordis eam quærentes, eam inuenientes vitam inueniunt, quia ſignum prædeſtinationis ad vitam, eſt affectus deuotionis ad Virginem: Vnde Bernardus, *Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit inuenit, & fruſtrari non poteſt.* Hinc qui eam inuenerit, inueniet vitas. De aqua dicebat Ambroſius, *Cum ſit nutrix omnium virgultorum, diuerſos ſingulis vſus miniſtrat: alia. n. arborum genera triſtiores ferunt ſuccos, alia dulciores, alia tardos, alia præmaturos.* Ita & aqua gratiæ Marianæ varijs variam miniſtrat vitam, per eam enim, vt Bernardus docet, varia germina producuntur, & germina varia varias vitas recipiunt, *Illi qui ſunt in cælo, vt reſarciantur: & qui inferno, vt eripiantur: qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur: & qui ſequuntur, vt glorificentur.* Nam & ipſa ſic loquitur, & ſic homines ad eam quærendam, & inueniendam inuitat, Qui me inuenit, inueniet vitam: Egreſſiones meæ egreſſiones vitæ. Et ideo quilibet beatus inuentor eius, hauriet ſalutem a Domino: quicquid voluerit à Deo facilè impetrabit.

Bernar. ſer. 2. in Natiu. B. Virg. de aquæductu. — Ambroſ. li. 3. Hexæm. cap. 15. — Bern. ſerm. 2. in die Pētecoſtes.

13 Notandum verbum, Hauriet. quod ex Hebræo, יפק. Iaſlet a radice פוק phuti, ſignificat educere, ſeu extrahere, & extrahere eo modo quo ab vberius ſuperplenis paruuli extrahunt lac cum pari facilitate & ſuauitate: mammillæ enim Virgineę crateris a Germano comparantur, vnde & potus trahitur & tutela, *Crateras interpreteris licet mammas Deiparæ, ſalutare lætitiæ poculum, & tutelare, ac conſeruatorium totiusgeneris mortalium.* O mater gratiæ, tu nō ſolum mutaſti, Heuę nomen, ſed & opera, nam illa lethi fuit propinatrix, tu lætitiæ poculum propinas: illa pomum mortis, tu fructum vitæ: illa matertera, tu Mater & Altrix. Ita Epiſcopus Lauſunenſis cum Deo loquens, *In te laudabitur non Heua lethi propinatrix, ſed Maria vitæ propinatrix, mater & altrix cunctorum viuentium.*

Hebræus. — Germanus Patriarcha Coſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſ. — Amedeus Epiſc. Lauſ. homil. 8. de laudib. glorioſæ V. M.

14 Nec putes ab hoc fonte ita aquam, vel lac hauriri, & cum difficultate illa, quam Samaritana olim propoſuit Chriſto, Puteus altus eſt, nec in quo haurias habes: nam ipſa, etſi altus puteus aquarū viuentium ſit, proponitur tamen ad inſtar peremnis fontis & patentis, ad quem, liberalis ipſa & prodiga, omnes inuitat, cuilibet promittens, quod hauriet ſalutem a Domino, quaſi dicens, Ea facilitate, gratiam & ſalutem a Deo per me homo obtinebit, qua aqua ex vberrimo fonte hauritur. Et ſicut vellus vel ſpongia, & facile aquam recipit, & leui compreſſione reddit: Ita Virgo, quæ velut Gedeonis vellus, rore cæleſti repleta inūdat, facili compreſſione iam rorem reddit, concam implet, omnibus patet, patentibuſque elargitur omnia, vnde Richardus ait, *Ipſa eſt ſicut vellus, vel ſpongia, vnde deſcēdit ſicut pluuia in vellus, quæ multum de facili trahunt aquā, & in magna quantitate, & eam faciliſſima compreſſione refundunt. Sic & Maria gratiam, quam inuenit apud Deum.* Ex illa enim gratia, ex illo

Richard. a S. Laurent. lib. 1. de laudib. Virg. c. 3.

rore,

rore, tota repletur Ecclesiæ conca. Vnde fit, vt ficut exaltantur cæli a terra : ita exaltatur gratia illius, a gratijs Sanctorum: & patrocinium illius, a patrocinio aliorum. Adeamus Idiotam, ipse enim sic docebit nos cum mira sapientia hanc differentiam, *Ceteri sancti, iure quodam patrocinij, pro sibi specialiter commisis, plus possunt prodesse in curia Altissimi, quàm pro alienis. Beatissima verò Virgo Maria, sicut est omnium Regina: sic & omnium patrona & aduocata, & cura est illi de omnibus. Longè enim positos illuminat radijs misericordiæ suæ: sibi propinquos per specialem deuotionem, consolationis suauitate: præsentes sibi in patria, excellentia gloriæ. Et sic non est qui se abscondat à calore eius: id est, a caritate, & dilectione ipsius.* Sed nonne desperati se abscondunt a calore, & caritate illius? Non vtique, nam & Virgini dicit Dominus, *Data est tibi omnis potestas in cælo, & in terra: & nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare.* O potentiã omnipotentem ad saluandum, quæ etiam desperatis dat salutem!

Idiota in prologo cõtẽplationũ de Virg. M.

Petr. Dam. ser. 1. de nat. Mariæ.

CIRCVLVS VII.

Febre peccati æstuantes, si ad Virginem non respirant, spe salutis priuantur.

15 HIppocratis decretum est, *Si febre detento, repente collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo existente tumore, mortiferum.* Vbi Galenus optime philosophatur, quod, *Vehemens illa febris duplicem habitura est ad mortem rationem, tum quia, vt signum ceruicis deprauationem illam, & in deuorando difficultatem propter siccitatem accidisse indicabit: tum etiam quia & ipsa aliquid confert, tamquã vna quapiam ex caussis ad mortem perducentibus.* Idem, & ipse proferam iudicium, supposito Ambrosii Decreto, *Non minorem esse dixerim febrem amoris, quàm caloris.* Si ergo, o peccator, febre lasciuiæ, febre ambitionis, febreq. auaritiæ, vel alia detentus, os non erigis ad Virginis aquam hauriendam, vt ignem extinguas: sed in terram, immo in infernum detorques, nec respirando in eam spetas, eiusque auram captas: actum est de te: signum enim damnationis ita ex hoc habes: sicut è contra, Iusti gratiæ Virginalis haustũ pro signo habẽt gratiæ, pro causa salutis, & pro pignore gloriæ ac vitæ æternalis. Nõ est mea doctrina, sed Germani Patriarchæ Cõstantinopolitani, *Sicut Continua respiratio, non solum est signum vitæ sed caussa: sic sancta Mariæ nomen, quod in Dei seruorum ore assiduè versatur, simul argumentum est, quòd verè viuant, simul etiã hanc ipsam vitam efficit & conseruat, omnemque eis lætitiam & opem ad omnia impertitur.*

Hippocrat. lib. 4. aphor. aphor. 35.

Galen. hic.

Ambros. li. 4. in Lucam.

Germanus Patr. Constantin. orat. de Deipara.

16 Lugebat Manasses, & gemebundus dicebat, *Incuruatus sum multo vinculo ferreo, vt non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi.* At peccator, quamuis vndique vinculis peccatorum sit constrictus, si tamen caput ad Virginem attollit, & in spe veniæ per eam obtinendæ respirat, soluetur a vinculis, libertati reddetur, veniam obtinebit, ad portum salutis ducetur, vita viuet, & desideriũ Matris misericordiæ adimplebit. Audiat Amedeum, & consoletur, *Desiderium verò Beata Maria perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miseriæ, & luto fæcis, vt de peccati ergastulo, & profundo iniquitatis, indulgentiæ dono respirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit dispersos, reuocat auersos, eruens eos, qui ducuntur ad mortem, quosque trahi cernit ad supplicia, liberare non cessat.* Orabat Psaltes & dicebat, *Sicut fluit cera à facie ignis: sic pereant peccatores a facie Dei*: id autem totum euenit dæmonibus a facie deæ per gratiã, & Matris Dei, profligantur enim

In orãt. Manasses Reg. Iuda.

Amedeus hom. 8. de laud. diuæ M.V.

Psal. 67. 2.

inimicorum arus, vbi facies eius apparens, oculos aperit, & radios vibrat, qui lumen producunt in cordo poenitētis,& ignem emittūt in pectore Tētatoris. Sic idē Amedeus demonstrat,dicens, *Enimuerò sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore solis defluit glacies: sic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente, nihil aduersi subsistit.*

Amedeus ibidem.

17 Fons & oculus eodem nomine a Græcis nuncupatur ὀφθαλμοῦ, iuxta numerum ergo oculorum Matris, & Altricis cunctorū, est numerus fontium gratiarum: & sicut oculi misericordiæ, quibus hominū cōspicit miserias innumerabiles, innumerabiles sunt: ita & fōtiū gratiæ nō est numerus. Nō mihi fides præstetur, sed eidē Episcopo Lausanensi, sic enim testatur, *Sancta Animalia, de quibus in Ezechiele legitur, quòd antè, & retrò, intus, & foris, atque in circuitu plena sunt oculis, labores hominum & dolores, casus, defectus cæcitates, inualetudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æque vt Dei genitrix, valeat examinare, examinando cælesti auxilio diluere, & propulsare. Quò enim sublimius immensi Regis cor aspicit, eò profundius diuina gratia pietatis afflictorum misereri, & miseris succurrere nouit.* Mira verba, *Examinando diluere.* Examinat, vt oculus: & vt fons, diluit. Diluere, enim, idem est, ac lauare, & purgare, vnde Cæsar, *Ne canalibus aqua dimissa lateres, diluere posset.* At ipsa ex oculorum canalibus dimissis aquarum decursibus, omnia peccata purgat, corda omnia lauat, leuat & pondera peccatorum. Beatus ergo vir, qui erit tamquam lignum secus hos decursus aquarum, & Virginalium gratiarum plantatus, nā fructū salutis dabit in tēpore suo.

Idem ibid.

Cæsar. 2. Bel. Ciui.



CAELI DAVIDICI
VERSIO XXXIX.
Ex Oct. Chaldæo.

Et erit ſicut lignum plantatum iuxta fonticulos aquarum.

CIRCVLVS I.

Crucis lignum in lucem verſum eſt ad Orbem illuſtrandum.

1 ANglici, quaſi Angeli, ſequentes lumen, lumen Crucis conſpicimus in hoc ligno, nec mirum, nã vitale lignum & Crux ſplendidior cunctis aſtris, & ſua luce ſe ſignat, & ſua ſe flamma demonſtrat, nam ex Iſidori Ethimologia, *Lignum dicitur, quia incenſum in lucem vertitur, & inflammam.* Hinc addit Anglicus, *Crux benedicta, cui appoſitus fuit ignis iſte, de quo dicitur, Deus tuus ignis conſumens eſt; in lucem conuerſa eſt ad illuminationem Orbis: ſicut de ipſa canit Eccleſia, O Crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris. Ideo ſcriptum eſt in figura, Fecit & altare holocauſtorum de lignis: Holocauſtum dicitur, quaſi totum incenſum: & fuerunt iſta ligna Altaris figura lignorum, ex quibus compaginata erat forma Crucis.* Crux autem tota incenſa eſt igne amoris & flammis caritatis Crucifixi, nã de illo dicitur, *Ferculum fecit ſibi Rex Salomõ ex lignis Libani, & media caritate conſtrauit:* vel ex Hebræo, *Medium eius ignitum.*

Iſidor. lib. 7. Ethimolog. Anglicus in pſ. 1. ver. 3.

Cant. 3. 10. Hebræus.

2 Si autem petas, quomodo lumen & ignis iuxta fõticulos aquarum plantari poſsũt, & non extingui? Dicã in hoc Ægyptiaca innouari ſigna, & antiqua mirabilia immutari, de quibus legimus, *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Quæres forte, quinam erant fonticuli, non ex terra egrediẽtes, ſed manantes ex oculis? Aſpice oculos Mariæ, & aliarũ Mariarum oculos, quæ dum lamentabantur flentes Dominum, verſi erant in aquas lacrymarum: in hoc tantum diuerſæ, quia non erant fonticuli, ſed Mària erant. Non mihi, ſed eidem Cardinali fides præſtetur, ſic enim fatur, *Stabat iuxta Crucem Mater eius, & ſoror Matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Ecce quot Mària, Maria enim interpretatur amarum mare.* Et ſicut inter Maria datur Oceanum, de quo Plinius aſſerit, *Quòd toto circumdatus medio, & omnes ceteras fundens & recipiens aquas, & quidquid exit in nubes, ac ſidera, ipſa tot & tanta magnitudinis paſcit:* eodẽ modo inter omnes Marias, Maria Virgo, inſtar Oceani apparebat, à qua reliquæ Mariæ aquas lacrymarum hauriebant, & ipſius aquæ & dulces, & amaræ ſuperabant omnes. Audiatur idem Thomas Georgius, qui ita ſubdit, *Inter maria vero prædicta, fuit vnum amariſſimum, ſcilicet Maria mater eius, quod lignũ iſtud vberius irrigabat.* Vnde Anſelmus, *Domina mea miſericordioſiſſima, quos fontes erupiſti de pudiciſsimis oculis tuis, cum attenderes vnicum Filium tuum innocentem coram te ligari, & flagellari, & mactari? Quot fletus credo perfudiſſe*

Sap. 16. 17.

Anglicus ibid.

Plin. lib. 2. c. 58.

Anglic. ibidem.

Anſel. in meditationibus.

piſ-

pijssimum vultum tuum, cùm aspiceres eumdem Deum & Dominum tuum in Cruce sine culpa extendi, & carnem de carne tua crudeliter dissecari.

3 Erant autem horum fontium aquæ similes illis, de quibus naturæ Secretarius refert, *Iuxta Solis Ciliciæ fontem explere olei vicem: & hoc idem fieri in Aethiopia, & in India terris, cuius aqua lucerna ardet.* O lucidæ lampades, o stellæ, o Crucifixi plagæ, nonne vos, ex his fontibus aquam lacrymarum, quasi oleum recipientes, in nutrimentum illam conuertebatis, & lumen, vnde sic illuminabatis orbem, vt dici possit, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine?* Ita Nicolaus Treuetus sequens Hieronymi interpretationem, *Leua super nos lumen vultus tui Domine*, putat peti a Dauide, vt sublato Christo, quasi lampade, agnoscatur Deus. Sed vbi hæc lampas, immo hæ lampades sublatæ sunt, nisi in Cruce? Has ibi accensas demonstrat Cassiodorus, *In Crucis impressione, lumen est vultus Dei, quia semper in eis noscitur radiare, qui se non aliqua eligunt prauitate polluere. Crux est enim victoria Christi, infernorum destructio, cælestium confirmatio.* Si ergo cælestiũ est confirmatio, quis neget illam multo magis splendere quàm cælum?

Plin. lib. 31. cap. 2.

Psal. 4. 7.

Nicol. Treuet. hic.

Cassiodor. hic.

CIRCVLVS II.

Lignum Crucis, in ignem conuersum, vnde corda incenduntur amore.

4 ERat Crucis lignum in ignẽ conuersum, sicut currus igneus, quo verus Elias elatus est in cælum. Dicebat olim Chrysostomus, *Non videtis Reges, & Consules currugestari, & aurum gestare, & satellites omnia habẽtes aurea, aureas lãceas, aureos clypeos, equos aureis ornatos ephippijs? Quantum est hoc spectaculum illo iucundius?* Currum hũc Sponsa mira arte describit, *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis libani.* In ferculo Aponius Crucem Christi figuratã asserit, vbi corpus immaculatum, quasi argentum: anima, velut rutilans aurum: & Dei sermo habuit reclinatorium. Ascensum autem purpureum, quis non videt in sanguine abundanter effuso? *Et dorsum eius gemmatum*, vt legit Ambrosius, quis nõ miratur in plagis, fulgẽtibus, gemmeis? Sed in medio currus caritas cernitur, *Media caritate constrauit propter filias Ierusalem*: Vel ex Septuaginta, *Intimum eius lapidibus constratum, caritatem, & amorem:* Vel ex Pagnino, *Medium eius stratum amore*: Vel ex Hebræo, *Medium eius ardens caritate, seu medium eius ignitum.* Quis non miretur hæc throni, vel thalami Crucis ornamenta? Ornabat Chrysologus Sponsæ thalamum, *Auro fidei, argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis velis, verecundiæ rosis, lilijs castitatis, pudoris violis.* Sed Salamon Crucem exornatam lapidibus pretiosis & gemmis, vno colore ac lumine depinxit omnia lumina, omnes colores: relucent enim ibi aurei pyropi, argentei adamantes, candidæ gemmæ, sanguine velati sardij, rosei amethysti, albæ margaritæ, & pellentes, vel cerulei hyacinthi. Et hi quidẽ colores apprimè exornant, & ornant lignum Crucis. Sed qui fieri potest, vt ibi dum ignis additur, nõ comburatur lignum, & in cinerẽ non vertatur? O ignis amoris ardens, & non comburens! o incombustus rubus! o flammiger diuinus amor, sed non consumens!

Chrysost. homil. 9. ad Ephes.

Cant. 3. 9.

Aponius.

Ambrosius.

Ambros. li. 3 de Virgin. Cant. 3. 10. Septuag. Pagninus. Hebræus.

Chrysolog.

5 Referente Pierio nouimus quod, *Inter insignia augustalia ignis obtinebat primas: vnde legitur Commodum Imperatorem Marcia, cui plurimũ deferebat, prater ignẽ, omnes honores, velut Augusta tribui præcepisse.* At cùm inter omnia diuina insignia, ignis caritatis palmã ferat, illi non denegat Deus diuinos honores, immo sicut Deus &

Pier. Valer. lib. 46. cap. de lampade.

ignis,

Ex Ghisler. in c.3. Cant. ver. 10. in 1. exposit.

ignis,& caritas est, sic caritati, & igni diuinum currum parat. Et in medio eius triumphat ignis, & caritas,nam, *Medium ipsius ferculi tenet ignitum quid & accensum, quod certe caritas ipsa est, seu caritatis simulacrum a filiabus Ierusalem cōspiciendum.* Sed quodnam est caritatis hoc simulacrum, nisi Crucifixus totus ardens amore, & cum caritate communicans nomen, locum,currum,emblemata,dignitates,& arma? Commodus ignem, augustale insigne, non tribuebat Marciæ: at Christus ita caritati cedit diuina insignia, vt prius de iure,quàm de caritate dissimulet.

Matt.20.23

Ambrof. li 5. de Fide ad Gratian c.3.

6 Ambrosius explicans verba incarnati Verbi ad filios Zebedæi, *Non est meum dare vobis,sed quibus paratum est a Patre meo*:proposito dubio, *An & ipse dare non poterat, cui aequalis cum Patre potestas esset?* Respondet statim, *Sed noluit his, quos diligeret, videri, quod poterat, denegasse. Sanctus & bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quàm de caritate deponere.* Et, *Agesilaus cùm miro esset affectu erga liberos suos, dicitur aliquando arundine conscensa pro equo, vna cū pueris lusisse domi. Id cum casu vi disset ex amicis eius quidam,rogauit ne cui diceret,quod viderat,priusquā ipse quoque liberorum parens esset effectus: sensitiuè subindicans eum lusum non esse caritatis, sed pietatis: nec hoc, quod agebat videri posse ineptum ei, qui modò expertus esset, quàm sit ingens affectus caritatis erga filios.* Si ergo Agesilaus Rex & amator filiorum, potius dissimulat de iure Regis,quàm de amore genitoris: quanto magis Rex regū, & Pater ac amator hominum dissimulare debuit de iure suo, cui soli honor debetur atque gloria, & non arundinem, sed Crucem igminiosam olim conscendere: vt caritatis iura seruaret? Cedit ergo victoriam honori, vt amori palmā concedat, *Qui mallet aliquid dissimulare de iure,quam de caritate deponere.*

Ex lib.1. Apoph.vbi de Agesilao num.66.

7 Hanc caritatis imaginem in curru Crucis triumphantem, talibus depinxit Isaias, viuis quidem & veris, sed contrarijs & miris coloribus,*Vt faciat opus suum, alienū est opus eius.* O Propheta sacer & verax, quid dicis? Nonne vides,ꝗ opposita connectis? Si opus suum est, quomodo alienum ab eo est? Et si ab eo est alienum, quomodo dici potest id esse suum? Sed verè, quis neget crucifigi,& emori, alienum fuisse a diuinitate? Et quis abneget,in Crucem configi, & mori alienum non fuisse a caritate? Audiamus primò Hugonem explicātem alienum hoc opus a diuinitate, & sic dicētē, *Vt faciat opus suū, ad quod missus est, alienum est opus eius ab ipso,id est,illud opus ad quod faciendum missus est, non competit diuinitati eius, scilicet conspui, flagellari, crucifigi: nec etiam ipse homo hoc meruit, vt scilicet innocens, immo Dei Filius, pateretur mortem.* Subaudiamus & Paulum demonstrantem idem opus non alienum fuisse a caritate, *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Aurésque erigamus ad Lyræ sonum ita intonantem, *Ex dilectione maxima voluntariè mortem subijt pro salute nostra.* Inde concludamus, Passionis opus, quod alienum fuit a diuinitate, alienum non fuisse a maxima caritate, sic Bernardo loquente cum Deo amante, *Maiorem caritatem nemo habet,quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis: maiorem tu habuisti Domine, ponens eam pro inimicis.* Magna enim dilectio est mori pro amicis, maxime autem pro inimicis emori, & in Cruce mori.

Isa.28. 21.

Hugo Car. hic.

Ad Galat.2. 20.

Lyranus hic

Bern.in fer. fer.4. hebdo madæ sãctę.

8 Sed proposita quæstio circa Isaiæ verba,quam nos cum Hugone & cum Apostolo iam dissoluimus: clarius fortè soluitur a Philippo Abbate Bonæ spei, dum sic fatur, *Dominus Iesus Christus prius fecit opus alienum,vt postea faceret opus suum: nasci enim, crucifigi,pati,& mori,alienum opus fuit a sua diuinitate.Opus namque propriū Filij Dei, redemptio extitit generis humani: sed nisi prius nasceretur, moreretur,& resurgeret, nullo modo*

Philip. Abbas Bonæ spei in cant. fol. 339.

genus humanum a morte redimeret. Fecit ergo opus alienum, vt postea faceret opus suum: quia prius sustinuit mortem, qua non conueniebat eius diuinitati: vt postea genus humanum redimerit, quod congruebat sua diuinitati. Si diuinitati congruebat, ergo & caritati, nam Deus caritas est, & caritas fecit, vt potius de iure dissimularet deitatis, quàm de lege paternæ caritatis. Ex hoc caritatis fonte Hugo Victorinus fluuium igneum deriuabat tum passionis, tū Crucis Filij Dei, ita secum repetens, ita nobiscum loquens, *Considero Deum ex femina natum, infantem, pannis obsitum, vagientem in cunis, sugentem vbera. Respicio postea comprehensum, ligatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, sputis illitum, lanceatum, clauis fixum: illic indigna, hic dira passum: & tamen cur illa dignaretur, vel ista pateretur, si caussam quærimus, aliam præter solam caritatem non inuenimus. O charitas quantum potes!*

Hugo Vict. in libello de laude caritatis.

9 Considerabat Nyssenus verba Domini, *Oportet filium hominis ire Ierosolymam, & multa pati, & occidi:* sic dicens, *Vim illius verbi, oportet, mihi considera, & inuenies in eo contineri, vt significet, fieri aliquid non oportere, nisi vt per Crucem mors oppetatur. Quæ huiusce rei caussa?* Causas ipse affert & ex Apostolo, & etiam ex Psalmista. Illa vero mihi magis arridet, quā ipse explicans verba illa, Iota vnū aut vnus apex non præteribit a lege: & per Iota, in quo figuratur lignum illud transuerso malo adiacens, Crucem figurās, quæ velut nauis nos ducit in cælum, sic fatur, *Linea recta è sublimi in imū descendens, Iota dicitur obliquè autem ad latera pertingens, Apex nominatur, id quod ab ipsis nauigantibus licet discere, qui lignum illud transuersum malo adiacens, cui vela suspendunt, Græce eodem nomine, quo apicem nominant, nempe ebeream: quamobrem diuinæ hæc verba mihi videntur in Crucis figura, tamquam enigmate & speculo quodam, illud ostendere, in quo omnia consti-*

Matthæi 16. 21.
Nyssenus orat. 1. in Christi resurrect.

Idem Nyss. ibid.

terint, quod omnibus quæ in ipso continentur, stabilius est atque æternū. Proinde Dominus ait, Oportere Filium hominis, non simpliciter mori, sed crucifigi, vt Crux Deum gestans, aduersarijs omnipotentem illius, qui in ipsa penderet vim, quique omnia in omnibus est, figura sua patefaceret.

CIRCVLVS III.

Lignum Crucis regiam virgam producit.

10 Mirum apparuit, quod de arbore quadā Poeta finxit, nēpe aureū ramū ex ea egredi & produci, qui ad Elisij loca tendentium tutum præberet iter, tutū ingressum: sed minus est, quod ille finxit, quàm quod arbor Crucis cum veritate protulit. Sic Isaiæ vaticinium, ex Pontificio decreto impletum est, *Cuius imperium super humerum eius: cùm Dominus lignum portaret Crucis, quod in sceptrum sibi conuerteretur potestatis.* Per virtutem ergo rami huius aurei, ac regiæ Virgæ, nedum inferna & terrestria, sed & cælestia penetrauit arcana, & vbique imperij sui per Crucem thronū erexit. Vnde in eadem Cruce per ea, quæ Cyrillus notauit, triplici linguarum genere, quasi in trophæo quodam insculpta fuit regia dignitas, & vniuersalis potestas, ita enim philosophatur, *Diuinitus factum est, vt tribus linguarum, quæ præcipua sunt, litteris, Titulus scriptus fuerit, omnium enim Gentium regnum Christo attributum esse significatur: magna eorum voce, qui legebant, conclamāt, quòd Dominum Regemque Crucifixerunt.*

Leo Papa serm. 8. de passione.

Cyril. Alex. lib. 12. in Io. cap. 30.

11 De sceptro regio, vel de regia virga varij referunt varia. Nūc enim Cælius Rhodiginus asserit, quòd *In signum veteribus censebatur imperij siue regni, & aureum fuisse Apollinis sceptrum, & Cheroneos ex alijs omnibus colere hoc sceptrum.* Nunc Georgius Codinus memoriæ prodit, In sceptro Persarum Reges florem, & Constanti-

Cælius Rhod. lib. 7. lect. antiq. c. 29. & lib. 21. cap. 6.
Greg. Codinus de off. aulæ constātinop. cap. 4. nu. 49.

no-

nopolitanos columbam in summo virgæ gestasse. Et nunc Prosper canit, sceptra & esse doloribus grauida, & grauida curis,

Miraris solium, miraris eburnea regum
Sceptra? sedet sceptris cura dolore solo.

Prosper in Epigr. n. 53.

Quis autem non videt omnia in alijs sceptris diffusa, in Crucis virga cum fœnore esse cõiuncta? Crux, vt Aureum os definit, imperij est signum, victoriæ monimentum, gloriæ trophæum, ait enim, *Pilatus tamquam tropbæo euidam, litteras insculpsit, clara voce, & victoriã, & regnum profitentes.* Crux, Vt Ecclesia canit, vt *Virga regia erigitur, dum ab omnibus adoratur.* Et Crux in virga a Iacob colitur, *Adorauit Israel Deum, conuersus ad lectuli caput*: Vel ex Septuaginta, *Adorauit Israel super summitatem virgæ eius.* Quæres, quid commune habet lectulus cum virga, & cum virgæ summitate, à qua lectuli quies omnino arcetur? Multum per omnẽ modum, nã Crux, & lectulus fuit, in quo Crucifixus iacnit, & de quo ipsemet dixit, *In tenebris strauit lectulum meum*: & de quo Leo demonstrat, quòd in tali lectulo, *Emittente spiritum Christo, densis tenebris splendor Solis obductus, extraordinariæ nocti subdidit diem.* Sed quasi virga floruit, in qua nati sunt flore, nomine Summi Regis inscripti: dum in eius fastigio regius titulus legebatur, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Nec floris huius ex tali virga surgentis regia dignitas latuit Esaiam, immo ipsius gloriam, & vidit à longe, & aureo descripsit colore, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: nam Iudæi, vt refert Hugo Cardinalis, de Messia hoc interpretantes, *In virga regnãtis potentiam, in flore virtutis fragrantiam designari dicunt.* Crux ergo virga est, & regnantis potentia: Christus autem flos & rosa expansa, quæ omnes ad se traxit, & redẽptionis odore Orbem repleuit. Super ipsum autem Columba, sic requieuit, vt Quintus Euangelista

Chrysost. homil. 48. in Ioan.

Ecclesia in off. s. Crucis

Genes. 47. 31.

Septuaginta

Iob. 17. 13.

Leo Papa ser. 2. de Passione Dom.

Isa. 11. 1.

Iudæi apud Hug. Card. hic.

prædixit, *Requiescet super eum spiritus Domini*. O columba hieroglyficum beatitatis! O auis nuncia pacis! Pacificãs per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in Cælis sunt. Si addubites cum Anastasio, quęnam inimicitiæ erat in Cælo, vt pace Crucis Christi indigerent? *Quæ sunt quidem, inquit, supra terram, meritò: plena enim erant inimicitiarum, & in multa, & aduersus multos erant diuisa. Quæ sunt autem in Cælis, quomodò pacificauit?* Responde & cum illo, *An illic quoque erat bellum, & pugna? Et quomodo precamur, dicẽtes, Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Sed verè inimicitiæ exercebantur inter Angelos & homines: inimicitiæ apparebant inter Cælum disiunctum à terra, vbi nullum interuenire poterat commercium. Vnde subdit idem Anastasius, *Disiuncta erat terra a Cælo, & belligerabantur Angeli aduersus homines, videntes Dominum suum probris, & contumelia affici. Instaurare inquit, volens, seu in summam redigere omnia, quæ sunt in Cælis, & quæ in terra. Quomodo hominem illuc traduxit, in altum subsultauit eum, qui erat ipsis Angelis inimicus, & exosus. Hæc est pax profunda.* Vt autem vniretur Cælum cum terra, fœdera noscerent, & commercij forma intercederet, nullum aptius mediũ poterat excogitari, nisi scalam erigere, per quam & homines ascenderent, & sic Angeli descenderẽt, vt mutua signa fœderis, & pacis inter eos possent apparere. Quis autẽ scalam adeò sublimem erigere posset, & quæ erit hæc scala? Non quidem alia nisi Crux Redemptoris. Non est meum commentum, sed fuit Iacob somnium, fuit & Zenonis inuentum, qui explicans verba Domini, *Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes*: sic fatur, *Scala proprio nomine Crux vocatur, quia per ipsã Dominus Iesus Christus, mysteria vniuersa conficiens & concludens, Patri & Adam reportauit, & iter ad cælum omnibus se sequentibus patefecit.*

Isai. 11. 2.

Ad Colos. 1. 20.

Anastas. Sinaita q. 61. in Scripturã

Idem ibid.

Ioan 1. 51.

Zeno Episc. Veron. in sermone de somnio Iacob.

12 Vbi tamen omiseram illud Prosperi nempe sceptra grauida esse curis & plena doloribus cũ id miris modis & veris aptetur Cruci, quę sceptrum Christi fuit, vt demonstrauimus: at quibus doloribus, quibusque curis grauida extiterit quis demonstrare queat? Sufficiat Crucis nomen, nam ex Augustino, *Crux propterea dicta est, quod ipsius etiam verbi asperitas cum doloris, quam Crux efficit, asperitate concordat.* Sufficiat & Cyrilli sententia, quæ omnium genera cruciatuum in Cruce vniri sic astruit, *Iudaeorum scelestissima gens Iesum Cruci affixit, omnique genere cruciatuum simul, & ignominia affectum morte multauit.* Sed & grauida erat Crux curis & Gigantibus, grauida potestate ac fortitudine, ob hoc enim dicitur, *Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.* Vbi Rupertus, *Cornua namque vexilla dicit & trophaea crucis, cuius brachijs confixae fuerāt manus eius. In Cruce ergo paulisper abscondita est fortitudo eius. Nam propter confixionem, qua Cruci cōfixus est, omnis potestas, siue omne regnũ, quod per cornu solet significari, datum est in manibus, siue in manu eius. Vnde postea dixit, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

Aug. lib. de principijs dialecticæ.

Cyrill. Alex. hom. 4. de Festis Paschalib.

Ruper. Ab. lib. 3. com. in Habac.

13 Addubitabis, & meritò, si in cornibus brachia Crucis, & in manibus confixio figuratur: cur manus confixæ dicuntur in brachijs Crucis, & non potius Crucis brachia in manibus? Et cur Cornua in manibus eius, & nō manus eius in cornibus? Dubium hoc proposuit Rupertus Abbas, idemque persoluit, quia enim per Crucem data est Crucifixo potestas & regnum, ideo maluit dicere, Cornua in manibus eius, quā manus eius in cornibus, & idem subdit, *Ibi abscondita est fortitudo eius: nimirum in carne absconditus hamus, ad hoc, vt piscis capiatur. Nam hoc est de quo Dominus ad Iob, An abstrahere poteris Leuiathan hamo, subauditur, vt ego? Sicut enim piscis hamo captus ante pedes capientis, hamumque trahentis de flumine vel de mari egreditur: Ita diabolus, Egredietur, inquit, ante pedes eius: id est, veniet in potestatem eius, & ad praedicationem Euangelij sui fecit foras egredi, & ante pedes, id est, ante praedicatores suos conculcari.* Horum ergo gigātem grauidum erat lignum Crucis, & horum fortitudo sub illa infirmitate abscondita latebat. Super trophæum ergo Crucis hoc cũ Nazianzeno, *Congruum Epitaphium canamus, Vbi est mors stimulus tuus? Vbi tua, inferne victoria? Crux te prostrauit, vitæ Author tibi necem attulit. Exanimis, & mortuus, immobilis, iners, serpentis licet figuram seruet, in sublimi loco dedecoris & ignominia notis inustus.* Inurere est, ignito ferro stigma imprimere, vt seruorum fronti, vt cognoscantur a Domino. Sic ergo inustus est diabolus, inustus est in ligno, tamquam perpetuus seruus.

Ruper. Ab. Ibid.

Gregorius Naz. orat. 42. in Pasch.

CIRCVLVS IV.

Ex Ligno Crucis immarcesibilis effloruit Corona.

14 VArij sunt variarum arborum flores, ac fructus varij variarũ plantarum, hæ poma, illæ pira, persica aliæ, aliæ vel malis vel cerasis appareat ornatæ: Crux autem malis punicis coronata splendet, & vndique Coronis talibus sic admiratur ornata, vt impleatur Oraculum a Salomone prædictum, *Sub arbore malo suscitaui te.* Sed quodnam est hoc malum? quænam hæc planta? Non certè alia, si Lyrano pręstatur fides, nisi malumpunicum, sic enim ait, *Dicitur hic sancta Crux malum granatum, quæ est arbor fructifera, ad designandum fructum Crucis, qui est innumerabilis.* Quærit Aristoteles. *Cur aliqua fructu vacent, cum florem habeant, vt malus punica?* Et respondet, *An his fructus non deest, sed ipsa pro fructibus habentur, quibus flos insidet, fructificāt*

Cant. 8. 5.

Lyranus hic

Arist. in Problematibus sect. 10. problem. 3.

enim

enim flores, & flores ipsi sunt earum fructus. Id ipsum & de Cruce asserendum est: habet enim simul flores & fructus, & ad fructus legendos ascendebat inuictus Victor, sic dicens. *Ascendam in palmã, & apprehendam fructus eius.* Hinc est, quòd cum eo loquens Cyprianus, ita fatur, *Ascendisti Domine palmam, quia illud Crucis tuæ ligni portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus & potestatibus, & nequitijs spiritualibus victoriam.* De floribus vero, ex quibus sibi intexit gloriæ Coronam, ita Gilibertus subdit, *Crux ipsa Corona est gloria, Diadema regni. Denique in Cruce triumphauit expolians principatus & potestates. Gloriosa visio triumphi. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in Diademate, quo Coronauit eũ mater sua. Videte carnem, quam humano sumpsit ex genere, triumphantem in ligno.* O nouum victoriæ genus, in ligno ignominiæ, Coronam gestare gloriæ, gloriosum obtinere triũphum, & ex Pontificio Decreto, *Lignum Crucis in sceptrum sibi vertere potestatis!*

Cant. 7. 8.

Cyprian. in li. de passione Domini.

Gilibertus. Ab. in serm. 20. sup. Cãt.

Leo Papa ser. 8. de passione Dom.

15 Amot fingitur vndique Coronatus, & in pedibus, & in genuis, & in pectore, & in manibus, & in brachijs, & in humeris, & in collo, & in capite innumera gestans Diademata: quod autem de eo fingitur, in vero Deo amoris Crucifixo palam apparet, & veraciter cernitur, sic quemlibet Chrysostomo, ad Crucis gloriam contemplandam hortante, *Considera quãta sit potentia signum, ipsa crux, qua ipsa vita eualsit honorabilior, & Coronis splendidior.* Notanda verba *Coronis splendidior*. Dantur enim varia coronarum genera, ne dum varijs victorijs militum ab Imperatoribus statutæ, vt Ciuicæ, Murales, Vallares, Rostratæ, & aliæ, quas Plinius enumerat: sed etiam coronæ variæ quibus ornatur terra, aqua, aer, & Cælum, quarum numerus innumerabilis penè iudicatur. Has autem omnes ac earum gloriam, & complectitur, & longè superat Crux, quæ iure dicitur a Chrysostomo, *Coronis splendidior*. Splendent quidem in Cælo Corona Australis, & Aquilonaris: Splendent in aere, & circa Solem Corona & Iris: splendent in aqua, & in terra Coronæ florum, splendent & milites, splendent & Reges, & Imperatores, immo & Pontifices Coronis aureis ac prætiosis lapidibus decoratis: sed Crux Coronis omnibus est splendidior: vnde ad illius gloriam intuendam te, lætabundus & laudans, sic Augustinus inuitat, *Attende glioram Crucis ipsius. Iam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui inimici insultauerunt. Effectus probauit virtutem: domuit orbem, non ferro, sed ligno.* Breuius autem idem Chrysostomus omnes colligit in Cruce Coronas, dicens, *Coronis meretbimur Crucis.*

Chrysost. in hom. sup. Psalm. 109.

Plin. lib. 16. cap. 4.

Augustin. in enarr. super psal. 54.

Chrysost. hom. de cruce & Latrone.

16 Nisi res assiduitate viluisset, quid mirabilius esset, quàm videre ex hirsuta planta & spinis duris obsita, mollem oriri florem, nobilem nasci ac rutilantem rosam? At verè inauditum miraculum in terris apparuit, cùm ex ligno ferali, de quo dictum est a Drogo, *Quid enim in omnibus supplicijs tam horrendum, quàm Crux?* & ab Arnoldo, *Modus passionis crux, inter omnia supplicia turpissimum, & atrocissimum*: tot gloriarum obortæ sint rosæ, tot triumphales sint ortæ Coronæ, vt dicat Apostolus, *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore Coronatum.* Nã vt explicat D. Dhomas, *Videmus Iesum gloria & honore Coronatum propter passionem mortis, quæ fuit caussa illius Coronationis.* Et dicit, mortis, quia non qualemcumque passionem sustinuit, sed acerrimã & turpissimam, *Morte turpissima condemnemus eum.* O nouitatẽ mirã, o miraculum nouum, ex ignominia nasci gloriam, ex maledicto ligno benedictionem, ex morte vitam, ex felle fauum, & ex spinis coronas! Vnde Tertullianus, *Famos post fella gustauit, nec ante Rex gloria a cælestibus salutatus, quàm Rex Iudæorum proscriptus in Cruæem, Minoratus primò a Patre, mo-*

Drogo in lib. de Dom. pass. sacram.

Ad Heb. 2. 9

D. Th. in c. 2 epi. ad Heb lect. 3.

Tertull. de corona milit. c. 14.

dicum

dicum quid citra angelos, & ita in gloria,& honore Coronatus.

17 Hinc Paulus omnes, etiam diuinas glorias a se abijciens, in sola Cruce gloriabatur dicens, *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*. Quæ verba sic pendet Anselmus, *Mihi absit gloriari in potentia Christi, vel in maiestate, seu potestate: sed in Cruce*. Si autem idem significat verbum, *Absit*: ac Longe sit a me: quomodo, ô Vas electionis, nefas gloriari æstimas, vel in potentia Christi, qua subegit aereas potestates: vel in Maiestate, qua Filius Dei est declaratus: vel in potestate, qua tot miracula fecit? Iure id asserit, vt Cyrillus astruit, *Nam gloriatio gloriationum est Crux, quod sciens Paulus, mihi, inquit, absit gloriari, nisi in Cruce*. Quasi dicat, Si alij gloriantur in potentia Christi, qua capita draconis confregit, ego in Cruce glorior, quia, *Crux deuictio est diaboli*. Si alij gloriantur in maiestate Christi, qua Filius Dei prædestinatus est in virtute: ego in Cruce glorior, quia post Crucē, Omnis lingua confitetur, quòd Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Si alij gloriantur in potentia Christi, qua tot miracula fecit, ego in Cruce glorior, quia, *Crux est resurrectio mortuorum, cæcorum dux, claudorum baculus, esurientium panis, sitientium fons, aduersus dæmones triumphus*. Omnino Doctor Gentium raptus ad tertium Cælum, ibi didicit, quod in Thabor fuit prædictum, vbi Moyses & Helias loquebantur de gloria, gloriæ nomine Crucem describentes, Chrysostomo asserente, *Non enim tacebant, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Ierusalem, de Cruce videlicet, & passione* In hac ergo Cruce gloriabatur Vas electionis, & nefas putabat in alio gloriari, nam gloriatio gloriationum est Crux.

18 Expendēda sunt hæc Ierolymitani Antistis verba & recolenda Ruperti Abbatis doctrina. Quærit ipse, qua ratione ex tot Scripturæ Canticis, quæ septē sunt numero: solum Salomonis canticum hoc nobili ac singulari Titulo prænotatur, *Cantica Canticorum*? Et ipse causam reddit, *Quia est cāticum istud maximi, & singularis beneficij Dei canticum amoris. Recte igitur dicitur Canticum Canticorum, quia quod in eo canitur, Beneficium est omnium beneficiorum*. Eadem lege Apostolus in sola Cruce gloriam quærebat, quia in Cruce omnem gloriam cōtineri sciebat, Nam gloriatio gloriationum est Crux. Hinc volebat & ipse, *Ignominiam Crucis adire per gloriam*: tāta enim & tam gloriosa est Crux Christi, vt per gloriam subeunda sit.

Ad Gal. 6. 14.

Ansel. hic.

Cyrill. Ierosolym. in cathech. 13.

Ex Iona Aurelianēsi lib. 2. de cultu Imagin.

Idem ibid.

Chrysost. homil. 57. in Matth.

Ruper. Ab. in prologo sup. cantic.

Chrysolog. serm. 19. de Scriba.



CAELI DAVIDICI
VERSIO XL.
Ex Felice.

Erit tamquam lignum quod plantatum est secus diuisiones, & decursus aquarum.

CIRCVLVS I.

In Purgatorio a flammis transitur ad aquas, ab aquis ad flammas.

1 QVærit Philo Hebræus qui fieri potuit, vt in Rubo contraria vnirentur, & viror & ardor, & incendium & integritas, & flamma & aura, & combustio & conseruatio, & vstio & incombustio: vnde Moyses dicebat, *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Et quæsito respondet, flammam, ceu fluuium igneum, & incendere ibi ignem, & rubum alere: ac Dei, vel Angeli pulcherrimum simulacrum ibi apparens, demonstrare eos, qui in Ægypto exurebātur, nō perituros, sed euasuros incolumes. Sic enim fatur, *Rubus erat frutex spinosus, & inualidus. Is, nemine ignem admouente, subito incensus est: correptusque totus a radice vsque ad cacumē flamma in morem fontis scatente, manebat integer & illæsus, quasi non esset incendij materia, sed ipse ab igne aleretur. E medio promicabat forma quædam pulcherrima nulli visibili similis diuinum simulacrum luce fulgens clarissima, vt suspicari posset...ei esse imaginem. Vocemus eam Angelum, quandoquidem futura pranunciauit tanto clarius, quanto magnificentior erat visio. Significabat enim ardens rubus oppressos iniuria, vrens vero ignis oppressores. Quod autem non exurebatur materia, portendebat nō perituros, qui affligebatur inimicorum violentia, sed conatum eorum fore irritum, illos vero euasuros incolumes.* Eodem modo si petas a Chrysostomo, quomodo Tres pueri in medio fornacis positi cum Coronis quidem, sed vincti: solutis vinculis, inde euaserunt liberi, & illæsi? A Chrysostomo responsum accipies, *Quia Deus adfuit, & ipse eos de incendio liberauit, & in medio fornacis exhibuit eis cælestis roris refrigeria, hoc enim gratia Dei fuit.* Idipsum & ipse dicam, si & tu de animabus quæras, quæ non in monte, sed in valle fletus: quę non superno igne, sed inferno cremantur: quæ non inter spinarum aculeos, sed culparum, quarum poenas hic non soluerunt, sunt obsitæ: et quæ non funibus vinctæ, sed peccatorum sunt vinculis alligatę, quomodo virent inter purgantes ignes, nec consumuntur? Dicam quia cum Corona gratiarū illuc sunt ingressæ, quia roris aura illas confortat, quia aqua eleemosynæ incendia mitigat, & quia sāguinis Christi oblatio sic eas eleuat, & vincula dissoluit, vt ex hoc aquarum decursu purificatæ, ab illo lacu lætantes exiliant, & iuxta Zachariæ vaticinium, liberatæ educantur soluto pretio sanguinis Redemptoris, cum quo lætabundus & laudans Propheta sic loquitur, *Tu autem in sanguine testamēti, eduxisti vinctos tuos de lacu, in* Zachar. 9. 11

Exod. 3. 3.

Philo Heb. de vita Mosis lib. 1.

Chrysost. hom. 9. Quod nemo lęditur nisi a se ipso tom. 5.

quo non est aqua.

2 Vis scire quinam hi vincti sint, quos ita describit, *Eduxisti vinctos tuos?* En idem Propheta, hos tibi addigitas subdit, *Conuertimini ad munitionem vincti spei.* En Rupertus hos tibi ostendit, dum addit, *Reuertimini in paradisum vincti, non desperati. Munitionem quippe sanguinis testamenti vobis accessibilem fecit, extincto flammeo gladio, quem sententia vindex ante paradisum collocauit.* Quæres quomodo extinxit? Si cum Sacugensi Episcopo, *In acie gladij versatilis recognosces figuram igneæ lanceæ, qua Cherub arcebat primos parentes a Paradiso: inuenies hanc lanceam ignitam, non arceri a paradiso, nec extingui, nisi per lanceam, qua Longinus aperuit latus Christi, & per sanguinem & aquam inde manantes.* Vbi illud quadrat, Pila micantia pilis. Ad hoc respiciens Moses Barcepha dicebat, *Quo tempore cõfossus Dominus noster lancea, eodem a Cherub custode Paradisi & arboris vitæ ablata est lancea.* Et iure, nam Longini lancea & nobiliorē nobis aperuit in Paradiso paradisorum paradisum: & liquor inde manans, custodis terrestris paradisi igneam extinxit lanceam.

Idē ver. 12.

Rup. Ab. li 3 com. in c. 9. Zachar.

Iacobus Sacugēsis Epi. in orat. de Christi passione & Asc.

Moses Barcepha in li. de paradiso.

CIRCVLVS II.

Differunt ligna in Purgatorio plantata, ab his quæ in inferno sunt defixa.

3 DIstinxit Ieremias inter virum & virum, inter lignū, scilicet, & lignum, inter damnatum, & purificandum, & inter eū, qui in inferno fundatur, & eum, qui in purgatorio locatur: de illo dicens, *Erit quasi myrica in deserto, & habitabit in siccitate:* de hoc autem subtexens, *Erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cùm venerit æstus.* Idque ideo, quia hic confidit in

Ierem. 17. 6.

Ibidem.

domino, & est benedictus: ille vero confidit in homine, & est maledictus. Maledictus ille Epulo in homine confidebat, dicens, *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Nonne vobis videtur stulta quærere, in homine confidere, & frustra guttas aquæ eum petere? Dānetur hæc petitio a Cypriano, *Homo Deo non potest esse maior, nec remittere, aut donare indulgentia sua, seruus potest, quod in Domino delicto grauiore commissum est, ne adhuc lapso & hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum, Maledictus homo, qui spem habet in homine. Dominus orãdus, Dominus nostra satisfactione placandus.* Illum præterea Theodoretus vocat, *Miserum, immo ter miserum: & maledictionibus subijcit eum, qui recedit a Deo, & humana potentia fidit. Eumque confert cum plantis quibusdam vilibus & infructuosis, quæ nascuntur in desertis, & nulla diligentia excoluntur.* Sed vbi ter miserum vocat hominem in homine confidentem, poterat illum ter hominem appellare, sicut Diogenes, sciens Homerum nullum animal æstimasse homine miseriorem, vt describeret miserrimos, qui omnia studia conferūt ad res inanissimas appellabat illos, *τρισανθρώπους, id est, Ter homines.* Et optimo iure, cùm enim verum sit Oraculum Iob, *Homo natus de muliere, repletur multis miserijs:* verum etiam erit, quod si tricorporarentur, & tres homines in vno homine vnirentur, qui sic esset ter homo, ter miser & esset: & cùm, *Tria sint omnia*, omnes miserias hominum in se adunaret. Talem ergo Theodoretus æstimat sperantem in homine, ter miserum, ter hominem.

4 Et quidem bene, vt inquit Rupertus Abbas, *Comparatus est myricæ in deserto, cui nomen est ab amaritudine: & his comparatur, quæ nascuntur in solitudine, quia carebit diuina bonitatis dulcedine, procul foras eiectus à sanctorum hominum*

Luc. 16. 24.

Cyprianus lib. de lapsis

Theodoret. in commen. sup. cap. 17. Ierem.

Ex lib 3. Apopht. vbi de Diogene nu. 86.

Iob 14. 1.

Aristotel. li. 1. de cælo & mundo c. 1.

Ruper. Ab. lib. 1. comm. in c. 5. Ioan.

con-

conuersatione. Iustorum conuersationis, siue in terra viuentium, siue in Purgatorij flãmis pro tempore vinctorum, tota spes posita est, nõ in aquæ gutta, sed in diuini fontis fluentis, in quibus totum cõtagiũ sæculi emundatur, emũdaturque dulcedine sanguinis Christi, copiosè effusi, quo solo totus inferni æmulator ignis extinguitur: quo solo dum in æternum Epulo carebit carebit & libertate & emundatione, eiectus a sanctorum hominum cõuersatione. Audiamus Petrum Cellensem, qui caussam damnationis Diuitis hanc reddit, *Periit Purpuratus Euangelicus ardens in panis, de gehennalibus guttã aqua quarens, cùm dixit, Mitte Lazarum, vt intingant extremum digiti sui in aquã*. Si quæras cur Epulo petita nõ obtinuit? Dicã breuiter, quia peccauit in quãtitate, parũ petẽs, vbi multum petere tenebatur: errauit in materia, aquã petẽs, vbi sãguis erat requirẽdus: peccauit in instrumento, digitum quærẽs, vbi necessaria erat plena manus: errauit in obiecto, expectans ab Abraham, quod expetere debebat à Christo: & errauit in fonte, quia non in lacu inferni digitus alterius erat intingendus, sed in latus Saluatoris tota manus erat mittenda. Non meæ sunt, sed eiusdem Cellensis adinuentiones, is enim ait, *Sed parum petijt, & ideo fortè non impetrauit. Parum, inquam, petijt, quia non in aqua, sed in sanguine flamma infernalis extinguitur. Non enim leui, & momentanea compunctione grauis culpa detegitur, sed eousque penetrare debet vis doloris, quousque accessit iniquitatis. Plenã itaque manum sanguine Redemptoris, non extremum digitum in aqua tinctum exposcat conscientia de grauibus confitentis. Nec alterius tamen, sed proprio digito velit mouere, & amouere panam, quã male animum mouendo, sibi admouit. Lauet manus suas non in sanguine peccatoris, sed in morte Redemptoris. Tingat digitum in locum clauorum, & mittat manum suam in latus Saluatoris, vt sicut animam suam pro nobis posuit, moriendo, & redimendo nos à morte ipse Dominus: sic iste conscientiam suam pro se exponat confitendo & panitendo*.

Petr. Cell. lib. de panibus c. 25.

5 Hoc fortè dices, & iurè, conuenire non potest animabus iam in Purgatorio collocatis, vbi pænitentia, & confessio locum non habet, cùm scriptum sit, *A mortuo, quasi non sit perit confessio*. Attamẽ valet, si Iuliano Archiepiscopo Toletano præstetur fides, de fidelibus, qui in hac vita purgantur, vt effugiant purgatorias flammas alterius vitæ, vnde sic fatur. *Quisquis igitur panas cupit euadere sempiternas, non solum baptizetur: verum etiam iustificetur in Christo, ac sic vere trãseat a Diabolo ad Christum.* Et statim subdit, *Potest ad istam tribulationem pertinere etiam mors ista carnis, qua de primi peccati perpetratione concepta est. Persequutiones quoque, quibus Martyres coronãtur, & quas patiuntur quicumque Christiani, probant vtraque ædificia velut ignis: & alia consumunt cum ipsis ædificatoribus, si Christum in eis nõ inueniunt fundamentum: alia sine ipsis, si inueniunt: quia licet cum dãno, salui tamen erunt ipsi: alia vero non consumunt, qui talia reperiunt, qua maneant in æternum*. Vbi & oris arcum, & verborum sagittas dirigit ad Doctoris Gẽtium statutum, de his, qui varias materias super Christum, qui fundamentum est, ædificant: & de his, qui non habent hoc fundamentum: hi enim pereunt in æternum: illi per ignẽ abluuntur.

Eccli. 17. 18.

Iulian. Archiep. Toletanus 1. prognost. c. 21. & 23.

CIRCVLVS III.

Oblatio sanguinis Christi animas liberat à Purgatorij flammis.

6 Sed vlterius dicam, quòd Iusti in hac vita dum sanguinẽ Christi offerunt pro animabus in Purgatorio existentibus, animas illas à carcere tenebroso educunt, a custodia tormentis plena liberant,

in cælum inducunt, ad libertatē Filiorum Dei eleuant, & vitam eis tribuunt, atque gloriam. quia omnis anima in ſanguine Chriſti eſt, & Deo conſeruatur quidquid ſanguine Agni vel Vituli aſpergitur: nec timendum ne ſanguis iſte deficiat, cum copioſa ſit apud eum redemptio. Hinc idem Petrus Cellenſis ſubiungit, & nunc erigit ſpē, oſtendens ſanguinis copioſam effuſionem, dicens. *Quod ſi cauſaris ſanguinis copiam deeſſe, & ideo digitum non poſſe tingere, attende oculis fidei, quia ecce Agnus anniculus, ecce Vitulus ſaginatus iugulatur, & occiditur. Effuſa eſt copioſa redemptio, decurrit ſanguis per crepidinē Crucis, & per omnia cornua altaris.* Nunc te hortatur vt digitum in ſanguine tingas, & hac claue aperias Cæli valuas, ſubdens, *Tinge igitur, tinge digitum, & aſperge ſepties contra velum Sanctuarij: vt ſit tibi clauis reſerationis cæli, ſanguis paſſionis Domini. Non obfirmabūt valuas ſuas cæli, cūm viderint ſanguinem ad ſe leuari de viſceribus Chriſti.* Nunc demonſtrat libenter attolli portas Cæli, vt recipiant ſanctificatos, vnde deiecit damnatos; vnde & addit, *Aperiuntur denique portæ Paradiſi, vt ad ipſum ſanctificetur meliori & puriori ſanctificatione, quam in creatione mundi, ne deinceps admittat præuaricatorem, cūm ſuſtinuit Sathanæ tranſgreſſionem.* Sermocinatio adiūgitur aſcēdentium in Paradiſum, *Tollite portas, Principes, veſtras, quia nobiſcum deferimus claues non manufactas. Reuoluatur velum, appareat propitiatorium, deponant alas Seraphim, ſtent, & ſubmittant alas ſuas omnia, quæ mouentur in aſtris, quia vox ſanguinis Chriſti melius loquitur, quam Abel, & vox tonitrui tui in rota. Ecce cognoſcit miluus in cælo tempus ſuum, cyconia & hyrundo vt præparent nidum, & Angeli non recognoſcūt Dominum ſuum, pretium noſtrum, vt faciant locum?* Concludit demum reuerentiam, ne dum lætitiam, qua redempti a Domino admittitur in Cælo, aſſumuntur in Paradiſo. O *quāta reuerentia reueretur, immo cedit velum Angelicarum Virtutum, digito Agni ſanguine madefacto: immo procumbens tremit in occurſum cruoris viſcerum Dei, & Creatoris ſui. Feſtināt reſerare clauſa, & petita præſtare, nondum intellecta accumulare. Allambunt digitum, oſculantur, & deſignant omni benedictione plenum, & Patris contuitu dignum.* Et te de nouo iterum monet, vt te totū intingas in ſanguine paſsionis, *Intinge itaque non tantum digitum, ſed cum Petro & pedem, & caput, o anima, vt pes affectionis, & digitus operationis, & caput intentionis intinctum hoc ſanguine paſſionis Chriſti, digitus operetur iuſtitiam, pes currat ad gloriam, & caput videat Maieſtatem glorificā.* Et videat, addam ego, vnicū mortuorum Redemptorem: nam ex Chryſologo, *Quis poterat ſubuenire occiſo: niſi Chriſtus, qui vitam reparauit occiſus? Qui talionem morti reddidit, per mortem mortem peremit, atque eam prodidit cōtumacem, quæ incumbere iuſſa pœnis reorum, attentare auſa eſt ipſum Iudicem, inuadere ipſum innocentia præſumpſit Auctorem?*

Petrus Cell. li. de panib. cap. 25.

Chryſolog. ſer. 117. in verba Apoſtoli.

CIRCVLVS IV.

Hanc aquam petunt animæ defunctorum, vt purgentur.

7 INter omnia chriſtianæ pietatis officia, præcipuum videtur eſſe illud, quo animabus fidelium defunctorum aqua, per quā purgētur, defertur, ſic enim Iſaias, vel præcipit, vel conſulit viuentibus, *Occurrentes ſitienti, ferte aquā.* Animæ, quę igne purgantur in loco, immo in lacu, vbi aqua non reperitur, de quo iam ſupra diximus cum Zacharia, quòd lacus eſt ſine aqua, nil aliud expetunt, niſi vel illam aquam, vel ſanguem illum, de quo prædictum eſt Redemptori, *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua.* Audiamus Ruper-

Iſaias 21. 14

Zacharias 9. 15.

tum interpretantem huius aquæ mysteria, atque dicentem, *In quo non est aqua subauditur, quæ aliquos à peccatis abluat: & idcirco hinc illuc aquam manare, hinc illuc vsque aquam cum sanguine profluere oportebat, quia illic non erat, acquiri illic non poterat. Et hoc nimirum, quod hic in ista regione viuentium aqua, & sanguis de humano corpore exiuit, & illic emundationem fecit. Vis namque illa, vis, siue virtus diuina, quæ hoc effecit, vt & sanguis & aqua exirent de corpore tam exanimi, ipsa quoque efficere potuit, vt mortui statim carerent omni macula peccati, veluti mari magno inundati.*

p. Abb. comm. 9. Zach.

8 Liquor autem, ex sanguine & aqua de lateris plaga effusus, quem Abbas Tuitiensis animabus Patrum in Limbo existentium asportabat, poteris & tu, vel media oratione, vel eiusdem sanguinis & aquæ oblatione, animabus Purgatorij deferre. Pes enim tuus, & digitus tuus, si intingantur, immo immergantur in sanguine, amando & operando iustitiam vsque ad sanguinis effusionem, nec tu videbis æternam corruptionem, nec illæ animæ vltra patientur ignis purgationem, dum sanguine medio à te pro illis oblato, purgantur. Hinc subdit Petrus Cellensis, *Omnis remissio fit in sanguine: Deo enim consecratur quidquid sanguine Agni vel Vituli aspergitur, vt per aspersionem aquæ sanctificata per inuocationem Sacerdotalem & summi nominis adiurationem, sumpta virtute illius aquæ, quæ de templo eius egrediebatur a latere dextro, demergat tam originale peccatum, tamquam Pharonem: quàm omne delictum, velut Aegyptium insequētem.* Quasi diceret, sicut in rubro mari, & Pharao demersus est, & Ægyptiorum exercitus est immersus: ita in sanguine & aqua ex latere Christi effusis, & originale peccatum, & actualia crimina demerguntur: & via ad terram promissam animabus purgatis libera aperitur, & panditur læta, vt ponātur pedes earū, quasi Ceruorū, & super excelsa deducat eas Victor in psalmis canētes.

Petr. Cell. l. de panib. cap. 25.

CIRCVLVS V.

Aqua hæc est simul ignis, vnde animæ mundantur, & eleuantur.

9 IN hac autem aqua duplex reperitur vis, & virtus duplex, & animas purgandi, & animas in cælum lotas lætasque eleuandi: lauat enim vt aqua, eleuat vt ignis, & vtrumque ei tribuitur a Daniele, *Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius.* Si fluuius, ergo aquæ: si igneus, ergo flamma vnitur aquæ: si rapidus, ergo animas ex purgatorij carcere eripit, ereptas educit, eductas in altum ducit, ductas aligeras facit, aligeras volantes reddit, & volantes inducit in regnum. O amoris potētiā! ò aquæ & ignis virtutē! Celebrabat hanc virtutem, hanc caritatem Salomon sic exaltabat, *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus amulatio, lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*: Vel ex Septuaginta, *Valide vt mors caritas, durus sicut inferi Zelus: ala eius ala ignis, flamma eius.* Fortis & valida mors, quid operatur? quid agit? Mortuos homines in infernum etiam nolentes & repugnātes trahit. At validior ac fortior caritas, adhuc in carne viuentes, illuc in Spiritu, sed volentes ducit. Durus & dirus infernus intra duros vectes & adamantinas feras animas claudit: at durior & validior amor, & vectes ferreos frangit, & adamantinas portas disrumpit, & ibi captiuas inuisit, & igneus amor igneis volat flāmis: at charitas ardens alas ignis atque flammarum animabus sic affert, vt illæ iam alatæ, dicere queant, *Amor addidit*: & tali auxilio, ex Purgatorio euolantes, aduolant in Cælum. Non est meum inuētū, sed Carpatiorum Episcopi sic dicentis, *Rectè igitur est dura sicut infernus amulatio: ita enim offirmatur animus caritate Dei ac proximi, vt vel ad inferos penetrare preces faciat, diuina gratia nixus, ad suble-*

Daniel. 7. 10

Cant. 8. 6.

Septuagint.

Emblema.

Philo Carpat. in interpret. cap. 8. Cant.

uandas animas purgandorum,

10 Cedat cedat amantis hominis precibus Orphei cithara, de quo Plato asserit, quod dij, *Voti im potem ex inferis emiserunt, neque enim feminam, cuius gratia descenderat, restituere, sed illius phantasma mostrarunt.* At preces nostræ gratiæ armis munitæ amorisque virtute roboratæ, ad inferos penetrant, alis Purgandorum animas armant, ab inferis eleuant, leuant ad æthera, introducunt in Cælum. Sufficiat ad hoc probandum Decretum Concilij Florentini, *Fidelium animas purgatorijs poenis post mortem purgari: & vt a poenis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, missarum scilicet, sacrificia, & orationes.* Hinc forte oratio, sacra incantatio dicta est a Regio Propheta: vbi enim nos legimus, *Præcinite Domino in confessione:* Septuaginta interpretãtur, *Excantate eum in confessione.* O salutarem excantationem, qua non serpentes ex cauernis, sed animæ educuntur ex purgatorij tormentis, & trãsferuntur inter amenas delicias Paradisi.

Plato in cõuiu. Amoris in Phædri collaud.

Gnatius Pa triarcha Cõstan. in expo sit. 3. cap. ꝑ Conc. Flor. sect. 1.

Psal. 146. 7.

Septuagita.

CAELI DAVIDICI
VERSIO XLI.
Ex Glosa.

Erit tamquam lignum, quod plantatum est ad exitus aquarum.

CIRCVLVS I.

Maxima virtute præditi sunt triumphales exitus lacrymarum.

1 NON alios aquarum exitus & loquens Pictor & sacer Poeta describit, nisi illos, quos idem, nescio an cantu, vel planctu colorat, dum subtexit, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Vbi si verbum, Exitus, apud Græcos idẽ significat, ac apud nos, egressus Legati cum regia pompa, pompaticè describit illustrem formam, qua lacryma legatione fungens, triumphali cum apparatu ex oculis egrediens, & in maxillam descendens, & ex maxilla in Cælũ ascendens, ante conspectum summi Regis eleuata, pro anima lacrymante, legatione fungitur, nec inde egreditur, donec a Deo, & pijs oculis aspiciatur, & cumulatè cõcedatur, quod ipsa petit. Hinc Ecclesiasticus, hanc pompã describẽs, dicebat, *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis:* Vel ex Tigurina *Sanè a maxilla ad cælum vsque redundãt, & Dominus libenter exaudit eas.* Ambiges, quomodo conueniunt, Non delectabitur in illis: & Libẽter exaudit eas? Vtrumque dicam verificari in lacrymis, nam Deus & delectabitur in illis, & indignabitur in illis: indignabitur contra peccata, nam aduersus ea legatione funguntur, vt destruantur: & delectabitur, videns cor contritum & humiliatum, vnde egrediuntur. Hinc Ephræm ait,

Ps. 118. 136.

Eccli 35. 18

Tigurina.

O la-

Ephræm Syrus de compunct. ser. 3.

O lacrymarũ vis, quousque pertingis, quæ multa cum fiducia, nullis impedita retinaculis, ipsum cælum penetras? Tu postulata a Deo sãcto obtines occurritque tibi hilariter, indulgentiam ac remissionem peccatorum deferens.

2 Sed dices, vbi pompa illustris, vbi Regius apparatus, & vbinam comitatus augustus, si lacryma ex oculis sola egreditur, & sola ex maxillis in Cælum ingreditur! Dicam, quod de Agide primo proditum est, *Cùm enim ipse legationẽ suscepisset, solus ad Philippum progressus est. Is, vbi admirans, dixisset, Quid hoc rei est? solus venisti? Cui Agis, quidni, inquit, ad vnum? Grauiterque taxauit aliorum principum ambitionem, qui sumptuosis ac splendidis legationibus exhauriunt ærarium, cùm vnus vir cordatus possit totum hoc præstare, quod respublica interest.* Similiter & lacryma legatione fungens apud Deum, sola procedit in Cælum, plena tamen reuertitur ad animam. Vnde Laurentius Iustinianus eum lacryma. loquens, fatur, *Si sola intres, vacua non redibis.* Et enarrans plenitudinem bonorum, cum quibus triumphatrix illa reuertitur, nunc victoriam describit, *Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis*, Nunc ianuas pro eius ingressu dilatatas, *Aperis Cęlũ.* Nunc ligatum ante currum inimicum, & delicta absoluta, atque vitia exterminata, *Fugas Diabolũ, absolutio delictorum, vitiorum exterminium.* Nunc comitatum gratiarum & virtutum, *Virtutum premia, gratia socia.* Nunc cælestium donorum, ac bonorum dona, *Tu odor vitæ, sapor Spiritus, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, serenata conscientia suauitas, & elationis æternæ spes valida.*

Ex lib. 1. Apophth. vbi de Agide primo nu. 2.

Laurent. Iustinianus in ligno vitæ de oratione cap. 9. Idem ibid.

3 Si autem vel videre, vel audire cupis quam delectabilis Deo sit lacrymarum legatio, Psalmistam adi, illumque audi, nescio an dicam canentem, vel lugẽtem, *Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Sed dic mihi, o Dauid, si vitam tuam, vitam Vatis, vitam Regis, vitamque Dei serui annuncias, & per hoc verbum, *Annunciaui*, iam bonum nuncium præmittere videbatis, ita vt portenderes te quiddã gloriosum & faustum annunciare, cur lacrymarum mentionem facis? Heu! lacrymæ erumpunt ex memoria delictorum, erumpunt ex quotidiana pugna, erumpunt ex incerto euentu belli, erumpũtque ex dubio vitæ exitu. Sic fermè Ambrosius, *Non enim quasi innocentem vitam annunciat, vbi lacrymæ funduntur, quæ solent legationem suscipere pro delictis. Nisi fortè, sic intelligamus, quod & si innocens quisquam sit, securus esse non possit, cui sint aduersus grauissimos hostes quotidiana certamina, & ideo licet læta sit conscientia, tamen pugna lacrymabilis.* Vel eum alijs dicam, *Prophetam hic innuere, non alio, quã lacrymarum atque timoris pretio vitæ securitatem emi posse, quasi diceret, cùm anxiè timeo, & largitioribus fletibus obruor, tunc de vita mea tantisper reddor securus.* Hoc idem videtur innuere Saluianus, loquens de Iustis, *Beati, qui cùm omnium miserentur sibi numquam penitus ignoscant, in nullo sibi parcentes, sed totos se admodum Deo impendentes, & ideo in futuro iudicio digni premio, quia hic apud se iugiter in reatu.* Iugiter iu reatu, legitimi obseruatores illius præcepti, *De propitiato peccato noli esse sine metu*: Vt enim Lyranos hic intonat, *Quia nescis si poenitentia sufficiens fuerit: & si fuerit sufficiens ad remotionem culpæ, non tamen totalis poena.* Sed altius dicam, exitum lacrymarum assimilari pompatico filij Regis egressui ad solemne baptismũ: eadem enim pompa anima flens peccata, baptizatur, & renascitur, ecũ æterni Regis filia atque heres: nam ex Chrysologo, *Lacryma peccata baptizant. Et iucundæ sunt lacrymæ, quæ gaudium immortalitatis emerunt.* O nouam iucunditatem ex iniucundo semine lacrymarũ exortam! O fructus risus ex plãcta luct' collectos!

Psalm. 55. 9.

Ambros. super psal. 37.

Saluianus lib. 4 ad Ecclesiam Catholicam.

Eccli. 5. 5.

Lyran. hic.

Pet. Chrysolog ser. 10 in D. Petr Episcopum

CIR-

CIRCVLVS II.

Lacryma mollis durum cor emollit.

4 SIcut inter aquarum miracula, illa a Plinio referũtur, & de, *Cyclonum flumine, & de Lacu Velino, quod lignum ibi deiectum, lapideo cortice obducitur*: Ita & inter fontium miracula, miraculum notatur lacrymarum, vbi enim peccator, qui velut lignum erat lapideo cortice obductum, indurauerat enim cor suum supra petram, iuxta earum decursus transplantatur, lapideam superficiem, immo durum cor in tenerum ac morbi dum conuertit. Hinc Nilus Monachus pœnitentem hortatur, *Ora, vt lacrymas accipias, vt duritiem animæ tuæ fletu mollias*. Ita verificatur oraculum Iob, *Lapides excauantur aquæ*: nam vt Ouidius cecinit,

Quid magis est durum saxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Si ad saxa communia excauanda præualet aqua elementaris, aqua communis: quidni ad saxea corda emollienda valeat lacrymarum aqua? aqua singularis, aqua cælestis, Angelorum aqua?

Plin. lib. 3. c. 103. alias 106.

Nilus Monachus in c. 150. de orat. cap. 5.
Iob 14. 19.

5 Si Olea quasi vires ex arida, & penè renascẽs ex mortua, sic olim contra mortem gloriabatur, *Pereo, sed spero*: merito potest homo, qui peccans, dicit, Pereo: iuxta decursus lacrymarum transplantatus, subdere, Spero. Quis autem abneget peccatorem pro mortuo deputari, cùm & scriptum sit, *Peccatum cum consumatum fuerit generat mortem*: & Lactantius Firmianus statuat, quod, *Sicut corpus ab hostibus suis victum, morte multatur: Ita superatus a vitijs animus, mortatur necesse est?* Quis autem neget hoc lignum aridum, & sic mortuum, si iuxta riuulos plantatur lacrymarum, iure gloriari posse in eo mortem, Cælo lætante, in vitam conuerti, & Oraculum impleri, *Si in puluere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit?* Ast, qua lege, id fiet ad odorem aquæ, si aqua, vt Naturales deliberant, neque saporẽ habet, nec odorem? Sed verum quidem Naturales asserunt de naturalibus aquis a terra nascentibus, non tamen de aquis lacrymarum, quæ de corde exeunt contrito, ex oculis defluunt poenitentium, & per maxillarum canales distillantur: cùm enim maxillæ, ex Nysseni sensu, sint, *Phialæ aromatum, ex quibus vnguenta parantur:* cui mirum, si in illis odoriferæ lacrymæ conseruatæ, adeo viuificum emittant odorem, vt, ad illum & mortuus peccator reuiuiscat, & virtutum ornetur floribus, & coma gratiæ & gloriæ Coronetur?

Emblema.

Iacobi 1. 15

Lactant. Firmian. lib. 3. de falsa rel. cap. 12.

Iob 14. 8.

Greg. Nyss. hom. 13. in Cant.

6 Mirum verè fuit, quòd lapis virga percussus, aquarum emiserit fontes, vnde, & canitur, *Dirupit petram, & fluxerunt, aquæ*. Sed cedat miraculum materiale spirituali: cedat lapis cordi, cedat aquarum fluxus defluxui lacrymarum: & cedat virga Mosis, oculis Christi, qui dum orantis cor lapideum tãgunt, oculos in fontes conuertunt dulcium lacrymarum. Hinc Marcus Eremita sic te docet, *Si inter orandum profuderis lacrymas, Christus oculos cordis tui tetigit, & iam visum intellectualem recepisti*. O mirum, quòd vbi tactus oculi, vel cordis, & oculos lædit, & excæcat videntes: tactus hic salutaris, tactus hic cordis, quo lachrymæ fũduntur, & cordi lumen, & oculis reddit aspectum. Sic Ephræm Syrus enixè postulabat, *Largire mibi Domine lacrymas, illuminationem cordis, vt fontes lacrymarum iugiter cum dulcedine fundens, cor meum illustretur*.

Psal. 104. 41

Marcus eremita in cap. de Paradiso num. 12.

Ephræm Syrus serm. 3. de compũc. cordis.

CIRCVLVS III.

Varij exitus aquarum, varios producunt effectus.

7 LIgnum plantatum ad exitus aquarum, id est, pænitens

præteritorum deflēs excessus peccatorum, in varios riuos diuidens aquas, varia defleт genera delictorum, vnde idem Dauid pænitētiæ formam describens, flens, canebat, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*: Vel ex Hieronymo, *Riui aquarum fluebant de oculis meis*. Nunc enim per adulterij lectum, nunc per homicidij stratum, nunc per numerationem populi varios emittebat lacrymarum riuos, vt nos doceret singula deflere peccata, sicut mater super singulos liberos mortuos plangit amarè. De Niobe fabulantur Poetæ in saxum versam esse ob dolorem extinctionis filiorum: & Statius addit, *Quoniam facta saxea, turbine venti Sipylum in patriam rapta est, vbi fixa in cacumine montis, Liquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant*. Sed eorum fictio minor fuit, quàm veritas in Ieremia demonstrauit, dum flens dicebat, *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducēs aquas*: Vel ex Hebræo, *Defluens in aquas, & ita liquescens, ac si solutus esset & conuersus in illas*. Vel ex Ambrosio, *Decursus aquarum descenderunt oculi mei*. Sicut aquæ inundantes euellunt plantas, ex natalitio loco transferunt eas, in pessum trahunt, & in mare demergunt: Haud dissimiliter copiosæ erumpentes lacrymæ ex corde contrito, oculorum lugentis Prophetæ sic fontes replebant, ac tali, & tanto impetu inundabant, vt & oculos eradicauerint, atque cum aquis ad ima descēdere coegerint. Colorat ipse, quod ego delineaui, sic enim fatur, *Granditer effectum poenitentiam gerentis expressit, dicens, quòd aquarum decursus oculi sui descenderint. Habet enim hoc vis summi doloris, vt cum lacrymis, oculi quodammodo ipsi videntur descendere, eo quod tanta vis lacrymarum fit, vt putantur oculi in fletus exolui, & in lacrymas effundi, oculi enim ipsi, tamquam in decursus descendunt aquarum*. Sed felix descensus, quo impetus aquarū, cui propriū est ad locum ascendere, vnde descendit, oculos hinc raptos, transfert in cælum. Idem Ambrosius de illis interpretans verba Sponsi, *Fons hortorum, puteus aquæ viuæ, & impetu descendens à Libano*: subdit, & bellè, *Hoc impetu diluuntur peccata, hoc impetu, cui fontis Spiritus sancti affluit à Libano Spōsa, et à principio fidei transiuit sæculum, & pertransiuit ad regnum*. Verè, Beati, qui lugent, dum oculi lugētiū pertranseunt ad beatificam visionem.

Ps. 118. 36. Hieronym. — Statius in Siluis. — Threnorum 1. 16. Hebræus. — Ambrosius. — Ambro. ser. 18. in ps. 118 ver. 8. — Cant. 4. 15. — Ambr. ibid.

8 Transeant ergo securi oculi, pertranseat totum cor, arripiat poenitens secundam tabulam, feratur ab impetu fluminis lacrymarum ad regnum, intrepidus cursum dirigat, in cælum conscendat, paradisi fines inuadat, nec timeat romphæam igneam in ingressu collocatam, sed sicut præualet lacrymarum aqua contra ignem, valet & contra ferrum: ita certam speret victoriam, quia & ferrum poterit retundere, & ignē extinguere. Canat Ambrosius hymnum in hoc triumpho, *Sicut romphæa est in ingressu Paradisi ignea, vt qui redit, per ignem reuertatur, vrat peccata sua, probet aurū suum: Ita qui redit, per hos decursus redit. Meritoque dicunt Sancti, Transiuimus per ignem & aquam*. Sed quid mirum, quòd præualeat hæc aqua contra romphæam ignitam in porta paradisi, cùm tātopere valeat & cum portis Inferni, & cum carbonibus Iuniperorum, vt illam his encomijs extollat Cellensis, *Portas refringit Inferni, carbones extinguit ferreæ fornacis, vincit inuincibilem, ligat Omnipotentem, naufragium est vitiorum, portusque naufragatorum*. Sic, sic acquirit lacryma, culpa quod amisit: & si culpa animam clausit in carcere infernali, lacryma portas refringit inferni. Si culpa ignem pœnarum incendit, lacryma carbones incensos extinguit. Si culpa vincit hominem, & animam constrinxit: lacryma vincit inuincibilem, & ligat Omnipotētem. Et si culpa est naufragium virtutum, & perditio meritorum: lacryma est naufragium vitiorū,

Ambrof. in enarr. super ps. 1. — Pet. Cell. li. de panib. c. 12.

portuſque naufragatorum. Nec mirum: nam ſi, ex Auguſtino, *Lacryma eſt Vicaria paſſionis Chriſti*: ipſa redimit & ſaluat, quos culpa captiuauerat, atque damnauerat: Vicarius enim poteſt, quod Epiſcopus poteſt.

Auguſt. ad Frat. in eremo. c. 11.

CIRCVLVS IV.

Paradiſus lacrymarum à Paradiſo deriuatur Beatorum.

Plutarch. in quæſtionib. naturalib. q. 2.

9 QVærebat Plutarchus, *Cur a pluuijs aquis potius quã à fluentibus, arbores & ſemina adſolent nutriri?* Ad quod dupliciter reſpondet, & bene, nũc dicẽs, *An quia aqua caleſtis leuis eſt, atque aerea, ſpirituque mixta celerius ob tenuitatem deducitur, atque eleuatur in plantam?* Nunc verò ſubdẽs, *An id maximè alit, quod are alẽda ſubigitur? id enim eſt concoctio: cõtra, defectus concoctionis, quando alimentum validius eſt, quam vt ab alendo affici poſsit. Iam tenuia, inſipida, ſimplicia facilius mutantur, quorum de cenſu etiam eſt aqua pluuia: quæ in aere nata & vento, pura ac ſincera decidit. Fontana autem, & terra, & locis aſsimilata, per quæ emanat: multis impletur qualitatibus, ob quas ad alendum minus ſit cõmoda.* Idipſum de aquis lacrymarum philoſophari fas eſt. Inanes enim ſunt lacrymæ ex terreno incommodo natæ, nec iſtæ nutriunt: ſed tantum illæ, quæ puræ ſunt, & deſcendunt. Firmetur hæc ſententia à Cellenſi, *Flendum ſolummodo eſt, aut pro peccato, commiſſo, aut pro amiſſo Paradiſo.* Hoc eſt enim, quod ait Scriptura, *Fluuius egreditur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Nutriunt etiam magis lacrymæ pluuiæ, quia ſpiritu mixtæ, dum pro Deo, qui ſpiritus eſt, funduntur. *Attendendum, vel ſaltem ſuſpirandum in loco doloris: vbi ſit, & quis ſit locus voluptatis. Locus voluptatis, in Deo eſt, & Deus eſt.* Cùm igitur audis, *in Deo, vel Deum eſſe voluptatẽ; non carnis, ſed cordis cogites delectationem. Non enim, Coutuntur Iudæi Samaritanis: quia neque eũdem finem habent delectationes ſpiritus & carnis, nihilominus non patitur cohabitare ſumma illa voluptas cum noſtra infima, nam illa mundat, iſta inquinat: illa Deo copulat, iſta à Deo ſeparat: illa ſemper ſine faſtidio, iſta plena tædio.*

Per. Cell. li. de panib. c. 12.

Idem ibid.

10 Philo Hebræus admirabundus quærebat, *Cur filij Iſrael poſt mortem Regis Aegyptiorum gemere cœperint, quando ob Tyrani mortem potius præbebatur cauſſa lętandi?* Et reſpondens moraliter, mores inſtruit, *Quòd poſt mortuam malitiam, ingemiſcit vicem ſuam videns Deum, quandoquidem quamdiu viuit & regnat in nobis conſuetudo antea voluptatum, perſuadet animæ, vt peccatis ſuis delectetur ac gaudeat: quæ mox, mortuo Rege tali, gemit, & exclamat ad Dominum, ſupplicans ne mutetur iterum, neque ad abſolutam perfectionem non perueniat.* O terque, quaterque beata pænitentia lacrymoſa, quæ mortuo peccato, tamquã Rege Ægyptiorum, vltra in Ægyptum non reuertitur: at contra, terque quaterque deploranda eſt illa, quæ inſtar maris, & fluxum patitur, & refluxum, nunc ex Ægypto, ad promiſſam terram: nunc ex promiſsa terra, refluens in Ægyptum: cui infligitur pœna vxoris Loth, quæ in exemplum aliorum in ſalis ſtatuã iacuit commutata. Hinc ſubdit idem Philo, *Multis animabus pænitentiam expetentibus, non conceſſit Deus, ſed tantum æſtu refluo abreptæ ſunt retrorſum, quemadmodũ & Loth vxor in ſaxũ verſa eſt propter adamata Sodoma, quia ad ineť dium, in qualia Deus animaduerterat, reuerſa fuit.* Diſtinguit autem idem Philo, *Duplicem gemitum, alterum eorum, qui cupientes appetentesque iniquitatem, non fiunt eius compotes, & hic malus eſt: alterum pęnitentium, & grauiter ferentium anteactam vitam, qui gemitus numquam accidit, niſi defuncto in anima Rege Aegypti, hoc eſt, impia vo-*

Philo Heb. lib. 2. Alleg. legis.

Philo ibid.

lupta-

luptariaque consuetudine. Tunc ergo pœnitentia placet Cælo,& super gemitum beneplacitum est Deo, quando in aquis lacrymarum mergitur Pharao, in mari contritionis moritur Rex, consuetudo peccandi aboletur, pœnitens transit in terram promissionis,& libertatem acquirit Filiorum Dei.

CIRCVLVS V.

Aqua lacrymarum Paradisum efficit deliciarum.

11 Mirabilis quidem,& amabilis valde, sed insolens & dubia videtur nimis, celebris & decantata sententia Petri Abbatis Cellensis, *Aqua hac*, de aqua autem lacrymarum loquitur, *aut facit, aut inuenit Paradisū.* Si enim verum est, vti verissimum est Aquilę Volantis oraculū, *Abstergat Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque dolor erit vltra:* & si in columnis portarum Paradisi pro lacrymarum naui scriptum est, *Non plus vltra*: quomodo potest lacryma facere paradisum, dum ipsa omnino excluditur a Paradiso? Sed verè lacrymarum aqua adeo est pura, adeo odorifera,& adeo, vt ita dicam, angelica,& diuina, vt in animam ingrediens in illam Paradisi delicias videatur transferre, & facere Paradisum.

Cellensis li. de Panib. c. 12.

Apoc. 21. 4.

12 Distinguebat Plutarchus inter aquas,& aquas, inter aquas è mōtibus,& ex lapidibus manantes:& aquas palustres, atque de terra orientes, vnde & dicebat, *Terra aqua admixta, eam vitiat, potuique facit incommodam. Aqua autem, montanam & lapidosam permeantes terram, quia non multum terra secum trahunt, validiores paludibus,& in plano fluentibus sunt.* Si ergo tale discrimē est inter aquas,& aquas, lacrymarum aquam, montanam reputabimus, an palustrem? Respondet Cellensis, *Quod fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum: benè enim talis locus, tali flumine irrigatus Paradisus est: qui irrigat, Paradisus.* Cùm igitur hæc aqua ex Paradiso egrediatur, mirum nō est, quòd animam, in quam ingreditur, ita efficiat Paradisum, vt dicatur, Aquæ, quæ super cælos sunt, laudēt nomen Domini, id est, ex Bernardo, *Cælestes benedictiones faciunt, vt laudetur.*

Plutarch. li. lib. 1. sympho. q. 5.

Petr. Cellēs. ibidem.

Bern. in ser. de S. Benedicto.

13 Et quidem, si aqua Paradisi lacryma est, non erit terrestris, & palustra, sed lapidea,& montana, in sublimi enim monte costitutus fuit terrestris Paradisus, & in eo, qui medius est, vt Moses Barcepha docet, inter terram, & firmamētum, *In medio esse positū, neque tam subtili tenuitate dotatum, quàm ea, quæ supra ipsum existunt: neque rursus ea crassitudine materia, qua illa cōposita sunt, quæ infra ipsum habentur. Non ergo in hac, quam nos habitamus terra, Paradisus extitit, sed in alia, non quidem ipsa sua natura differente, sed tenuitate, genuinaque puritate.* Hæc ergo aqua tam pura, tam suauis, tamque delectabilis animam irrigans, in illa efficit Paradisum, qui cedit cęlesti, sed superat omnes delicias terrestres. Inde Cellensis, explicans oraculum, *De loco voluptatis fluuius egrediebatur ad irrigandum Paradisum:* bene subnectit, *Talis locus, tali flumine irrigatur. Illo fluuio apud superos nihil excellentius, isto loco apud terrenos nihil calestius. Ille fluuius voluptatis, iste locus deliciarum. Ibi vna voluptas, quia vnum & innumerabile propter æternitatem desiderium: hic multa delicia, quia multa, & diuersa desideria propter alternationē diuersorum motuum. Inualida est mens mole corporea oppressa illos gratia impetus suscipere, quibus angelica natura in superioribus Dei inebriata, intus & extra solet effluere. Dispertitur perinde ad mensuram nobis illa gratia, qua humanam exuperat mensuram, non pro largientis, aut largitionis parcitate, sed pro vasculi mediocritate.* Hāc mēsuram expressit diuinus Psaltes, cum Deo loquens, ac dicens, *Potum dabis nobis*

Moses Barcepha 1. p. com. de paradiso cap. 8

Idem Cell. ibid.

Psal. 79. 6.

in lacrymis in mensura. Quod licet secundum Euthymium de mensura intelligatur delictorum, *In mensura, autem dixit, pro, ad mensuram, hoc est, ad delictorum nostrorum proportionem, & modum:* attamen multo melius ad propositū vertitur, de mensura deliciarum, quam secum lacrymæ afferre flentibus solent. Ita Greuæus, & ita Hugo Cardinalis hoc explanat, *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura: quasi diceret, Certus sum, quòd tu conuertes nos ad pænitentiā, & compunctiones facies, vt in fletu pro peccatis delectemur, sicut in cibo, & potu.*

Euthymius hic.

Philip. Græ. [?]er. 172. Hugo Cardin. hic.

14 Nec tantum facit, sed etiam inuenit lacryma Paradisum. Arbor quædam mirabilis secus fontem posita, cum fonte & de beneficijs grata contendiens, ab illo humorem recipiēs, illi vmbram reddēs: & cum fonte in partu admirabili ita concurrit, vt ex vtrisque singularis generetur auis. Dū enim planta folium in fonte proijcit, fons recipit fæcundus, fouet in sinu benignus, figuram corporis reddit, format in corpore alas, alas exornat plumis, plumas armat pēnis, fœtum aligerum parit, & foliū totum in talem parturit auem, vt ex aquarum gremio vix exorta, aquam deserat, terram cōtemnat, vehatur per aera, cæli sublimia scandat, volet ad æthera. Quis autē ignorat humanæ naturæ symbolū esse plātam? hominis vero folium esse figuram, dicente Iob, *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam?* Dum ergo hoc folium à vento spiritus contribulati raptum, in fontem deijcitur lacrymarum, ibique fouetur, ex aquarum refectione animam haurit, virtutum plumis ornatur gratiarum ac donorum pennis armatur, aligera & ætherea efficitur, & læta ac leuis ita volat ad æthera, vt Ephræm Syrus congratuletur, cum lacrymis, ita exclamans, *O lacrymarum potentia, quomodo in ictu oculi, quasi præpetibus sublata pennis, in cælum reuehis, atque asserdis: ac postulata a Deo sancta obtines? occurrisque tibi hilariter, indulgentiam & remissionem peccatorum deferens?*

[I]ob. 13. 25.

[E]phræm Syrus serm. 3. [d]e compūc. [c]ordis.

15 Petrum post trinam Magistri negationem flentem legimus de Pontificis domo egressum, dicente Matthæo, *Egressus foras, fleuit amarè.* Sed huius egressionis motus, notus est tantum terminus à quo, terminus autem ad quem, apud Euangelistam non est notus: notificatur autem a Drogone dicente, *Vbi de domo Caipha foras egressus est, in domum Christi intromissus est.* Sed qualis est, ò Antistes Ostiensis, hæc domus Christi? Non certè alia, nisi domus Cæli. Si tamen petas, quo modo in domum Cæli & Paradisi intrare potuit Petrus, qui egressus foras fleuit amarè? Vtique, nam lacryma vel efficit paradisum & domum Christi, vel domum Christi & Paradisum inuenit. Vnde idem Drogo subdit, *Nisi confitendo exeant foras, & amarè fleant, non intrant in Ecclesiam Christi.* Cùm autem duplex detur Ecclesia, & triumphans, & militans: vt ipse demonstret lacrymam inuenire domum & Ecclesiam triumphantē, in qua, sublato velo, clarè cernitur diuina pulchritudo, subdit, & bellè, *Amaritudo fletuum velamen diluit oculorum.* Nec mirum si lacrymæ inueniunt paradisum, cùm ipsæ & portæ sint paradisi, & margaritæ ac cibus paradisi, de quibus & Ecclesia canit, *Porta nitent margaritis:* & Chrysostomus dicit, *Tāquam margaritæ erant congelatæ Prophetarum lacrymæ:* & Iob asserit, *Sub ipso erunt radij Solis:* vel ex Hebræo, *Sub ipso erunt margaritæ, vt Sol lucentes.* Talibus enim splendoribus implent lacrymæ animam pœnitentem, qualibus fulgent Sancti in conspectu Dei. De margaritis memoriæ prodidit Naturæ mystes, vt alias diximus, prediuitem quemdam eas aceto maceratas, in cibum sumpsisse, *Vt experiretur in gloria palati quid saperent, atque vt mirè placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones con-*

Matt. 26. 75.

Drogo Epi. Ostiens. in lib. de sacramento Domin. pass.

Idem ibid.

Idem ibid.

Ecclesia in Hymno dedicat. Ecclesiæ. Chrysostom. homil. 22. ad populum. Iob. 4. 1. 21. Hebræus.

Plin. lib. 9. cap. 34.

uiuis

minis absorbendos dedit. Et Deus qui diues est in misericordia, sicut ipse expertus est dulcedinem lacrymarum, de quibus Dauid, cum eo loquens, dicebat, *Reliquiæ cogitationis diem festũ agent tibi:* Vel vt Hugo vertit, & exponit, *Reliquiis mæroris accingeris: Hæc enim faciüt Domino diem festum, nam dicit Glosa, Puto per singulos fideles, qui conuertuntur ad Deum, & in fide proficiunt, festiuitas oritur Domino, iuxta illud. Hostias meas obseruate in diebus festis meis.* Cùm ergo hæ lacrymæ, hæ margaritæ Domino placuissent, ne solus sciret, conciuis Angelis absorbendas dedit, vnde subdit Glosa, *Lætantur Angeli, ad quorum festiuitatem accedunt conuersi: & gaudium est in cælo super vno peccatore pænitentiam agẽte.* Et concludit Cellensis, dicens, *Singuli beatorum Spirituum nauigant cum suauitate in fluuio isto.*

Psal. 75. 11.

Hugo Car. hic.

Glosa apud eundẽ Hugon. Card.

Petr. Cell. in lib de panib. cap. 12.



CAELI DAVIDICI
VERSIO XLII.
In Psalmi primi, Versus Tertij, Partem Secundam.

Prima ex Vulgata, Quod fructum suum dabit in tempore suo.

2 Ex Chaldæo, Cuius fructus maturescit in tempore suo.

3 Ex Vatablo, Quod fructum suum reddet in tempore suo.

Prima ex Vulgata, Fructum suum dabit in tempore suo.

CIRCVLVS I.

Ex fructibus operum cognoscitur Iustus.

1 CVm duo assignētur pro venanda rerum notitia instrumenta, nempe definitio, & demōstratio, & hæc vel à priori & à causa, vel à posteriori, & ab effectu: Iustus gratia præditus cognosci nequit per caussam, quia vt Diuus Thomas docet, caussa gratiæ est Deus, *Cuius præsentia, & absentia in nobis, per certitudinem sciri non potest*: reliquum ergo est, vt ex effectibus dignoscatur. Ea ergo forma, qua & radice visa, & fructibus visis decernitur planta, & quæ malis punicis coronatur, distinguitur ab ea, quæ malis oneratur: eadem & norma in iudicio ferendo de plantis inuersis Catholici vti solent. Quamuis enim Iusti in caritate sint radicati, & cæca radix caritatis lateat, quia, *Nescit homo* (D. Thom. p. 2. quæst. 112. ar. 5.) (Eccl. 9. 1.) *vtrum amore, an odio dignus sit*: & per ea, quæ Hugo refert, *Hæc auctoritas solet induci ad ostendendum, quod nemo scit se habere caritatem*: attamen statutum est à Cælo, Ex fructibus eorum cognoscetis eos. (Hugo Car. hic.) Qui ergo infaustis arboribus similantur, & infelices sunt, atque sic dānati, vt vel nihil ex eis nascatur, vel tantùm malorum operum fructibus onerētur: & pereuntes apparent, & peribunt, scriptum est enim, *Et iter impiorum peribit.* Vbi acutè quidem Oecumenius notat, *Non interire impios, qui videlicet si penitus interirent, puniri non possent, & damnationis expertes pœnam: sed eorum iter, & opera perire, vnde & filij perditionis dicuntur.* (Psal. 1. 6.) (Oecumenius hic.) Qui vero felix est arbor, prope aquæ decursus florescens, suisque temporibus tales fructus edens, quales describit Lactantius, ita canens,

Hic genus arborum procero stipite surgens,
Non lapsura solo mitia poma gerit: (Lactantius relatus ab Eugubino. In Psalm. 1.)

Is

Is vere beatus in facto suo erit, & is ex fructibus bonis, & beatus cognoscitur,& bonus. Hoc nomine, & hoc titulo illum extollit Iacobus, *Factor operis, beatus in facto suo erit*: id est, per ea, quæ notat Diuus Thomas, *Beatus in facto suo erit, merito, scilicet, & spe, & non in verbo tantum erit beatus, sed in facto*. Et iure, sancitum est enim, *Bonorum laborū gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ*: Vbi Glosa, *Verè gloriosus est fructus, quia sapientia est radix huius fructus, id est, vita æterna, quæ sapientia non aufert, sed confert vitam, vt perpetua salutis offerat fructum*.

Iacob.1. 25.
D.Tho. hic.
Sapien.3.15
Glosa interlinearis hic.

2 In decursu aquarum baptismi plantantur æquè omnes Christiani, suscipiunt ibi fidei communem fructum, sed Iusti nutriunt custodiuntque illam addētes opera vitæ, & virtutum floribus se Coronantes: iniusti vero læduntur in primo flore, ac vento peccatorum flante, & fructum amittunt, & amittunt vitam. Audiatur Mediolanensis Archiepiscopi decretum, *Fructus videtur esse fides, pax, doctrina. Hos fructus bona vita custodit: mala, etiam si percepit, amittit*. Et meritò, nam vbi, *Fides sine operibus mortua est*, in malis: in Iustis, ex opposito, *Fides per charitatem operatur*. Pendantur singula verba, & metaphoræ pandantur. Fides, en plantam: per caritatē, en radicem: operatur, en fructus virtutum, & operationum. O fides, o caritas, o radix virtutum omnium, omniumque operationum!

Ambrof. in enarr. super psal. 1.
Iacob. 2. 20.
Ad Gal. 5. 6

3 Referebat Apostolus fidei fructus, sed primò, vt notat Augustinus, radicem omnium fundabat, e qua illi omnes manant, in qua & nituntur. Sed Augustini eloquētiam in horum descriptione admiremur, ait enim, *Vnde & Apostolus Paulus, cùm contra opera carnis commendare fructum spiritus vellet, à capite hoc posuit, Fructus, inquit, spiritus caritas est: ac deinde cetera, tamquam ex isto capite exorta, & religata contexuit, quæ sunt, gaudium, pax, lōganimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas. Quis autem benè gaudet, qui bonum non diligit, vnde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseueranter manendo, nisi feruea at diligendo? Quis est benignus, nisi diligat, cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide, quæ per dilectionē operatur? Quis vtiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet, vnde deturpatur, nisi diligat vnde honestetur*? Fides ergo viua est arbor Crucis, ex qua hi omnes virtutum legūtur fructus, & fides, vt Drogo demonstrat, *Crux est, cuius latitudo caritas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profundum, timor. Et in hac cruce anima suspenditur à terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit*.

Augu.tract. 87. in Ioan.
Drogo in lib de sacramēto Dominicæ Passionis.

4 In lege veteri steriles damnabātur: & in Philosophorum scholis tritum est, Nihil esse in intellectu, quod prius nō fuerit in sensu: at Deus, quod in veteri lege promiserat, in lege noua impleuit, in qua per os Isaiæ dicit, *Ecce ego facio noua*. In lege ergo noua, noua Virginitas approbatur in carne, & noua sterilitas damnatur in fide, nisi enim hæc pariat, nec benedictionem obtinebit, nec regnū: scriptum est enim, *Filij seruorum tuorum habitabunt*. Vbi si quæras cum Augustino, *Ergo Patres non habitabunt, sed tātum Filij?* Responde cum ipso, *Filij seruorum, opera seruorum sunt: nemo ibi habitabit, nisi per opera sua. Nemo ergo glorietur se habitaturum, si dicit se seruum Dei, & opera non habet: non enim habitabunt ibi, nisi filij, & serui per filios suos*. Scirene fortasse cupis quænam dicātur, vel sint fidei filiæ? Clemēs Alexandrinus sic illas enumerat, *Simplicitas, Scientia, Innocentia, Honestas, Continentia, & Silentiū, Hæ sunt filiæ fidei*. Nouo autem, ac miro modo, atque à sensibili cognitione diuerso, vt idem Clemēs demonstrat, fides parit cognitionem, & fideles tenentur apprehendere

Isa.43. 19.
Psal.101.29
Augustin. in concione secunda de 2. p. ps.101.
Clem. Alexandr. lib. 2. stromatum.

dere illam, *Nouo enim oculo, noua aure, nouo corde, quaecumque videri, & audiri possunt, sunt per fidem & intelligentiam comprehendenda.* Sicut enim clauso Templi ostio, exteriora tantum oculi carnis vidēt: at ostio reserato, interiora etiam videntur: Ita fides ostium aperit, & vbi in hoc mundo, qui Templum Dei est, in quo Creaturæ oēs dicūt gloriam Dei, sensus corporis externa tantum sentiunt: sensus Lincei fidei, etiam secreta ostendunt. Sed Isacium audiamus, ita philosophantem, *Fides est ostium secretorum: nam quemadmodum corporales oculi, substantibus rebus: sic est fidei oculus occultis & intelligibilibus, thesaurus. Oculos duos habemus animae, sicut duos oculos corporis: in vno intuemur occulta gloria Dei, quae occulta in naturis: in altero cōtemplamur gloriam naturae eius sanctae, hoc est ipsius Dei beneplacitum, quando placuerit Deo inducere nos in secreta spiritualia, & mare fidei aperire in animo nostro.*

Isacius Syri Præsbyt li. 1. de contēptu mundi cap.48.

CIRCVLVS II.

Nec fructus operum fructiferi sunt sine fide, nec fidei planta sine fructibus operum.

5 Mira æquidem, vtitur Psalmographus arte in beata beati viri descriptione, dum illum nunc manu fidei, ceu lignum plantat secus decursus aquarum: nunc secundo prouentu, fæcūdos inde ortos demonstrat operum fructus. Et certè, posset de fide, ac de operibus, quasi de duobus Ducibus Christianæ cohortis, his cōponi ea lege, qua composita legitur inter duos Equites, qui Regē Morum captiuantes, paribus armis, ac tempore pari, vicerint vtrisque illam tribuēdo, & de vtrisque asserendo, Omnia per ipsum, Nihil sine ipso: eodem enim modo dicere licet, & nobis, Omnia per fidem, Nihil sine operibus. Ita Diadocus, & dicit, & docet, *Fides sine operibus, & opera sine fide eodem modo improbabuntur: oportet enim fideles fidem acta ostendentem Domino offerre. Nec enim patri nostro Abraham in iustitiam fides reputata esset, nisi fructum eius filium suum obtulisset.* Obseruanda verba, *In iustitiam fides reputata esset*: cum enim iustitia definiatur, *Ius suum vnicuique tribuens*: debet quilibet fidelis ius suum tribuere fidei, & credere: debet & ius suum tribuere caritati, & operari, Fides enim per caritatem operatur: debet & ius suum tribuere Deo, vt ei, & ad gloriam eius offerat fructum suum, quasi filium suum.

Emblema.

Diadoc. Episcop. Photices in capitib. de profect. spir. c. 20.

§. Iustitia instit. de iustit. & iure.

6 Sicut ex Plinij sententia, *Nō recipiunt inoculat onem sicca planta vel humoris exigui*: ita inoculantur quidem plantæ inuersæ, dum fidei oculus illis additur: sed siccæ si iacent, si ob vredinē peccati emortuæ arescūt, & si ob caritatis defectum, & languent, & exiguum habent humorem: inoculationis fructum non afferunt, quem lustus offert in radice caritatis fundatus, & secus decursus aquarum gratiæ plantatus sic, vt de illo dicere liceat, *Iustus autem in fide sua viuit*: Vel ex Septuaginta, *Iustus ex fide mea viuit.* Sicut absque commixtione quattuor elementorum, & absque aeris respiratione, homo non viuit: Ita nec absque virtutum cōcentu, & absque fidei aura, & operum chorea, spirabit, vel viuet. Non est meum cōmentum, sed est inuentum Clementis Alexandrini, cùm enim enumerasset tum fidei coadiutores, nempe timorem & tolerantiam: tum adiutores, nempe longanimitatem & cōntinentiā: tum et comites, nēpe sapientiam, intelligentiam, scientiam, & cognitionem: ita subdit, *Cùm itaque prius dicta virtutes sint elementa cognitionis, euenit vt fides sit magis elementaris, quae ei, qui est cognoscendi potestate praditus, est aquè necessaria, ac ei qui in hoc mundo viuit, ad viuendum spi-*

Plin. lib. 17. cap. 16.

Habacuc. 2. 5. Septuag.

Clem. Alex. lib. 2. strom.

spiratio. Vt autem absque quatuor elementis non licet viuere: ita nec absque fide assequi cognitionem. Fides autem est basis ac stabilimentum caritatis. Hæc ille. Sicut ergo basis absque statua, ceu corpus sine anima iudicatur: ita & fides, quæ basis est, si caritatis statua non ornatur, viuere non existimatur, nam, ex Luca Abbate, *Caritas est recta fides*: fides enim tunc recta est, quando in basi eius, statua caritatis erecta est.

Lucas Abb Montis S. Cornelii in summariola in Aponii comment. in Cantica.

7 Sed si hoc verum est, vti & est, quomodo verum erit Pontificium decretum, *Posse credentibus vitam etiam ex solius fidei professione præstari?* Vtique fiet, si quis conditionem addet, quam idem mox subdit, *Præstari sanè, sed illis, quibus præstari promittitur. Quibus autem promittitur? Iustis, Iustus enim meus, inquit, ex fide viuit. Non dixit peccator in fide viuit, aut si fidem habet, permanens in peccatis suis, ex fide viuit.* Viuit ergo ex fide, si fides viua est, nemo enim dat quod non habet: & si fides vitam non habet, homini vitã non dabit. Dabit autem si caritatis vitam habeat, & cognoscetur habere, si fructus caritatis germinat, & si vitæ signa per opera virtutum demonstrat, Fides enim per dilectionem operatur.

Sixtus Tertius in epist de malis Doctorib.

8 Sicut vita plantæ non ex fundo, in quo eminet, sed & per frondes, & flores, quæ linguæ locum exercent: & per fructus, qui vocis vicem gerũt, manifestatur, si enim fronditera viret, florida vernat, & fructuum corona se ornat, viuere æstimatur: si autem arescit, & fructibus, & floribus, & folijs orbata luget, non viuens iudicatur: Eadẽ lege fideles plantati in domo Domini discernuntur. Qui enim fructibus operum bonorũ non coronantur, mortui sunt, nam etsi de fidei dono glorientur, fidelium autem premium, vt idem Pontifex statuit, non assequentur, *Ceterum, inquit, eius rei premium quod solis Iustis promittitur, puto quod in sua iniustitia perseuerantibus denegetur.* Ad trutinam reuocanda sũt verba, *Solis Iustis promittitur*, Iustus enim est, qui cum Paulo dicit, *Gratia Dei sum id, quod sum*. Nec vnam innuit gratiam, immo tres describit. Tres enim gratiæ, quas Poetæ fingunt, amice in Iusti formatione cõcurrunt. Si enim datur gratia operans, datur & cooperãs, & cõsũmans: quis nõ videt operãtem, dum fatetur, Gratia Dei sum id quod sum? Quis non cooperãtem, cùm subdit, Et gratia eius in me vacua non fuit? Et quis non consummantem, dum concludit, Et gratia Dei mecum est? Hoc totum obseruat Hugo Cardinalis hic, idque confirmat ex verbis Salomonis, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, honestauit illum in laboribus, & complacuit labores illius.* Vbi sic ait, *Tãgitur hic triplex gratia, operãs, cooperans, & consummans. Operans, deduxit: Cooperans, labores honestauit: Consummans, cõpleuit. Et hanc triplicem gratiam nobis insinuat Paulus, vbi dicit, Gratia Dei sum id quod sum, ecce prima: & gratia eius in me vacua non fuit; ecce secunda, scilicet cooperans: & gratia Dei mecum est, ecce tertia, scilicet consummans.*

Idem ibid.

1. Cor. 15. 10

Sap. 10. 10.

Hugo Car. hic.

8 Triplici igitur gratiæ, triplici fructu responderi debet ab homine, tria enim, vt Carpathius philosophatur Deus remunerat in illo, & hæc sunt, bona voluntas, iustitia, & humilitas. Sic enim is fatur, *Tria sunt, quæ Deus remunerat in homine, Recta voluntas, quæ promptam se Deo semper offert: Iustitia, quæ quicquid boni potuit, libentir effecit: & mansuetudo, atque modestia, quàm humilitatem appellant, quæ omnia bona soli Deo accepta refert, in illumque, vt bonum Authorem, & vberrimum fontem bonorum omnium, perfectioremque reijcit, secũdum illud, Omne datum optimum, & omne donum perfectum, supernè est, descendens à Patre luminum. Cetera diuina gratia supplet: & merita sanctissima salutaris necis Redemptoris nostri.*

Philo Carp. in interpr. sup. Cant.

9 Et fortè huiusmodi plantæ frondenti, florenti, ac fructanti: tres Gratiarum, vel Charitum co-

ronas

Prou. 1. 8. ronas pacificus Rex promittebat, dicens, *Audi fili mi, disciplinam patris, & ne dimittas legẽ matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo.* Si enim cum Hebræo legas, *Ne euellas legem matris tuæ:* aperte cognosces illum te docere, vt monita salubria, quæ mater Ecclesia animo inseruit tuo, & radices aliquando egerunt, ne eradices, sed Monicam imiteris, de qua Augustinus refert, *Præcepta vitæ, quæ in animo plantauerat verbo, rigabat lacrymis, alebat exemplo.* Id si feceris, addetur gratia capiti tuo: Vel ex Septuaginta, *Coronam Charitum suscipies tuo vertici.* Id enim, quod finxit Hesiodus ex omnium donorum floribus à Charitibus, vel Gratijs contextam Coronam, Pandoræ capiti impositam fuisse: in te veraciter adimplebitur, Corona enim beatitatis tibi sic viuenti proposita, omnium bonorum flores connectit, & vnit: est enim beatitudo status ex bonorum omnium aggregatione perfectus. Si ergo legis plantam non euellis, si tentationũ turbidini non cedis, & si legitimè certas contra diuersas illecebras peccatorum, repositæ tibi erunt tot Coronæ, quot Spiritalia nequitiæ superbis, dicente Chrysologo, *Si certantes vincimus, tot Coronas accipimus, quot vitiorum victores fuerimus.*

Hebræus.

August. lib. 2. confessionum.

Septuag.

Chrysolog. serm 119. in verba Apostoli.

CIRCVLVS III.

Fructus salutis inseritur ex gratia, & libero arbitrio.

10 INquirebam olim, & curiosè quærebam, cur Sponsa ad vineas varijs plantis fæcundas Spõsum inuitans, de floribus malipunici præcipuè videretur esse solicita. Sed repetiens in Plinio, quòd *Punica omni genere inseruntur:* noui, meritò, impẽdi coronã omnẽ, pro planta, quæ omnium plantarũ recipit inoculationẽ: & simul noui hanc coronatam plãtam esse obedientiæ Hieroglyphicum, cùm scriptum sit, *Vir obediens loquetur victorias.* Obedientia ergo Punicam gestat cum victorijs Coronas, & in Coronis omnium gratiarum flores inoculatos, & omnium bonorum atque donorum fructus, ad stuporem vsque, insertos. Docet hoc Diuus Thomas, dum demonstrat, *Quæcumque virtutis opera ex hoc meritoria esse apud Deum, quia fiunt vt obediatur voluntati diuinæ.* Ideo cælestis agricola præcipiebat, *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Sicut natura humana insita Verbo diuino, diuiniori fructuũ, diuiniorique operũ Corona sic est fæcũdata, vt limus ad cælum, & homo ascẽderet ad Deum, ac fructus limi, & hominis Cæli dicerentur & Dei, testante Bernardo, *Nihil Deo sublimius, nihil vilius limo, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quidquid in eo limus facit, Deum fecisse credatur: & quidquid limus protulit, Deus in illo protulisse dicatur:* Sic gratia Verbi diuini insita in homine, quæcumque homo facit, se in homine fecisse fatetur, vnde Marcus Eremita statuebat, *Operis perfectio, Dei est: voluntas autem hominis, nam ipse nos manu ducit.* Ideo & Christus asserit, *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Vbi Augustinus obseruat, quòd non ait, *Sine me parũ potestis facere, sed, Nihil potestis facere. Siue ergo parum, siue multũ, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Potest quidem planta inuersa, sicut reliquæ plantæ, nempe tribuli, & spinæ, tribulos actuũ naturalium, & spinas producere culparum: at vuas virtutum supernaturalium, & ficus dulces meritorum, nisi gratiæ surculis in ea insitis, nullo modo potest: nec sine Authore salutis potest aliquid facere pro æterna salute.

Plin. lib. 17. cap. 16.

Prou. 21. 28

D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 3. in corp.

Iacob. 1. 21.

Bern. ser. 3. in vigil. nat. Dom.

Marc. Eremita, lib. de paradiso, & de lege spir

Ioan. 15. 4.

Augu. trac. 81. in Ioan.

11 Cùm homo creatus à Deo, & propriæ voluntatis dominus, & in magna gloria constitutus, per inobedientiam amiserit gloriæ Coronam, nec eam ex suis posset

viri-

viribus reparare: eam, miseratus hominis Deus, & factus homo, homini reddidit, sed ea lege, vt parcat Redemptori. Hanc legem Philo Carpathius statuebat, dicēs, *Homo, qui immortalis esse poterat, si diuino praecepto parere voluisset, sempiternam orti factus est obnoxius sine spe vlla, vt propria recuperandi, quod semel amiserat. Sed illum miseratus idem, qui sua bonitate cōdiderat, calo descendens, & humana carne vestitus, vniuersum genus humanum sua morte redemptum aeterno Patri reconciliauit, eamque rursus legem vita dedit, cui, qui parere volet, omnes autem velle debent, ea tandem immortalitate donabitur, quam Redemptor ipse primus omnium deuicta morte recepit: quare parendum est illi soli, si id consequi optamus, quod proprijs viribus adipisci nullo modo valemus.* Hæc Philo, clarè demonstrans antidotum obedientiæ ordinatum a Medico diuino contra inobedientiæ venenum: restituit enim obedientia fructum vitæ, quem inobediētia olim abstulit: & quem inobediens serpens de paradiso eiecit, obediens Redemptor ad paradisum inuitat. Hinc idem subdit, *Ecce inuitat hominem ad vitam, ecce donat gratiam promerendi, offert vt capias, hortatur accipere: ostentat accurrere, pulsat vt aperias.* Deus, qui vt Creator omnium, omnibus corporibus tribuit proprium pondus, terræ graue, quo deorsum mouetur: igni leue, quo sursum fertur: idem, vt Redemptor dedit fidei, tamquam corpori, a charitate tamquam forma animato, pōdus bene operandi, vt per bona opera eleuetur in cælum. Qui ergo hoc pondus non habet, nec fidem viuam, nec caritatem veram habet. Non est meum inuentum, sed Episcopi Photices, *Qui Deū amat, & legitimè credit, idem opera fidei sanctè perficit: qui vero tantum credit, & non amat, idem neque fidem ipsam, quam habet, videtur habere, Leui enim mente credit, in quo pondus gloria caritatis non operatur.* O bellè, pondus gloriè non operatur: nam vti pondus leue ignis operatur in igne, & eleuat illum ad concauum Lunæ: ita pondus gloriæ in fideli amante, eleuat illum ad æternam gloriam. Hic autem fructus ex tali radice fidei & caritatis trunco procedens, omnes fructus in se colligit, omniumque virtutum fructibus maior iudicatur, sicut idem subdit. *Fides in actione per caritatem posita, magnitudo virtutum est.*

Philo Carpathius in interpretatione Cantici Cantic.

Idem ibid.

Diadocus Epis. Phot. in Capitul. 100. de perf. spir. c. 21.

Idem ibid.

12 Nec tantum ex pondere & fructu bonorum operum, fides caritate formata hominem eleuat ad cælestes Coronas: sed etiam per illos fructus occulta fidei & caritatis panditur radix, scriptum est enim, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Hac fortè fretus Sponsus rationc, ne dum vocem, vt Carpathius notat, sed faciem Sponsæ requirebat, dicens, *Ostende mihi faciem tuā, & auditam mihi fac vocem tuam: ex quo debet fidelis anima, non solum voce confiteri, verùm & operibus comprobare, se nosse Christum, vt qualis sit fides interior, per exteriora opera apertior innotescat.* Formosa larua texerat nescio quis deformem vultum, sed circa laruam scriptum legebatur, *Pallit imago:* Quid formosius pietate, quæ ad omnia est vtilis? Sed heu! quot fideles laruati in theatro Ecclesiæ deflentur, qui speciem quidem habent pietatis, virtutem autem illius factis negant. Hinc Andræas Cappadociæ Antistes, flens, dicebat, *Quamuis comperiantur, qui Deum se agnoscere non diffitentur, attamen factis illum negant: eiusmodi inter cæteros sunt, qui externa pietatis larua contenti, virtutē illius nihil curant.*

Matt. 7. 16.

Philo Carp. Epis. in interpr. super Cant.

Emblema.

Andræas Archiepisc. Cæsar. Cappadociæ ser. 9. in Apoc. cap. 26.

CIRCVLVS IV.

Fructum bonorum operum, operum Authori grati, dare tenemur.

13 Sicut organum dum flatum recipit, reddit & sonum: ita

& homo, qui organo comparatur, dum à Deo recipit ſpiritum bonum, recipit & gratiam benè operandi, Deo reddere debet opera bona, & reddere cum gratiarum actione. Hoc præceptum accepimus ab Irænco, *Exceptorium bonitatis, & organum clarificationis Dei homo gratus ei, qui eum fecit, qui plurimum ſemper fructificantibus, & plus habentibus dominicum argẽtum daturum ſe pollicitus eſt.* Vbi miro modo concinunt, & exceptorium bonitatis, ob gratiam operandi, quam Deus homini impartitur: & organum clarificationis, vnde homo Deo pro fructibus operationum, gratias reddit, & ſimul diſponitur ad noua dona recipienda, dum ei plurimum fructificanti, plurimum datur.

Irenęus lib. contra Hæreſes cap. 24

14 Eadẽ lege, qua è mari exeũt aquę, viſitant terram, locupletant eam, plantas inebriant, floribus coronant, exultatione accingunt colles, prata depingũt, valles abũdantes frumento reddunt, & viridi veſte operiunt nemora & campos, ac demum ad locum, vnde exierant, reuertuntur, vt iterum fluant, & nouos producant effectus, partuſque nouos: eadem penè forma, immenſum pelagus bonitatis diuinę flumina effundens cæleſtium donorum, dum incidit in terram bonam, & dum inebriat animam fructificantem, quæ ei reddit de operibus gloriam, retribuitque laudes pro acceptis donis: firmat illã in ſpe de aquarum gratia nouo refluxu ad opera noua, abundantius fluitura. Bernardus hanc docet regulam, hanc gratitudinis demonſtrat formam, dicit enim, *Si copia aquarum ſecretis ſubterraneiſque recurſibus inceſſanter æquora appetunt, vt inde rurſus ad vſus noſtros iugi & infatigabili erumpant obſequio: cur non etiam ſpirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude, & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant: remittatur ad ſuum principium cęleſte profluuiũ, quo vberius terræ refundatur. Qualiter, inquiris? Qualiter dicit Apoſtolus, In omnibus gratias agentes.*

Bernar. ſer. 13. in Cant.

15 Quærebat Florus cauſſam, cur in re ſacra celebrãda, antequã Sacerdos dicat, Gratias agamus Domino Deo noſtro, vel præcipit, vel præmittit, ſurſum corda? Ad quod reſpondet & bene, ideo hoc fieri, *Vt de tanto bono ſurſum leuati corde, non nobis gloriam, quaſi noſtrarum virium, tribuamus, ſed Domino Deo noſtro gratias agere admonemur, vt cognoſcat homo, ſi quid bene viuit, Dei gratia ſe habere.* Cùm ergo Iacobus aſſerat, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum:* iure optimo præcipitur nobis, vt ſurſum leuemus corda, vt deſurſum deſcendant & bona & dona. Sicut enim terra, vt deſurſum deſcendat pluuia, vapores prius eleuat, & in cælum tranſmittit: Similiter & nos, cor leuemus in cælum ſi cor optamus impleri cæleſtibus donis. Cor autem tunc eleuatur, quando gratitudinis eleuans vaporem, lætabundus & laudans ſubdit, Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Florus magiſter in Eſegeſi ſiue in expoſitione miſſæ.

Iacobi 1. 17.

16 Id ipſum, ni fallor, figuratè præcepit bonorum Author & Dator, ſic per Moyſen dicens, *Ignis in altari meo ſemper ardebit.* Cùm enim ignis ima deſpiciat, & flammarum alis alta ſemper reſpiciat affectu, effectu petat, glorieturque ad ſublimia ſemper contendere, & ima contemnere, dicens, *Deorſũ nũquam*: docebat populum igneis linguis loquens, vt igneis linguis armatus, & alis flammeis ornatus, alta ſemper peteret, & gratias Datori omnium bonorum continuo redderet. Non eſt meum commẽtum, ſed Philonis Hebræi inuentum, qui explicans hoc mãdatum, *Ignis in altari ardebit perpetuus:* Ita ſubdit, *Meritò, vt equidem arbitror, nam quia perennes Dei gratiæ nec deficiunt, nec perimuntur, ſed interdiù, noctùque fruendas ſe præbent, nobis hominibus gratiarum actionẽ, hac ſacra flamma figurat ſemper in-*

Leuit. 6. 12.

Emblema.

Philo Hebr. in lib. de Victimas offerentibus.

ſtan

flaurandas, ne quando extinguatur. Si enim flamma gratitudinis extinguitur, ne in altum ascendat: & donum perfectum retinetur, ne ab alto descendat.

17 Mira Dei bonitas, & amabilis vicissitudo, dona elargitur nobis. & gratiarum actiones requirit à nobis, vt per has, noua & maiora elargiatur nobis. Vnde idem Philo, *Cui grati. debetur, nisi Deo? Aut quomodo ei referetur, nisi per hac ipsa, que accipimus, & ita dum gratiā referimus, denuo gratiā accipiamus. estque gratitudo testis, vbi veritas luminum desuper datorum relucet.* Et hinc quid aliud innuit, nisi illud, quod de sacrificio Abel dictū est à Moyse, *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*: Vel ex Theodotione, *Inflammauit Dominus super Abel, & sacrificium eius?* Dices, cur Deus sacrificium, & munera Innocentis inflammauit, atque consumpsit? Forte id egit, vt declaret, illis eum non indigere, cùm bonorum nostrorum non egeat: Sed in commodum offerentium hoc signo approbare. Audiamus Chrysostomum hæc docentem *Propterea concessit vt igne consumerentur, vt ex his, que fiunt discant illi, qui offerunt, quòd omnia propter suam vtilitatem fiunt. Consumit ergo Deus hac dona igne, ne videretur eis indigere, si integra relinqueret.* Consumit sacrificium, sed meritum sacrificantis conseruat. Plinius refert, *Antiquitus nullam, nisi Deo coronam dari: qua autem postea data est Triumphatoribus, Ioui reddebatur, à quo adiuti, illa digna sunt*: & Philo docet, *Mādatum esse, vt voti cōpos, Coronam offerat Deo, non sibi, idque sine mora, si fieri potest: & in hac re, qui peccant per beneficiorum obliuionē, gratiarum actione se priuat, qua nihil pretiosius.* Notāda verba, *Nihil pretiosius.* Margaritarum genitrici dicebatur, *Pretiosum thesaurum in te condis*: Et diuiti auaro præcipitur, *Ne abscondas pecuniam sub lapidem in perditionem*: at Iusto dicitur, Nihil pretiosius il li contingere, quàm Coronam gemmatam ac gratiarū redditione ornatam Deo offerre, cælo inserere, publicam facere, ac bonorum Auctori consecrare.

Phil. in lib. Quod Deus sit immutabilis.

Genes. 4. 4.

Theodotiō.

Chrysost. homil. 18. in Genesim.

Plin. lib. 16. cap. 4.

Philo in lib. de sacrif. Abelis & Caini.

Emblema. Eccli. 29. 13.

18 Hanc autem gratitudinem tam alta radice natura magistra & mater plātauit in corde, vt nec ab omnipotenti voce Auctoris naturæ possit vel concuti, vel euelli. Reddidit Dominus cæcis in cæca æde oculorum coronas, præcepit autem eis ne cui dicerēt: sed quid dico præcipit, cum Matthęus asserat, *Cōminatus est illis Iesus, dicens, Videte ne quis sciat?* Quid vero illi? subdit Euangelista, *Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa.* Hęccine est retributio debita Curatori, Curatoris nec monitis, obaudire nec obedire minis? Vtique, nam obuiantibus sibi obedientia, & gratitudine, ne ingrati viderentur, obedientiæ morem non gerunt. Id videtur innuere Theophylactus, aiēs, *Illi non vt inobedientes, sed vt grati diuulgaueiunt.* Sed quomodo, o Bulgariæ Antistes, verificabitur tua assertio, quod illi non vt inobedientes diuulgauerunt beneficiū, cùm contra Domini mandatum, immo cōtra eius comminationem id egerint? Forte, quia cum lumine oculorum capitis, & lumen adepti sūt oculorum cordis, quo agnoscentes silentium à Christo præceptū ob humilitatem, silentium non agunt ob gratitudinem. Ita Hieronymus videtur soluere nodum, dicit enim, *Dominus quid? propter humilitatem, fugiens iactantia gloriam, hoc præceperat, & illi propter memoriam gratia, non possunt tacere beneficium.* Sic Senecæ consilium secundarunt, *Accipienti beneficium adhibenda concio est*: nam grati præ dicauerunt illud, & diffamauerūt in tota terra illa.

Matt. 8. 30.

Idem 31.

Theophylactus in enar. sup. cap. 8. Matt.

Hieronym. relatus à D. Tho. in Cat. sup. cap. 8. Matt.

Senec. lib. 2. de benefic. c. 8.

CAELI DAVIDICI VERSIO XLIII.

Ex Chaldęo.

Cuius fructus maturescit in tempore suo.

CIRCVLVS I.

Fructus vteri Virginalis maturatus est in instanti.

1 FRuctus ex terra Virginali generatus, & ab Elisabet simul cum planta Virginea celebratus, dū & illum, & istam ad sidera his verbis exrulit, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*: solus & datus, & maturatus, dicto citius fuit. Spiritus enim sanctus, noua forma, mirabili norma, natura mirante, contractis tabulis legis, in momento, & corpus organizauit, & spiritum infudit, & incrementum dedit. Petebat olim Sapiens ab omnipotenti Deo, qui facit mirabilia magna solus, *Innoua signa, immuta mirabilia*. Antiqua signa diuinæ omnipotentiæ, cum orbe nascente, nata quis neget? Ecce ex tunc, nescio an dictu, vel nutu Creatoris, terra iam Virgo, sed vacua, pulchra varietate atque viriditate resplenduit amicta, & mira rerum copia splenduit fœcunda, nam Verbum Dei, tamquam semen, in illa effusum, dicto citius, misit radices, ex radicibus manauit truncus ex trūco egressi sunt rami, rami viridibus induerunt se folijs, folia ornata sunt depictis floribus, & flores depicti varias sibi concinnauerūt fructuum Coronas: per ea enim, quæ Nyssenus pandit, *Ab initio nō spica ex semine, sed ex illa semen prouenit: postea vero deinceps, semini spica accrescit*. Vt autem notat, & latius obseruat Philo Hebræus, *Nunc singula gignūtur suis vicibus, non simul omnium, Quis enim nescit primùm esse sementem, & plantationem, itum sequi incrementa satorum plantarumque deorsum radices, seu fundamenta demittentium: sursum item altas stirpes extolli: illi Deinde frondes, foliaque germinant: postremo fructus profertur, ac ne is quidem perfectus, sed varias subinde facies recipiens, & nunc formam mutans, nunc magnitudinem. At in prima huius vniuersitatis generatione, Deus omnium stirpium siluam e terra produxit perfectam, fructibus incohatis, sed maturis refertam, sine dilatione inuitantem ad fruendum, affutura mox animalia*.

Luc. 1. 42.

Eccli. 36. 6.

Nyssen. in disput. de anima, & resur.

Philo Heb in lib. de mūdi opificio.

2 Eadem ergo lege, & supra omnem naturæ legem innouatis signis, & mirabilibus immutatis, Virgo apparuit non vacua, sed gratia plena: Virgo resplenduit benedicta à Psalmographo celebrata, *Benedixisti Domine terram tuam*: sic.n. describit ex Hugone, *Beatā Virginem, quam benedixit Deus in vtero potentiam generandi tribuendo illi*. Virgo illuxit fœcunda, quæ fructum peperit, nempe Filium in momento perfectum, quia, *Terra nostra dedit fructum suum: dum Beata Virgo peperit filium, quem dedit, non reddidit, quia semen non recepit*. En Virgo, nouo miraculo circumdedit Virum, de quo Bernardus, *Virum autem dixerim fuisse Iesum, non solùm iam cùm diceretur Vir Propheta potens in opere, & sermone: sed etiam, cùm tenera adhuc infantis membra, Dei mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in*

Psal. 84. 1.

Hugo Car. hic.

Psal. 84. 13. Ex Hugone Card.

Bernar. homil. 2. in Missus est.

vtero.

vtero. Vir igitur erat Iesus nondum etiam natus, sed sapientia, non ætate: animi vigore, non viribus corporis: maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Hic ergo fructus, hic Filius maturatus est in tempore suo, & tempore suo singulari, ac solo, quia nec primum similem visus est, nec habere sequentem, qui simul esset inchoatus, & perfectus, conceptus, & natus, paruulus, & vir. Vir igitur erat Iesus nondum etiam natus: tempori enim non erat subditus temporũ Dominus, & ideo maturescit in tempore suo.

Philo lib. de mundi opificio.

3 Si idem Philo ibidem asserebat, quòd, *Nihilè terragenitum absque humida essentia consistere natura patitur, & dictam humidam essentiam partem esse terra omnia parientis, & hanc terram mulier imitatur, quam vere poetica gens Omniparentem, frugiferam, Pandoramque nominare solita est: eique naturæ, tamquam antiquissima matrum, ac fæcũdissima, mammas dedit, omnium fluenta, fontiumque, vt stirpes rigentur, & omnia animalia potum copiosum habeant*: Cur ergo simili; immo nobiliori modo non dicam terram benedictam, seu Virginem gloriosam, non alio semine, quàm Spiritus sancti flumine, Filij Dei matrem effectam esse, & vbere de cælo pleno, ei lac præbuisse, & Omnipotentem vere effectam nos cælo peperisse, nobisque fęcũdo vbere & vitã inspirare, & gratiam elargiri, tamquam verè Omniparentem, & caussam generationis, & perpetuitatis fidelium? Non meum est inuẽtum, sed Epiphanij documentum, sic enim ait, *Beata mater Dei Maria per Heuam significatur, quę per enigma accepit, vt mater viuentium vocetur, nam ab illa Heua omnis hominũ generatio deducta est in terra: hic autem verè à Maria hac vita mundo genita est, vt viuentem gigneret, & fieret Maria mater viuentium.*

Epiphan. li. 3. cõtra Hæreses 78.

4 Quod autem Philo dixit in terræ laudem, nempe Poeticam gentem Pandoram nominare solitã: dicam & ego cum Ambrosio, Minus esse quod ab illa est fictũ, quàm quòd nos cernimus in hac terra benedicta completum. Hesiodus docet, *Pandoram fuisse deã, quam singuli Dÿ donis suis ornauerunt, Pallas sapientia, Venus forma, Mars robore, Apollo musica, Mercurius eloquentia. Ideoque Pandorã dici, quasi ab omnibus dÿs omni bonarum dotum genere donatam. Et hac dona singulorum deorum flores ipse appellat, asseritque ex his floribus Coronam quamdam elegantem à Charitibus, vel Gratÿs contextam, & ab eisdem Pandora capiti impositam fuisse.* Irænæus autem refert, quæ ab Hesiodo dicta sunt, ab Æthnicis tribui Saluatori, sic .n. ait, *Quæ autem ille ait de illa, hæc hi de Saluatore insinuant, Pandoron introducentes eum, quasi vnusquisque Aeonum, quod haberet optimũ donauerit ei.* Nos autem verè asserimus Virginem Almam Dei matrem à vero Deo omnium bonarum dotum genere donatam, & gratia plenam fuisse, & superplenam. Testatur hoc Athanasius cũ Virgine sic loquens, *Ex te prodÿt Deus noster omnem tibi largiens gratiam.* Vbi & caussam largitionis gratiarum, & numerum innumerabilem earum insinuat, qui enim omnem dicit, nullam excludit. Testatur idipsum, sed latius Bonauentura, qui explicans verba Salomonis, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*: ita philosophatur, *Si filias istas intelligamus sanctas animas, vel intelligentias Angelicas, numquid non supergressa est diuitias Virginum, Confessorum, Martyrum, Apostolorũ Patriarcharum, Angelorũ: Cùm ipsa sit primitiua Virginum, speculum confessorum, rosa Martyrum,* Re*gistrum Apostolorum, Oraculum Prophetarum filia Patriarcharum, Regina Angelorum? Quid enim de diuitÿs omniũ borũ illi defuit? Hieronymus .n. ait, Mariã si diligẽtius aspicias, nihil splẽdoris est, nihil speciositatis, nihil cãdoris & gloriæ quod in ea nõ resplẽdeat.* Nã sicut stella differt à stella in claritate, sed tota earum claritas in Sole vnitur, qui est the-

Hesiodus in lib. opera & Dies.

Irenæus lib. 2. aduers. Hæreses c. 19.

Athan. in ser. de laudib. Virgin.

Prou. 31. 29

Bonauen. in Speculo Virgin. c. 2.

sau-

ſaurus lucis: ita Beata Deipara, quę dicitur Electa vt Sol, omnes virtutum & gratiarum claritates, quæ datæ ſunt filiabus per partes, in illa vnitæ ſunt, & cum magno fœnore. Firmetur hoc ex Hieronymi auctoritate, *Ceteris datur gratia per partes, Mariæ vero tota ſe infudit gratia plenitudo.*

Hieronym. in ſerm. de Aſſumpt.

CIRCVLVS II.

Nulla interpoſita mora concepit, & abſque dolore peperit.

5 SIcut indiſſolubili nexu, & vinculo ſic pacifico belligeræ virtutes, nempe voluptas & mæſtitia in ſtadio apparent vnitæ, vt qui vnam capit, alteram ea lege cogatur accipere, ac ſi ex eodem vertice eſſent connexæ: & per ea, quæ Plato fingit, *Quaſi Deus ipſa inter ſe pugnantia voliis conciliare, neque hoc facere poſſet, in vnum ſaltem eorum apices coniunxiſſet, propterea que, cuicumque adeſt vnum, eidem mox alterum quoque adeſſe neceſſe ſit*: Similiter & mulieres, quæ cum voluptate concipiunt, triſtitiam expectent neceſſe eſt, omnes enim in dolore pariunt filios. At benedicta in mulieribus, quoniam Virgo, & ſine delectatione concepit, ſine triſtitia, & abſque dolore peperit. Audi Nyſſenum hoc tibi apertè mõſtrantem, *Habes ab Iſaia Virginem Matrem ſine Patre Filium, ſine dolore puerperam, ſine labore partum prædiſces, ſic enim loquitur, Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Quæ vox ſignificat, nobiſcũ Deus. Aequũ erat autem vt ſine dolore hic partus exiſteret. Etenim, cùm omnis voluptas dolorem coniunctum habeat, neceſſe eſt, vt ijs, quæ ita copulata ſunt, cum vnum abeſt, alterum etiã abſit. Itaque, cùm nulla concipiendi voluptas anteceſſerit, ne parièdi quidem dolor eſt cõſequutus. Hoc autem Propheta verbis etiam cõprobatur,* *quæ ſic habent, Antequam labor dolorum veniret, effugit: et peperit maſculum Ex hac ergo Virgine Matre puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.*

Plato in Phædro vel de anima.

Nyſſenus in oratione 1. in Chriſti reſurrect.

6 Iuſſit Deus Moyſi, vt in Arca conſtituta, abſque vlla mora teſtificatio poneretur. Si autem curioſè quæris cur tanta acceleratio in hoc præcipitur? Non aliam fortè inuenies, niſi quòd Arca humanitatem à Verbo aſſumptam figurabat: Teſtificatio autem in eodẽ momento in ea poſita, Verbum illi vnitum ſignificabat, quia neque in conceptione, neque in incarnatione mora aliqua fuit media, ſed in momento, Virgo concepit, in momento & peperit. Nõ eſt mea allegoria, ſed illam me docuit Petrus Cellenſis, ita fatus, *Nulla denique temporum diſtantia interueniente, Arca conſtituitur, & teſtificatio in ea ponitur: ſed ſimul Arca animæ, & corporis Ieſu cum impoſitione diuinitatis compingitur, vt aſſumendo crearetur, & creando aſſumeretur, & ſanctificando aſſumeretur, ſiue crearetur, & aſſumẽdo crearetur, ſiue ſanctificaretur. Credo ergo ſimul in conceptione animam, & carnem aſſumptam, & in aſſumptione acceptam, & conceptam.*

Exod. 25. 10.

Petr. Cell. lib. 1. myſticæ expoſit. moſayci Tabernaculi.

7 Cur tamen Petrus Cellenſis per Teſtificationem, Verbum intelligat, ipſe non explicat: explicat autem Lyranus Teſtificationis nomine deſcribi, *Tabulas ſcriptas digito Dei, quæ erant teſtes inter Deũ & populum*: quod ſi verum eſt, & Verbum in carne ſcriptum, Teſtificatio eſt. En Verbum diuinum ſcriptum fuit à Patre ſic dicente, *Eructauit cor meum verbum bonũ: Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*: Genitoris enim lingua, ex his quæ philoſopharur Auguſtinus, fuit etiam calamus, *Cùm verbum, quod dicitur, non ſonet & tranſeat, ſed & dicatur, & maneat: & ita velociter, vt velocius nihil.* Idem ergo Verbum ſtylo hominis in Arca humanitatis aſſumptæ, eadem velocitate & ſcriptum fuit, & Teſtificatio, vel Teſtimonium

Lyranus in c. 25. Exodi.

Pſal. 44. 12.

Auguſtin. in enarr. ſuper Pſal. 44.

Philo Hebræus lib. 2. de vita Mosis.

dicitur, & eſt, nam lex in Chriſto ſcripta, lex viua eſt. Si verùm dixit Philo, quòd, *Rex animata lex ſit, lex vero ſit Rex iuſtiſſimus. Quiſquis autem eſt Rex ſimul & Legiſlator, debet non ſolum humani, verum etiã diuini iuris peritus eſſe: nec enim ſine diuina prouidentia regnum bene adminiſtratur, & ex ſubditorum vtilitate:* Quid felicius quàm in humanato Rege teſtimonium legis viuum aſpicere, & omnia facere ſecundum exemplar, quod in eo monſtratum eſt? Hæc autem vnio Verbi & carnis, diuinitatis & humanitatis, Regis & legis, velociter ſcripta eſt calamo omnipotenti Spiritus ſancti, talis enim fuit lingua Virginis, dicentis, Fiat mihi ſecundum Verbum tuum: id eſt, ex Bernardi gloſa, *Non fiat mihi verbum ſcriptum, & mutum, ſed incarnatum, & viuum: non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum, ſed in forma humana, meis caſtis viſceribus viuaciter impreſſum: & hoc non mortui calami depictione, ſed Spiritus ſancti operatione.*

Bernardus hom. 4. in Miſſus eſt.

8 Sicut creatio in inſtanti fit, diſtatque nimium à generatione, in hac enim ſupponitur ſub vtroque termino ſubiectum, in quo corrumpitur forma præcedens, & producitur ſuccedẽs: in illa autem, quia non datur ſubiectum, nulla poteſt reperiri corruptio. Hinc forte Ieremias Verbi incarnationem, non verbo generationis, ſed creationis deſcribit, & quidem mirabile, & nouum, & inauditum demonſtrat, ſic dicens, *Creauit Dominus nouum ſuper terram, FEMINA CIRCVMDABIT VIRVM.* Vbi Bernardus, *Neque minus habuit ſapientia, vel potius non minus fuit ſapientia Ieſus cõceptus, quàm natus: paruulus, quã magnus. Cur denique dubito vtrum fuiſſe in vtero, quem ibi Deum fuiſſe non ambigo? Minus quippe eſt eſſe virum quàm eſſe Deum.*

Ierem. 31. 22.

Bernardus hom. 2. ſuper Miſſus eſt.

9 Et videtur, ni fallor, miraculum cum miraculo contendere, nempe miraculum Dei abſque ſui alienatione carnem ſumentis: & miraculum Virginis abſque ſuę virginitatis detrimento Deum parientis. Vnde vel vnum occultatur ex altero, vel alterum probatur ex vno: & factis mirabilibus lumen & fidem præbent facta mirabilia, Non eſt meum inuentum, ſed Maximi Confeſſoris atque Martyris, ſic philoſophantis, *Qua enim ratione Deus factus eſt homo ſine vlla naturæ alteratione, aut commutatione potentiæ: ſic eam, quæ peperit, tum Matrem effecit, tum Virginem conſeruauit, miraculo miraculum circa idem declarans, iiſdem altero occultans alterum. Deus enim à ſeipſo ſecundum ſubſtantiam ſemper eſt myſterium, qui tanto magis ex adytis ſubſtantiæ ſuæ ſeipſum exeris, quanto conuenientius eſt, illa explicãdo ſecretiora fieri. Rurſumque tãto plus Matrem, quæ peperit, Virginem reddit, quanto præſtat dicere, fætura virginitatis indiſſolubile vinculum effici.*

Maximus Centuria 1. capitulorũ Oeconomicor. c. 9.

9 Ob hoc & Partus, & Parens eodem titulo Abſconſionis honorantur, & ſicut illi dicitur, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator*: ita de hac p̃dicitur, *Ecce Virgo*, vel vt Hieronymus legit, *Ecce abſcondita concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Nam vt docet Forerius, *Chriſti diuinitas oculis corporis abſcondita, tantum operibus ſe ſe reddit conſpicua.* Sed in quonam opere magis conſpicua reddi poterat, quàm in eo, quod primum, & circa idem fecit miraculum, miraculo declarãs Virginem, Ecce Virgo concipiet: miraculo occultãs conceptũ, Ecce abſcondita concipiet: & miraculo occultans Virginalẽ partũ, Ecce abſcondita concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius nobiſcum Deus? Nam certè, ſi Virgo concipere debebat, nonniſi Deum debebat concipere: & ſi Deus naſci debebat, nonniſi de Virgine naſci decens erat, vnde Ambroſius miro modo canit,

Iſa. 45. 15.

Iſa. 7. 14.

Hierony.

Forer. in c. 45. Iſa.

Veni Redemptor Gentium,
Oſtende partum Virginis,
Miretur omne ſæculum,
Talis decet Parens Deum.

Ambroſ. in Hymno Dominici Natalis.

CIRCVLVS III.

Fructus à Virginea planta datus, eò carior, quò sine mora collatus.

10 SI moralis Philosophus beneficia per se grata, gratiora vt redderet ex circumstantijs, dicebat, *Gratissima esse beneficia, parata, facilè occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi accipientis verecundia:* quem fructum, quod beneficium vmquam Sol vidit, quod cũ fructu, ac beneficio incarnationis Verbi conferri queat? Ibi nulla mora fuit, nisi in Virginis accipientis verecundia, ex trepidatione enim Virginis mora oborta est, sed non absque fænore, nam ex hoc te monet Ambrosius, vt discas, *Virginem ex verecundia, quia pauibat, nam trepidare Virginum est.* Hac autem trepidatione, sublata, hac verecundia ablata, statim fructus integer natus, integer datus est. Dicente enim illa, Fiat mihi secundum verbum tuum: illicò Verbum, *Inclinauit celos & descendit:* idest ex Ambrosio, *Non tam celorum sedem mutauit, quàm transtulit.* Vt enim Sedulius canit,

Seneca in lib. 2. de Beneficijs c. 1.

Ambros. relatus a D. Thoma in Catena sup cap. 1. Lucæ

Psal. 17. 10.

Ambros. in hom. sup. Ps. 17.

Sedulius.

Et verbum subsecuta fides,
Vterumque Puella, siderium mox
implet onus.

11 Æstimat Plinius, quod, *In magna admiratione, Pinus sit, quia habet fructum maturescentem, habet proximo anno ad maturitatem venturũ, ac deinde tertio. Nec vlla arborũ auidius se promittit. Et nullo non mẽse maturescũt.* At Deus in Virgine, *Plantauit pinum, quã pluuia nutriuit.* Vbi enim, vt docet Forerius, *Reliquarum pinearum nutritio per pluuiam de cælo, quæ est Dei beneficium, hominis industria fabricabantur falsi dij:* ex hac pino verus & viuus à Deo formatus est Deus, cui Virgo dicere potest, & merito, *Mãdragora dederunt odorem suum. In portis omnia poma noua, & vetera, dilecte mi seruaui tibi.* Si Ruperto fides non negatur, *Mandragora ἀνθρωπομορφος appellatur, quòd habent radicem formam hominis similantem, & hæ dederunt odorem in portis nostris, fæcunditatem significantes de loco sterilitatis.* Hæc ergo sterilis & fæcunda, Virgo & mater, noua & vetera Filio seruauit, fructum insitum pariens, in quo vetus cum nouo, Deus insitus est cum homine. Neque hoc in longa tempora apparuit coronata, sed eodem instãti noua veteribus sunt copulata. Ad hoc ergo & nouum & vetus mirandum & admirandum nos inuitat Propheta. *Nouum creauit Dominus super terram, Femina circumdabit virum.* Quis audiuit vmquam tale, aut quis vidit huic simile, quomodo enim potest femina circumdare virum? Si dixisset, Circumdabit puerum, nec nouum videretur, nec mirum? At quis non videt, quod valde mirum, & nouum est, mulierem circumdare virum? Quod si quæras à Bernardo enygmatis propositæ solutionem, ipse sic illud explicans, tibi respondet, *Numquid non facile tibi est feminã agnoscere virum circumdantem, cùm Mariam videas virum approbatum à Deo, Iesum suo vtero circumplectentem? Vir igitur erat Iesus necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate: animi vigore, non viribus corporis: maturitate sensuum, non corpulentia membrorum.* Hũc ergo virum, hũc fructum nouum creauit Dominus, & per virginalem plantam, sic produxit maturum, vti in prima creatione. Cum tali tamen differentia, qualis est inter stellas, & Solem.

Plin. lib. 16. cap. 16.

Isa. 44. 14.

Forer. hic.

Cant. 7. 13.

Ruper. lib. 6. in Cantica.

Ierem. 31. 22.

Bernardus hom. 2. in Missus est.

12 Circa verba Ieremiæ, *Femina circumdabit virum:* inquirebat Gilibertus, *Quẽ virum?* Et propositæ interrogationi respondebat, *Ecce Vir, Oriẽs nomen illi. Oriens splẽdor lucis æternæ feminineo, sed virgineo circumdatur vtero, & carne vestitur.* Sic Gilibertus de Christo Sole interpretatur oraculum Zachariæ, *Ecce VIR ORIENS nomen eius:* sequens vestigia Gregorij Papæ,

Gilibertus ser. 21. in cantica.

Zachar. 6.

Greg. Pap.

Cy-

lib. 20. mor. cap. 20. Cyril. in collectan. Hesychij in homil. de S. Maria Deipera. Theodor. in c. 2. Lucæ. Theophylacti. Euthymij, & Bedæ in c. 3. Zachar. Hieronym. in c. 6. Zach.

Cyrilli, Hesychij, Theodoreti, Theophylacti, Euthymij, & Bedæ. Hieronymus autem ex Hebræo transtulit, Germen, ita enim habet, Ecce vir, cuius nomen est Oriens, quod Hebraicè dicitur צמח non per ש sed per צ litteram scriptum. Qui idcirco Oriens, id est, ἀνατολή, id est, ἀναφυή, siue βλάστημα nuncupatur, id est, germen, quia ex se, repente succrescet, & ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit. Si tamen quis ambiget, Quid germini ex planta orienti, cum Sole in Cælo fulgenti, numquid colligent ex planta Solem? Quo me vertam nescio, nisi ad Virginē oculos erigam, quæ instar Loti & Palmæ, solarem germinat fructū. Palmæ Hieroglyphico, Solem Ægyptij figurabant, per ea quæ Pierius docet, & refert, dicens, *Apud I. Aquileium, mystico eo sacro, quo initiabantur Isidi, caput ad solarium radiorum similitudinem exprimendam, Palma candida folijs in modum radiorum prosistentium redimiri*. Minus autem est quod illi finxerunt, quàm quod veritatis fides in Maria adimpletū docet, & admiratur impletum, dum describitur, & amicta Sole, & germen producens. Dicat moralis Philosophus, quòd, *Multa cura sata producuntur ad germen: & nihil in fructum prouenit, quod non à primo vsque ad extremum æqualis cultura prosequitur*: nam ego dicā hoc germen, hunc fructum, hunc Solem, natura mirante, nulla cura, nulla cultura, & nulla mora à plāta virginali fuisse productum, quæ antequam parturiret peperit masculum, peperit & virum.

Pier. Valer. lib. 50. de Palma.

Senec. lib. 2. de benefic. cap. 11.

13 O mirum! o nouum! Dicam & ipse cum Bernardo, *Nouū creauit Dominus super terrā, vt mulier circumdaret virum, nec alium quā Christum, de quo dicitur, Ecce vir, Oriens nomen eius. Nouum quoque fuit & in cælo, vt mulier Sole appareret amicta. Denique & coronauit eum, & vicissim ab ea meruit coronari*. Vnde & ipsa lætabunda canit, *Quasi Palma exaltata sum in Cades*. Sed cur potius Palmæ Cades, quàm Libani, quàm Sion, quā Ierico comparatur? Merito id fit, nam si Andrichomio, vt par est, præstatur fides. *In deserto Sin, quod alio nomine dictum est Cades, Palma vna ceteris insignior, & celebrior fuit, quæ nomen loco dedit, vt vocaretur Palma Cades*, Talis ergo fuit & Virgo, in qua sola mirabile apparet illud, quod Isidorus de Palma refert, *Est enim arbor insigne victoriæ, proceroque ac decoro virgulto*. Quis enim vmquam vidit virgultum magis decorum, quàm illud, cui ipsa dicit, *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*: & qp eminet inter omnes, ac splēdore radiorū ornatur, vt Sol? et quis vmquam audiuit talem reperiri palmam, quæ vt Phœnix apparuerit inter plantas, quæ singulari decore ornata describitur à Bernardo, *Et gloriam matris habens cum virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentē?* Hinc enim Græca vox φοῖνιξ, & Palmam significat, & Phœnicem, raram auem in terris, in cælis caram, vnicam in orbe, vbique nouam, singularem, excellam.

Bern. in ser. de Virg. Maria de Verb. Apoc. B. Io.

Eccli. 24. 18.

Andrichomius in theatro terræ sāctæ pag. 118 & in tab. chorographica ei annexa.

Isidor. li. 17. Orig. cap. 7.

Cant. 1. 15.

Bern. ser. 3. in Virg. Natiuit.

14 Nec indignabitur humilis Virgo, si quam assimilaui Palmæ, assimilem Loto. Nam si ex Pierio, *Erat Lotos apud Aegyptios Sacerdotes exorientis Solis imago, vbi infātē in ea residentem apposuissent*: en in sinu huius Virginalis Plantæ æternus Sol, infantis instar, exoritur, vnde ab Ecclesia tali encomio celebratur, *Felix es, sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster*. Si de Loto idem subdit, *Quòd ante Solis emersum folia implicata habeat, quæ ita sensim extenuantur, aperiunturque, vt magis & magis tollitur iubar Solis: maximè vero panduntur, vbi medium eius iter emensus est: eodem vero decedente, folia ipsa vicissim contrahuntur, complicarique incipiunt, ac insinuari, veluti nulli patere velint, quam Numini, quod venerantur*: Viscera Virginis omnibus clausa, Verbo, tamquam Soli, in cōceptu aperiuntur, illum pariunt, nec al-

Pier. Valer. lib. 52. de Loto.

Ecclesia in respons. offi. B.M.V.

Pieri⁹ ibid.

Isa. 45. 8.

teri patent, Vnde Isaias, *Rorate cæli desuper: & nubes pluant Iustũ: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

15 O Isaias, quòd rotent cæli, quòd nubes pluant Iustum, quòd Spiritus sancti gratia operante Verbum descendat, quòd descendat quasi pluuia in vellus, quòd irroret casta viscera Virginis matris, & quòd in hoc opere admirabili mirabilis Deitas sic eluceat, sicuti elucet in germinatione Saluatoris humanitas: nemo est qui hoc ambigat, & Cõcilium Hispalense idipsum confirmat: At cũ Virginitatis pudore, quomodo stat quod addit, *Aperiatur terra?* Respondet Diuus Thomas, *Quod illa apertio non significat reseratio nem cõmunem claustri pudoris virginei, sed solum exitum prolis de vtero Matris.* Sicut in cælum Triumphatore in Israel redeunte, apertas dicimus portas cæli, cùm tamen id totum factum sit cælo obserato, & solum corpora interiacentia penetrando: Eodem ferè modo aperiri dicitur Virginalis terra, sẽper tamen permanens integra, sẽper & clausa, vnde Verbum ita egressũ credimus, vti erat ingressum. Audiamus Proclum has vmbras colorantem, *Natura portas reserauit Emmanuel, vt homo: sed Virginitatis claustra non violauit, neque prærupit, vt Deus: ita enim ex vtero est egressus, vt per aurem ingressus: ita natus, sicut conceptus: qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus.* Pendenda verba, quibus Verbi describit conceptionem, Verbi natiuitatem, *Ex vtero est egressus, vt per aurem ingressus.* Sicut enim ingreditur humanum Verbum per humanam aurem, & in corde humano concipitur, & paritur, integra aure manente, integro & corde: eodem ferè modo diuinum Verbum in Virgine est ingressum, & ab ea genitum. Et sicut Sole illabente, & vel crystallinam pilã, vel vitreum vas inaurante, hinc fulgentibus radiis superficiem eius illustrat, ac penetrante lumine viscera coruscantia reddit: & inde vnitis in pũcto radiis, sic ignitus egreditur, vt qui impatibiliter fuerat illapsus, penetrabiliter videatur elapsus: Ita Vas admirabile Virgo, Sol iustitiæ Christus, radii ingredientes in Incarnatione, radii egredientes in Natiuitate, & Vasis integritas puritas est Virginalis. Hãc ita describit Nyssenus, *A Virgine dignitatis lux assumpta carne illuxit hominibus, eamque omnino incorruptam seruauit, Virginitatis viriditate nullo pacto commutata.* Et hanc his coloribus depingit Chrysologus, *Qui ingreditur & egreditur, & introitus sui, & exitus nulla vestigia relinquit, diuinus habitator est, non humanus.* Quasi dicat puri homines pro pensione habitationis in ventre matris, dolores reddunt, & floris corruptionem: at Deus homo, atque habitator diuinus, & virginalem seruauit domum, & auxit pudorẽ. Ex quo iure asserit Augustinus, *Creuit in eius partu potius integritas, quàm decreuit: & virginitas ampliata est potius, quam fugata.*

Cõc. Hispalense can. 13

D. Tho. 3. p. q. 28. art. 2. ad 1.

Proclus Cyzicen. hom. de Christi Natiu. in Cõc. Ephes. tom. 6. c. 7.

Greg. N[yss.] in vita M[oy]sis.

Pet. Chr[ys.] sol. ser. 1[..] de Annu[nt.] Diuæ M.

Aug. ser. [..] de tempor[e]

13 Dicebat, nescio quę vel mater vel nutrix, de quodam vel magno infantulo, vel paruo Deo,

Puer ille, quem ego laui, vt magnus est & multum valet!
Neque eum quisquam colligare quiuit in cunabilis:

Plautus amphit. Act. 5.

At Sol diuinus in hoc Loti flore puer effectus, nam, *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquã sponsus procedens de thalamo suo:* id est, secundum D. Thomam, *Posuit corpus suum in Virgine:* In Virginis vtero abbreuiatus, in Virginis incunabulis ligatus, de Virginis vtero absque pudoris detrimento egressus, & in Virginis gremio inclusus adoratur. Hinc admirabundus exclamat Andreas Episcopus Ierosolymitanus, *Quid dignum magis admiratione, quàm Deum videre descensum ad vterum vsque mulieris pertingentem? O rem incredibilem! Deus inter membra mulieris, cuius cælum thronus est, & terra scabellum pedum eius. Deus in vtero, qui Patri suo coæuus, cælos inhabitat.*

Psal. 18. 6.

D. Tho. h[ic]

Andreas [Hie]rosolymit[anus] in ser. de Annunc. V.

bitat. Is ergo & magnus Virgini sic proponitur, Hic erit magnus: is etiam ita paruulus prædicitur, Ecce concipies in vtero, & paries filium: & is Filius Dei, & Virginis est, qui tamquam Sol, & Sponsus processit de thalamo suo Corona pietatis redimitus, de quo noua nobis proponitur inuitatio, *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eũ mater sua*. Sicut enim philosophatur Ambrosius, *Hoc ipso, quòd ad omnium salutem eum concepit, & peperit, Coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit*.

Cant. 3. 11.

Ambros. li. de instit. Virgin. cap. 16.

CIRCVLVS IV.

Mirabilis est fructus pietatis, & misericordiæ Virginalis.

17 INter omnem turbam fructuum Creator omnium tũc extulit malum punicum, cùm imposuit illi Coronam, dispofuitque vt fructus esset, ac flos, nam ex Aristotelis sensu, *Fructificant flores, & flores ipsi sunt eorum fructus*: Ita Regina mũdi & fructum habuit, & florem non amisit: & fœcunda apparuit, & Virgo sic permansit, vt verè dicat, *Flores mei fructus honoris & honestatis*. Et meritò flores ac fructus suos vocat, nam in gaudio eius non miserabitur extraneus. In ceteris enim mulieribus flores virginitatis cum fructibus fœcunditatis, numquam Sol vidit, nisi in ipsa sola, quę sola peperit Deum, & ex Bernardi sententia, *Deum huiusmodi decebat natiuitas, qua nonnisi de Virgine nasceretur: tali congruebat Virgini partus, vt non pareret, nisi Deum. O verè cælestis planta pretiosior cunctis, sanctior vniuersis. O verè lignũ vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis*. Et verè fructum salutis, quia pium nobis genuit Saluatorem.

Arist. sec. 20 probl. problem. 3.

Eccli. 24. 23

Bernard. homil. 2. super missus est.

18 Mira videntur à Plinio relata, *De Cicilia fonte iuxta Solos, & item de Aethiopia & India fõtibus, cuius aqua olei vicem explent, & lucerna ex illis ardent*. Cedant tamen, cedant mirabiliori fonti Virginali, vel aquæ, vel olei gratia & humore repleto, prodiuinioris lucernæ pabulo, & sublimioris luminis apparata, & à Deo sic proposita, *Paraui lucerna Christo meo*, Et ab Euthymio sic exposita, *Lucerna, quæ Christo fuit parata, caro illa sanctissima est, quæ à Deo fabricata, & diuinitati fuit coniuncta, quæ lucentissima erat propter vitæ splendorem, fuit etenim sine peccato, & in ea requieuit septemplicis, illius fulgentissima lucernæ instar, lucentissima septemplicis Spiritus potentia*. Si autem vltra inquiras quodnam oleum huic diuinæ lucernæ pabulum ministrauit. Dicam illud fuisse aureum misericordiæ liquorẽ, qui ex fonte pietatis Virginalis emanauit, dicente Bernardo, *Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum si pietatẽ exhibent viscera pietatis?* Et quid mirum, si homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: Mater misericordiæ de visceribus pietatis proferat pietatem?

Plin. lib. 31. cap. 2.

Psal. 131. 17 Euthymius in ps. 131.

Bernar. ser. 1. in Dominicã 1. post oct. Epipha.

19 De quibusdam vineis alibi latius diximus, quòd in mineralibus aureis defixas habentes vitarũ radices, inde auriferum hauriunt humorẽ, auriferũ haustũ palmitibus distribuũt, & aurũ ex palmitibus diffundũt in folijs, in clauiculis, in botris, q omnes auro vitali nutriti, auro aucti, auro gemmati, aureos clauiculos, aurea folia, aureos botros, & aureos germinant fructus, ab Alexandro Neapolitano hoc aureo stylo descriptos, *In citeriori Germania intra Danubium loca esse, ibique vites extitere peculiari miraculo, & admirationis præcipua, quæ clauiculos, & plerumque candicantia folia ex puro auro germinent, eo quod ex cõtagio terræ, & glebæ, ibi bis prouenire, cum ibi auri fodinas esse certum sit, subtus in radicibus coalescere aurum, & vna ingenitum & condensatum, occulta vi & origine, dum germina emittũt, mirabili natura constituto, aut decreto stellarum, aurum simul erum-*

Alex ab Alexan. lib. 4. genialium dierum. c. 9

pere, & ita germina concipere, frondesque aureas emittere crediderunt. Quis ignoret Christum Viti assimilari, Viti veræ, & veræ vitæ Authori, cùm ipse dicat, *Ego sum vitis vera?* E. quis negabit Virginem Genitricem, & pietatis dici venam, & misericordiarum esse thesaurum? In hoc ergo pietatis thesauro Vitis nata, in hoc misericordiæ aureo minerali Vitis enutrita, in hac terra benedicta Vitis aucta, & aureis, & pietatis folijs exornatur, & aureis misericordiæ fructibus decoratur, & misericordiæ aurum spargit in ramis, dum misericordiam sugit aureis in venis. Si meæ promissionis fidelem testem quæritis, en Richardum adhibeo fideiussorem, *Cùm Maria misericordiã genuerit, quid aliud est eius uterus, quàm misericordiarum thesaurus? Et ideo dicitur Mater misericordiæ.* Et quidem iure optimo, si enim filij ex vtroque parente geniti, matris, & non patris mores imitantur, vnde & dicuntur vulgariter matrizare: quanto magis Filius Virginis, quæ Matripater dicitur & est, Matris imitator ita ad amussim extitit, vt sicut Genitrix Mater misericordiæ dicitur & est, ita & ab illa Genitus plenè matrizet, vt totus misericordia plenus sit, nec aliud nisi misericordiam referat, & pietatem spiret. Accedat fideiussor Richardus alter, qui cũ Virgine loquens, ita fatur, *Et quid mirum si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti?* Quasi ex effectu affectus pij caussam altè demonstrans, & pro comperto habens, Neminem dare posse, quod non habet: scitè, ex misericordiæ Partu, Parentem monstrat misericordia plenam, pietate fœcundam, clementiæ thesauro grauidam, & indulgentiæ venam in se habentem profluam, & affluentem.

Ioan. 15. 1.

Richardus à S. Laurẽtio lib. 4. de laudib. Virg.

Richard. Victorin. in c. 4. Cantic.

20 Quis autem intellectus, ô misericordiæ Parens, poterit vmquam capere, & quæ lingua exprimere, quanta caritatis tuę sit plenitudo, & quã perdiues misericordiæ tuæ sit thesaurus? Si Bernardus putat insitam in maternis visceribus caritatem, in caritatis affectũ viscera materna conuertisse: ita enim ait, *Dubitare quis potest omnino in affectũ caritatis transisse viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est caritas, nouẽ mensibus corporaliter requieuit?* Et nos idipsũ de insita misericordia asserere possum'. An dubitare quis potest omnino in affectum misericordiæ transisse viscera, in quibus ipsa, quę ex Deo misericordia est, nouem mensibus corporaliter requieuit? Et iure, nã & misericordiæ planta ex radice caritatis procedens, tanto altius eleuatur, quanto caritas plus dimittitur. Notàter autem asserebat Bernardus, In affectum caritatis transisse Mariæ viscera: & in affectum, ex consequenti misericordiæ, nam vbi fidelibus præcipiebat Paulus, *Induite viscera misericordiæ, super hæc autem omnia caritatẽ habete:* ipsius viscera, non induerunt caritatem & misericordiam, sed in illas transierunt. Sicut enim indumentum deponi potest, immutatio vero formæ, & transitio in substantiam, vltra mutari non potest: ita Virgo non exuet caritatem, nec deponet misericordiam, quia non induit tantum eas, sed mutata est in illas, & in affectum cordis transierunt.

Bern. s[...] in Assu[...] B. M.

Ad Colo[...] 3. 12.

21 Quilibet Sanctus, & quilibet prædestinatus, conformis debet fieri imaginis Filij Dei, vnde quẽlibet eorum hortabatur Pontifex Leo, *Misericordem te misericordia, iustum te vult esse iustitia, vt in creatura sua Creator appareat, & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat.* At pura singularis, tamquam misericordiæ mater, misericordem formã expressit in Filio, ita vt merito Filius dicere possit, *Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & ex vtero matris meæ egressa est mecum.* Qui enim ex vtero Patris egressus est cum lineamentis misericordiæ & iustitiæ, ex visceribus matris figuram tantum retulit misericordiæ, quæ in illo creuit, dum eius sanguinibus &

Leo m[...] gnus in s[...] de omnib sanctis.

Iob 31. 18

lacte

lacte formatus est,& nutritus. Vnde si dicere fas est, multo procliuior est ad miserendum Mater, quam Filius, illa enim præuenit, hic preces expectat, vnde illa comparatur oliuæ speciosæ in campis, quæ non exarata dat fructus, fundit oliuas: hic autem oleo, quod non effunditur nisi per torcular precum, sicut ipse & Samaritanæ dicit, *Forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam:* & seruum nequam arguit, *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me:* nisi enim rogasses, non dimisissem: at illa non rogata, remissionem postulat, dona obtinet, gratias impetrat,& beneficia elargitur, vnde & legimus, *Praeoccupat qui se concupiscunt:* Vel ex Vatablo, *Vltrò se cupidis offert.* Non glorietur Seneca, quasi inuentor regulæ & formæ conferendi beneficia, dum docet, *Primùm est, antecedere desiderium cuiusque: proximum, sequi. Illud melius, occupare antequam rogemur: quia cum homini probo ad rogandum os concurrat, & suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui, cum rogasset accepit.* Quæ, etsi cum Deo non habeant locum, quia dum rogatus dat, bis dat: valent omnino plurimum ad Virginis exaltāda dona, dum desiderium antecedit, occupat vota, preces præoccupat, & præuenit qui se concupiscunt: vnde multiplicat munus, cùm vltrò se cupidis offert.

Ioan.4. 10.
Matt.18.32.
Sapien.6.14
Vatablus,
Seneca lib.2 de beneficijs cap. 1.

22 Quis eam rogauerat in nuptijs, vt vini defectum suppleret, & verecundiæ sponsi subueniret? Nemo certè exterior orator, sed solus misericordiæ interior affectus, multò enim magis de tali Matre, quàm de Prodigi patre verificatur Chrysologi sententia, *Apud patrem non intercedit externus, intus est in patris pectore ipse, qui interuenit & exorat effectus.* Caussam ergo si quæras, cur non exorata exoret: reddat illam Rupertus, *Optabat enim Dei Genitrix conuiuantibus fieri ianua cælestis beneficij, ne illorum deuotio, qui se inuitauerant, fructu suo careret.* In quo euidenter apparet ipsam præuenire preces indigentium, & vbi Filius dicit, Pulsate, & aperietur vobis: ipsa optat, non pulsatas aperire fores. Vbi Filius oleum dat ex torcularibus precum expressum: ipsa fructus olearum etiam sponte offert, Optabat enim fieri ianua cælestis beneficij, & deuotionem eorum, qui se inuitauerant fructu misericordiæ, quo eorum eleuaretur miseria, non carere. Cùm autem hoc haberet Mater misericordiæ primum in votis, vota precesque eorum qui se inuitauerāt, non attendit, vt ianua fieret cælestis beneficij vltrò aperta, & etiam non pulsata. O nuptiæ felices, in quibus Virgo primum exorta, & electa vt Sol, beneficiorum radios expandit, non exorata, nam, vt inquit Bernardus, *Nostra Maria solicita est si quid forte deest nuptijs:* & defectum cum fœnore supplet. Vbi illud impleuit, quod postea Philosophus moralis ex maiorū, & ex grauissimorum authoritate docuit esse implendum, ita dicēs, *Quoniam quidem, vt maioribus nostris grauissimis viris visum est, nulla res carius constat, quàm quæ precibus empta est. Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, ROGO. Huius facienda est gratia amico, & cuicumque, quem amicum scis promerendo facturus. Ideo diuinanda cuiusque voluntas, & cū intellecta est, necessitate grauissima liberata est.* Nec aptius ad propositū dici poterat, nam Virgo Prophetissa diuinans voluntatem Sponsi in defectu vini, ea intellecta, necessitate grauissima liberauit, nunc indicans Filio, *Vinum non habent:* & nunc seruis præcipiens, *Omnia quæ dixerit, vobis facite.* Coronidē cum Seneca his dictis addamus, *Hoc beneficium iucundum victurumque in animo, quòd obuiam venit.* Nam in hoc præcipue Mater misericordiæ, Præoccupauit concupiscentes, & vltro se illis obtulit.

Petr. Chrysol. ser.2. de duob. filijs.
Ruper. Ab. in cap.2.Io.
Bern. in se 2. Domin. post octau Epiphania
Senec. lib. de benefi c.1.& 2.
Ioan.2.3.
Ibidem 5
Seneca ibidem c. 2.

23 Illa autem solicitudo, quam ostendit in nuptijs, ostenderat in

toto mundo, omnium salutem inquirens, & de vniuersi reparatione solicitam se demonstrans, vnde & inuenit tandem gratiam, quam quærebat, dicente Bernardo, *Hæc est enim misericordia, quæ totius mūdi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit, constat enim pro vniuerso genere humano fuisse solicitam, cui dictum est, Ne timeas Maria, inuenisti gratiam: vtique quam quærebas*. Sicut ergo Esdra dicebat Domino, *Ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium vnū*: ita & nos Deiparæ dicamus cum Bernardo, *Nos seruulitui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potissimum nobis ipsis: humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus.*

Bernar. ser. 4. de assum. B.M.V.

4. Esdr. 5. 24.

Bern. ibidē.

CAELI DAVIDICI
VERSIO XLIIII.
Ex Vatablo.

Quod fructum suum reddit in tempore suo.

CIRCVLVS I.

Christus in Sacramento fructum fidelibus reddidit, quem in incarnatione recepit.

1 Diuinus Chrysostomus non minus ore aureo exornatus, quam ornatus calamo, explicans huius versiculi verba, sicut in ligno plantato secus decursus aquarum, Christum agnoscit: sic in fructu recognoscit sacramentum, ita dicens, *Hoc lignum sponsa desiderans, dicit in Cantico, Dixi ascendam in palmā, & tenebo ramos eius: palmam quidem ipsum vocans propter carnis turpitudinem, infra: fertilitatem autem diuinitatis, supra. Huius ligni esum, cùm recusasset Adam, in cōtrarium incidit: nos autem nunc mysticè comedentes, transgressionem ex ipso exterminamus, lignum enim vitæ est Christus.* Ex hac ergo ratione posset iure optimo affirmari, redditum nobis à secundo Adam fructum quem nobis abstulit primus Adam: diuerso tamen loco, diuerso & tempore, nam primus vix nato sæculo, secundus in fine sæculi: vnus in paradiso, in Caluario alter: ille mortiferum fructum furans ex ligno, odibilem se reddens: hic vitalem fructum donans ex ligno, & amabilis euadens, dum per sacram Eucharistiam, sacrum producit in comedente amorem. Sicut qui ardenter amat, solet, etsi male, medicatis poculis, vel cōditis pomis in corde frigido, & nō redamāte amorē excitare: Haud aliter, si dici fas est, Deus amoris, vt in animā induceret erga ipsum amorē, Eucharistiæ & ferculū & poculum tale cōfecit, vt qui dignè acceperint, se inuenientes, à se alieni fiant, in Deum amatorio furore ferantur, & vtiliter nimis transformentur in Deum. Ita hunc fructum ex ligno productum, illius virtutem ad producendum amorem, Sponsus explicat, dicens, *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est*

Chrysost. in interpret. super pl. 1.

Cant. 8. 5.

mater

Philo Carpat. in interpret. cap. 8. Cant.

mater tua: quod Philo Carpathius sic interpretatur, *Hae malus salutifera sicad arborem respicias, Crux est humana salutis auctrix, in qua salus mundi Authorque rependit. Si verò ad pomum eius fructum suauissimum atque sanctissimum, de quo sæpè iam diximus, calisse solum, & salutare malum, corpus esti Christi, salutariter nobis ab eo datum, in escam, scilicet, & potum sub mystico pane, & vino: ex quo quidem Christi amor omnes sanctissimè pascit, ac beat: in quo castissimam sibi sponsam, & quælibet fidelem animam ad amorem excitat, vallat firmat.*

Anselm. hic

2 Iure autem dicit, sub arbore malo suscitaui te: nã si Anselmo fides adhibetur, *Per arborem mali, ita Crucem significatam existimat, vt habeatur quoque respectus ad arborem paradisi, in qua peccauerunt parentes nostri, e cuius arboris ramo in Iudæam è paradiso delato, ipsam Crucis Christi arborem factam ait, ex opinione aliquorum Græcorum.* Vbi si fructum fructui compares, & hinc quem Christus reddit, inde opponas, quem Adam abstulit, clarè cum Ruperto videbis: hos sibi per opposita respondere. Ecce si fructus Adam Malus est, & mortalis: Eucharisticus, è contra, bonus est, & vitalis, ait enim, *Malus fructus, immo malus morsus, quo Adam per Heuam vitam perdidit, & mortem inuenit: bonus fructus, quo genus humanum per Mariam mortē perdidit, & vitam inuenit.* Si ille fructus immaturo tempore decerptus, & decepit, & occidit primos Parentes, illum contra Dei præceptum comedentes: hic fructus in tempore maturo datus, & deceptionem tollit, & vitam affert edentibus, quare subit, *Vbi tempus venit huiusmodi fructus edendi, accipiens panem, & vinum, & benedicens, Accipite inquit, & comedite, Hoc est corpus meum: Accipite, & bibite, Hic est sanguis meus.* Si Heua credidit, quod non videbat: & nos credere debemus, quod non videmus Heua nō videbat promissam sibi a serpēte Dei similitudinem, attamen illa credidit, quod non videbat, Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dij: magis quam Deo dicenti, Morte moriemini in quocumque die de eo comederitis. Plus, inquam, serpenti, quàm Deo credidit. Iusta ergo lege, vt expietur iste reatus malæ credulitatis, exigitur fides, vt credatis, quod non videtis.

Ruper. Ab. lib. 1. in c. 2. Cantic.

Idem ibid.

3 Sicut ex benigna lege naturę, & ex iusta distributione Creatoris, quod vni aufertur sensui, tamquam riuo, alteri duplicatum redditur, tamquam fiumini, vnde & cæci subtilius vident, & olfatu carentes, acrius gustant: eodem modo in hoc agnoscēdo fructu, quod visui, ac tactui, & olfacto, & gustui aufertur, additur, & cumulatè, per fidem auri, vnde & Angelicum hymnum repetens Ecclesia, sic intonat fidelis, sic concinit læta,

Ecclesia in Hymno Sacramenti.

Quod non capis,
Quod non vides,
Animasa firmat fides,
Præter rerum ordinem.

Et verè præter rerum ordinem, vbi enim ex rerum ordine, visus, & odoratus sunt gustus duces: hic ex Pontificio Decreto, gustus ducatum præstat visioni, ita, vt in comedente hunc fructum, & com pleatur Adagium, *Ex gustu cognosco*: & impleatur præceptum, *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*: & verificetur Gregorij Papę statutum, *Suauitatem eius nō cognoscitis, si hanc minimè gustatis: sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem amare valeatis.* Sed quonam tactu, cordis palatus potens est tangere hunc cibum? Non quidem alio, quàm tactu fidei, quo Euangelica Mulier, *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Et nos in Eucharistia retrò accedimus, vestimenta accidentium, quibus tegitur, tangimus, quando credimus. Ita Richardus docet, *Nam hæc gratia per fines Christi tactu currit, & fideles irrigat, & infundit: hāc enim fideles, nō solùm præsentes percipiūt; sed in remotis etiam locis hanc rapiunt, id est, desiderio accedunt, & fide tangunt, fide mulier tetigit, quæ*

Adagium. Psal. 33. 6.

Greg. Papa homil. 36. in Euangelia.

Luc. 8. 43.

Richard. Vict. in Cāt. cap. 30.

retro accessit, & non corporaliter pressit. Repetit autem Richardus verba Petri, Turbæ te comprimũt, & affligunt, & dicis, Quis me tetigit? At Dominus, vt Beda philosophatur, de tactu & gustu cordis per fidem loquebatur, vbi enim infidelis illum comprimit, & affligit, Ecclesia eum per fidem tangit, & requirit. Audiamus Bedam, *Vna credula mulier Dominum tangit, quia qui de diuersis hæresibus inordinatè affligitur, solo Catholica Ecclesia corde fideliter quæritur.* Et Ambrosius addit, *Non enim credunt, qui comprimunt, credunt qui tangunt: fide tangitur Christus, fide videtur.*

Beda relatus à D. Th. in Cat. sup. c.8. Lucæ.

Ambros. apud D. Th. ibidem.

4 Ex visu gustus cognouerat Sponsa absconditi fructus dulcedinem, cùm dicebat, *Sub vmbra illius, quem desideraueră sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* Nam in vmbra fidem adumbrat, in fructu carnem figurat, in dilucedine contemplationem describit, in gustu amorem colorat, vnde Bernardus, *Vmbra eius caro eius? vmbra eius fides. Maria obumbrauit proprij Filij caro: quamquam & mihi quomodo non obumbrat caro, qui in mysterio manduco eam? In vmbra enim sumus, quamdiu per fidem ambulamus, & non per speciem.* Et fructus dulcis gutturi contemplationis, quem obtinuerat per amorem suauiter sublevata, vt sub vmbra panis, carnem: sub vmbra vini, sanguinem: & sub vmbra specierum, Christum introspiciat, adoret, gustet, & cum Ruperto dicat, *Mihi potissimum vmbra suauis, quã eum amore Spiritus trahit ad illum, & natura carnis.* Quasi caro sit esca, amor sit hamus, spiritus piscator, & vmbra fides, vbi corpore cibum sumente, anima capitur, & amoris hamo trahitur de terra ad astra.

Cant.2.4.

Bern.ser.48 in Cant.

Ruper. Ab. lib.1. in c.2. Cant.

5 Sed obseruandum est discrimen inter hanc mulierem, & Heuam, nam Heua tetigit fructum scientiæ boni & mali: hęc fructum tangit de quo dictum est Virgini Genitrici, Benedictus fructus ventris tui. Illa furtum fecit, nam rem alienam tetigit, ex quo Bernardus, vt Sociam furum eam damnat, quæ, quod Filij Dei est, subripere tentauit: ista furatur & ipsa, nam fimbriam Saluatoris tangit, & ex Chrysologi sententia, *Solam salutis viam vnam, vt furaretur inuenit: vt raperet tacita, quod petere non vadebat.* Cur ergo illa damnatur de latrocinio, hæc autem de furto laudatur? Quia illa inuito Domino, & infidelis: hæc inuitante Domino, ac fidem laudante, sic enim illam solatur, Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et per id quod Crysologus subdit, *Quæ non merebatur corpore, corde perueniret ad medicum: fide Deum, manu tantum tangeret vestimentum, sciens hanc fraudem, non solum veniam, sed & remedium præstaturam: quam nõ voluntas, sed necessitas verecunda generauit: præsertim cum & furantis lucrum quæreret: & ei, cui auferebatur, nullum gigneret detrimentum. Pium latrocinium, quòd ministra fide, fide attrahente committitur.* Breuius tamen sed illustrius dixit Paulinus, nè dum talem tactũ non esse inuito Domino, se etiam amante Domino, sic enim ait, *Semper Deus amat rapinam fidei.* Si petas quænam fuerit hæc fidei rapina: illam Christus demonstrat furtum propalans: & dicens, Quis me tetigit? Nam ego noui virtutem de me exisse. Ergo tactui manus, quo fimbriam tetigit, addidit, & actum intellectus, quo virtutem sanantem traxit: vnde Theophylactus. *Credidit, & saluata est, & vt congruum fuit, primo tetigit Christũ intellectualiter, deinde corporaliter.* O mirabilis rapina, quã per fidem intellectus operatur, dum clausam in Christi Corpore virtutem, tamquam thesauro in Arca abscondito, potuit & virtutis curatiuæ furari thesaurum. Vbi per ea quæ asserit Chrysologus, *Fraus, fide conueniente, quod nitebatur obtinuit, & præsumpsit furari se posse curam fide sola.* Sed non potuit furtum latere, nam a Christo manifestatur. Si autem quæras cur Dominus, qui præcipere solebat etiam miracula

Ber. ser.

Chrysolog. serm. 33.

Idem ibid.

Paulin. in epist. 32.

Theophylactus in c. 8. Luc.

Chrysolog. ser. 33.

ma-

manifesta occultari, hoc quod erat occultum manifestat? Respondet Cyrillus hoc iure factum ob vtilitatem aliorum: sic enim ait, *Non enim ambitione gloriæ non dimisit latere diuinæ virtutis ostensionem, qui multoties præceperat taceri sua miracula: sed quia spectabat ad vtilitatem eorum, qui vocabantur per fidem ad gratiam.* Vtilitatem autem hanc explicat Chrysostomus, sic dicens, *Omnibus fidem eius ostendit, vt eam æmulentur.*

Cyrillus relatus a Diu. Th. in Catena in c.8. Lucæ.

Chrysost. relatus á D. Th. in cat. in c. 8. Lucæ.

6 Salomon te hortabatur, vt formicæ scholā adires, illā audires, & ab illa disceres modum parandi in tempore cibum, dicens, *Vade ad formicam, & disce sapientiam, quæ parat in æstate cibum sibi.* At Chrysologus huius mulieris scholam, & illius doctrinam, & exemplum te aspicere, & audire præcipiebat, vt apprehēderes modum tangendi Christum, & dignè sumendi fructum sacramēti, *O quam docuit mulier quantum sit Corpus Christi, quæ in Christi simbria tantum esse monstrauit. Audiant Christiani, qui quotidie Corpus Christi attingunt, quantam de ipso Corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totā rapuit de sola Christi simbria sanitatem. Sed quod nobis flendum est, mulier de vulnere medicinam tulit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus. Hinc est quod Apostolus tā gentes indignè Corpus Christi, iudicium sibi sumere doceat. Et quod indè temeritas infirmitatem capiat, vnde fides accipere debeat sanitatē, rursus intulit, Propterea inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Item dormientes mortuos dicit, quos luget in viuo corpore iamsepultos.*

Prou. 6. 6.

Chrysolog. ser. 3. de Filia Archisynagogi.

CIRCVLVS II

Redditur in sacramento pro fructu fructus, pro visu gustus, pro infidilitate fides.

7 Dicebat Rupertus, & bene quidem dicebat, *Quis vestrum nesciat, quòd sit fructus eius dulcis? Expulit enim à nobis amaritudinem mortis, & vita æterna dulcedinem indidit.* Opposuit Doctor Gētium delictum primorum parentum, & Principis futuri sæculi summum donum, & huic palmam dedit, *Non sicut delictum, ita & donum.* Delictū Heuæ ex oculis ortum traxit, quia ex Gregorio Papa, *Nec Heua lignum tetigisset, nisi prius incauta conspiceret, vnde mater viuentium per oculos ad mortem venit.* At humani generis Reparator fructum vitæ, & Eucharistiæ donum oculis carnalibus abscondit, & gustui patefecit: vt vbi oculi extra proprium obiectum iudicantes de gustu, decepti sunt: gustus de hoc fructu iudicium ferens, oculos à deceptione reddat immunes. Sicut enim Dauid, *Immutauit os suum*: Vel ex Aquila, *Immutauit gustum suum*: Vel ex Augustino, *Immutauit vultum suum, & ferebatur in manibus suis*: Ita & Christus os proprium immutauit, mutauit & vultum: & nostrum mutauit visum, immutauit & gustum.

Ruper. Ab. ibid.

Ad Rom. 5. 15.

Greg. Papa lib. 21. mor. cap. 2.

1. Reg. 21. 13. Aquila.

Augustinus

8 Sed quis audiuit vmquam tale, aut vidit huic simile, quod possit homo mutare vultum suū, & se ipsū portare in manibus suis? Et certè vt optimè notat Augustinus, In manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Respondet autem idem Pater, quòd, *In immutatione vultus, sacramenta prædicabat: & ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus.* O miram inter hos fructus differentiā! Heua vidit primùm, & ex visu iudicauit, quod bonum esset lignum ad vescēdum, quia pulchrum erat oculis: & ita vt declarat Ambrosius, *Infirma author iudicij, quæ de eo, quod non gustauerat, iudicabat.* At in fructu Sacramenti immutatur vultus Christi, & sic absconditur, vt oculi carnales de eo non possint iudicium ferre: & dum immutat vultum, gustum & mu-

Augustin. in enar. sup. ps. 33. in titulo.

Augu. ibid.

Ambrof. in lib. de Paradiso c. 13.

tat: eumque ex gustu illum agnoscit anima, & non ex visu, de ea dicitur, *Gustauit & vidit, quoniam bona est negotiatio eius*. Hebræum verbum טעמה Tagamah à radice טעם Tagam significat delibare, & degustare, & regustare: sic accidit Heuæ, nam primò vidit, dein degustauit, & simul decepta fuit: at anima fidelis, è contra, regustat primò, & postea videt, & verum videt, quamuis lateat quod videt, idque totum fit per ea, quæ docet Diuus Thomas, *Vt fides locum habeat, dum inuisibile visibiliter sumitur aliena specie occultatum, & sensus à deceptione redditur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis*.

Prou. 31. 18.
Hebræus.
D. Thom. in serm. de sacram. Eucharistię.

9 Immo si altius expendamus verbum טעם Tagam, quod non dum saporem significat & gustũ, sed consilium, ostensionem, probationem, clare apparebit, quam bona sit hæc animæ negotiatio, vel circuitio, id enim sonat vox סחרה: & quam mala ex opposito fuerit illa Heuæ. Sedit Heua, tamquam arbitra, ferens sententiam inter Dei decreta, & diaboli maledicta, atque adscitis in consilium sensibus, iisque auditis, Deo abstulit palmum, & serpenti attulit. Sic Rupertus Abbas perpendens verba, *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum*: ita subtexuit, *Vidit igitur, id est, considerauit, diligenter intuita est, curiosius attendit, & iudex eorum, quæ audierat, ipsa esse voluit. Audierat, quod dixisset Deus, In quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini: audierat serpentẽ, è contrario, dicentem, nequaquam moriemini: inter hæc anceps, naturã ligni proprijs sensibus diiudicare voluit, vt sciret, cui potissimum, Deo videlicet, vel serpenti palmam concederet veritatis*. In hoc æquilibrio posita, nec aduocans iustos & legitimos consiliarios, cuiusmodi erant interni oculi intellectus, ratio, & fides, infidelis infidam protulit ipsa stultam sententiam, vt idem Rupertus, subdit, & optime, *At illi, qui de hoc iudicare debuerant, interiores oculi, exteriorum iam erant oculorum concupiscentia præpediti, vt non viderent, neque solam mortẽ corporis, vel quod duplicem illatura esset mortem, non natura ligni, sed transgressio mandati. Itaque solis exterioribus oculis naturam ligni cõsiderauit, & deprehendit, male cauta, quòd in fructu ligni non esset venenum mortis, erat enim bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile. Et hac omni sermoni, quem dixerat Deus repugnantia reputauit esse: magisque sermoni serpentis concordare, veramque assertionem eius demonstrare. Sic vidit, & sic sacrilega temeritate, diabolo magis, quàm Deo: serpẽti magis, quàm Creatori credidit, & tulit de fructu ligni, & comedit*. Fidelis autem anima, & Ecclesia, Gustauit fructum sacramenti, non dum saporem & gustum inde percipiens, sed probans & ostendens illum oculis intellectus & cordis, & per hanc circuitionem, atque negationem, bona omnia acquirentes, experimento cognoscunt adeo quæstuosam esse hanc negotiationem, vt cibum perennem afferat, vitam ęternam pariat, atque diuinos reddat comedentes ex eo, dum Deo fidem præstant, fallentibus illam sensibus abnegantes, cum Angelico Doctore lęti canentes,

Genes. 3. 6.
Ruper. Ab. lib. 3. de Tri. & oper. eius in Gen. c. 9.
Ruper. ibid.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tutò creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nihil hoc verbo veritatis verius.

Rhitmus D. Tho. ad sacram Eucharistiam.

Sic, sic pro fructu redditur fructus, pro perfidia fides, pro muliere curiosa anima simplex, pro visu gustus, & pro mala negotiatione cum serpente, optima negotiatio cum Deo, vnde homo id lucretur, vt Deus per gratiam reddatur, & sit.

10 Sicut Apis argumentosa inter flores volans, & in candidis liliis, vel purpureis rosis, absque rosarum, vel liliorum noxa leuem firmans pedem, & inde succum hauriens, nam vt Plinius docet, *Fructibus nullis nocetur*: soluit florum Domino censum, dum ad

Plin. lib. 11. cap. 8.

alue

aluearē aduolans, & illustre opus meditans, quod colligit in succu, reddit in fauo: & quod in liquore legit, restituit in melle: Ita & Sapientia incarnata, quę ex Origenis sententia, *Est apis super apes, & princeps apum*: succum ex Virginalibus legit floribus, nil nocens lilio Virginitatis, dum ex eo fauū confecit fęcunditatis: & quod de nostro assumpsit in incarnatione, reddidit nobis in Sacramenti institutione. Audiamus Angelici Doctoris documentum, ex quo vmbræ à nobis descriptæ lumen acquirent, *Vnigenitus Dei Filius suæ diuinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, vt homines deos faceret, factus homo. Et hoc insuper, quod de nostro assumsit, totum nobis contulit ad salutem: Corpus enim suum in cibum, & sanguinem suum in potum, sub specie panis, & vini sumendum, fidelibus dereliquit.*

Orig. hom. 2. in c. 7. Isa. in ea verba Ecce Virgo concipiet.

D. Thom. in opusc. 57. de Sacram.

11 Declarabat Paulus diuitias, quas cum fœnore reddidit Christus hominibus ob carnem, quam assumpserat ex hominibus, & his coloribus illas figurabat, *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Vbi Rupertus in diuite cognoscens Christum Deū, & in ægeno hominē, putat quod vbi illius inopia nos diuites effecit, non tam, vt Deus id egit, quàm vt homo: & cùm in Eucharistia, ex vi verborū, carnem tantùm, & sanguinem nobis tradat, & omnes diuitias suas effundat, quodammodo nos ditiores efficit per humanitatem, quàm per diuinitatem: nam aliàs alia, atque alia dedit, hic autē seipsum. Applicat Rupertus ad hoc propositum illud, quod de Iacob legitur, *Ditatusque est homo vltra modum.* Petens cur relicto nomine Israel, & Iacob, volens vltra modum diuitem appellare, hominem illum appellat? Et respondes, quia cùm Christum figuraret, qui in largitione sui corporis & sanguinis ditissimus apparuit, iure, homo apparere, & appellari voluit, vt homini diuitias redderet, quas humanitate suscepta acceperat, sic enim fatur, *Ditatusque est homo vltra modum. Hic insigniter homo dictus est: vbi quod tenuis venerat, dicitur, quia vltra modum ditatus est: quia, si in isto insigne, & admiratione dignum est, quanto magis in homine illo, cuius hic typus est? Etenim ille verè, & singulariter homo, qui Deus est, & homo, qui pauper fuerat, nam cum diues esset, inquit Apostolus, pauper pro nobis factus est. Et ecce ditatus est, non solùm in se ipso, vbi gloria & honore coronatus, & super omnia opera manuum Patris constitutus est: verum etiam in præsenti domo sua, id est, Ecclesia, vbi illa supradictis eius ministris seruatur dignitas iam dudum.* Ditatus ergo est in Ecclesiæ aluear, vbi reddidit hominibus in fauo, quod ab hominibus sumpserat in flore.

2. Corin. 8. 9

Ruper. Ab. ibid.

Gen. 30. 43.

Ruper. lib. de Trinit. 1 Genes. c. 4.

CIRCVLVS III.

Reddit per fructum Sacramenti animæ nutrimentum.

12 Philo altè philosophando, doctè dicebat, *Duo sunt, ex quibus constamus, anima, & corpus, hoc à terra factum, illa figmentum Dei æthereum, Inspirauit enim in faciem eius spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem:* inde deducit, hominem & duplici vita constare, & duplici cibo indigere. Sicut enim communiter dicitur, quod iisdem constamus, quibus & nutrimur: ita & congruum est, vt vbi corpus, quod constat è terra, terrenis nutritur cibis: ibi anima, quæætherea est, æthereis nutriatur alimentis. Vnde idem Philo expendens verba, *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*: ita subtexit, *Pulchrè igitur conuenit, vt factum è terra producit: at illa æthereæ naturæ portio, scilicet, anima: habeat alimenta diuina, æthereaque. Alii porrò animam non rebus*

Philo lib. 2 allegoriarū legis.

Genes. 3. 14

Idem itidē

terrestribus, sed calestibus. testabitur amplius sacra Scriptura, Ecce ego pluo vobis panem de Calo: egrediatur populus & colligat qua sufficiunt in diem. Vides alimenta anima, non terrena & corruptibilia, sed verba, qua Deus pluit de sublimi, puraque natura, quam nũc calum nominauit. Sed vbi per verba ipse intelligit manna, si ipse Verbum incarnatum cognouisset, fuissent omnia plana, hoc est enim quod de cælo pluit, & panis est, quem dat nobis Deus ad vescendum in die, nempe in fidei lumine: & Verbũ est, quod procedit de ore Dei. nam & toto verbo nutritur, & eius partibus: per os n sermo significatur, porrò verbum pars sermonis est, nutritur autem perfectiorum quidem anima toto sermone. Quod si verum est, vti & est, quis declarare sufficiet, quã parũ ac perfectũ esse oportet, qui Sacramento nutritur, vbi totum Verbum incarnatum sumitur?

13 O miram commutationẽ! Vbi post peccatum, homo datus fuit serpenti in cibum: dum huic dictum est, Terram comedes: vt bene obseruabat Augustinus: modo per Christum sic vices mutantur, & homines cælestes deueniũt, in Angelos transformantur, & Angelorum cibo nutriuntur, & canitur, *Panem Angelorum manducauit homo*, quia vt Dionysius docet, *Participatio Christi, qua nobis συμβολικῶς, id est, in Sacramento Eucharistia traditur, ὑπερκοσμίως, id est, super naturam huius mundi, videlicet sine symbolis.* Reuocandum est ad hoc propositum dubium ab ab Angelico Doctore propositũ, An aqua miscenda sit in vino. Et responsio illius, decerpta ab Ambrosio, est addenda, *Quia hoc competit ad vltimum effectum huius Sacramenti, qui est introitus ad vitam aternam: nam redundat aqua in calice, & salit in vitam aternam.* Et quidem aqua in Eucharistia mista, significat Eucharistiam nos siderib[9], & Angelicis inserere choris: aqua enim in eam mensuram attollitur, qua prius descẽderat: & eodẽ modo aqua de cælo decidit, vt nos secum in cælestia eleuet. Hanc eleuationis mensuram declarãs Dominus asserebat: Hic est panis, qui de cælo descendit: & inde subdit, Qui manducat hunc panem viuet in æternum: necesse est enim, vt in eam mensuram se attollat iuxta quam descendit, & quia de cælo decidit, in cęlum eleuat ad eam accedentes.

Psal. 77. 45.

Dionysius Areopag. li. de Cælesti Hierarch. cap. 1.

D. Tho. 3. p. q 74. ar. 6. in corp.

14 Præcipiebat Dominus ei, qui ad hunc fructum digne recipiendum disponebatur, *Dilata os tuum, & implebo illud.* Vbi Hieronymus vniuersaliorẽ addit admonitionẽ, sic inquiẽs, *Dilatate ora vestra: ipse est & Dominus, & panis: ipse hortatur nos vt comedamus, & ipse noster cibus est.* In quibus verbis simul nos hortatur, & terret: inuitat, & pauorem incutit, dicens, quod Dominus, & panis est: vt panis, allicit: vt Dominus, deterret: quis enim non contremiscat talẽ Dominum maiestatis recipere in hospitio cordis & corporis? Vnde putatis terram Christo moriente tremuisse, nisi quia tantum onus ferre non sustinebat? Negetur mihi fides, si fides Hilario non datur, qui id ita prædixit, *Ad onus Domini in ligno pendentis intremuit, cum qui moriturus erat intra se contestata non capere.* O quanto magis tremere debet suscipiens in se viuum corpus regnantis in cælo! succumbat, succumbat ad tale, & tantum onus, & indignum se tanto existimet dono.

15 Sed in dilatatione oris præbetur fiducia, pelliturque formido. Quid enim oris dilatio est, nisi desiderij extensio. Vnde interprete Hugone, Idem est præcipere, *Dilata os tuum, scilicet os cordis: ac dilata affectum, & desiderium.* Euenit .n. ex his, quæ Gregorius docet, *Vt desideria dilata crescant, & crescentia capiant, quod inueniunt.* Timet, qui furtiuè fructus colligit, securus est, qui pretio emit: & timere debet, qui absque desiderio & affectu, fructum accipit Sacramẽti, quia indignè accedit, & rapit: at qui dilatat os cordis, desiderio ani-

Ps. 80. 11.

Hieronym. in Cõment. sup. ps. 80.

Hilar. lib. 3. de trinit.

Hugo Car. in Ps. 80.

Greg. Papa hom. 25. in Euang.

mum

mum expandit, & affectu aperit sinum mentis, soluto pretio tutus accedit. Hinc Naziãzenus ait, *Hoc bonum sola voluntate venale tibi proponitur: cupiditatem ipsam Deus ingentis pretij loco habet. Sitit sitiri, bibere cupientibus potum praebet.* Et iure sitim sitit, nam ex Auicenna, *Sitis fortis, maximam, & vltimã purgationem significat.* Sitit ergo Christus sitiri, vt vacuatione perfecta purgato corde, & carne mundata, dicas ei, *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter, tibi caro mea.*

Greg. Naz. orat. 40. in sanctum Baptisma.

Auicenn. li. 1. canon. fen. 4. c. 4.

16 Hæc autem oris ac, desiderij dilatatio, illò tendit, vt per hũc cibum, & fructum, ad fructum, & cibum beatitudinis disponamur, Sicut disponitur infans ad solidũ cibum, per cibum in matris vberibus lactescentem: ita ad cælestiscõuiuij cibum, & ad panem Angelorum disponuntur viatores per lac, quod in Eucharistica mensa fugitur: ideo Dominus instituto hoc Sacramento, Discipulis dixit, *Ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis in regno meo.* Quasi diceret, Sicut omnis forma suam requirit dispositionem: Sic ad cibum edẽdum in cælo reuelatum, disponuntur fideles per panem viuum in Sacramento velatũ. Ita Ambrosius, *Vnde & corpus Christi edimus, vt vitæ æternæ possimus esse participes.* Ad cuius lactis potum, antequam ad validum Cæli cibum perueniamus, ita nos inuitat Augustinus, dicens, *Dominus Iesus Christus panis, se fecit nobis lac, incarnatus, & apparens mortalis: vt in eo finiretur mors, & nõ aberraremus a verbo credētes in carnem, quod factum est Verbum. Hinc crescamus, ipso lacte nutriamur: antequam validi simus ad capiendum verbum, non recedamus a fide lactis nostri.*

Luc. 22. 24.

Abro. relat. a D. Tho. in cat. sup. c. 22 Lucæ.

August. in enarr. super psal. 130.

17 Nec tãtum vitam æternam, sed primos in illa gradus hæc mẽsa largitur. Quærit Cyrillus, cur post prædicta verba, Christus subiecit *Et sedebitis super Thronos iudicantes duodecim Tribus Israel?* Ad quod respondet, Regum more id totum esse dispositum, qui ad primos honores volentes aliquem eleuare, ad cænam vocant, & participes regiæ mensæ illum efficiũt, & ideo post hæc de Eucharistia mentionem fecit, de thronis sermonem intulit. Vnde sic ipse philosophatur, & fatur, *Sed ex his, quæ sunt apud nos, spiritualia designat nam prærogatiua quadam funguntur apud Reges terrenos, qui, cum eis, quasi conuiua confident, ex humano igitur iudicio ostendit, qui apud eum in primis honoribus statuitur.*

Luc. 22. 25.

Cyrill. relatus a D. Th. ibid.

18 Vertatur pro Theologica doctrina moralis Philosophi disciplina, qua docet, *Panem, & aquam natura desiderat: nemo ad hæc pauper est intra quæ, quisquis desideriũ suum clausit, cum ipso Ioue de felicitate contendat.* Vbi si loco aquæ, vinum sumpsisset, non poterat clarius nostram colorare felicitatem. Sed fortè melius per aquam exprimitur mysterium, nam hæc in vinum mutata ad nuptias Galileæ, sacramenti Eucharistici ostẽdit figuram, vnde Chrysologus, *Aqua in sanguinis erat conuertenda mysterium, vt mera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret.* De pane vero ait: *Hic est panis, qui de cælo descendit, transferens in terram cælum.* Quicumque ergo hunc panẽ, hãc desiderat aquam, aquæ nemo pauper est, est. n. mensa omnibus patẽs: dũ intra hæc desideriũ suũ claudit, non cum falso Ioue, sed cũ vero Deo, de felicitate contendit: statutũ est. n. ex Pontificio Decreto, *Communio sacratissimi corporis Domini, dicitur consortium diuinum.* In consortio, vel societate, humana, *Ea quæ in nominibus erunt, manent in suo statu:* At in hoc consortio diuino etiam nomina commutatur, nam post communionem fideles dicuntur, *Christiferi*, hoc est, ex Cyrilli ethimologia, *Christum ferentes*, vnde & Christi participant fælicitatem. Ex varietate ciborum varietas dignoscitur animalium, quædam enim carnibus, quædam seminibus, illa herbis, hæc aere, odore, vel igne, alia panibus vescuntur: & ex differentia ciborum, Doctor Gentium, di-

Seneca in epist. 25.

Chrysolog. ser. 5. de Epiphania.

Can. Antecessor. 11. q. 3.
L. Ex vero ff. pro socio.

Cyrillus.

diuersitatem hominum demonstrans, dicebat, *Non potestis calicem Domini bibere, & calicẽ dæmoniorũ:* 1.Cor.10.20 quasi diceret, qui oblata dæmonibus comedit, dæmon est, & eius induit naturam, cuius sumit & cibum: Qui autem Eucharistiam sumit, quæ cibus est Angelorum, ac Dei, & in Angelicam, & in diuinam mutatur ipse naturam. Non est mea notatio, sed Clementis Alexandrini, sic philosophantis, *Non est consentaneum, vt sint mensæ dæmoniorum participes, qui spirituali, ac diuino nutrimento digni sunt habiti.* Clem. Alex. lib 2. pedag. cap. 1. Vbi duplici argumento dignè sumentẽ Eucharistiã, in Deũ transformari, demõstrat dũ cibũ illius vocat spiritualem, & diuinum; tum quia, Spiritus est Deus, & qui adhæret Deo, vnus Spiritus est, & si vnus Spiritus est cum Deo, Deus est: tum etiam quia eam appellat nutrimentum diuinum, nam, si ex nutrimento, vt diximus, discernuntur naturæ viuentium, & quod paleas comedit, bos est: quod carnes, fera est: quod panem communem, homo est: consequens erit, vt qui diuino viuit nutrimento, diuinus sit, & Deus. Hinc Eusebius ex trãsmutatione panis in Christi carnẽ, Christiani venatur mutationem in Deum, dicens, *Nouum tibi non debet videri, quòd in Christi substantiam terrena mutatur, teipsum, qui iam es in Christo regeneratus, interroga: dudum alienus à vita, intrinsecus mortuus exulabas; subitò salubribus mysterijs innouatus, de filio perditionis, adoptiuus Dei filius fieri, occulta pietate meruisti.* Eufeb. Emi. hom. 5. de Paschate. Verè occulta pietas, quæ oculis tantum fidei reuelatur, & dum externam speciem non commutat, mutat internam, & conuertit perditionis filium, in filium Dei.

CIRCVLVS IV.

A nobis pauperem Deus assumpsit naturam, & pro ea summas in Sacramento diuitias reddit.

20 Miram diuinæ gratiæ commutationem sic Paulus extollit, *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* 2.Cor.8.9. O pauperes diuitias! ò diuitem paupertatem! O raram inuentionem! O caram inuersionem, qua diues depauperatur, pauper ditatur. Ganymedes ille locuples, & aureis armis ornatus, cum Glauco paupere armis ferreis one rato, amicorum legem sequutus, sic omnia commutauit, vt aurum deponens, illumque ferro exuens: se ferro indueret, vt illum auro vestiret, vnde Adagium ortum est, *Glauci, & Ganymedis commutatio.* Adagium. Sed minus est, quod poesis fingit, quàm quod & Apostolus dicit, & gratia Christi effecit. Ille auro indutus, cũ esset diues: ferrea paupertate se induit, & egenus pro nobis factus est, vt nos, qui paupertatis, ferro eramus grauati, aureis armis ornaret ac ditaret, vt illius inopia nos diuites essemus. Sed vbi has diuitias in nos effudit? sub qua forma? & quando, nisi in Sacramenti institutione? Vbi si arma vis, repete cum Isaia, *Induit me vestimentis salutis*: Isa. 61. 10. Vel ex Hebræo, *Vestimento Iesu.* Hebræus. Si diuitias cupis, audi Concilium Tridentinum, *Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit.* Conc. Trid. sess. 13. c. 2. Si modum inquiris, id egit, vt homo, quia, ex vi verborũ tantum, nobis carnem, & sanguinẽ præbet, vnde omnes nostræ diuitiæ dependent, reddidit enim cum fœnore, quod à nobis sumpsit.

21 De Iacob, qui pauper in Meso-

Gen. 30. 43.

ſoporaniam iuerat, in Paleſtinam poſtea redeunte, dicitur, *Ditatus eſt homo vltra modum.* Vbi quærit Rupertus, cur præter morem, dum diues deſcribitur, qui pauper quõdam erat, non Iacob, nõ Iſrael, ſed hominis nomine nũcupetur? Reſpondet autem & bene, quia Chriſti figuram gerebat, qui pauper venit, & diues rediit, domumque Eccleſiæ, vt homo, ditauit. Ipſum audiamus, qui commutationem hãc eloquenter deſcribit, dicens, *Hic inſigniter homo dictus eſt, vbi, quòd tenuis venerat, dicitur, quia vltra modum ditatus eſt: quia ſi in iſto inſigne, & admiratione dignum eſt, quantò magis in homine illo, cuius hic typus eſt? Etenim ille verè, & ſingulariter homo, qui Deus eſt, & homo, qui pauper factus eſt: ditatus eſt, non ſolum in ſeipſo, quia gloria, & honore coronatus: verum etiam in præſenti domo ſua, id eſt, Eccleſia, vbi illa ſupradicta eius miniſtris ſeruatur dignitas.* Dignitas autem, quæ ſeruatur eſt ſacerdotalis, quæ regiam, & omnem alia dignitatem longè ſuperat, ob corporis, & ſanguinis Chriſti diuitias, quas & adminiſtrat, & nomine demõſtrat, dicitur enim, Sacerdos, quaſi Sacra dans. Vnde Ambroſius, *Singulare pondus ſibi vendicat dignitas Sacerdotis.* De magno onere gloriabatur Athlas, dicens, *Portantem omnia porto*, quia cælum in humeris portabat: at de maiori pondere gloriatur Sacerdos, qui Trinam gerentem machinam manu gerit. Ex quo & Chryſoſtomus ſtatuit, *Dignitatem ſacerdotij eſſe id, quod omnia continet:* Et Bleſenſis aſtruit, *Sacerdotes ſunt poſiti in ſuperlatiuo gradu hominum*: vbi enim poſitiui, & comparatiui gradus, pares admittunt: ſuperlatiuus parem non habet. Et Damianus aſſerit, *Sacerdos Dux, & Anteſignanus eſt exercitus Domini.* Vt Dux præcedit omnes milites, vt Anteſignanus defert candidum rubicundumque vexillum.

Ruper. Ab. lib. 7. de tri. & oper. eius in Gen. c. 40

Ambroſ. in epiſt. 26.

Emblema.

Chryſoſtomus in homil. ſup. pſ. 13.

Bleſenſ. ſer. 47.

Petr. Dam. opuſc. 25. cap. 2.

Emblema.

22 Si nubes è terra eleuata, terræ, loco vaporis, ab ea accepti, pluuiam reddens, gloriabatur, Hinc rapta iuuo: Chriſti humanitas, vt nubes, ex vaporibus viginei ſanguinis eleuata, reddens panes, & carnem pluens optimè dicit, Hinc rapta iuuo. Inde nunc promittit, *Ego pluam, vobis panes de cælo*: nunc promiſſa implet, *Mandauit nubibus deſuper, & pluit illis manna ad manducandum, panem angelorum manducauit homo.* Vbi ſi quæras cur modo pluuiæ comparetur, modo panis dicatur in numero ſingulari, & modo in plurali, panes: en Rupert[us] adeſt, omnia dubia, ſoluens, *Secundum ſe panis vnus Chriſtus, vel vnum corpus Chriſti. Verumtamen ſecundum locales Eccleſias, & ſecundum offerentium perſonas, ſiue accipientium innumerabiles populos, panes rectè dicuntur pluraliter. Et verbum, Pluit: eamdem vbique terrarum paratam omnibus ſignificat copiam.* Hæc ille. At ipſe in verbo, Pluit, ſignificari puto redditum fructum carnis, quem à terra acceperat, vnde D. Thomas, *Hoc quod de noſtro aſſũpſit, totum nobis contulit ad ſalutem.*

Exod. 16. 4.
Pſal. 77. 23.

Ruper. Ab. li. 3. in Exo. cap. 10.

D. Thom. opuſ. 57.

23 Alexander Magnus, vbi Roxanen Perſarum regis filiam duxit vxorem, decreuit, vt Græci, & Perſæ, *Communes ducerent vitas, communes haberent veſtes, menſas, coniungia, & victus rationes.* At cælorum Rex, vbi Sponſam duxit humanam, inter cælorum ciues, & terræ incolas, omnia communia reddidit, & præcipuè victus rationes, nam eodem pane, & cæli ciues veſcuntur, & terræ incolæ: vnde & canitur, *Ianuas cæli aperuit, & miſit illis manna ad manducandum, panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Illuminet has vmbras eiuſdem Abbatis penicillus. Si quæris portas apertas, en ipſe demonſtrat, quòd, *Clauſas prius hominibus ianuas cæli, aperuit, ſolutis in carne ſua veteribus inimicitijs*: in carne ſua, nempe in humanitate ſibi deſponſata. Si requiris cæleſtes & terreſtres, immortales ac mortales amoris nexu coniunctos: en ſubdit, *Sic terrenis cæleſtia coniunxit*, id eſt, homi-

Plutar. or. 1 de Fort. vel virt. Alex.

Pſ. 77. 23.

Ruper. Ab. li. 3. in Exo. cap. 10.

Idem ibid

nes

nes Angelis sociauit, si vestes easdē desideras, en Angeli in albis apparent in terra, & homines amitti Stolis albis resplendent in Cælo. Si communem mensam, ac victus rationem exoptas, en addit Rupertus, *Vt eodem vescerentur pane, illi in cælestibus in manifesto conspectu diuinitatis: isti adhuc in terra positi, in sacramento pietatis, de quo dicit Apostolus, Magnū sacramētum pietatis, quod manifestatum est in carne, apparuit Angelis, manifestatum est & Gentibus*. Et si cupis hoc totum ab eo fieri, vt fructum carnis reddat pro recepta carne, subdam cum Augustino, *Quomodo sit panis determinat, non solum secundū Verbum, quo viuunt omnia: sed secūdum carnem assumptam pro mundi vita*.

Idem ibid.

1. Tim. 3. 16

Augustin. relatus ab Hug. Car. in c. 6. Io.

24 Mirum verè videtur, quod vbi Christus similem se dixit grano frumenti, Salomon cum Virgine loquens, in cuius virginali vtero diuinum granum, satum est, prædixerit, *Venter tuus aceruus tritici: vallatus lilijs*. Si vnum granum satum est, quomodo in aceruum crescebat, & quomodo, *In eo simul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat*? Respondet Ambrosius, *Quoniam Christum gerebat; granum tritici, & lilium*? Ob hoc enim, vnum granum creuit in aceruum, & aceruus liliorum Corona ornatus est, quia carnē, quā assumpsit, in sacramentis sic multiplicauit, vt toti mundo in cibum se vitæ dedederit, & ex his, quæ docet Aponius, *Illius grani tritici expresserunt imaginem, qui pro totius mundi vita in terra absconsus est, & in toto mundo pullulantia in se fruteta collegit*. De arbore communi Cicero dixit, *Excisa est arbor, non euulsa: itaque quam fruticetur, vides*: Sed arborē diuinam Propheta descripsit, *Generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viuentium*: Christus enim, vt nouus interpres asserit, *Tamquam mortuum, ac sepultum frumenti granum, horreum impleuit Ecclesia*. Et idem in Sacramento reconditū in corpore digne sumentium, sibi similes generat, eleuatque in cælum.

Cant. 7. 3.

Ambros. lib. de Instit. Virg. cap. 14.

Aponius in c. 7. canticorum.

Cicero ad Atticum.

Isa. 53. 8.

Sāctius hic.

25 Valeat in hoc Apostoli vel promissum, vel decretum, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei*? Immo præualeat eiusdem Domini clara obligatio, *Quis ante dedit mihi, & retribuam ei*? Cùm ergo naturæ humanæ carnem immaculata Virgo prior verbo dederit, & cùm corporis illibati fructus ex puris visceribus datus Deo sit, tenetur & ipse pati legem, quam tulit, & retribuere fructum pro fructu, corpus pro corpore, pro carne carnem, & sanguinem ita pro sanguine, vt Mater, cuius vterus altare fuit, in quo nouem mensium spatio ipse figuratus est caro: sit & Sacerdotum Princeps, & sumat, & det ceteris. Ad hoc aduoco mira Epiphanij verba, *Virginē appello velut Sacerdotem pariter, & altare*. Et ad idem reuoco rara Damiani encomia, *Impar est Virgini omne humana lingua preconium, quæ de intemerata carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum, illum videlicet, qui de se ipso dicit, Ego sum panis viuus, qui de cælo descēdi: si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*. Et vbi de reliquis mulieribus statuit Tertullianus, *Non permittitur mulieri Sacerdotis officij sortem sibi vendicare*: Eucharistiam vocans Christianorum sortem: Pura singularis nō est sub lege, sed ipsa Sacerdotalis officij munere dignata, felicem reddit cū qui talem partem recipit sortis huius, vt dormiat inter medias sortes, & panē cæli recipiat in terra, & viuat, ceu Angelus terrenus, & homo cælestis.

Ad Rom. 11. 35.

Iob. 41. 2.

Epiph. in ser. de laud. V. M. D.

Petr. Dam. in ser. 2. de Natiu. B. V. M.

Tert. in lib. de veland. Virg. c. 9.

26 Si Seneca præcipit beneficiū recipienti, vt imitetur terram, quæ pro vno grano reddit sæpe centū: en a Christo fructus redditio cum fænore fit, nam vbi occultè carnē ex Virgine sumpsit, vnde dicitur, *Ecce abscōdita cōcipiet*: ibi in cōspectu Solis, Sole tamen lucidiorē, & in millia reduplicatam illam reddit. Hinc Bernardinus Senensis, postquam ostendit omnia Sacramenta pro Eucharistia fuisse insti-

Seneca de benef.

Isa: 7: 14: ex Hierony.

tuta,

tuta, & quamuis per concomitantiam in Christi corpore, sit diuina substantia, & anima, tamen substantia panis transubstantiatur in solam substantiam carnis, ita subtexuit, *Et vt expressius magnificetur, illam dignissimam & beatissimam carnem de Virgine decisam, tanta infinitate nobilitatis dignificauit tam Altissimus.* Quis non miratur fœnora cara, quibus ditatus est fructus redditus homini, ex fructu ei credito ex visceribus Virginis? Quis referat huius Sacramẽti, & carnis prærogatiuas? quis virtutes? quis miracula? quis gratiarum dona? quis gloriæ seminaria? & quis deliciarum fontes, & bonorũ fluenta? Ille ad hæc præualebit, qui infinitatem potest definire, & ad Altissimi cognitionem pertingere, cùm eam tam sublimi nobilitate dignam effecerit Altissimus.

Bern. Sen. in ser. 3. de B.V. c. 3.

27 Altissimo in loco lapis, quẽ reprobauerunt ędificantes consecratus est: factus est enim Christus in caput anguli, dũ in cæna quasi topazius miræ virtutis apparuit, vniẽs omnia, vel omnia consummans & finiens Sic Hieronymus explicans verba, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:* dicebat, *Hic lapis reprobus, quem gestat Angelus, coniungens in cæna Agnum cum Pane: finiens vetus, nouum incohans: præstat mira in oculis nostris, vt topazius.* Et meritò Hieronymus Eucharistiã cum topazio componit. Topazius, vt alias diximus, lapis est pretiosus, & omne dicitur, quia omnium lapidum, & gemmarum colores imitatur. Rectè ergo Eucharistia topazius dicta est: quia omnes virtutes in animũ infert. Multa quidẽ sunt, quæ pietatem colunt, & virtutes ingenerant, alia quidem humilitatem ferunt, alia religionem excolunt, alia pietatem inserunt: Eucharistia & omne genus pietatis in animo inserit, insertum custodit, & custoditum ad perfectionem vsque perducit. Quapropter optime topazius appellatur.

Psal. 117.

Hieronym. relat. a Diu. Tho. in cat. sup. cap. 12. Marci.

CIRCVLVS V.

Tempus, quo hunc fructum reddit, tempus amantium est, quia amoris est fructus.

28 Materni Amoris erga filios duo à natura adhibentur testes, generatio, scilicet, & lactatio, sicut enim ex Phauorino, *Aliquod contra naturam, & dimidiatũ matris genus est, peperisse, ac statim à se abiecisse:* ita secundum Clemẽtis doctrinam, *Quicquid generauit, ei quod generatur, alimentum protinus præbere, est necessarium.* Incarnata ergo Sapientia, quæ nos voluntatiè genuit verbo veritatis, lac etiam præbere voluit, vt se perfectam & matrẽ exhiberet, & nutricem. Hinc subit Clemens, *Hic autem sanguis naturali conuersus coctione, postquam concepit mater, & vterum gerit, consentiente pietate, efflorescit, vt infans sit absque metu, per quod etiam beneuolentia amatorium accepit.* Notate verba, & mysteria signate. Primò, efflorescit: nã passio Christi hiems fuit, vbi caro eius tota orbata est floribus à facie tempestatis flagellorum, spinarum, clauorum, & tormentorum. At in Eucharistiæ institutione, quasi in vere, & in tẽpore amorum, sic reflorescit, vt appareat candida rosa in hostia, & purpureum lilium in calice cõsecrato. Secundo hinc operatur, vt infans sit absque metu, nam gloriari potest, qui in tali mensa admittitur, *Parasti in cõspectu meo mensam, aduersus omnes qui tribulant me.* Vltimo asserit Sacramentum esse beneuolentiæ amatoriũ, vt supra cum Carpathiorum Episcopo diximus, & cum Sponsa subdere possumus, *Amore langueo:* Vel ex Symmacho, *Vulnerata philtro ego sum.*

29 Statuebat Salomon, & iure

Phauorinus apud Gelliũ cap. 6.

Clem. Alex. li. 1. pædag cap. 6.

Idem ibid.

Psal. 22. 5

Cant. 2. 5 Symmach

Cant.8.7. optimo, *Quod si dederit homo omnē substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*: Vel secundum Septuaginta, *Si dederit vir omnem vitam suā in charitate, contemnet eam*. Iam Verbum dederat substantiam domus suæ, domus enim ipsius erat caro: dederat & vitam suam, cùm emisit spiritum: sed quasi nihil se fecisse existimabat, nam aquæ multæ passionum, non potuerunt extinguere ardentem flammam caritatis, & immensum ignem desiderij patiendi pro nobis. Etiam post mortem in latere percussus, sanguinē emisit & aquam, demonstrans, per ea, quæ Bernardinus Senensis docet, *Quod totus sanguis ex illo diuino corpore defluxit, postquam humor aqueus egressus est*. Quia ergo modus amandi est sine modo, modus effūndēdi sanguinem in passione, quia videbatur modum habere, non erat adæquatus immenso amori: ideo modum inuenit effundendi illum quotidie de nouo, vt sic immensum amorem, nullum habentem modum, notum faceret, idque claro hoc signo euidēter demonstraret. Aduocetur ad hoc idem Bernardinus Senensis, sic enim fatur, *Quasi non sufficeret amanti Iesu ad inebriari amoris sui ostensionem, quod semel sanguinem suum sacrum pro nobis realiter effudit in ligno, nisi in nobis quotidie effundat sub Sacramento*.

Septuag.

Bern.Senēs. tom.1.serm. 55.art.2.c.3.

Bern.Senēs. tom.2.serm. 54.ar.1.c.2.

CIRCVLVS VI.

Reddit incarnata Sapientia pro mammillis, & lacte, lac, & mammillas.

30 QVamquam vt Cicero docet, *Nomen nullum sit amātius indulgentiusque, quàm maternum*: attamē Dei amor maternum etiā, & tenerum amorem, & ardentem affectum longe superat. Non requiram extraneū testimonium, ipse enim de se, & vere, & clare sic loquitur, *Numquid obliuisci potest mulier infantē suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui*. Vbi Hieronymus diuino amori supra maternum amorē addit plus vltra, cùm enim dixisset Deus, naturali vtens similitudine, Si potest fieri, vt Mater sui obliuiscatur infantis, & ad partum viscerum suorum non flectatur misericordia, & ego non obliuiscar tui. Addidit & plus vltra. *Plus aliquid dicam, & si illa oblita fuerit, vincens mentis duritia iura naturæ: ego tamen non obliuiscar creaturam meam, & sanctorum mā mas semper in meo corde retinebo*. Quasi diceret, esto, tamquam prodigū in mūdo indigitetur mater, quæ filio mortem intulit, vt illius carnibus nutrita mortem euaderet: hoc tamen fuit, quia filium in lucem edidit, quem luce orbauit: ast ego, q filios gesto in vtero, & in corde gero, si mei obliuisci nequeo, nec illorum obliuisci aliquo pacto queo. Et ego, qui & carnem accepi, & lac ex Matris pectore suxi: en fructum carnis pro carne, & lactis liquorem pro lacte, & mammillas pro mammillis, homini reddo, vt fructum meum reddam in tempore suo, de quo dictum est, *Tempus tuum, tempus amantium*. O miram diuini amoris communicationem!

Cicero in Cheen.

Isaiæ 49.15.

Hieron. lib. 14 commēt. in cap. 49. Isaiæ.

Ezech.16.8.

31 Incarnatum Verbum, quod ex Virginis Matris māmillis, quasi ex crateris, de cælo virgineoque lacte plenis, enutritum est: vt summopere gratum, pro mammillis crateras reddit, pro vberibus calices, pro lacte sanguinem, & pro carne retribuit carnem, dicente Germano, *Crateras interpreteris licet mammas Deiparæ, salutare lætitiæ poculum, & tutelare, ac conseruatorium totius generis mortalium: & cratera salutare poculū est, quod dedit Discipulis suis in cæna, vbi misceuit suū sanguinem loco vini illius, & apposuit in sancta sua mensa, dicens omnibus, Bibite ex eo omnes*. O eximium amorem! ô summæ

German. Archiepis. Cōstantinop. in Theoria rerum Ecclesiasticarum.

dilectionis mirabile signum.

32 Clemens Alexandrinus Eucharistiam comparat cum lacte, & Christi amorem cum parentum amore, sic enim ait, *Nutrimentum est lac patris, quo solum aluntur infantuli. Ipse itaque qui est Dilectus, & Altor noster, Verbum, effudit pro nobis sanguinem suum, salutem humanæ naturæ offerens, per quem, qui in Deum credimus, ad mammillam Patris, qui curarum oblivionem inducit, nempe, Verbum, confugimus, vt infans fit absque metu*. Er quidē iure, nam si vera sunt, quę docet Auicennas, *Quod extremum mammillæ matris in os infantis ponere, valde confert ad remouendum quidquid ei nocet*: Quid mirum, quod extremum mammillæ, & vltimū Christi donum datum in cæna, dum lac Sacramenti nobis exhibuit, à nobis, dum os admouemus, omnia excludit mala, ita vt quilibet nostrum canere possit, *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me, & calix meus inebrians quàm præclarus est!* Dicere enim possumus vel cum Cyrillo, *Mensam istam proposuit Deus aduersariam illi, quam antea nobis dæmones proponebant*: vel cum Cypriano, *Cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus*. O cælestia arma, o inuictam tutelam!

Clem. Alex. li. 1. pædag. cap. 6.

Auicennas lib. 1. canon. fen. 3. doctr. 1. c. 1.

Psal. 22. 5.

Cyrill. Ierosolym. cath. mystic. 4.

Cyprian. ep. 17.

33 Si subdit Auicennas, *Omnibus modis quibus est possibile, lac matris infanti ad sugendum dandū est, ipsum enim est nutriens, quod magis simile existit substantiæ nutrientium præteritorum, quibus alebatur, dum in matrice erat*: & si per ea, quæ subdit Clemens Alexandrinus, *Vbi in partu vas abscissum fuerit, per quod sanguis ad fœtum deferebatur, obstruitur quidem meatus, sanguis autem ad vbera impellitur, & in lac mutatur*: Quis non miretur, & gaudeat, vidēs sanguinem Christi, quo redēpti sumus, & in vitam spiritualem geniti, quique nobis vitam effusus dedit, nobis in Eucharistia alimentum ministrare? Audite Pontificium Decretum, *Fudit Dominus sanguinem iustum, qui reconciliando mundo, & pretium esset, & poculum*. Pretium quidem fuit, dum in Cruce sanguis effusus, nos à morte redemit: poculum autem est, dum sanguis in lac mutatum, vitam nutrit.

Auicennas ibid.

Clem. Alex. ibid.

Leo Papa serm. 11. de passione Domini.

34 Si idem Clemens subdit, *Vbera, quæ interim recta virum inspiciebant, iam ad puellam inclinantur, vt quod à natura elaboratum est alimentum, ad illud capiendum facile exhibeatur*: En Christi vbera in cratera & calice, diuino lacte repleta, ad hominem inclinantur, vnde dicit, *Ego quasi nutricius Ephraim, & declinaui ad eum vt vesceretur*; Vel ex Symmacho, *Declinaui ad eum cibos, vt vesceretur*. Si subnectit Clemens, *Fons nutrimenti est lac, quo etiam & mulier ostenditur & vere peperisse, & esse mater, per quod etiam beneuolentiæ amatorium accipit*. O quàm verum est, fontem nutrimenti, & suauissimum quidem esse sacramentum, de quo Angelicus Doctor asserebat, *Quod per illud spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur*! In hoc verè ostendit incarnata Sapientia se peperisse, & esse Matrē, dum quod genuit in Cruce, in altari nutrit, sciens Dimidiatum matris genus esse, peperisse, & protinus abiecisse: & è contra, vt addit Clemens, Aluisse inter homines sæpe affert amoris incitamenta, quam procreasse liberos, quadam enim ratione maiorem amoris copiam erga homines ostendit Christus, dum in Eucharistia alit, quàm dum in passione regenerauit.

Osee 11. 3.

Symmach.

Clem. Alex. 1. pędag. c. 3

D. Th. op. 57

Gellio li. 12.

35 Sed quis poterit explicare vltima verba, *Per quod etiam beneuolentiæ amatorium accipit*? Nec clariori nomine lac compellari poterat, quàm beneuolentiæ amatoriū. Sicut damnatæ mulieres pocula miscent amatoria, vt his philtris non amantem, ad suam beneuolētiam pertrahant: eodem modo, sed nobiliori, & matris naturæ digno inuentu, quo matres in filio-

rum amorem pertraheret, eas lacte donauit, quo pueros alerent, vnde lac veluti amatorium est poculum, vnde & matres in filios amore ferantur, & filij pariter matres diligant: Similiter & nos per Eucharistiam, quadam veluti vi in Dei amorem trahimur, & Deus nos pariter summo prosequitur amore. Hinc per Oseam, *Ecce ego lactabo eam*: Vel ex Septuaginta, *Pelliciam eam*. Quod si idem ex Columella est, Pellicere, ac blandiciis impetere, vel allicere: quænã blandiciæ efficaciores ad alliciendum corda hominum in Dei amorem, quam illæ, quæ in hoc lacte nobis exhibentur? Et quæ potentiores blandiciæ ad impetrandum quicquid cupimus à Patre, quam ablatio Filij in Sacramento pro nobis occultati!

Oseæ 2. 14.

Septuag. Colum. in præfat. lib. 8

CAELI DAVIDICI
VERSIO XLV.
Circa eamdem Vatabli Versionem.

Fructum suum reddit in tempore suo.
De fructu pænitentiæ.

CIRCVLVS I.

Pænitentia est proprius fructus hominis, non autem Angeli.

1 CAutus naturæ Secretarius, prolata iam sententia, *Omnium rerum sunt quadam in alto secreta, & suo cuique cordi peruidenda*: Subdit inter multas terræ differentias in seminibus, vel arboribus suscipiendis, vel respuendis, *In Syria leuĕ tenui sulco imprimunt vomerem, quia subest saxum adurēs æstate semina*. At certè, quodnam altius Auctoris naturæ secretum, quàm videre sub terra saxum naturæ angelicæ post casum ita adustum, vt omne semen pænitentiæ, & respuat, & reddat infructuosũ: & terram naturæ humanæ sic vomere pænitentiæ nouatum, vt nedum septies, sed & septuagies septies, & recipere illam possit, & fructus reddere: De saxosa ergo diaboli natura, & de diabolo, qui factus est, vt nullum timeat, iure dicas cum Tertulliano, *Vbi metus nullus, emendatio proinde nulla: vbi emendatio nulla, pænitentia necessario vana, quæ caret fructu suo*. Immo & subdere cum eodem poteris de natura humana, quod pænitentia non caret fructu suo, *Cui Deus eam seuit, id est, hominis saluti*. Vbi enim diabolus induratur in malo, tamquam adamãtinus lapis, qui ad pęnitentiæ semen recipiendum vltra non est aptus: homo, ab humo sic dictus, & semen pænitẽdi, & fructus illius ferendi, sic est dispositus, vt fructum suum reddere, dum vita comes est, merito possit.

Plin. lib. 17. cap. 4.

Idem ibid.

Tertul. li. de Pęnit. c. 1.

Idem ibid.

2 Hinc Præcursor fidelis, nunc homines deterrebat, nunc hortabatur, *Facite fructus dignos pænitentiæ*. Non enim sufficit vel pætentiæ semen iacere, vel peccati iaculum è corde educere, nisi & fructus pænitentiæ reddantur, & vulneri simul applicentur medicamenta. Ita Gregorius Papa statuebat, *Non satis est pænitentibus*

Luc. 3. 3.

Gre. Pap. in ho. 10. in Eu.

pec-

peccata dimittere, sed opus est eius fructus ferre, secundum illud, Declina à malo, & fac bonum. Sicut non sufficit ad sanitatem sagittam euellere, sed oportet vlceri medicinam apponere. Translata fuit è corde confitentis Dauid sagitta, dicēte Nathan, Dominus trāstulit peccatum tuum à te: sed additum medicamentum, Filius, qui natus est tibi, morietur. At è cōtra, cùm seruus nequam translato iaculo, renuit medicinam, nolens conseruo misereri, sicut & Dominus misertus erat illius, non curata plaga hoc medicamine, in mortem incidit sempiternam.

3 Quæres cur non simpliciter fructus pænitentiæ, sed dignos requirebat pænitentiæ fructus? Respondetur ex Beda, lacrymas dandas esse in mensura, & iuxta mortua peccatorum opera, esse viuos producendos pænitentiæ fructus, *Non enim debet esse par fructus boni operis eius, qui minus, vel nihil peccauit, & eius, qui cecidit.* Idque breuius expressit Glosa, *Facite fructus dignos pænitētia pro æqualitate culpæ.* Pressius hoc interpretatur Theophylactus, *Fructus pęnitētiæ est, non solum fuga mali, sed operatio boni.* Altius idem sic exposuit Maximus, *Pænitentiæ fructus est impassibilitas animæ, qua plenariè non fruimur, dum interdum passionibus instigamur, nondum enim fructus pænitentiæ dignos peregimus.* Enucleatius verò id explicuit Tertullianus, *Præministrans pænitentiā, destinabat purgandis mentibus propositam, vtique, quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pænitentia verrens, & radens, & foras abijciens, mundam pectoris domū Spiritui sancto pararet, quo se ille cum cælestibus bonis libens inferat.* Digna ergò pænitentia illa erit, quæ nedum conscientiam verrit cum scopa confessionis, dicēs, *Scopebam spiritum meum:* nedum radit externa, *Et doctè eradet omnem corticem:* nedum foras proijcit malum, *Egredere dicens ei:* Sed totum sic immutat pænitentem, vt in eo verificetur Samuelis Oraculum, *Insiliet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum.* Nonne Petrus post negationem, insilente in eo pænitentiæ spiritu, & fluentibus lacrymarum aquis, mutatus est in virum alterum, dicēte Ambrosio, *Fidelior factus est, postquam fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit?*

[Marginal notes: Beda in c. 3. Luc. — Glos. Interlin. hic. — Theophylactus in c. 3. Luc. — Maximus relatus à D. D. Thoma in catena sup. cap. 3. Lucæ. — Tertullian. ibid. — Psal. 76. 7. — Sapien. 13. 11. — Isa. 30. 22. — 1. Reg. 10. 6. — Ambrosius in ser. 47.]

4 Lætitia animæ æstimabatur à Salomone tam efficax medicina, vt deformes in formosos, cadentē ætatem in iuuenilem, rugasque posset commutare in flores, vnde & dicebat, *Animus gaudens ætatem floridam facit:* Vel ex Chaldæo, *Cor gaudens pulchrum facit corpus:* & ex Hebræo, *Cor lætum benefaciet medicina.* At læta mestitia pænitentis, nam ex Augustino, *Peccator dolet, & de dolore gaudet:* sic innouat pænitentem, vt ei dicatur ab Ambrosio, *Grandi plaga, alta, & prolixa est medicina. Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculi lacrymis, qui masculum simpliciter non aspexerunt: pallescat facies, quæ quondam vicit impudicè: denique totum corpus iniuria maceretur, cinere aspersum, & cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquescens, sicut cera, ieiunijs, quia in membra corporis cùm haberet dominium, malè cessit imperio.* O pulchros flores! o dignos pęnitentiæ redditos fructus!

[Marginal notes: Prouer. 17. 22. — Chaldæus. Hebræus. — Augustinus — Ambros. ad Virg. lapsā cap. 8.]

CIRCVLVS II.

Fructus pænitentiæ perpetuò debet seruari.

5 MAgna differētia cernitur, & à Plinio explicatur, inter fructum duracini, ac persici, caro enim illius adhæret ossibus, istius autem ab ossibus separatur, sic enim ait, *Etenim duracinis adhæret corpus, a lignoque auelli nequit,*

[Marginal note: Plin. lib. 15. cap. 28.]

quit, cùm in ceteris facilè separetur. In ligneo osseo persici, vel duracini, si Pierio credimus, *Cades multiplex figuratur ab Aegyptijs, nēpe, quod in ea testa omnium telorum, quæ punctim cæsimque feriant, & quibuscumque modis lædant, signa vulneraque impressa conspiciuntur: vt in nulla propemodum re magis, quàm in eo cortice multipliciter lacinando, natura lasciuire gestierit.*

Pier. Valer. lib. 14. cap. de Persico.

Cùm ergo, per hoc pomum, vt idē Author asserit, cor figuretur, cuius & figuram gestat: quid mirum, quòd cor pænitentiæ telo caritatis vulneratum, in eius nucleo significetur, ita vt anima pænitens dicere posit, *Vulnerata caritatis ego sum:* & Dominus præcipiat, *Scindite corda vestra?* Ex his autem, quædam corda persicis, quædam duracinis comparantur: ista in pænitentiæ luctibus, ac plagis durant: illa statim abijciunt mærorem, & quod peius est, *Assumunt sibi cogitationem inscitiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tamquam fugitiuos persequuntur:* nec recogitant Augustini decreta, & à Petro Blesensi repetita, *Inanis est pænitentia, quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius: sic lugens, & peccans, veniā non meretur. Nihil prosunt lamēta, si replicantur peccata. Nec valet de malis veniam poscere, & mala denuò iterare,* Dicam breuius cum Bernardo, *Recidere, quàm incidere est deterius.*

Idem. ibid.

Cant. 2. 4. ex Septuag. Ioel. 2. 13.

Sapien. 19. 3.

Aug. relatus a Petr. Bles. in opusc. de confess. sacr.

Bern. serm. 54. in Cant.

6 Immo nocet, & sic nocet, vt Iudex statuat, *Noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi cōtingat:* Et Cyprianus asserat, *Grauius comminatur, quòd nulla sit venia, vltra delinquere, postquàm Dominum nosse capisti.* Vnde Bernardus addit, *Si dixerit mihi Iesus, Dimittuntur tibi peccata tua: nisi ego peccare desiero, quid mihi prodest? Exui tunicam meam: si induero eam, quantū profeci?* Tam atrox est recidiuatio in malum, vt Deum immutabilē, mutabilem, quodammodo, ita reddat, vt sicut homo mutat habitum pænitentis, in peccatoris amictum: ita Deus oliuam mutet in gladium, pietatis promissionem in vindictam, pacem in bellum, remissionē in pænam. Sic Dominus videns, quod, *Achab scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco:* dixit ad Eliam, *Quia Achab humiliatus est mei caussa, non inducam malum in diebus eius.* Quid tamen accidit? Achab non multo post in bello occubuit. Ergone falsum est Oraculum Dei? Absit, sed sicut aliàs cum Agapeto diximus, *Exquisita specula tales monstrant vultuum apparentias, qualia ipsa sunt archetypa: eodem pacto iustum Dei iudiciū nostris actionibus assimilatur.* Deus ergo, instar speculi immutabilis, mutato Achab habitu, de pænitente in recidiuantem: mutat & vultum, de propitio in vlciscentem. Audi Ambrosium hanc immutabilis Dei mutatæ sētentiæ rationem reddentem, *Considera, quia Iezabel habuit vxorē, cuius inflammabatur arbitrio, quæ conuertit cor eius, & nimijs sacrilegijs execrabilem fecit. Et hunc ergo pænitentia eius reuocauit effectum. Dominus autem non potest mutabilis æstimari si confessionis immemori, non putabat esse seruandum, quod promiserat confitenti.* Si vis speculū immutabile, en illud Ambrosius offert, dicens, *Dominus non potest mutabilis æstimari.* Si vultum miserentis cum pænitente, desideras, en idem subijcit, *Quia humiliatus est, non inducam malum in diebus suis.* Si autem punientis cum impęnitente conformari cupis: en concludit, *Confessionis immemori non putabat esse seruandum, quod promiserat confitenti.*

Ioan. 5. 14.

Cyprian. li. de discipl. & habitu Virg.

Bern. ser. 3. in Cant.

3. Reg. 21. 27.

3. Reg. 22. 35.

Agap. Diac. in capit. Paræn. ad Iust. Cæsar. n. 24.

Ambros. in li. de Nabuthe cap. 17.

7 Perquirebat Cyrillus Alexādrinus, cur Semei ob leuem inobedientiam egrediendi ex ciuitate, quę etiam excusabatur à necessitate, damnatur ad mortem: cùm de rebellione & verborum, & operum contra Regem, veniam obtinuerit? Respondet, ob circumstantiam recidiui, & aggrauari culpā, & morte multari, quam ex obiecto iudices leuiorem. Sic ergo fatur, *Secundo deliquisse, & mandatū*

Cyrill. Ale.

regis

lib. 5. in Ioa. c. 17.

regis neglexisse, morte multatus est. Horrendum malum, secundo deliquisse: & post primos fletus, noua reflenda peregisse, ostenditur enim, non vere pænituisse flendo, nec fleuisse pænitendo, nam ex Pontificio Decreto, *Pænitentiam verè agere est, commissa flere, sed iterum plangenda declinare.* Notanda verba, Pænitentiam verè agere: id est, non apparēter, nec fictè. Fictus est arcus in nube, quia non est ex elementis compositus, sed tantum pictus à radijs, seu penicillis Solis: at verus est arcus ex ære, vel ferro formatus: ita veræ pęnitentię arcus, ex duobus constare debet elementis, quorum primum est com missa flere: secundum vero, plangenda declinare: hoc si non adest, & venia pænitudinis abest.

Greg. Papa li. 9. registri, epist. 39.

CIRCVLVS III.

Fructus pænitentiæ tunc maturus & gratus, cùm immaturus.

8 VT peccator adimpleat præceptum Dei, *Non apparebis ante Deum vacuus:* manus, os, & vas cordis impleat fructibus pęnitentiæ: pænitentia enim ex Edmundi sentētia, *Attrahit hominem ad suum Creatorem, & ducit ad magnum gaudium, & caritati.* Immò cælestis Pastor, si Chrysologo pręstatur fides, multo magis delectatur pænitentiæ fructibus, quàm floribus innocētię, nam, *Pater hic plus de venia, quàm de iustitia gaudium vult habere.* Attamen fructū hunc, non serotinum, sed temporaneum, & ante senectæ maturitatem requirit. Interprete voluntatis diuinæ non indigemus, cùm Deus ipse apertè illam declaret, *Non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Sed dices quinam sunt botri, & quæ præcoces ficus, quas Dei anima deperit, ne dum desiderat? Respondet Rupertus esse opera pænitentiæ, quæ immatura displi-

Deut. 16. 16

Edmundus Archiepisc. Cantuar. in speculo Ecclesiæ c. 14.

Pet. Chrysol ser 5. de duobus filijs

Malach 7. 1

cent, matura placent, sic enim ait, *Non est botrus ad comedendum, id est, qui faciat pænitentiæ fructum. Omnes enim impœnitentes Deum offendunt, sicut vua acerba, quæ comedi non possunt. Pænitens verò, quasi vua, vel sicus matura, dulces, & suaues sunt, quas desiderauit anima mea, inquit, sed non inueni.*

Rup. Abl lib. 3. in c. Michęæ.

9 Sed si ita est, vti est, quomodo Glosa interlinearis introducit Deum dicentem, *Immaturas ficus volui sumere in cibo?* Bone Deus! si nō erat botrus ad comedendum, quia impænitens, vt vua acerba, & vt botri immaturi, qui comedi non possunt, Dominum offendunt: quomodo immaturas ficus vult sumere in cibo? Forte id euenit, quia tunc fructus pænitentiæ maturior est, cum legitur ex planta Crucis immaturior. Ad hoc reuocandum est illud, quod de plantis in locis acetosis fructantibus Philosophus refert, demonstrans earum fructus immaturos dulcescere, amarescere maturos, sic enim ait, *Plantæ quæ nascuntur in aquis acetosis, fructus producunt dulces in initio, sed postea illos reddunt amaros: vnde qui eis volunt frui, debent illos colligere in digestione prima, antequam amarescant.* Idipsum Anglicus docet euenire de fructu salutis, sic enim philosophatur, *Fructus iste oritur de ligno plātato iuxta aquas acetosas lacrymarum pungitiuas. Et in rei veritate acetum erat propè, nam Christus in hoc ligno acetum felle mixtum gustans, dat nobis cibum dulcissimum, si tamen non differamus illum capere, Initium enim dulcoris habet fructus illius. Si autem differamus propter nostram negligentiam, reperiemus eum amarissimum. Vnde Hieronymus, Tu Domine per naturam dulcis es, sed quicumque peccatores sunt, naturam tuæ dulcedinis vitio suo vertunt in amaritudinem.* Hoc est quod dicit Amos, *Conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absynthium.* Ideo Redemptor, ac humanæ salutis amator Præcoquas ficus desiderat: id est, secundum Lyræ sonum,

Glosa interlinearis hic.

Arist. lib. 2. de plantis.

Anglicus in ps. 1. vers. 3.

Amos 6. 12.

Quæ

Lyran. in c. 7. Micheæ.

Quæ primò maturescunt. Non sic purpuratus ille Euangelicus, qui serotinos fructus in inferno produxit, quique in terra malè viuẽs, oculos suos statuit declinare in terram: serò in inferno mala patiens, oculos eleuauit in cælum, vnde Chrysologus, *Sero diues sursum eleuat oculos suos, quos semper depressit in terram.*

Chrysolog. ser. 122. de diuite & Lazaro.

10 Nescio, scripturales, an vos in Lia, & in Rachele obseruastis cum Philone, salutare mysterium in nominum impositione. Illa vltimum filium Iuda nominat, hæc Benoni: illa confessionem in senectam, hæc dolorem in morte reseruat: vbi si saperent, ambæ deberent conuenire in eo, vt primogenitis imponerent & confessionis, & doloris nomina. Vnde Philo de Lia dicebat, *Lia fætus ad animam pertinentes, in Iuda, id est, in confessione desiuerunt: de hac Moses dicit, Quando concepit, & peperit filium, ait, modò confitebor Domino, & ob id vocauit nomen eius Iudam, cessauitque parere.* Verè enim Lia lippa oculis est anima, quæ vltimo loco parit confessionem.

Philo lib. 2. de Allegor. leg.
Gen. 29. 35.

11 Timidum præsagium pro agricolis est illud, *Festinatam sementem sæpe decipere, serotinam semper.* Attamen sequendum est consilium Salomonis, & festinè, ac serò serendum, vt si hoc non proueniat illud, vel si vtrumque proficit, dupliciter merces, *Manè semina semen tuum, & vespere, ne cesset manus tua, quia nescis magis me prouenturum sit hoc, an illud: quod si vtraque in idem tendat, hoc bonum erit.* Sed numquid de serendo cura est Sapienti? Quod serentibus præcipit, intelligit de pænitẽtibus, vt mane, dum iuuenes: & vespere, dum senes sunt, semen lacrymarũ serant, quia si illæ non profecerũt, proficient istæ: & si vtraque, duplicabitur Corona. Ad hoc aduoco Olympiodori Monachi explanationem, sic consulentis, *Ab ineunte pueritia operare virtutem, nec dicas, Nunc adolescentior cùm sim, fruar delicijs, quas habet vita, postea verò, cùm ad senectutem peruenero, ad pænitentiam me cõuertam: neque enim nosti quid tibi euenturum sit, aut quando tibi aderit finis vitæ. Est ergo operæpretium operari semper virtutem vsque in finẽ, neque enim nouisti quænam ex tuis bonis operibus placitura sint Iudici, illane, quæ iuxta carceres peregisti: an ea, quæ perductus ad metam, Quòd si vtraque eodem pariter modo approbẽtur, bonitatis, & perfectionis plena censebitur huiusmodi operatio.*

Ex Plinio lib. 18. c. 24.
Eccle. 11. 6.
Olympiod. Monach in enar. in c. 11 Ecclesiasten

12 Sed in Agricolarum decreto insistentes, Serotinam semper decipere, quod certe in agris terrenis verum non cernitur: in agris cordium verissimum æstimatur. Ex Scoti doctrina alibi demõstrauimus, posse Deum quando vult, & quomodo vult, in momento honestare pauperem, & veram pænitentiam inspirare, etiam inueterato dierum malorum: attamen regulariter id nõ fieri probat Faustus Rhegiensis seuerè nimis. *Nam quia Deus non irridetur, ipse se decipit, qui mortem multo tempore vixit, & ad quærendam vitam iam semiuiuus assurgit, vt tunc officiosus appareat: quando dominicæ seruituti omnia corporis & animæ subtrabuntur officia.*

Scot. in 4. d. 20. q. unica.
Faus. Rheg. Episcop. in epist. 1.

13 Hippocratis axioma est, *In morbis acutis rarò, & per initia medicamento purgante vtendum est. Idque diligenti cum præmeditatione facere oportet*: vbi Galenus addit, *Sicut in diuturnis semper maturationem morbi expectare oportet, ita in acutis, si quidem materia ad excretionem sui proritet & gliscat, initio etiã purgare licet: sed hoc ipsum cum magna religione & circumspectione facta oportet. Et siue diligentem præmeditationem, siue ægroti præparationem, siue recti, quoad fieri potest, iudicij expectationem, siue ex ijs aliqua, siue etiã omnia intelligat, suam certe religionem, & cautionem in talibus purgationibus rectè indicat*. Ab infirmitate corporis ad cordis ęgritudinem Aphorismum transferentes, quis neget peccatorem infirmum iacere, si ipse de se loquitur, *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Do-*

Hippocr. li. Aphor. 1. aphor. 24.
Galen. hic.
Psal. 6. 3.

mine quoniam conturbata sunt ossa mea: Et anima mea turbata est valde? Sed turbatio tua, o Dauid, etiam turbat & verba, turbat & sensus, si enim anima spiritus est, quomodo ossa, quæ turbentur potest habere, cùm veritatis Author Apostolis dicat, Spiritus carnem, & ossa non habet? Respondet Augustinus, quòd, *Dicit anima fortitudinem suam esse turbatam, cum ossa nominat. Neque enim credendum est, quòd habeat ossa, qua videmus in corpore, quapropter ad expositionem pertinet quod subijcitur, Et anima mea turbata est valde: ne quod ossa appellauit, corporis intelligerentur.* Huic ergo animæ, vel in malo inueteratæ, vel acuto morbo laboranti, cum debili virtute, ac morti proximę per initia, vel humoribus, vel amoribus malis non decoctis, medicamentum pænitentiæ exhibere, cum magna religione, & circũspectione facere oportet. Ad hoc idem Faustus aduocat cęlestis Medici prædictionem. *Si peccator pænitentiam egerit, pro peccatis suis, in sua iustitia, quam operatus est, viuet.* Sic ipse legit, & sic interpretatur, *Egerit, memorauit, non solum dixit, Acceperit: in sua, inquit, iustitia, quam operatus est viuet. Aduertis quòd huiusmodi medicina, sicut ore poscenda, ita opere consummanda est? Insultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire, quo potuit: & illo tunc incipit vti velle, quo non potest. Opus itaque est, vt quam ad peccandum fuit vegeta, & abrupta ad malum intentio: tanta sit in vulnerum curatione deuotio.*

Augustin. in enarr. super psal. 6.

Ezech. 33. 15.

Faust. ibid.

14 Si Hippocrates, & Galenus, & diligentis medici pręmeditationem, & ægroti præparationem, & recti, quod eius fieri poterit, iudicij expectationem requirunt in medicamento purgante, vel in morbis diuturnis, vel in acutis: quantã præmeditationem adhibent sancti Patres, & spirituales medici in pænitentiæ medicina exhibenda inueterato iam in malis, & morti proximo? Audiatur sententia & Augustini, & Ambrosij à Cęsario relata. *Agens pænitentiam ad ultimum, & reconciliatus exierit, si securus exeat, ego non sum securus. Pænitentiam dare possum, securitatem dare non possum: & illius iudicio te committo, cuius iudicio me commendo.*

Aug. & Ambr. apud Cęsar Arel. Epist. ho. 44

15 Petes, quomodo posses securitatem habere? Dicam, vt scio. Ea lege, qua mercatores oneratam pretiosis mercibus nauem ad nouum transmittentes orbem per dubium ac infidum mare, paruo eam pretio tutam reddere solent: eadem & tu in ætate iuuenili & dum sanus & viuus es, exoluto pænitentiæ pretio, nauem animæ securã redde, sic subdit Cæsarius, *Vis te à dubio liberari? Vis quod incertum est euadere? Age pænitẽtiam, dum sanus es. Si sic agis, securus es. Si autem tunc agere vis pænitentiã, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Et tunc duæ res sunt, aut ignoscetur tibi, aut non ignoscetur: quid horum futurum sit nescio, sed do consilium, dimitte incertum, & tene certum.* Ad hoc Cęsarij consilium præceptum addã Principis Apostolorũ, sic enim iubet, *Quapropter, fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vocationem vestram, & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Si autem petas, quomodo potest certa reddi vocatio & electio, cùm nemo sciat an odio vel amore dignus sit? Respondet Lyranus, *Quod hic accipitur certitudo pro probabili coniectura, quæ certitudo est in moralibus & humanis agibilibus requirenda.* Melior est responsio Glosæ dicentis, *Quod certa est vocatio cunctorum, qui ad fidem veniunt. Qui vero fidei sacramentis quæ perceperunt, bona opera quoque perseueranter adiungunt, isti suam vocationem & electionem certam intuentibus faciunt. Sic & qui post vocationem ad vitia vertuntur, etiam in his vitijs ex hac vita migrauerint, iam omnibus certum redditur quod reprobi fuerint.* Quòd si in fine vitæ ad pænitentiæ fructus cõuertatur, diceret poterit cum Cain, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Id enim, si Chryso-

Cesar. ibid.

2. Pet. 1. 10.

Lyran. hic.

Glosa ordinaria hic.

Gen. 4. 13.

ſtomo creditur, inde oritur, quia ſero ad pœnitudinem confugit, ſic enim ait. *Nunc autem poſt ſententiam, poſtquam clara voce accuſatus a ſanguine in terra iacentis, confitetur, nihilque inde lucri facit: vnde Propheta dicebat, Iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis.* Vbi differt Iniuſtus à Iuſto quia Iuſtus in principio ſermonis & vitæ, ſe accuſat, & ſaluatur: Iniuſtus verò in fine vitæ, & iam accuſatus, & iudicatus, ſe malè accuſat, & damnatur.

hryſoſt. om. 19. in enef.

CIRCVLVS IV.

Tempus reddendi pænitentiæ fructus eſt vita præſens.

16 Adagium eſt, ſæpe à nobis repetitum, *Noſce tempus.* Et ſi tu cupis illud à ſacro fonte haurire, adi Salomonem, & dicet tibi, *Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltādi.* Sed ſi ipſemet aſſerit, *Riſū reputaui errorem:* Si idem iubet, *Cum ſaltatrice, ne aſſiduus ſis:* Quomodo tempora in ſaltationem partitur, & in riſum? Dicam cum Salonio, *Numquid forſitan oſtendere voluit, quia oportet nos ſaltationum exercere ludicra?* Adda & eū illo, *Abſit, Sed tempus flendi eſt in vita præſenti, tempus ridendi in vita futura. Et qui in hac vita, plangendo ſtudet abolere peccata: in futura vita, ſaltabit, id eſt, lætabitur, & exultabit in gloria æternæ felicitatis.* Cùm autem præſentis temporis non aliud ſubſiſtat, niſi inſtans: tēpus flendi & plangendi non eſt procraſtinandum, ſed in quolibet inſtanti firmandum.

dagium.
cle. 3. 4.
cle. 2. 2.
cli. 9. 4.
lon. Vić. f. in myca explic. 3. in Ec. . Salom.

17 Sicut qui in aqua præterfluentis fluminis ſcribit, vbi digito amoto, ſcriptura perit, digitum ſēper immobilem in aqua ſemper mobili firmare tenetur. Ita, cū de curſu vitæ humanæ firmatum ſit, *Omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur ſuper terram:* firmanda eſt pænitentiæ ſcriptura, & quolibet inſtanti, manus intra lacrymarum flumen ſic retinenda, vt pænitens impleat Salomonis conſilium, *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtāter operare.* Expreſsit Hugo Cardinalis vim particulæ, *Inſtanter*, addens, *Continuè ac perſeueranter operare.* Cum enim continui motus non detur niſi inſtans, in quolibet inſtanti, & perſeueranter operanda eſt ſalus. Et ſi huius inſtantaneæ operationis rationem inquiris, en pacificus Rex eam ſubdit, *Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Additque Gloſa, *Fugiens velut vmbra.* Vbi enim nos legimus, *Dies mei velociores fuerunt curſore:* inibi Chaldæus tranſfert, *Velociores fuerunt vmbra auis volantis.* Cùm ergo tempus vel fugiat, vel ſic volet, & cum temporet vel volet, vel ſic fugiat occaſio pœnitendi, vt vix iuuenis poſſit aſſequi illam, etiam ſi vt Hicarus ſibi addat alas: quomodo aſſequetur eam immobilis ſenex, qui inſtar bouis, grauem figit pedem? Heu! quia vt optimè notabat Andreas Cæſarienſis, *Pænitentia, & threni apud eos, qui ſempiternis cruciatibus iam mancipati habentur, prorſus inutiles ſunt. Nam apud inferos nulla eſt redemptio, nec vllus ibi Dominum confitetur.*

Reg. 14.
Eccle. 9. 10.
Hugo Car. hic.
Ibidem.
Gloſ. interl.
Iob 9. 25.
Chaldæos.
Andreas Epiſc. Cæſ. Cappad. in Apocalyp. c. 49. ſer. 17

18 Ambroſius expendens verba, *Non cognoſcit homo ſepulchrum Moyſis:* difficilem ſubiicit interpretationem: *Nemo ſcit ſepulturā Moyſis, quia vitam eius omnes nouerunt.* Petes, quomodo ex tali antecedente, Vitam eius omnes nouerunt: tale ſequitur conſequens, ideo nemo ſcit ſepulturam eius? Ratio eſt, quia ad mortem hominis agnoſcendam, ſufficit noſſe vitam. Vita Moyſis tota lux fuit, ſepulchrum eſt locus tenebrarum: neſciatur ergo ſepultura lucis, vt appareat etiam poſt mortem ſplēdere vt Sol. Adagium eſt Euripidis, *Bonis bona euenire, & malis mala:* vnde Berongoſius dicebat, *Mirum non eſt, quod mala morte obijt, qui ſemper malè vixit.* Miraculo

Deut. 34. 6
Ambroſ. li. 1. de Cain, & Abel. c. 2
Adagium Euripidis in Hecuba. Borongoſi' Abbas lib. 3 de iouent. s. Crucis c. 5.

enim

enim aſcribitur, ſi aliquem accidat bene mori, cùm vixerit male: vel male mori, cùm vixerit bene. Hinc Oleaſter ponderans verba Balaam, *Moriatur anima mea morte Iuſtorum*: eique meliora auſpicatus, illius verba ſic vertebat, *Vtinam diceres potius, Viuat anima mea vita Iuſtorum, quàm, moriatur anima mea morte Iuſtorum. Dominus enim non conſueuit dare mortem Iuſtorum, niſi Iuſtis: ſicut neque mortem impiorum, niſi impijs.* Omninò veriſſimum eſt, regulariter, Bonis bona euenire, & malis mala: & ſi aliquando aliter accidit, miraculũ eſt, vt alibi de beato Latrone cum Chryſoſtomo diximus, maius miraculum fuiſſe illum in morte conuerti, quàm petras ſcindi. Et ex Adalelino, *Non poteſt bene mori, qui male vixerit*: motus enim & terminus idem realiter ſunt.

Num. 23. 10

Oleaſt. hic in 2. adnot.

Adalelinus apud Lippoman. die 22. Aprilis.

19 Obſeruat Philo inter impij Caini crimina, & pij Abelis ſacrificia, inter alias multas, præcipuè has differentias, *Ille poſt aliquot dies obtulit ſacrificiũ: ceterum Abel obtulit ei, nec eadem, nec eodem modo, Nam de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum ſacrificaſſe dicitur.* Totum ergo diſcrimen eſt, quod ille poſt aliquot dies fructus terræ inanimes, iſte verò ſtatim primogenita obtulit animata. Cũ ergo primogenitũ hominis cor ſit, primum omniũ generatũ: qui cor ſtatim offert ad infantia, Abel imitatur: qui verò, ne dum poſt aliquot dies, ſed poſt multos annos: & vſque ad ſenectam & ſenium differt hoc ſacrificium, Cain veſtigia ſequitur, & cum illo damnatur. Sed ex eorum nominibus eorum differentiam, idem ipſe Philo acurè deducit, dicens, *Deinde ſi nomina ſpectes, Abel, idem ſignificat, ac nihil. Cain, vero, Poſſeſſio, quod eſt ſtultitia, & impietatis plenum, cùm enim debuiſſet Dei poſſeſſionem omnia credere, ſuam exiſtimare maluit. Sicut Alexander, cum vellet ex Europa bellum inferre Aſiæ, opportuno inter vtramque loco ſtans, luſtrans aſpectu circa ſe, omnibus dixiſſe. Hæc, & hæc mea ſunt: puerili plebeique leuitate animi, non pro maieſtate regia. Ita & Cain poſſeſſionem ſibi rerum vſurpans infeſtus Regi, cui omnia viuunt, quaſi. Quis enim poſſet eſſe infeſtior animæ boſtis, quàm qui per iactantiam, quæ Dei ſunt, ſibi vſurpat?* Abel vero nihil ſe habere, nihil ſe poſſidere, putãs, omnia Deo tribuit, cùm cordis fructum, & primogenitum tribuit, & fructum ſuum, non ſuum, ſed Domini æſtimans, & dedit, & obtulit in tempore ſuo.

Philo Iud. in lib. de ſacrif. Abel & Cain.

Idem Philo ibid.



CAELI DAVIDICI
In Psalmi primi, Versus Tertij, Partem Tertiam.

VERSIO XLVI.

Prima. Ex Vulgata, Et folium eius non defluet.
2 Ex Chaldeo, Et folia eius non defluent.
3 Ex Arabico, Et folia eius non labentur.
4 Ex Rabbi Dauid, & Felice, Et folia eius non cadent.
5 Ex Suadeno, Et folium eius non marcescet.
6 Ex Caietano, Et folium eius non arescet.
7 Ex Pagnino & Tertulliano, Et folium eius non decidet.
8 Ex Rodulpho, Verbum eius non erit instabile & irritum, sed immutabile & firmum.

CIRCVLVS I.

Cur Dauid non ornet Iustum floribus, sed tantum fructibus, & folijs?

1 Dmirationē verè inducit consideranti, quod Psaltes comparans beatum virum ligno plantato secus decursus aquarum, illum non floribus describat ornatum, sed tantum fructibus coronatum, folijsque circumamictum: cùm pro certo habeatur Plinij decretū, *Flos gaudiū arborum, tunc se nouas aliasque, quā sunt, ostendunt, tunc varijs colorum picturis in certamen vsque luxuriant*. (Plin. lib. 16. cap. 25.) Sed forte sciens cælestem Agricolam desiderasse præcoquas ficus, & ficus non florere, *Protinus enim fructum flores gignere*, (Idem ibid.) ideò fructibus, non autem floribus Iustum coronat. Et certè, si cum Hugone recognoscimus, *Fructum boni operis, florem propositi, & folia verborum*: (Hug. Card. in psalm. 1.) iure dicemus illum esse beatum, qui inter folia & fructus, non flores propositi, ac velleitatis, intermediare finit: sed vix audito diuini præcepti verbo, sic fructum producit instātanei operis, vt antè factum videatur, quàm dictum. Tales idem Psalmista describit Angelos, tales & Dei seruos, *Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiēdam vocem sermonum eius*. (Psal. 102. 18) O nouam loquendi formam! O præposterum ordinem verborum! Vbi iure optimo ambiges, cur non ante dixit, Ad audiēdam vocē sermonum eius, & deinde facientes verbum illius: cum dictum, & præceptum præcedat opus, & factum?

Ideò

Ideò id egit, vt ostenderet obediētiam adeo paratam & citam, vt prius videantur exequi operatione, quod postea imponitur Dominica vel voce vel iussione. Recurrat riuus ad fontem, vnde manauit, ex Agellio enim ortum duxit, sic enim dixit, *Vix, dum audierīt vocem diuini praecepti, & statim faciunt verbum eius: vt quamuis diuini verbi praeceptum antecedat, tamen tanta illorum in exequendo velocitas & intentio est, vt nescias penè quid prius sit, voxne sermonum Dei, an illorum in exequendo celeritas. Hac namque perficiendi velocitas indicatur in illa praepositione, Ad, simulatque audierunt, perficiunt eius mandata.*

A gellius in comment. sup. ps. 102.

2 De Ællo Vero memoriæ prodit Spartianus, Quod cursoribus suis instar cupidinum alas frequēter apposuit, eosque Ventorum nominibus frequenter vocitauit, *Boream alium, alium Notum, & itē Aquilonem, aut Circium, ceterisque nominibus appellans, & indefessè, atque inhumaniter faciens cursitare.* At Creator ventorum atque animarum, verè alas addit ministrantibus sibi, propter quod iure à diuino Psalte celebratur, *Qui ambulas super pennas ventorum.* Sed curiosè ac subtiliter inquirit hic Augustinus, *Quanam penna ventorum sunt, & qua ala Dei?* Respondet autem, *Per ventos intelligendas esse animas, qua alas habent bonas & liberas, benè operantes, & praecepto Dei obsequentes: penna enim animarum virtutes sunt, bona opera, & rectè facta, & quasi duas alas habēt, duo praecepta caritatis, per quas rapidè volant.* Nec enim alæ simpliciter sunt, sed alæ ignis, nam vbi nos legimus, *Lampades eius, lampades ignis:* Septuaginta vertūt, *Ala eius, ala ignis:* Et sicut, qui mandat igni, vt sursum ascendat, clarè videt, quòd antequam ipse id mandet, flamma volat: Sic Dei amatores, cùm prius videntur implere præceptum, quàm vocem præcipientis audire, meritò dicuntur ante fructum dare, quàm folijs sese exornare.

Sparthian. in Ælio Vero.

Psal. 103. 4.

August. in concione 1. sup. primā partem. Psal. 103.

Cant. 8. 6.

Septuag.

CIRCVLVS II.

Beatus est, qui desideria, & folia verborum implet opere.

3 PLinius, vbi de ficis, & caprificis asseruit, *Protinus fructus flores gignere*, immediatè subdit, *Sic & hominum multis fortuna sine flore.* Ast ergo verè dicam, quòd vera fortuna, quæ est hominis beatitudo, in eo est posita, vt homo ex floribus desideriorum, & bene viuendi, & melius operandi, immediatè & operum, & optimæ vitę fructus det. Talem pronūciat Dauid hominis beatitudinem, *Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis.* Vbi Hugo Cardinalis more solito, glosam addit peroptimam, *Beatus est beatitudine spei, & erit beatitudine rei. Vir, homo virtute virens: qui impleuit desiderium suum ex ipsis, id est, ex consilijs, & monitionibus, & praeceptis, & verbis, & ex rebus permanentibus, & aeternis: ex quibus solis potest impleri anima humana.* Si autem legas cum Paraphraste Chaldæo, *Beatus vir qui impleuerit scholam suam ex ipsis:* optime dices, in schola virtutis illam audiri doctrinam, *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* In schola autem vitij coruinam intonari vocem, Cras, cras, nam bona opera differt in crastinum, pænitentiam in futurum, & elemosynas in mortem.

Plin. lib. 16. cap. 25.

Psalm. 126. vers. 5. Hug. Card. hic.

Chaldæus.

4 Vtriusque autem scholæ & magistros diuersos, & discipulos oppositos his coloribus & vmbris Augustinus describit. In prima odium sedet pro magistro: in secūda autē Amor. Amor docet otiosos, vt sæculi bona immo mala ita sequantur, vt de ipsis impleant desideria eorum. Odium autem instruit, vt sæculi bona, seu mala repellantur, & æternis bonis desideria impleantur. In illa schola dicitur, Beatus homo, qui impleuit desiderium suum ex ipsis. Vbi vtiliter

August. in enar.ps. 126. quærit Augustinus, *Quis enim replet desiderium suum ex eis?* Et quæsito respondet, *Qui non amat saculum, qui sic desiderat, quomodo Ceruus desiderat ad fontes aquarum: qui sic dicit, Defecit anima mea in atria Domini, implet desiderium suum ex eis. At in sibola vanitatis, amor vanus docet, vt desiderio sæculi homo impleatur, & tamen ex eis non potest implere desiderium suum. Si enim desideras diuitias, desideras & delitias in terra, desideras ea, qua etiam iumentis donauit Deus, hoc est, voluptatem temporalem, & saltem corporis, & alia, non ex eis implebis desiderium tuum.* Hæc ille. Cùm ergo

Aristot. lib. 11. metaph. ex Aristotelis doctrina, *Desiderium praecedens comprehensionem rei, magis dicatur dolor, quàm voluptas:* & homines vanam voluptatis scholam semper desiderare discant, & numquam in toto vitæ tempore ad comprehensionem desideriorū venire: quid aliud erit totius vitæ decursus, quam dolor mortis continuus & inanis? Verè dolor mortis, quo desideria pereunt, & eorū cadauera in viuo cordis sepulchro sepeliuntur, sicut scriptum est, *De-*

Prou. 11.12 *siderium impÿ munimentum est pessimorum:* Vel ex Hugone, *Monu-*

Hugo Car. *mentum est pessimorum.* Desideria enim vix nata, desinunt esse: surgunt, & cadunt: oriuntur, & pereunt: & sunt, quasi non essent, ex vtero translata ad tumulum. Desiderium autem iustorum de pænitentię, vel caritatis vulua eductum, & excipitur genibus, & lactatur vberibus, & ad perfectum producitur, dum opere impletur.

CIRCVLVS III.

Folia verborum fructibus sunt coronanda.

5 Mirum nō fuit, quod iustus Iudex ficum arefecit, in quo folia tantum, non fructus reperit, damnare enim voluit eos, qui verborum folijs operum fructum non addunt. Sic Author operis imperfecti obseruabat in ficu, in qua nihil, nisi folia inuenta sunt, præfiguratos esse eos, in quibus sola verba seria & religiosa reperiū-

tur, de quibus Bernardus, *Praclara verba, sed verba, ac sola voces, ad Dominum non sufficiunt, nisi accedāt & opera.* Verba autem quæ in futurum promittūt opera cùm nesciāt quid futura afferat dies, vana sunt, nec in illis fides habenda. Bernardus epist. 7.

6 Hinc Salomon de forti muliere, sic dicebat, *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Mira equidem laus! Vbi enim fortis, vel hastam vibrat, vel gladium impugnat: quis poterat ad fortitudinem exprimendam colores reperire magis infimos, & oppositos magis, quam apprehensionem non coli, sed fusi? sed certè non poterat aptius colorari. In colo, vt experiētia nos docet, mulieres vel informem inuoluūt lanam, vel linum continent non filatum: infuso autem elaborata inuoluuntur siue lanæ, siue lini intorta fila, transeunte lino, vel lana a colo, quod in sinistra est positum, ad fusum iam in dextera collocatum: eadem forma & anima, non in desiderijs & verbis de futuro bono, sed in desiderijs impletis, & in operum filis in fuso intortis ita fidere debet, vt in porta mortis, de ea dici possit, Digiti illius apprehenderūt fusum: Vel ex Septuaginta, *Manus suas firmat ad fusum:* vt à sinistra terræ, vbi erat colum: transitus fiat ad dexteram cæli. Augustini totū est, qui ita inquit, *In fuso lanificium signat, in lanificio bonum opus. Diligenter tamen attende, in lanificio duo instrumenta, colum, & fusum: in colo quædam lana inuoluta est, qua filo ducenda transeat in fusum. Quod colo inuolutum est, adhuc in finistra est, & nondum in fuso est: quod in fuso collocatum est, iam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso sit, & non in colo: in colo.n. est, quod facturus es: in fuso, quod fecisti. Vide ergo si habes aliquid in fuso, ibi enim firmātur brachia, ibi erit fortis constantia sua, ibi securus Deo dices, Da, quia dedi: dimitte, quia dimisi: fac, quia feci.* Prou. 31.19 Septuag. Augu. serm. 217. de tempore.

CAELI DAVIDICI
VERSIO XLVII.
Ex Arabico.

Et folia eius non labentur: & ex R.Dauid, & Felice, Non cadent.

CIRCVLVS I.

Folijs humiliatis operiri debent operum fructus.

1 SIcut ex his quæ Pierius refert naturæ Zelotypæ dignoſcitur ars, qua proprios conſeruat partus, dum, *Arborum fructus per folia velatur, & tegitur:* Ita ex his, quæ docet Euthymius, gratiæ omnium bonorum genitricis, obſeruatur cura, qua illa tuetur folijs humilitatis, nam in folijs humilitas figuratur, quæ virtutũ fructus protegit, dum abſcondit: ſic enim ipſe fatur, *Fructum, ipſas nempe virtutes opportuno ferens tempore, folia non dimittet, hoc eſt, humilitatem non deponet, qua virtutes omnes, non ſecus, ac proprios fructus protegit.*

Pier. Valer. lib. 13. cap. de Ficu.

Euthym. in Pſal. 1.

2 Differunt autem nimis à folijs folia, vbi enim ficorũ frondes fructibus pro basi ſternunrur, aliorum pro epyſtilio ſtatuuntur: vnde harum arborum folia fructus cęlo velant, & terræ reuelant: fici autẽ fructus à foliorum basi, terræ occultantur, manifeſtantur cælo. Eodem modo fructus operum ſuperborum & hypochritarum à cæleſtibus oculis abſconduntur, & terreſtribus tantum noti redduntur, ipſi enim, Omnia opera ſua faciũt, vt videantur ab hominibus: & ab hominibus petentes coronam, recipiunt mercedem ſuam, quæ marceſcit cum ipſis. Humilis autem, folium habens pro baſi, fructus oculis humanis operit, aperit diuinis, nam Deus vt Chryſologus demonſtrat, *Miſericordiam coram ſe ſolum vult fieri, qui ſolus eſt miſericordia remunerator, & teſtis*. Id autem, quod ipſe de ſolo fructu miſericordię dicit, Antiochus de omnibus ſic docet, *Nam opera omnia humilitatis manifeſta ſunt, & conſpicua oculis Dei: Sapiens enim dicit, Quãto maior es, humilia te ipſum, & inuenies gratiam coram Deo.*

Chryſolog. ſer. 9. in il lud Matth. Attendite, &c.

Antiochus hom. 70. de modeſtia animi ſiue humilitate.

3 Sed opponit Chryſologus incarnatæ Veritatis verba verbis, sẽtentiam ſententiæ, præcepta præceptis, hinc enim præcipit, *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis:* & inde iufferat, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona*. Bone Deus! Quomodo poſſunt opera, & fieri coram hominibus, & ab hominibus non videri? Et vt clarius dicam cum Archiepiſcopo Rauenatenſi, *Quomodo iuſtitiam vult celare, cuius opera vult ſic elucere?* Sed diſtinguenda eſt iuſtitia à iuſtitia, quæ ex Deo eſt: ab ea, quæ ex homine eſt, & hypocriſis eſt. Illa lux eſt, & mutuato à Deo lumine, ſplendet: iſta lucẽ mentitur, & tenebris obducitur. Illa oculis Dei dũ patet, oculis hominum nõ latet: iſta latens Deo, & hominibus patens, oculos decipit, videntibus illudit. Coloret aureus ſtylus, quod plumbeus adumbrauit, ſic enim ait, *Præcepto cæleſtis vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, ſubmouere inanem gloriam: ſic iu-*

Matt. 6. 1.

Matt. 5. 15.

Chryſolog. ibid.

Idem ibid.

ſtitiam

ſtitiam vult celare. Iuſtitia, quæ per ſe ſibi abundat ad gloriam, ſpectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit, à Deo gentia cælum ſpectat, in oculis agit diuinis, ſupernis virtutibus mixta ſemper, à Deo ſolo, vt glorificetur, expectat. Sed hæc iuſtitia, quæ eſt hypocriſis, iuſtitia non eſt, mentitur oculis, fallit aſpectum, videntibus illudit, decipit audientes, ſeducit tribus, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit ſæculo, Deo nō fit, mercedem rapit præſentem, premiū non quærit in futuro, excæcat oculos, cæca ipſa non videns, vult videri propter quam cæcitatem Christus præſentis ſic inchoat in præcepto, Attendite. Hoc eſt, ne geſtiatis attendi. Ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Quare? Ne videamini ab eis. Et ſi viſi fueritis: quid? Mercedem nō habetis apud patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Sic, ſic, qui folijs humilitatis fructum iuſtitiæ non protegit, fructus mercedem perdit dum

Idem ibid.

pandit, *Iuſtitia enim, quæ ſe humanis oculis locata, diuini patris non poteſt expectare mercedem: voluit videri, & viſa eſt: voluit hominibus placere, & placuit: habet mercedem quam voluit: premium quod habere noluit, non habebit.*

4 Mira humilitatis virtus, quæ folia addens fructui boni operis, alatum fructum reddit, & transfert in cælum: & quanto iuſtum, atque beatum magis velat, ac celat: tanto magis reddit volantem, & altiuolum, Talem effectum ſublimem, admirandum, ac rarum ex humilitatis virtute ſurgentem, loco prodigij nobis demonſtrat Antiochus, *Modeſtia animi ſe ſe vltrò dimittentis, ſiue humilitas hominem altiuolum efficit, & aeriuagum: quanto enim quis ſe infra deijcit: tanto hunc ſublimius ſubuehit Deus, & alleuat.* Oppoſitū ſuperbo altiuolo accidere ſtatutum eſt, nam qui alas ſumit, plantas amittit, & *Qui ſe exaltat, humiliabitur:* Scriptum eſt enim, *Deiecisti eos dū eleuarentur.* Vbi ad nouum ſpectaculum, & ad prodigium inauditū ſpectandum, his te verbis inuitat

Antioch. homil. 70. de modeſtia animi, ſiue humilitate.

Luc. 18. 14.
Pſal. 72. 18.

Caſſiodorus, *Perpende, quod ipſum tempus eleuationis ſignificat, quod ruina: non enim dixit, Poſtquam eleuati ſunt: ſed, dum eleuarentur, quorum erigi cadere eſt, & ſubleuari demerſio.*

Caſſiod. hic.

CIRCVLVS II.

Homo, ſi ſuperbus, vt folium eleuatur, cadit: ſi humilis cadit, ſubleuatur.

5 MAxima cernitur differentia inter commune plantarum folium, quod à vento raptū & venti pennis alatum, altiuolum redditur, per aeris ſublimia breui momēto fertur, ac demum vel in terra deijcitur, vel detrahitur in profundum: & inter folium arboris illius, iuxta mirabilem fontem viuum plantatum, de quo pluries verba fecimus, quod à planta cadens, & naturalem matrem in adoptiuam commutans, in aquæ gremio fotum, talem parturit fætum, vt cor inde trahat, cordi addantur mēbra, membra induantur plumis. plumis adijciantur alæ, alæ armentur pennis, & pennarum vel nauigio, vel auis faſtigio ornatus, & ſpiritu repletus, aquam deſerat, ima linquat, derelinquat terrā, aliger alta petat, conſcendatque in cælum. Idem diſcerno, ſi rectè cerno, inter ſuperbum & humilē clarum diſcrimen, vterque enim ex Iob ſentētia, folio comparatur, *Contra folium, quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam,* & ex Gregorij Decreto, *Quid eſt homo niſi folium, qui in paradiſo ab arbore cecidit?* In hoc ergo pares omnes homines æſtimantur, omnes folijs cōparantur.

Iob. 13. 25.
Greg. Papa lib. 14. mor. cap. 22. vol. 23. & 24.

6 Apparet autem in paribus ea diſparitas, quòd ſuperbus ambitionis flatibus eleuatus, alta primùm petit, & fertur ad ſuperos, ſed vt inde lapſu grauiore ruat, ſicut idem Pontifex ſubdit, *Aliquando hunc ſuperbia eleuat, aliquando inordina-*

Idem ibid.

tus timor in infimis deponit, quia ergo tot tētationum flatibus leuatur, & ducitur retrò, folio homo comparatur, vnde bene quoque per Isaiam dicitur, Cecidimus quasi folium vniuersi. Hinc & nos cum Psalmista atque cum Cassiodoro repetere possumus, Deiecisti eos, dum alleuarentur: quorum erigi, cadere est, & subleuare submersio. Ast humilis, folium est, cuius cadere erigi, & submersio subleuatio est: humilitas enim, ceù fons admirabilis naturæ, eum, qui in suis aquis voluntariè mergitur, non immergit, sed cor implet amoris spiritu, membra adijcit donorum, plumis exornat gratiarum, alis flammeis armat caritatis, à terra eleuat, altiuolum reddit, alta petere facit, in cælo reponit, collocat super astra, eaque cum illo mirabilia operatur, quæ iam cum Antiocho prædiximus, *Modestia animi se se vltro demittentis, siue humilitas, hominem altiuolum efficit, & aeriuagum, quātò enim quis se infra deijcit, tantò hunc sublimius subuehit Deus, atque alleuat.*

Antiochus ibidem.

17 Ad hoc probandum aduocemus Decretum Dauidis regis, *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.* Quid dicis, ò Rex? Si humiliter de te cor tuum sentit, quomodo tu ipse animam tuam exaltas? Et si animam tuam exaltas? quomodo humiliter cor tuum de te sentit? Nonne vides à te per verba sequentia destrui præcedentia, ac pugnantia necti? Dubium non est nouum, nec meum, sed illud multò ante sic proposuit Zeno. *Videamus nè forte Propheta ipse se impugnet exaltando animam suam, qui cor suum se non exaltasse gloriatur.* Sic autem & ipse acutè nodum dissoluit, *Non sibi repugnat, sed ostēdit animæ esse sublimitatem, superiora vicisse: quia qui se exaltauerit, humiliatur: & qui se humiliauerit, exaltatur: animæ enim depressio cor elatum est, & cor cohibitum promotio est animæ* Vnde idem, & anima humilis, & abscondita asserere potest, quod aqua intra cæcos fontis mea-

Psal. 130. 2.

Zeno Epis. Veron. in serm. 1. sup. psal. 130. de Humilitate.

tus primò celata, atque cohibita, & postea clarè apparens, & sonora erumpens, asserere solet, *Cohibita surgo*: Nam cor cohibitum promotio est animæ.

Emblema. 5

8 Quod theoricè dictum est de superbo & humili, idem Episcopus totum in Pharisæo, ac Publicano sic practicè demonstrat, *Huius rei testes sunt nobis duo homines propheticum carmen suis actibus exponentes, Pharisæus, & Publicanus, Dei stantes in templo.* Vultis folium superbiæ impetu, & flatibus ambitionis elatum? *Pharisæus insultè manus tendit in cælum, quæ cædis sæpè, sæpe ministra sunt rapinarum.* Optatis conspicere alta petentem, & nutibus, & verbis, quasi ventorum flatibus se eleuantem? *Oculos impudenter extollit, quorum lenocinio mūdus in flore est, intonat lingua, carit quæ numquam veneno serpentis, & quod est omni maius insania, Deo se laudet.* Desideratis, vti & desiderare debetis, in obiectum iucundius oculos dirigere, & confortare? En idem, Publicanum vobis proponit, qui in humili fonte aliger effectus, totus cælestis euasit, altaque petiit, *Publicanus autem nō membratim Deum, sed totus exorat, quia timore totus est humilis, postulatque tantum veniam delictorum taciturnitate, non voce.* Et ecce diuersorum motuum, diuersi dātur & termini, depressionis illius, istius eleuationis. *Et qui totum sibi ipsi promiserat, inanis: qui nihil præsumpsit, iustificatus de templo discessit.* Et iure, nam iste iustitiam suam humilis tacuit: ille sibi immisericors, misericordias in alios, ac decimas contra cæli præceptum, tuba cæcinit, & ex Chrysologi sentētia, *Benè tuba, quia talis eleemosina hostilis est, non ciuilis: non misericordiæ dedita, sed clamori: seditionis vernula, non alumna pietatis: ostentationis nundinatio, non commercium caritatis. Eleemosynam quisquis ostentat, insultat.*

Idem ibid.

Chrysolog. serm. 9. in illud Matt. Attendite, &c.

9 Sed omisso Pharisæo, ad Publicanum reuertamur, qui iure optimo repetere cum Psalmista potest, *Domine non est exaltatum*

Ps. 130. 1.

cor meum, neque elati sunt oculi mei. Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Vbi de nouo inquiritur à Zenone, *Quæ Prophetæ ista diuersitas? Non exaltat cor, exaltat animam. Non in magnis, & mirabilibus super se ambulat sed nõ humiliter sentit: excelsus animo est, & corde submissus.* Miraris hoc? Nescis cor esse illud, de quo exeũt cogitationes malæ? Non ergo hoc exaltetur: anima verò per humilitatis virtutem iustificata, ritè exaltari potest, & eleuari. Cõcludit ergo idem Episcopus, *Anima eius est in excelsis: corde autem, ex quo exeũt cogitationes mala, humilis est, suaui illo mansuetudinis iugo subditus est. Tenendus ergo humilitatis, & altitudinis modus est, vt corde humiles, sensu autem, & animo simus excelsi.*

Zeno ser. 2. de ps. 130.

Idem ibid.

10 Sponsa non videtur verisimilibus coloribus depingere Sponsum, dum ei aurea in pedibus format vel radices, vel bases, marmoreas figurat vel columnas, vel truncum in cruribus: & postmodum in comis nigros colorat vel abietũ, vel palmarum ramos, ita canens, *Coma eius sicut elata palmarum, vel abietes nigra: crura illius columnæ marmoreę, quę fundata sunt super bases aureas.* Numquid ex auro & marmore colliguntur palmæ. Sed certè mirabilem docet virtutem, mirũ mysterium edocet: quod colligere ex parte à Luca Abbate, qui in cruribus basis humilitatem agnoscit, ita dicens, *Crura tanti corporis illius mihi videntur intelligi, qui se humiliando, tanta efficiuntur fortitudinis, vt omnia membra subleant capitis. Et super bases aureas fundata laudantur, nempe Abel, Seth, Enoch, eorumque consimiles, qui verè per bonum naturę, aurea: propter humilitatem stabilem bases intelliguntur:* Ex parte a Paulino dicẽte, *Quod abietes nigra, & bona sunt, qui in Ecclesia, hoc est Dei monte, verticibus meritorum eminent, vt abietes in suis montibus:* Et partim ex Richardo, *Quòd electi nigri asseruntur, vt Corui, ob id, quòd pro humilitate se fatentur peccatores, scientes in hac humilitate pretiosum Christi thesaurum latere.* Palmis autem assimilãtur ob victoriam sublimem, quam reportant: ob gloriosam coronam, quam obtinent: & ob opima spolia, quæ per humilitatem congregant, & conseruant. Nam ex Hildephonsi sententia, *Si quis sine humilitate virtutes congregat, quasi qui in vento puluerem portat: ita non superbit, sed crescit ex dono deuotionis obsequium, & humilitatis priuilegium augetur in omnibus.*

Cant. 5. 11. Paulinus epist. 4.

Lucas Abb. in summariola ex Aponio in cant. canticorum.

Paulin. in epist. 4.

Richard. de S. Vict. in c. 5. Cantic.

Hildephõs. Archiep. Tolet. ser. 3. de Assump. B. Mariæ.

CIRCVLVS III.

Qui folia humilitatis conseruant, seruant & Coronam, qui emittunt amittunt.

11 Illam videor mihi videre differentiam inter inuersas plãtas, quam admiratur naturæ Mystes inter rectas: & sicut iste asserit, *Arborum, aliis decidunt folia, alta semptterna coma virent:* Itidem ipse statuam, inuersas plantas, quibus humilitatis decidunt folia, corona gloriæ destitui, & sic orbari, vt possint threnum repetere plangentis Prophetæ, *Væ nobis, quia peccauimus, cecidit corona capitis nostri.* Quæ autem sunt humiles, & sempiterna in terra coma virent, eadẽ & sempiterna in cælo corona splẽdent. Hinc est, quòd ipsamet Virgo ob humilitatis comam perpetuam asseruatam in terra, gloriæ coronã obtinuit in cælo, vt Hildephonsus asserebat & benè, *Magna promeruit premia æterna remunerationis, quia multum se humiliauit inter immensa dona, inter diuinitatis commercia, vnde à Domino multum exaltatur gloriosa.* Sed si fructus immensi erant ob immensa dona: vbi poterant reperiri folia humilitatis, quæ talia dona, ac fructus possẽt & custodire, & operire? Vtique ex fructibus folium potes metiri, & sicut fructus donorum atque virtutum erãt immensi, immensum erat & folium humilitatis, vnde ait, *Humilitas custos reliquarum*

Plin. lib. 16. cap. 19.

Thren. 5. 16

Hildephõs. serm. 3. in Assumpt. B. Mariæ.

Idem Hildeph. ibid.

vir-

virtutum est: ideò venerabilis Virgo, quia virtutes multas sibi aggregauerat, custodem earum humilitatem in animo ferebat. Nouerat enim, quia humilitas Deo semper placet, & ideo nihil altum de se sapit, nihil præsumit, sed tota humilis ad Deum intendit, cui totum deputat, quod est, & audit. Notandum verbum, *Tota humilis:* quia, sicut tota erat gratiæ donis, ac virtutibus plena: ita erat & tota humilis, atque hoc maximo folio, tota vndique custodita, & operta.

12 O salutare consilium Iusti, qui dum humilitatis folijs virtutũ fructus tegit, Dominum virtutum habet, qui illos protegit, nam qui adiutor fuit in operando, adiutorium etiam præstat in tuendo. Hãc regulã Psaltes proponit, hoc adiutorium humili promittit, dum ita canit, *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Vbi tenerè eum monet Bernardus, qui maiora à Deo recepit, vt maiori humilitate, & maiori timore studeat promereri, vt qui fuit largitor, sit & adiutor: & qui dona concessit, dona conseruet, ait enim, *Tantò amplius timere Deum, & magis sollicitus esse debuerit, quanto maiora eius munera iam percepit. Neque enim, quæ habemus ab eo, seruare, aut tenere possumus sine eo.* Psal. 90. 1. Bern. ser. 1. in Psal. Qui habitat.

13 Homines prædestinati, & Angelis debent esse similes, & Christo conformes, vnde Paulus, *Quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri imaginis Filij sui.* Sed in quo signo à reprobis dignoscẽtur electi? Non alio quidem, nisi humilitate. Bernardus exponens verba, *Hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positũ in præsepio:* quærit, cur tantum humilitatis signum ab Angelo commendatur? Ad quod respondet, Quia proprium signum est Angelicum, signum diuinum, ait enim, *Quid est, quod sola ab Angelis commendari videtur humilitas? Fortè specialius commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus ceteris per superbiam, ipse in humilitate stetit.* Aut certè, cælitus annunciatur humilitas, quia hæc, quasi propria virtutis diuinæ exhibenda sit Maiestati: & hanc notam sibi impressam afferebat Paulus, dicens, *Libẽter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Vbi in speciali virtute Christi, Christi humilitatem describit, quæ omnes complectitur virtutes: vnde Lyranus, *Vt per hoc particeps fiat virtutum Christi, & conformior sibi.* Virtus enim humilitatis homines illi conformat, & signat figura & charactere Dei. O miram humilis gloriam! O gloriosam humilitatis virtutem! Ad Rom. 8. 29. Luc. 2. 12. Bern. ser 4. in Nat. Domini. 2. Cor. 12. 9 Lyran. hic.

14 Hos nobis characteres Theodoretus demonstrans, dicebat, *Volens Opifex deletam renouare imaginem, tota suscepta natura, prioribus multò meliores characteres effinxit.* Quæres quinam characteres isti sint, & quænam noua sit figura, quam sumpsit? En ipsemet repetit, *Diximus à Deo Verbo susceptam perfectam serui formam:* vt videlicet à serui effigie, humilitate, ac demissione, deperditi diuinæ imaginis characteres denuò effingerentur. Nec mirum si ex hac imagine ac nota cognoscitur adoptatus, cùm ex eadem cognitus sit & natus. Vide illum in Iordane cum summa humilitate baptismum à Ioanne poscentem, & audi illum dicentem Patri, *Domine probasti me, & cognouisti me:* nam, ex Hilarij sensu, *Humilitas eius probatio est. Probationem mox consecuta cognitio est, ait enim Euangelista, Et ecce vox de cælo dicens ad eum, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quis ergo audebit, absque probatione humilitatis à Deo cognosci, in filiorum numero signari, hereditatemque paternam expetere, vel expectare? Si verum statutum est, *Quòd Principi placuit, legis habet vigorem:* ò quàm clarè cernitur inter terrenorum regum, ac cælestis Regis legis differentia! Illi magnorum principium, iste humiliũ exaltator est. Aduocetur ad hoc idem Episcopus Pictauensis, *Alia sunt sæculi leges, alia Dei munera, Diabolus suum esse sæculum gloria-* Theodoret. dial. 8. Idem ibid. Psal. 138. 1 Hilarius in com. ps. 13: §. sed & g instit. de iure gentium & ciuili. Hil. in com sup. ps. 118

tur: cum Domino terreni honoris honoris despectus, cælorum regnum est: cum Domino humilitas cordis generosa & regia natiuitatis ortus est. Dabantur ciues Romani tales nati, dabantur & qui pretio ciues erāt conscripti, vnde Tribuno dicenti, *Ego multa summa ciuilitatem hanc consecutus sum*: Paulus respondit, *Ego & natus sum.* Sic vnus tantum datur cælorum Rex natus, & talis est Christus: at Angeli, & homines multa summa cælum consequi debent, summa autem hæc humilitas est, nam ex Hildephonso, *Mortales humilitatem discere iubet, qui in cælis, vbi immortalis regnat, inter Angelos humilia requirit.*

Act. 22. 28.

Hildephōs. serm. 3. de Assumpt. B. Mariæ.

CAELI DAVIDICI VERSIO XLVIII.

Ex Suadeno.

Et folium eius non marcescet: vel ex Caietano, Non arescet.

CIRCVLVS I.

Folia virtutum, si fidei non habent humorem, non habent fructum, marcescunt, & arescunt.

1 Etsi Plinius improbet opinionem asserentium, *Folia non decidere his, quorum succus pinguior sit*: attamen, quod ipse improbat in philosophia naturali, in Theologia morali verissimum asseram. In folijs vult Ambrosius adumbrari virtutes, & virtutes sine fidei nutrimento arescere docet, docet & marcescere: vtpotè, radicem non habentes, & vento vanæ gloriæ patentes, quod in Philosophis accidere demonstrans, ait, *Virtutes sine fide, folia sunt: videntur virere, sed prodesse non possunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentū. Quanti Gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem, sed fructū non habent? Labuntur citò folia, vbi ventus flauerit.* Et certè, quid aliud flabat, quam ventus ambitiosi affectus, & superbi defectus circa folia virtutum ipsorum, qui de solo applausu gloriabantur foliorum, dum fidem non habentes, quæ est sperandarum substantia rerum, recipiebant à mortalibus mercedem suam, pecuniamque suā, quæ erat in eis in perditionem: vbi illa fidelibus est patrimonium æternum? Nam ex eodem Ambrosio, *Fides multò pretiosior quàm pecunia est, Fides enim æternum patrimonium est, pecunia temporale.* Et iure patrimonium dicitur, quia per merita Patris futuri sæculi adoptatis in filios à Patre luminum, iuxta Apostolum, datur, & dicitur, *Vobis datum est pro Christo, vt in eum credatis.*

Plin. lib. 16. cap. 22.

Ambros. in enarr. super psal. 1.

Ambros lib. 1. de sacrament. cap. 2.

Ad Philip. c. 29.

2 Hinc argumentatur Saluianus fidelium beatitudinem, qui ex bonis arborum fructibus, & præsentē habēt & futurā: vbi Gentiles putant se fore beatos ex virtutum fructibus, vnde omnia contemnebant, sustinebant omnia, sic enim fatur, *Graci quidam sapientiæ sectatores*

Saluian. lib.

1. de guber. Dei.

tores propè omni rei familiaris vsu assequenda gloria auiditate nudauerunt. Nec solum hoc, sed vsque ad contemptum doloris & mortis, doctrina sua cultumececsserunt, dicentes etiam in catenis, & supplicijs beatum esse sapientem. Tantam virtutis vim esse voluerunt, vt non possit vnquā vir bonus non esse beatus: quanto magis religiosi, ac sancti viri miseri non putandi sunt, qui & praesentis fidei oblectamenta capiunt, & beatitudinis futurę premia consequentur? Hoc autem virtutis premio infideles priuantur, qui à captiuitate per fidem non redimuntur.

3 Pro captiuis à barbaris detentis atque turbatis mittitur pretium redemptionis, vt libertate donati, exultent in bonis: & pro homine, qui captiuus nascitur sub diaboli potestate, non aliud pretium reperitur, nisi fides, nam ex eodem Archiepiscopo Mediolanensi, *Redēptio animæ fides. Fides drachma* Hęc autē nō ab alio expectanda est, nec expetenda, nisi ab anima, quæ instar Euāgelicæ mulieris lucernam mentis accendit, gratiæ oleum spiritale infundit, eam quærit, eaquè inuenta lætatur, habet enim virtutum nutrimentum, ne folia arescant. Vnde & idem Doctor sic te hortatur, *Istam lucernam accende, qua accipit oleum spiritale, quære drachmam, redemptionem animæ tuæ, quā qui amiserit, turbatur: qui inuenerit, exultat.*

Ambros. li. 1. epistol. epist. 1.

Idem ibid.

4 Quid prodest homini pulchra facies, vultus decorus, & suauis vox, si incuruus renibus, in terram pronus, ac oculis, & corpore deorsum defixus, nec cęlum potest ipse aspicere, nec aspici à cælo? Et quæ in Gētili vtilitas, si pulchro decoratus sit vultu, virtutum habeat ornamenta, eleganter loquatur de fine bonorum, vitia fugiat, & honestam vitam ducat: vbi per infidelitatem incuruus, & fidei nō habēs humorem, nec Cæli Conditorem videat, nec videatur ab illo, nec illi sit notus, nec premia expectet ab eo? Nihil per omnem modum. Non est meum inuentum, sed Aponij documētum, sic enim philosophatur, *Fit plerumque, vt ad misericordiam promptus sit quis, paratus visitare infirmos, requirere in carcere clausos, & omni verbo excolere: fidem autem Christi si non tenuerit in Trinitate, velut toto corpore pulcher, sed incuruus est renibus, qui non possit in sublime extollere caput, & videre quomodo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres Personæ sub vno vocabulo Verbi, in vnius potentia Deitatis consistit, dū in die Iudicij, tamquam incuruis, terraque vultu coherentibus, quorum vox quidem audietur, sed facies non videbitur, dicentibus, Domine Domine: dicetur eis, Nescio vos.*

Aponius li. 1. com. in Cant. Cant.

5 Sed qui fieri potest, vt Creator omnia sciens, creaturas nesciat? Scit quidem, & nescit: nescit tortuosum cor, quia nō approbat: scit autem, vt iustè puniat. Audiat & ipsi eumdem Aponium, *Non igitur ignorat quos ipse creauit, sed propria voluntate, quam ad se diligendum indidit per naturam, deprauatum cor à sua notitia vocat. Quisquis enim sic confitetur potentiam Trinitatis, vt gradus vel tempora ponat, tortuoso confiteri probatur corde, & non sequitur confitendo eā, cui dixit Propheta, Confitebor tibi in directione cordis. Quid tam rectum, & tam placitum Deo, nisi vt nigredinem peccatorum suorum ipse pronunciet humiliando se iustus & pulchritudinem fidei non abscondat?* Hanc ergo, qui non habet, folia virtutum frustra habet, marcescūt enim, & arescunt non habentes fidei humorem, quæ comam alāt, fructus protegant, præparentque coronā, quia sine fide impossibile est placere Deo. Ad quod Carpathiorum Episcopi sententiam adduco, *In vnitate fidei sponso placere possumus, aliter non possumus.*

Idem Apo. ibid.

Philo Car in interpre Cant. Can

6 Sicut enim oues errantes, luporum moribus patent, pascua non inueniunt, mortisque sunt ludus, & subsistere minimè posūt: Ita anima absque fide, ac diuina protectione. Vnde & dicebat, quæ talem sortita, ex gratia, fuerat Pastorem, *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in*

Cant. 1. 6.

meridie, ne forte euagari incipiam post greges sodalium tuorum. Vbi Aponius id colorat, quod ipse adumbraui, *Sicut ouis sine pastore, & sine bono pastore subsistere minime possunt: Ita docuit præsenti loco, animam sine notitia recta fidei, & sine adiutorio diuina protectionis, nec vitam æternam adipisci, nec à diaboli morsibus liberari. Hæc pascua sponsa desiderat, qua in incarnatione ostensa sunt, vbi credentium animæ pascuntur floribus, vernante campo Euangelica doctrina.* At Gentiles, & Hęreticos, qui mortui sunt, non habentes fidem, mors depascit, & de priori morte ad secundam eos trahit. Sic idem concludit, *Non vt ouis, qua vocem Dei audiat: sed velut capra oberrans, vestigia peruersorũ gregum sequendo, efficitur, quomodo qui veritatem in mendacium vertit; & iuxta tabernacula dæmonum venenosis assertionũ flosculis pascitur*. Vnde in eis implebitur Adagium, *Ignorans ignorabitur*; nam animæ cõminatur, vt idem asserit, *Si ignoras te, abi post greges in quibus non agni generantur, sed hædi, quos anima ad omne decus creata pascere dicitur, si ignorauerit se. Certum est enim per Christi doctrinam, in qua verus creditur Deus verusque homo, agnos generari ad dexteram in die iudicij collocandos, & ad sinistrã reprobos gehennæ ignibus deputandos*.

Aponius li. 2. in Cantic. Canticor.

Idem ibid.

Adagium.

Idem ibid.

7 Icarus ille, vt Poetæ fabulantur, alas sũpsit, & cereo in humeris glutino illas addidit, sed alta petẽs, fluente cera, ex aere in aquam defluxit: at Aquila, quæ naturales habet alas, & in cælum tuta ascendit, & in infernum libera descendit, & ad extrema secura defertur maris. Idem discrimen cernitur inter Hæreticos, & Catholicos. Illi alas fidei superbi amittunt: isti his alis armati atque exornati repetũt cum Propheta, *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas in directum*: sic legit Gaudentius Brixianus, & sic exquirit, *Qualiter Propheta in corpore cõstitutus, vel in cælum ascensurus erat, vel in infernum descensurus? Quas tandem, quas habet pennas? Alas fidei mens credentis assumit, vt sublimiora terrenis, vt totus spiritus constitutus, possit comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, & altitudo, & latitudo, & profundum scientiæ Dei. Istas fidei alas hæretici non habentes, de eo disputant, & per terrena voluuntur, & a sublimitate diuini intellectus, ad caduca, & carnalia deuoluuntur, cogitationum terrestrium pondere grauati. Nec ad notitiam possunt illius immensa diuinitatis accedere, vbi non nisi mens fidelis habet accessum.*

Psal. 138. 8.

Gaud. Brix. Ep. ad Neophyt. tra. 14.

CIRCVLVS II.

Folia virtutũ marcescunt, & arescunt, si eas amoris humor non nutrit.

8 AMoris nutrimẽtum sic necessarium esse fidei, vt virtutũ flores germinet, operumque fructus producat, sicut aqua necessaria est plantæ, vt fructificet, & florescat, clarè demonstratur à Paulo, ità scribente *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per caritatem operatur*: & declaratur ab Archiepiscopo Cantuariẽsi, *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est: nec fides veteris testamenti seruiẽs ex timore, sed fides Euangelica faciẽs ex caritate opera bona, non expectãs temporalem retributionem, sed videndam perpetuo Creatoris faciem. Hæc est fides electorum, quæ perducit ad salutem. Nam & dæmones credunt, & contremiscunt, non tamen diligunt, nec bene operantur. Et ideò fides, quæ non habet caritatem & opera bona fides dæmonum est, non Christianorum*.

Ad Gal. 5. 6

Anselm. hic

9 Nec immerito arbor hæc fructu fæcunda, & floribus ornata secus decursus aquarum plantata dicitur: aqua enim caritatis adeò fæcunda, lucida, & efficax est, vt

numquam patiatur virtutum frõdes, vel marcescere, vel arescere. Nam ex Arnoldo, *Nullis passionũ ardoribus fons iste siccatur, nullis pressuris caritas exhauritur.* Quod si ita est, vti & est, cur sponsa, dum conquerebatur, *Amore langueo*, in remedium languoris etiam flores expetebat, & mala? Respondet Iustus Orgelitanus, *Quòd languor non est morbi, sed ineffabilis desiderÿ, & felices sunt illi, qui tali profectu proficiunt, quodammodo enim, qui multum desiderat, languescit, & deficit, donec optata, vel quæsita reperiat.* Hinc flores petit & mala, fructus scilicet ex fide nascentes, flores desideriorum caritatis fructum producentes, & folia humilitatis fructum tegentes. Inde præ-dixerat, *Ordinauit in me caritatem*: Ordo nimirũ est, vt fides pro fundamento sit vel radice, caritas pro trunco cum duplici ramo amoris Dei & proximi, flores pro desiderijs & affectibus, fructus pro operibus, & frõdes pro virtutum omnium custodibus.

Arnald. in trac. de Verbo illo Chri sti in Cruce Sitio.

Cant. 2. 5.

Iustus Orgelitanus in mystica explic. cap. 2. Cãtic. Cãt.

Cant. 2. 3.

10 Et certe, quid prodest si semen fidei, vel credulitatis radicem in corde femines, & in mente plantes, non tamen illud irriges, neque hanc ita colas & nutrias, vt hinc & inde surgat culmen, culmen fæcũdetur floribus, & flores fructus parturiant? Bone Deus! Et quę fidei vtilitas si & mortua iacet, & caritate orbata marcescens, arescet? Aduocetur ad hoc Esaias Abbas, dicens, *Agricola, qui semen suum iacit, nisi germinet, quæritur, quod sumptum suum, & opera amiserit: sic & homo, licet nouerit mysteria omnia, & omnem scientiam, nisi caritatis fructus aspiciat, magno affici timore debet: vndique enim oppugnatur, vt concidat: caritas vero numquam excidit, sed omnia sperat, & sustinet.* En quomodo fides media caritate sustinet fructus, floribus spei ornatur, virtutisque nullũ folium ex ea excidit, vel arescit.

Esaias Abb. orat. 23. de perf.

11 Sicut Philosophus naturam definit esse principium motus & quietis eius, in quo est: docet etiã naturam formam esse, à qua materia ex se indifferens, determinatur ad proprium motum: Sic fides materiæ locũ tenet, quæ à caritate recipit formam, cum forma vitam, & cum vita motum ad opera fide digna, sed fides caritate formata, animata, ornata, atque perfecta. Audiatur Carpathius, *Sola caritate perficiuntur omnia, Hæc vis est, & forma nostrarum actionum omnium: ab hac quidquid est, perfectum est, & salutare, sine hac, omnia vana, & noxitura.*

Arist. lib. 2. Phys.

Philo Carp. in interpr. Cantici Cãtic.

12 Quærit autem idem Philo cur Sponsus celebrans vbera Sponsę, pulchrasque depingens, non alibi penicillum intingit, quàm in vini colore? Quæ enim conuentio pulchritudinis mammillarum, cũ vino, vt de illis dicat, *Quàm pulchra sunt vbera tua a vino?* Respondet, & optime per vbera duo amoris præcepta figurari: & per vinum Christi sanguinem colorari, qui omnis amoris viuus ac verus fons est. Sic enim fatur, *Per duo vbera duo præcepta caritatis significari sæpe diximus. Sed considerandum nobis est, quòd ea pulchra esse dicitur à vino, hoc est à sanguine Iesu Christi, prius enim ipse dilexit nos, indeque verus est amor noster omnis, & perfecta caritas in Sponsum, & proximum nostrum: inde perfecta sunt & accepta opera nostra omnia.*

Cant. 4. 10. ex Septuag.

Carpathius ibid.

13 Nec sine mysterio subdit Sponsus, *Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata*: Vbi ex eodem Philone introducitur caritas regio habitu sic induta, vt de ea dici possit, quod Nausica de Vlysse pompatice vestito canebat, *Nunc diuis similis, magnus, quos pascit Olympus*: Adagium enim est, *Vestis virum facit*: at hic altius ascendit, Deum enim facit, nam Deus caritas est. Sicut regiæ vestes tali arte sæpè formantur, vt omnibus aromatibus repletæ, omnium aromatum emittant fragrantiam, omnium suauitatem spirent, & omnium superẽt odorem: eodem modo duplicia vestimenta sponsæ ex caritate Dei & proximi composita, omnium virtutum odores emittunt, omnium virtutum su-

Cant. 4. 10.

Homer. in Odyssea.

Adagium.

spectat ad intellectum, quàm vidē-di, qui pertinet ad oculum? Et quomodo apparente in paupere, vel in egeno quicquid est, non sufficit visio, sed requiritur intelligentia, quærente Chrysologo, *Quæ est intelligētia, vbi est professa paupertas?* Id ipsum, ni fallor, in hoc euenire videtur, quod exuuium serpentis intuenti contingit, de quo Adagiū fertur, *Nudior Leberide*. Sicut enim in tali spectaculo aliud est, quod oculo exponitur, & aliud, quod intelligentia in occolto Hieroglyphico rimatur: sic in paupere, qui apertè videtur, egenus Christus occultè latens seruatur. Audiamus Chrysologum hæc manifesta, & occulta demonstrantem, sic enim ait, *Qui se intelligi in paupere sic demonstrat, quod ipse, qui tegit calos sit nudus in paupere. Beatus cuius nomē toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cælo. Sed istius beatitudinis videamus & futurum, In die mala liberabit eum Dominus*. Vbi à iusto Iudice seruatur Adagium, *Pari libra*: eum liberans à die malo, qui pauperem liberauit à malo: ei dans dies bonos, qui mendicum liberauit à diebus non bonis: & eum exaltans à portis mortis, qui pauperem eripuit à tempestate famis. Hinc Chrysologus subdit, *In die mala illi Deus liberator assistet, qui à malis pauperem liberarit. Non videt diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat*. Hinc Hieronymus asserit. *Numquam memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera caritatis exhibuit: habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri*.

Petr. Chrysol. in ser. 14 sup. Psal. 40.

Adagium.

Chrysolog. ibid.

Adagium ex Plin. lib. epist. 8.

Chrysolog. ibid.

Hieron. ad Nepotian.

18 Olim dicebatur, *Auro loquēte, nihil pollet quæuis oratio*: at nunc de nouo, aurum in pauperem vertens, dicā & ego, Paupere loquēte, oratio quæuis irrita est: sine caussa enim accusant peccata, quem pauper excusat. Sicut magna aduocatorum gloria à Cæsare celebratur-dū statuitur, *Nec solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladijs, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam aduocatos*: & sicut firma est armatura clypei à Doctore Gentium commendata, *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*: sic inuicta est diuitum tutela, dū pauperes habent aduocatos, & dū pauperes pro eis clypeos opponunt. Quamuis autem in talibus scutis Gaudentius videatur depingere Ciconiam, dicens, *Armis diaboli resistendum est vtique galea fidei, lorica continentiæ, misericordia clypeo, in quo possimus, vt ait Apostolus, Omnia iacula nequissimi candentia extinguere*. At ego in talibus clypeis aspicio Solem, Solis enim supercælestis imaginem referunt eleemosinarij super terram, stemmata diuina eleuant, & dij sunt, sic testāte Nysseno, *Si misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi vt Deus fias, tamquam insignitus propria nota diuinitatis?*

Adagium.

L. Aduocati C. de Aduoc. diuers. Iudic.

Ad Ephes. 6. 16.

Gaud. Brix. Epist. tract. 13. contra auar. Iudæ, & pauper.

Greg. Nyss. in lib. de beatitudin. orat. 5.

19 Vt tamen ad aduocatum Eleemosynarij reuertar, nedum pauper tali fungitur aduocatione, sed ipsamet eleemosyna ei patrocinatur, orat pro illo, exorat, tuetur, & obtinet pro eo, ne dum remissionem, sed pietatem: ne dum dona, sed regna: & ne dum gratiam, atque victoriam, sed & gloriam, & Coronam. Obserua quæso vtile & salutare Sapientis consilium, *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit*. Ambiges, qui potest eleemosyna oratoris munere fungi, si animam non habet, & lingua caret? Sed diximus iā aurum habere vocem, & super omnes aduocatas palmam gestare, vende ergo omnia, vt talem obtineas patronum. Ad hoc te inuitat Gaudentius, qui exponens prædicta verba Ecclesiastici, sic te hortatur, sic monet? *Vende patrimonium, & eme patrocinium, cuius interuentu, certus de impetrata venia, venturum Iudicem liber merearis aspicere*. Et benè liber, nam vbi qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli: qui pauperes ditat, qui aurū eis dat, diaboli laqueū conterit, & Iudicem liber aspicit.

Eccli. 29. 15

Gaud. ibid.

21 Sic, ſic nam eleemoſyna patrocinante, certa eſt victoria, folia enim illius argentea vel aurea fructus virtutum protegunt, & formã caritatis contegunt: vbi, è contra, qui tali non vtitur frondium protectione, timore concutitur, nam virtutũ fructibus ſpoliatur. Vtrũque definit Eſaias Abbas, *Eleemoſyna fiduciam parit, qui abhorret ab eleemoſyna, virtutis eſt expers*. Qui autem eleemoſynam ſeminat aureas metit ſegetes, aureos colligit manipulos, aureo ſemine ſacculos implet, ſacculos plenos ſignat, in cælis collocat, & Deo commẽdat, vt ſeruet. Qui ſeruabit certè depoſitum in illum diem, & quem ei fidei annulo nunc ſignatum prębes, tunc reſerabit ſignaculum, & pro fide, reddet apertam viſionem: pro auro, diuitias & gloriam domus eius: & pro vno, cẽtum. Hinc te Chryſologus, & rogat, & monet, *Rogo, crede Deo tuo, qui ſeruo credis: & magis Deo, quàm homini commenda. Sed ſi times, ne quid inde præſumat, ne quid diſpergat pietas largitoris, ſigna fidei annulo ſacculos tuos, vt tali cuſtode dormias tu ſecurus: quia vbi ille eſt, ibi locus nullus eſt furi. Non poterit tibi tuam pecuniã denegare, qui tibi omnia ſua contulit, qui te regni ſui & honore ditauit & gloria.*

Eſaias Abb. orat. 16. de gaudio animæ Deo ſeruientis.

Chryſolog. ſerm. 22. de terren. cura deſpicienda

22 Dicebat ſeruus impius pio Domino, *Metis, vbi non ſeminaſti: & colligis, vbi non ſparſiſti*. Et quidem de pio eleemoſynario, qui Domini imago eſt, verum dicebat, nam ſeminans in paupere, metit in Deo: & ſpargens in terra, congregat in cęlo: quia in paupere, nõ pauperẽ aſpicit, ſed Deum inſpicit. Aduocetur ad hoc Origenes, q ſic cauſſam definit, *Dei poſſeſſio eſt Iuſtus, qui metit, vbi non ipſe ſeminauit: & in cælo colligit vniuerſa, quæ Iuſtus diſperſit*. Nec immeritò ſic colliguntur in cælo, quæ à pio diuite in terra ſeminantur, nam hæc agens, hiſque immorans, clare demonſtrat credere ſe viſurum Deũ in terra viuentium, ibique æterno tempore victurum, quo bona illò tranſmittit, vbi qui non mittit, non credit. Huius vel promiſſionis, vel aſſertionis Chryſologum adhibeo fideiuſſorem. Is ergo expendens Zachæi verba, *Ecce dimidium bonorum meorũ, Domine, do pauperibus*, ſic fatur, *Iſte poſt mortem credidit eſſe victurum qui dimidium bonorũ ſuorum tranſmittit ad vitam, ſcilicet ille perfectus, qui totum, quod habet, illuc vbi victurus eſt ſemper, hinc præmittit: & tamen iſte virtutum ſocius, fidei particeps, qui ad Deum, vel dimidium mittit: quia homo, quod hic dimiſerit, hoc amittit*. Hinc artificiosè colligit vel corolarium vtile, vel epiphonema ſalutare, ac cedro dignum, *Et reuera, Fratres, ſicut iſte illic credit viuere, quo trãſmittit ſua: Ita ille ſe ibi non credit eſſe victurum, quod ſibi illic, quod habere debeat, non parauit*. Et verè piger hic eſt, qui non calcaribus vrgetur, nec conſilijs Salomonis dicentis, *Vade ad formicam, ò piger, & diſce ſapientiam, quæ parat in æſtate cibum*, mouetur ad parandũ ſibi cibum in cælo dum peregrinatur in terra: & ad diuitias tranſmittendas in Patriam, dum viuit & nundinatur in exilio.

Matt. 25. 24.

Orig. tract. 33. in Matt.

Matt. 19. 8.

Petr. Chryſol. ſer. 54. de Zachæo.

Idem ibid.

Prouer. 6. 6.

23 Hoc totum practicè intuere in duobus diuitibus, & pietate diuerſis, & ſitu diſtãtibus: tales enim ſunt Abraham, & Epulo, de hoc enim legitur, quòd, *Eleuans oculos, cùm eſſet in tormentis vidit Abraham à longè*. Ambiges hoc non verificari in ſolo Epulone, ſed in omnibus damnatis, omnes enim à longè vident electos, cùm ſcriptũ ſit, *Longe à peccatoribus ſalus*. Sed eſto, quod hæc diſtantia ſit communis omnibus, ſingulariter tamen hac talionis pęna multantur auari diuites & immanes, nam ea menſura, qua ſe à pauperibus elongauerunt in terra: eadem ab eis elongabuntur in tartaro. Non eſt mea inuentio, ſed Archiepiſcopi Rauennatis, qui de Epulone loquens, ita definit, *Longe illi erat Abraham, cui non fuerat proximus pauper*. Par enim pari refertur: & quantum auarus diues in carne degens, ſe elongauit à paupere: tantum & pauper in Cælo regnãs,

Luc. 16. 23.

Pſ. 118. 155.

Pet. Chryſol. ſer. 66. de Diuite, & Lazaro.

ſe

se elongabit à diuite.

24 Disce in hac schola pietatẽ, o Diues, nec permittas arescere eleemosynæ folium, ne & folium in iudicio fit contra te omni exceptione maius testimonium. In ceteris criminibus vel tres, vel duo ad minus testes requiruntur: at in tribunali misericordiæ sic sufficit testis vnus, vt etiam tenuis puluis valeat ad immitem diuitem damnandum. Non tibi appareat nouũ, nam à diuino Legifero Apostolis Matt. 10. 14 præcipitur, quicũque nõ receperint vos, exeũtes foras, excutite puluerẽ de pedib⁹ vestris. Sed cur puluis excutitur? In signũ nõ fuisse domi receptos, nec pedes lotos. Solicitus ob id apparuit Abraham hospitibus dicens, Gen. 18. 4. *Afferam paululum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore.* Sic enim de illo loquẽs Origenes dicebat, Origenes hom. 4. in Genes. *Neque illius præcepti cum pondus latebat, quo dicitur à Saluatore, Si quis non susceperit vos, etiam puluerem, qui adhæsit pedibus vestris, excutite in testimonium illis. Volebat ergo præuenire, & lauare pedes, ne quid forte pulueris resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum, possit in diem iudicij reseruari.* Notandum est atque timendum verbum. *Ad testimonium incredulitatis:* vbi enim fides tale est fundamentum, quod nulla iactura lapidum ob multiplicatos peccatorum actus, nisi actu solo, & tantum actu infidelitatis destruatur: sufficiat, vel puluis tenuis inhumanitatis in pauperem, ad probandum in iudicio inhospitalem fuisse infidelem.

25 Sed cur addidit, Genes. 18. 4. *Requiescite sub arbore!* Vel ex Septuaginta, Septuag. *Refrigerate sub arbore?* Vel cum Chaldæo, Chaldæus. *Reclinate sub arbore?* Vel cũ Pagnino, Pagninus. *Innitimini sub arbore?* Forte, hinc voluit arborem demõstrare foliorum viriditate vernantem, sub cuius vmbra suaui, dum peregrinos protegit, se ipsum defendit à frigore, tutaturque ab æstu. Talem sub eo tutelam reperit Lot è Sodomæ liberatus incendiis in premium hospitalitatis, & talẽ Origenes illum bellè describit *Missi sunt Angeli ad subuersionem Sodomorum. Cumque iniunctum superent maturare negotium, curam prius egerunt hospitis sui Lot, vt eum ab imminentis ignis incendio, contemplatione hospitalitatis eriperent.* Orig. hom. 5. in Genes. Sic adimpletum est illud, *Da misericordi:* id est, *Da ei, qui misericordiam in alios exercet. Sed quid ei dari promittitur, vel præcipitur?* Eccli. 12. 4. Quod ipse dat, sed cum fœnore, quia scriptum est, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matt. 5. 7. Et ex opposito subditur, *Impijs reddet vindictam.* Eccli. 12. 4. Talem enim se Deus præbet hominibus, quales homines Deo, cum pio misericors, cum impio vindex.

26 De speculis dixit quidam, & bene dixit, *Cuique suum:* nam sicut formosos formosos, ita & deformes ostendit deformes. O quale, o quàm exactum speculum sine macula Deus est! Ipse immutabilis in se permanens, & omnia mutans, mutari videtur iuxta exigentiam eorum, quorum imagines representat, piorum pias, non pias impiorum. Sic testante Nysseno, Emblema. Greg. Nyss. in li. de beatitud. orat. 5 *Quemadmodum artis exactæ proba, vera, certaque specula, tales vultuum ostẽdunt effigies, qualescumque ipsi vultus sint, hilares quidem alacrium, demissi autem obscuri, & inamani mærentium ac tetricorum: nec speculi naturam aliquis culpare possit, si tetra, & inamana representata fuerit effigies, principaliter forma propter mærorem collapsa: Ita iustum quoque Dei iudicium nostris affectionibus assimilatur, qualia cumque à nobis commissa fuerint, tales nobis de suo prabens retributiones. Venite, inquit, benedicti: & Ite maledicti. Et quæ necessitas externa in his est, quæ ad dexteram quidem collocatis, iucundam: ad sinistram verò stantibus, acerbam vocem attribuat? An non hi quidem, propter ea, quæ fecerunt, misericordiam consequuti sunt: illi vero, idcircò, quòd aduersus proximos & populares immites, & inhumani fuerunt, sæuum, & immite sibi ipsis diuinum Numen reddiderunt?*

27 Si quis autem velit ea, quæ Nyssenus docet apertè videre, & quasi in tabula conspicere, oculos nunc eleuet cordis, nunc deprimat obtutus mentis, inde ad Lazarum, ad Epulonem hinc, vel ad vtrumque simul, & apertè discernet, tale Diuiti speculum exhiberi à Deo, quale & Diues Lazaro se exhibuit, & negari guttas ei, qui negauerat micas: & iudicium ostēdi sine misericordia ei, qui misericordiā non fecit. Audiamus Nyssenum, *Diues ille diffluens delicijs, atque luxuria, Mendici ad vestibulum abiecti, atque afflicti misertus non est, ideircò misericordiam sibi praeidit, misericordia implorata non auditus: non quod vna gutta de magno Paradisi fonte dempta, damnosa esset, sed quia misericordia stilla commisceri, atque communicari cum inhumanitate non potest: qua enim luci communio cum tenebris est? Qualia, inquit, seminauerit homo, talia metet: quia, qui seminat in carne, metet corruptionem: at qui seminat in spiritu, ex spiritu metet vitam aeternam.* Breuius omnia concludit Chrysologus, *Quàm rerum lamētanda mutatio! Pauperem portant Angeli, diuitem deglutit infernus. Et mors pauperis totam vitam diuitis vicit.*

Nyss. ibid.

Chrysolog. ser. 121. de diuite & Lazaro.



CAELI DAVIDICI
VERSIO XLIX.
Ex Pagnino, & Tertulliano.

Folium eius non decidet.

Et ex Rodulpho.

Verbum eius non erit instabile, & irritum; sed immutabile, & firmum.

CIRCVLVS I.

Folium, seu verbum, non debet casu decidere, sed tacitè prius præmeditari, & postea proferri.

1 DAmnabat regius Propheta loquacem hominem, qui totus in folia, vel linguas conuersus, vndique verba, absque consilio, & nulla præuia meditatione emittebat, nomen proprium illi tribuens, Vir linguosus: Hebræus legit, איש לשון aisc leuiod: id est, *Vir deditus, & addictus linguæ, pronus & promptus ad loquendum*: Apollinaris, *Affluenter loquens*: Chaldæus, *Vir delator, lingua triplici*, Alij, *Vir verbosus*: Sed optimè, ex nostra Vulgata, *Vir linguosus*, Qui scilicet, quidquid est, lingua est, linguæ sunt comæ, linguæ aures, linguæ nares, linguæ manus, linguæ pedes, linguæ membra, linguæ labia, linguæ lingua, loquitur enim lingua triplici. Sicut serpens pedes non habens, nec membra habens, omnium defectum membrorum supplet in lingua: Ita vir linguosus totus in linguas conuersus, ex linguis venenum infundit, & homines necat. Non meum est inuentum, sed Hugonis, *Talis bilinguis similis est serpenti, qui non habet pedes, & huiusmodi membra, sed totum corpus est ei pedes, & manus, & quod minus habet in membris cæteris, suppletur ei in lingua, quia habet duo additamenta, qua post morsum infigit, & virus infundit, & interficit.* Hinc linguoso dicitur, *Os tuum abundauit malitia*: Vel ex Chaldæo, *Os tuum deposuisti, vt loquatur lingua triplici*: Si.n. tria sunt omnia, omnia membra, quæ in eo sunt, linguæ sunt, quæ ex abundantia cordis mali, mala loquuntur, inconsideratè loquuntur, multa loquuntur.

Psal. 139. 12. Hebræus. Apollinar. Chaldæus. Alij.

Hugo Car. hic.

Psal. 49. 19. Chaldæus.

2 De his verificatur Iacobi sententia, *Lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Quis vmquam posset ardentis fornacis flammeas numerare linguas, quę nunc certatim surgunt, & decidunt: nunc decidentibus primis, secundæ succedunt: nunc sonoro harum strepitu silente, aliæ renascuntur, & personant: & nunc contra cælum, nunc contra terram militant, cum tali pugna, & contentione tali, vt sonus earum nũquam deficiat, nisi ignis incendium & esca deficiat? Talis & linguæ fornax incensa est, & tot flammas emittit, vt & Cælum inuadat, & terram destruat, *Posuerunt*

Iacobi 3. 6.

Psal. 72. 9.

in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra. Vel ex Hebræo, *Lingua eorum vssit Sanctos terra*. Sic vrunt, testante Agellio, vt, *Nec Deo, nec hominibus parcant, tàm Deo quàm hominibus infensa sint, & lingua eorum tamquàm pessima rerum alienarum exploratrix, & Satanæ munere fungens, circuit terram, & perambulat eam, sicubi conuicium, aut probrum, quod alicubi obijciat, inueniat. Idque agit, donec in cinerē conuertatur*.

Hebræus. Agellius hic.

3 *Et vniuersitas iniquitatis*: Vel cum Oecumenio, *Promptuarium iniquitatis*: Vel cum Græco, *Congeries & mundus iniquitatis*. Mundum totum aspiciens Deus, & cūcta, quæ fecerat examinans, Vidit omnia esse valde bona. Mundum nouum, atque secundum mulieres se se ambitiosè nimis ornantes, ex omnibus pretiosis rebus & vanis ita componunt, vt simile ornamentum, & Vlpianus, & Beroaldus, *Mundum muliebrem appellent*. Sed tertium Princeps tenebrarū quotidie depingit mundum, non alijs pænicillis, nisi impiorum linguis: nec alijs coloribus, quàm omni malorum genere verborum, vnde & iure dicitur Mūdus iniquitatis. Nam si fides Bedæ nō denegatur, *Vniuersa facinora per linguam, aut concinnātur, vt latrocinia et stupra: aut patrantur, vt falsa testimonia, et periuria: aut defenduntur ab impuris*. In mundo iniquitatis, & illa Oecumenio, describuntur ornamenta, quibus filij huius sæculi mendaces in stateris, concinnare ea arte solent verba, vt mēdacia veritates, vt fraudes laudes, vt iniqua æqua, vt blasphemiæ encomia, vt deformia appareant formosa, & vt horrenda dictu resonent veneranda, ac de quolibet eorum verificetur, *Lingua tua concinnabat dolos*. Quis nō lugebit vecordiam Filiorum lucis, de quorum ore verba, ceu folia, decidunt absque delectu, nec in schola silentij concinnata? Heu! de his dici potest, *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum*: & ex Genebrardo, decidens foliū recognosci, per zeugma, e superiori versu, *Depone illos, deijce, descendere fac delictum oris eorum, quidquid enim loquuntur, delictum est*.

Iacob. 3. 6. Oecumen. Græcus.

l. Argento ff. de Auro & argen. legat.

Beroald. in cōmen. lib. 4. Transfor.

Beda in c. 3. epist. Iacob.

Oecumenius Ibid.

Psal. 49. 19.

Psal. 58. 13.

Genebardus hic.

4 Non decidit folium verbi mulieris Euangelicæ, sed fides tāquā frons erat in corde concepta, quia, *Dicebat intra se*: & per tactum fimbriæ Saluatoris, de quo subiungebat, *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero*: nescio an meruerit, an furata fuerit salutem. Et certè, furtum posset æstimari, tangit enim rem alienam, & inde virtutem furatur, adipisciturque salutem: sed verè furtum non est, quia tactus non fit inuito, sed inuitante Domino, vt Rauennates æstimauit Antistes, dicens, *Pium latrocinium, quod ministra fide, fide attrahente committitur, præsertim, cū & furantis lucrum: & ei, cui auferebatur, nullum gigneret detrimentū*. O silētium loquax! O efficax vox tacentis! Sic folium eius non defluit, sed virtutem inuolauit, salutem traxit, dum & verbum velauit, & manum texit.

Idem Chrysol. Ibid.

8 Distinguebat Apostolus in vno eodemque homine duos homines, interiorem vnum, alterum exteriorem: hic causam agit cum homine, sed loquendo: ille cum Deo loquitur, sed tacendo. Tacebat Susanna iniustè iudicata, attamen de ea asseritur, *Exaudiuit Dominus vocem eius*. Quomodo vox auditur, si vox non profertur? Nō profertur ab homine exteriori, sed ab interiori: nam ex Ambrosio, *Est magnum, & negotiosum silentium, vt erat Susannæ, quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta: tacendo enim apud homines, locuta est Deo, nec vllum maius indicium sua castitatis inuenit, quàm silentium. Conscientia loquebatur, non audiebatur: nec quærebat pro se hominum iudicium, quæ habebat Domini testimonium*. Et iurè dicit operosum fuisse silētium, plus enim silens operata est cum Deo, quàm si ex omnibus argumentorum fontibus probationes collegisset cum Cicerone. Sic autem silentium Susannæ indiciū fuit suæ castitatis, sicut silentium Christi ante Pilatum, indicium

Daniel. 13. 44.

Ambros. lib. 1. Officior. cap. 3.

fuit

fuit suæ diuinitatis, vnde conclu-
Idem Ibid.
dit Ambrosius, *Ipse Dominus tacitè operabatur salutem hominum.*

6 Rei, & loquaces homines sæpe nimiumque loquendo, propriā operantur damnationem. Sicut Diogenes petens aliquid ab auaro, dum illum vidit cunctantem, ac negaturo similem, sic arguebat,

Ex lib. 3. Apoph. vbi de Diog. num. 39.

O homo, ad cibum te postulo, non ad tympum. Eodem modo os hominis ad cibum postulatur a Deo,

Isa. 43. 21.

Populum istum formaui mihi, laudes meas narrabit: cùm autem ipse verba profert mendacia, blasphemias nectit, ac turpiloquia struit, laqueū infelix, sibi parat, & perit. De hoc laqueo se liberatum afferebat Dauid rex, dum lætabūdus Liberatorum laudans, ita canebat,

Ps. 90. 3.
Ambros. lib. 1. Offic. c. 4.

Ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Vbi Ambrosius, *Laqueus aduersarij est sermo noster: sed etiam ipse non minus aduersarius est nobis. Loquimur plerumque quod excipiat inimicus, & quasi nostro gladio nos vulneret. Quantò tolerabilius alieno gladio, quàm nostro perire?* Heu quia sic vulneratus proprio verbo conqueri potest cum

Adagiū ex Aristophane in Auib. & Æschylo in myrmidones.

Aquila propriis pennis icta, *Hæc non ab aliis, immo pennis propriis.*

7 Sicut par erat & probrum & damnum militis, qui in exercitu, & conflictu cum hoste, abiiciebat scutum, vnde & ortum est Prouerbium,

Adagium, ex Aristophane in Vespis.
Isocrates in Orat. de Pace.

Clypeum abiicere: & Isocrates scripsit, *Infames olim habitos, qui vel ordinem deseruissent, vel scutum abiecissent:* Eadem lege in Ecclesia, quæ terribilis est, vt castrorum acies ordinata, quicumque folium verbi, vel contumeliosi, vel turpis, vel ex maligno eloquitur, & silentij scutum abiicit, damnatur. Hoc notum benè erat eximio Bellatori, non minus in corporali pugna, quàm in spiritali militia. vnde & nomen habuit, Manu fortis, cùm dicebat,

Ps. 37. 14.

Obmutui & non aperui os meum: nam labiis, quasi manibus, silentii scutum premens, valde timabat, ne si os aperiret, clypeum perderet, & periret. Hoc totum his verbis Ambrosius indicauit,

Ambros. in Proemio super Ps. 38.

O validum scutum circumspecta munitionis, silentium.

8 Si quæris cuius scutum, & cuius munimen silentium sit, quod celebramus. Dicam non esse arcis terrenæ armamentum, non vrbis munimentum, non turris vel exercitus armarium: sed armaturam virtutum, vnde anima ornatur, armaturque pro cęlo. Sic Ioannes Abbas, explicans verba Climaci,

Ioan. Clymac. in Scala Parad. gradu 27.
Ioan. Abb. Raythu in Scholia super hoc c.

Cùm procedis, congregata custodi: tale addidit Scholion, *Id est, os tuū, & cor tuum in loquutionibus custodi, quia ore inutiliter, indiscretè, & vanè aperto, virtutes, quæ mentem ad Deum exaltabant, perduntur, & volant, & disparent, ori enim procaci appropinquat ruina. Silentium verò est virtutum custodia.* Nec solùm anima silens scuto circumdatur defensiuo: sed preces addendo, armatur ornatur & offensiuo, nam testante Thalassio Monacho,

Thalassius Monachus in Hecatontas 1. n. 66.

Silentium & preces, maxima virtutum arma sunt. O silentium! ò preces! Preces cum Deo funduntur, silentium cum homibus seruatur. Preces cum Deo fundūtur, silentium scutum est. Illæ arma ad offensam, hoc ad defensam. In fucina silentij clypeus funditur, in schola orationis lanceæ formantur. His cum Deo pugnamus, illo omnia tela ignea nequissimi extinguimus. O terque quaterque beatus, cuius ex ore folium non defluit, verbumque, ne dicam turpe, sed nec otiosum fluit, cui titulus Beatitudinis etiam in lacrymarum valle datur,

Eccli. 14. 1.
Vatablus

Beatus vir, qui non est lapsus verbo: Vel ex Vatablo, *Beatus vir, qui lapsus ore suo non est:* Linguā. n. in lubrico positā: & verba, quæ Cælius appellat,

Rhodigin. lib. 7. c. 26.

Alata, & volantia, qui ita frenat, & retinet, vt instar folij non decidant, non labantur, beatus iure prædicari potest. Aduocetur ad hoc probandum obseruatio Ambrosij circa litteram ɔ Phe, de qua

Ambro. ser 17. in Ps. 118.

sic philosophatur. *Phe littera decimaseptima, latinè significat Errauit: siue, Os aperuit.* Vnde eadem littera, quę significat Erraui, & Os aperui, clarè demonstrat, quòd cum vix quis possit os aperire sine errore, & vix sermonem profundere sine

pec-

peccato iure merito beatus dicitur, & est, qui non est lapsus verbo, vel qui lapsus ore suo non est, nā ex Hugonis decreto, *Hoc est præcipuum signum perfectionis: & talis dicitur beatus signo, vel spe.*

Hug. Card. in cap. 14. Eccli.

CIRCVLVS II.

Orationis folium numquā decidere debet ex corde Iusti.

9 TOta infernalis Lupi & ars & arma eò tēdūt, vt hominē primò videat, eique auferat orationis vocem: cùm enim hoc foliū decidit, arma in quibus confidere poterat, auferens, de eo triumphat. Aduocetur ad hoc sancti Nili decretum, *Vniuersum bellum, quod inter nos & dæmones cōflatur, non est de alia re, quàm de oratione: est enim illis oratio valde aduersa, & odiosa, nobis verò salutaris, & valde benigna.* Sicut Demosthenes de Lupis pacem fictam cum pastoribus inire volentibus, illos ad hos sic dicentes, introducebat. *Totum dissidium inter vos & nos a canibus oritur: auferte illos, & in pace viuemus. Illis autem insipienter à pastoribus ablatis, vita cum illis, & pastoribus & ouibus à lupis ablata est.* Ita dissidium inter nos & dæmones ex orationis latratu originem ducit, & qui tacent, necantur: qui orāt, saluantur. Vtrumque expressit Isaias, primò asserens, *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis*: deinde subdens, *Canes muti, non valētes latrare.* Qui enim nescit latrare, & orare, a tuta domo orationis exclusus, in luporum incurrit ora, & laceratur. Hinc te Esaias Abbas ita horrabatur, *Orationis studium noli remittere, ne incidas in manus inimicorum tuorum.* Nec apertius, nec aptius illuminare poterat, quæ ipse figuraui.

S. Nili in capitib. 150. de oratione nu. 47.

Demosthenes.

Isa. 56. 7. & 11.

Esaias Abb. oratio. 9. ad eos, qui mūdo renunciarunt.

10 Si autem dæmones, ex Lupis vertuntur in canes, quia transfigurant se in varias formas, nunc .n. lupi euadunt, nūc Leones, nunc Angeli lucis, nunc noctiferi, nunc canes: & situ desideras potentia à Deo arma ad eos pellendos, non alia assumas, nisi baculum orationis, hoc enim viso, pauentes, ita fugiunt, ictus vt effugiunt. Non mihi adhibeatur fides si Nilo de negatur, ex ipso enim id hausi, qui te sic docet, & monet, *Caue ne te mali dæmones quolibet simulacro decipiant, sed te ad orationem conuerte, Deum implora, et bono animo esto, quia non stabunt canes, si tu baculo orationis vtaris, sed verberati procul pellentur.* Sic Golias videns Dauid baculo armatū, vel indignans, vel irridens, dicebat, *Nūquid ego canis sum, quod tu venis ad me cū baculo?* Quasi diceret, secundum Lyranū, *Canis, qui inermis est, potest timere baculum, sed non ego.* At experientia eum docuit, quam timendus sit orationis baculus, de quo dixit Manu fortis, *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum*: venit cum Choris castrorum, illumque etsi armatum canem, vicit, necauit, & de eo triumphans, spolia retulit.

S. Nilus ibid. nu. 88.

1. Reg. 17. 43.

Lyran. hic.

Ibid. ver. 45

11 Sed quid mirum, quòd baculus orationis canes impugnet, si cum Domino exercituum oratio pugnat? Non ego id dicerem, nisi Climacus me doceret, sic enim inquit, *Qui baculum orationis iugiter tenet, non offendet: sed si offendere eum cōtigerit, non penitus cadet, quippe oratio piè Deo vim infert.* Multas margaritas in gemmeo orantis ore admiratur Isaacius, quæ instar Solis varios emittentes radios, varios nobis demonstrant, affectus, rarosque ab illa nascentes effectus, sed omnes simul vix possunt cum hoc vno comparari, in quo Climacus asserit, quòd piè Deo vim infert; hic enim solus cōtinet penè omnes. Spargit hæc maris conca, & gemmarum mater in apertione oris dum orat, radios multos, quos Isaacius narrat. Aspice radiū primo loco emissum, *Oratio refugium est auxilij.* Dabantur olim quinque Ciuitates refugij, ad quas homicidæ refugientes, salui erant: nunc quinque verba orationis

Ioa. Chim. in scala parad. gradu 28.

S. Isaacij Presb. lib. 1 de contempt. mundi c. 22.

1. Cor. 14. 19
Anselm. hic

nis dantur, ad quæ confugientes liberantur, vnde Paulus, *In Ecclesia volo quinque verba in sensu meo loqui*: Si autẽ ex Anselmo, *Per quinque verba, quinque Moysis libros designauit*: & in illis de ciuitatibus refugij scriptum est priuilegium, priuilegium seruetur in orationis verbis, vt ipsa sit refugium auxilij, & salus orantis.

Idem ibid.
Plin. lib. 31. cap. 2.

12 Respice secundum radium salutarem, *Est fons salutis*. Vbi aduocanda sunt verba Plinij sic dicentis de varijs aquarum medicinalium fontibus, *Emicant benignè passimq; in plurimis terris aquæ alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi iũctæ, auxilia morborũ conferẽtes. Augẽt numerũ deorũ nominibus varijs*. At cælestis Medicus animarum vnã præcipuam salutis aperuit venam, ex qua manauit orationis fons, fons salutis pro qualibet infirmitate, de quo Paulus, *Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione, petitiones vestræ innotescant apud Deum*: Quasi, ex Angelico Doctore præciperet, *Nihil solciti sitis, sed loco solicitudinis, debemus habere cursum ad Deum, & hoc fit, orãdo*. Vnde Chrysostomus nos hortatur, *Etiam si quæuis grauis necessitas vrgeat, nihil soliciti sitis*. Sed in omni infirmitate, tribulatione, angustiaque corporis vel animæ, ad orationem, tamquam ad fontem salutis accurrite, & sic facite, vt petitiones vestræ innotescant apud Deum. At, si Deus omnia nouit, antequàm fiant, quomodo per orationem aliquid ei de nouo notum fiet? Respondet Bruno, *Tunc apud Deum innotescit petitio, quando qui petit, iustus est: & quod petit, idoneum est*. Et optimè respondet: nam si Deus operaris iniquitatis indignabundus dicit, Non noui vos: quomodo eorum approbabit petitiones? *Oculi ergo Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum*: horum petitiones innotescit apud eum, & pro his oratio fons est salutis æternæ.

Ad Philip. 4. 6.
D. Tho. hic.
Chrysost. hic.
Brun. hic.
Psal. 33. 16.

Idem Isaac. ibidem.
Euripid. in
Taur.

12 Expandit Isaacius tertium radium, & verè aureum, *Est confidẽtiæ thesaurus*. Dicebat Euripides, & quidem bene docebat, *Eximia res est lingua, cui fides adfuerit*: nec pro lingua ornatis poterat aptius dici. Si enim fidem viuam & caritate formatam orator habet, clauẽ habet confidentiæ, qua thesaurum bonorum omnium aperit, & ditatur ad votum. Hinc fidens repetit cum Tertulliano, *Hæc ab alio orare non possum, quàm à quo me scio consecuturum, quoniam & ipse est, qui solus præstat, & ego sum, cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum obseruo*. Ac si dicat, Ego ius ad exorandum Deum habeo, qui eius tantum famulus sum, nec alium nisi ipsum obseruo.

Tertull. in Apolog. c. 30.

Idem Isaac. Ibid.

14 Nouum lumen orationis lumini idem Isaacius adiũxit, subdens, *Est lumen his, qui in tenebris sunt*. Quemadmodum nauis in turbato pelago, fluctibus vndique obsessa, turbinibus agitata, ventorũ vi hinc inde iactata, nũc in cælum ascendens, nũc descendens vsque ad abyssos, & in noctis obscuritate, ac in tenebrosa caligine penè sepulta, si ignem in sublimi turri, sorte propitia, læta conspicit, illuc dirigens iter, salua erit. Eodem modo anima, quæ in pelago huius sæculi, fluentibus tentationum exposita, turbinibus persecutionũ obsessa, ventis passionum iactata, nunc in cælum diues eleuata, nũc in abyssum paupertatis detracta, in tenebris desperationis penè immersa: si Deo propitio, ex igne meditationis accenso in corde, lumen orationis in collo, quasi in turri flagrat, ac splendet lucidis radiis, quasi ex aureis lineis in aqua signatis, inter inuia viam ostendit, inter incerta certum iter dirigit, inter dubia non dubium cursum pandit, & inter non tutas vndas ad tutum portum feliciter natum ducit.

Psal. 38. 4.
Hieronym.
Hebræus.
Symmach.

15 Sic, sic iactabatur Dauid anxius in pelago doloris & mæroris vnde dicebat, *Dolor meus renouatus est*. Vbi, si vis conturbatũ mare, en Hieronymus aperit, *Dolor meus conturbatus est*. Si fluctibus agitatum, *Exagitatus est*. Si vndarum & fluctuum commutatione iactatum, *Cõmotus est*. Si turbinibus exas-

Campensis. Alij. peratum, *Exasperatus est.* Si irritatum a ventis, *Irritatus est.* Si spiritu procellarum turbatū, *Spiritus verò* Apollinar. *mihi dolor excitatus est secundò rursus.* Et si vis innouatos incursus vel surgentium fluctuum, vel vndarū decidētium, *Dolor meus renouatus est, & incrudescebat.* At, vbi ignis apparet, & in meditatione incen- Chaldęus. ditur flamma ignis, *In meditatione mea exardescet ignis:* Vel ex Chaldæo, *In cogitatu meo inflammabitur ignis:* & vbi oratio meditationi vnitur, *Locutus sum in lingua mea:* ibi notum fit iter, *Notum mihi fac Domine finem meum:* & dum petita obtinet, Oratio lumen præbet & his, qui in tenebris sunt.

16 Et hinc clarè apparet quin- Ex Isacio Ibid. tus radius, *Oratio portus est liberās à tempestate.* Depingit sponsus formosum Spōsæ collum, non mixtis atque temperatis coloribus & vmbris, sed simplicibus, claris, caris, atque incorruptis margaritis & Cant. 1. 10. Greg. Nyss. hom. 3. in Cant. Cant. gemmis, *Collum tuum sicut monilia:* Vel ex Nysseno, *Collum tuum sicut hormiscos.* Quid autem his verbis signet, idem explicat, dicens, *Esse diminutiuum eius, quod est Hormos, hormos autem dicitur in locis maritimis, in quibus littus intrinsecus, in Lunæ formam curuatum, sinu mare excipit, & per se facit quiescere eos, qui è mari adnauigant.* Cùm ergo collum, ex eodem Nysseno, sit Nyss. ho. 7. in Cantica. *Officina vocis*, & orationis sit typus, mirum non est, quòd & portus sit liberans à tempestate, & quòd ita iucunda sit animæ oratio, sicut iactatis à tempestate nauigijs, iucundus est portus. Hoc totum mira eloquentia describitur à Nysseno Idem Nyss. homil. 3. in Cant. Cant. Episcopo his coloribus. *Nauigantibus res iucunda & salutaris est portus, & qui postquam in mari fuerint iactati & vexati, tranquillum aliquem portum occupauerint, in quo afflictionum, quas in mari perpessi sunt, obliti, toti versantur in quiete, longos labores silentio recreātes, non est eis naufragij metus, neque in mari latentium cautium suspitio, nec periculum prædonum, neque à flatibus perturbatio, neque à profundo per ventos tumescit mare: sed remoti sunt ab omnibus eiusmodi periculis, qui tempestate iactantur, cum mare sit in portu trāquillum. Si quis ergo animam suam ita constituerit, vt ipsa sit tranquilla in quiete, non agitata fluctibus, minimè emota a spiritibus improbitatis, neque intumescens per superbiā, neque spumans iræ fluctibus, neque vlla alia vnda rum animi perturbatione, vllo vento lata, qui multos excitat fluctus animi affectuū. Si ergo ita ipsa se habeat, & eos qui in mari vita tempestate agitantur, in summis omne genus malorum fluctibus apud se in tranquillo retineat, eis planam, & nullis procellis agitatam per virtutem explicans vitam: adeò vt qui in ea fuerint, sint extra omnia mala naufragij, rectè assimilatur hormiscis, id est, torquibus, quæ laudantur à Verbo, plurali voce significante perfectionē in vnaquaque virtute.*

17 Hos autem omnes radios antecellit, & suo lumine obtundit ille solus, qui vltimus in ordine, sed primus in dignitate, lucem sic pādit, *Oratio est clypeus liberationis in prælio.* Isaac. ibid. In aureis Machabæorū Clypeis refulgente Sole, fortitudo Gētiū dissipabatur: at orationis Clypeus vincit & Deum. Ex quo miro modo explicatur illud, q Climacus asserebat, *Oratio piè Deo vim infert.* Io. Climac. gradu 28. de orat virtutū matre. O dignum spectaculum, ne dum oculis hominum, sed Angelorum, dum Dominus exercituum, cum homine contendens, paribus armis in arenam descendit, & si ille scuto æquitatis armatur, & iste orationis scuto protegitur. Si de illo dicitur, *Sumet scutum inexpugnabile:* Sap. 5. 20. de oratione asseritur, Clypeus est liberationis in prælio. O Domine Deus exercituum, si tu sumis scutum inexpugnabile, quo iure poterit homo clypeum reperire liberationis in hoc prælio, ita vt de illo verificetur, *Proferens servitutis suæ scutum, orationem, restitit iræ?* Sap. 18. 21. Scutum Dei inexpugnabile est. sed est æquitatis: si vi pugnas, nō impugnas: si prece, superas. Sic Iacob præualuit cum Deo, sed si modū quæras, en Holkoth illū pādit, *Inualuit nō violentia, sed deuotione.* Holkoth in cap. 10. Sap.

18 De

18 De quodam lapide magnæ proceritatis memini me legiſſe, quod immobilis permanens dum toto impellebatur corpore: mobilis euadebat dum digito, vel leni manu tãgebatur: Ita ſi dicere fas eſt, Deus magnus, vi non mouetur, mouetur prece, quaſi leui vel lingua, vel manu. Hoc odoraſſe videtur Tertullianus, dum nos hortatur, *Ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes, hæc vis grata Dei eſt*. Quod enim ibi ex miraculo fit naturæ, hic euenit ex ſupernæ gratiæ dono.

Tertull. in Apolog. c. 39.

19 Aſtomorum gentem deſcribit Plinius, *Halitu tantum viuentē, & odore, quem naribus trahunt, nullum illis cibum, nullumque potum: tantum radicum florumque varios odores, & ſilueſtrium malorum, quæ ſecum portant longiore itinere, ne deſit olfactus*. Idipſum à beato requiritur viro, vt folium orationis eius numquam defluant, & odore fructus meditationis nutriatur, & olfactu florum deprecationis viuat, ideo enim præcipiebat Deus, vt ſemper thymiama exureretur coram Domino. Quæres fortè, quid thymiana ſignificet? En Beda explicat, & claris coloribus illius demonſtrat formam, aſſerens per thymiama orationis odorem continuum figurari. Sic enim ait, *Thymiama orationis debet eſſe ſempiternum, quia nimirum neceſſe eſt, vt anima poſt orationem & fletum, ad otioſa verba vel facta non diuertat: ſed in eodem vigore deuotionis, quam in oratione ſuſcepit, etiam finita oratione cuſtodiat*. Notandum verbum cuſtodiat, ſicut Aſtomi de loco ad locum ambulantes, ſecum portant odores: Ita beatus vir ex orationis loco recedens, orationis odores ſecum aſportare debet, vt folium verbi non defluat, ſed ſemper & vbique oret.

Plin. lib. 7. cap. 2.

Beda in c. 30. Exodi.

20 Huius odoris neceſſarium halitum ad vitam ſuſtinendam vitæ Author oſtendit, aſſerens, *Oportet ſemper orare, & non deficere*. Sed petes, quomodo poteſt homo ſemper orare, cùm ad vitæ mortalis conſeruationem varijs occupationibus teneatur implicitus? Reſpondet Beda, *Omnia, quæ iuſtus ſecundum Deum gerit, & dicit, ad orationem ſunt reputanda*. Sed magis ad litteram accedit Theophylactus de vera oratione id explicãs, & cauſſam reddens remedij huius allati, vt poſſit homo à continuis inſultationibus liberari, ſic enim fatur, *Poſtquam ærumnarum & periculorum Dominus meminit, ſubdit horum remedium, quod eſt oratio iugis*. De alectoria gemma, quæ in ventriculis gallinaceorum inuenta eſt cryſtallina ſpecie, refert Plinius, *Milonem Crotonienſem vſum in certaminibus, & inuictum fuiſſe*. Sed vera alectoria orationis, quæ in gallinaceis, vigiliæ ſymbolis, reperitur, & cryſtalli ſpeciem habet, repreſentans cælum, quod ſemper enarrat gloriam Dei, inuictum reddit cor, clarè demõſtrans dum indeſinẽter orat, gratiam Spiritus paraclyti in ipſo manentem. Adhibeo huius dicti fideiuſſorẽ Ioannem Abbatem, qui ſic loquitur, *Cùm Paraclytus fuerit in homine, tunc ſedens, & ambulans, dormiens & vigilans, laborans & quieſcens, ſolus vel cũ ſocijs, loquens & tacẽs, orat*.

Luc. 18. 1.

Beda hic.

Theophylactus relatus a D. Th. in cat. ſuper c. 18. Lu. g.

Plin lib. 37. cap. 10.

Ioan. Abb Raythu in Scholio ſcalæ Ioannis Climaci.

CIRCVLVS III.

Verbum in ſacramentali Confeſſione prolatum non debet eſſe inſtabile & irritũ, ſed immobile & firmum.

25 CVm orationis aſſiduitate dubium eſt quomodo, ſtare poſſit Eccleſiaſtici vel inſtitutũ, vel præceptum, *Non iteres verbum in oratione tua*: ſi enim debeo ſemper orare, qui mihi negatur verbũ iterare? Si de communi vel oratione, vel ſermone hæc verba intelligerentur, optimè præciperetur, Ne iteres verbũ in oratione tua: cùm enim, Nouitas ſit cunctarum gratiſſima rerum, ingratiſsima eſt eo-

Eccli. 7. 15

Campensis. Alij. peratum, *Exasperatus est*. Si irritatum a ventis, *Irritatus est*. Si spiritu procellarum turbatũ, *Spiritus verò* Apollinar. *mihi dolor excitatus est secundò rursus*. Er si vis innouatos incursus vel surgentium fluctuum, vel vndarũ decidẽtium, *Dolor meus renouatus est, & merudescebat*. At, vbi ignis apparet, & in meditatione incenditur flamma ignis, *In meditatione* Chaldæus. *mea exardescet ignis:* Vel ex Chaldæo, *In cogitatu meo inflammabitur ignis:* & vbi oratio meditationi vnitur, *Locutus sum in lingua mea:* ibi notum fit iter, *Notum mihi fac Domine finem meum*: & dum petita obtinet, Oratio lumen præbet & his, qui in tenebris sunt.

16 Et hinc clarè apparet quintus radius, *Oratio portus est liberãs* Ex Isaacio Ibid. *à tempestate*. Depingit sponsus formosum Spõsæ collum, non mixtis atque temperatis coloribus & vmbris, sed simplicibus, claris, caris, atque incorruptis margaritis & Cant. 1. 10. Greg. Nyss. hom. 3. in Cant. Cant. gemmis, *Collum tuum sicut monilia:* Vel ex Nysseno, *Collum tuum sicut hormiscos*. Quid autem his verbis signet, idem explicat, dicens, *Esse diminutiuum eius, quod est Hormos, hormos autem dicitur in locis maritimis, in quibus littus intrinsecus, in Lunæ formam curuatum, sinu mare excipit, & per se facit quiescere eos, qui è mari adnauigant*. Cùm ergo collum, ex eodem Nysseno, sit Nyss. ho. 7. in Cantica. *Officina vocis*, & orationis sit typus, mirum non est, quòd & portus sit liberans à tempestate, & quòd ita iucunda sit animæ oratio, sicut iactatis à tempestate nauigijs, iucundus est portus. Hoc totum mira eloquentia describitur à Nysseno Idem Nyss. homil. 3. in Cant. Cant. Episcopo his coloribus. *Nauigantibus res iucunda & salutaris est portus, & qui postquam in mari fuerint iactati & vexati, tranquillum aliquem portum occupauerint, in quo afflictionum, quas in mari perpessi sunt, obliti, toti versantur in quiete, longos labores silentio recreãtes, non est eis naufragij metus, neque in mari latentium cautium suspitio, nec periculum prædonum, neque à flatibus perturbatio, neque à profundo per ventos tumescit mare: sed remoti sunt ab omnibus eiusmodi periculis, qui tempestate iactantur, cum mare fit in portu trãquillum. Si quis ergo animam suam ita constituerit, vt ipsa sit tranquilla in quiete, non agitata fluctibus, minime emota a spiritibus improbitatis, neque intumescens per superbiã, neque spumante ira fluctibus, neque vlla alia vndarum animi perturbatione, vllo vento lata, qui multos excitat fluctus animi affectuũ. Si ergo ita ipsa se habeat, & eos qui in mari vita tempestate agitantur, in summis omne gẽus malorum fluctibus apud se in tranquillo retineat, eis planam, & nullis procellis agitatam per virtutem explicans vitam: adeò vt qui in ea fuerint, sint extra omnia mala naufragij, rectè assimilatur hormiscis, id est, torquibus, quæ laudantur a Verbo, plurali voce significante perfectionẽ in vnaquaque virtute*.

17 Hos autem omnes radios antecellit, & suo lumine obtundit ille solus, qui vltimus in ordine, sed primus in dignitate, lucem sic pãdit, *Oratio est clypeus liberationis* Isaac. ibid. *in prælio*. In aureis Machabæorũ Clypeis refulgente Sole, fortitudo Gẽtiũ dissipabatur: at orationis Clypeus vincit & Deum. Ex quo miro modo explicatur illud, q̃ Climacus Io. Climac. gradu 28. de orat virtutũ matre. asserebat, *Oratio piè Deo vim infert*. O dignum spectaculum, nedum oculis hominum, sed Angelorum, dum Dominus exercituum, cum homine contendens, paribus armis in arenam descendit, & si ille scuto æquitatis armatur, & iste orationis scuto protegitur. Si de illo dicitur, *Sumet scutum inexpugnabile*: de oratione asseritur, Cly- Sap. 5. 20. peus est liberationis in prælio. O Domine Deus exercituum, si tu sumis scutum inexpugnabile, quo iure poterit homo clypeum reperire liberationis in hoc prælio, ita vt de illo verificetur, *Proferens seruitutis suæ scutum, orationem, restitit* Sap. 18. 21. *iræ*? Scutum Dei inexpugnabile est, sed est æquitatis: si vi pugnas, nõ impugnas: si prece, superas. Sic Iacob præualuit cum Deo, sed si modũ quæras, en Holkoth illũ pãdit, *Inualuit nõ violentia, sed deuotione*. Holkoth in Cap. 10. Sap.

18 De quodam lapide magnæ proceritatis memini me legisse, quod immobilis permanens dum toto impellebatur corpore: mobilis eua debat dum digito, vel leui manu tãgebatur: Ita, si dicere fas est, Deus magnus, vi non mouetur, mouetur prece, quasi leui vel lingua, vel manu. Hoc odorasse videtur Tertullianus, dum nos hortatur, *Ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes, hæc vis grata Dei est.* Quod enim ibi ex miraculo fit naturæ, hic euenit ex supernæ gratiæ dono.

Tertull. in Apolog. c. 39.

19 Astomorum gentem describit Plinius, *Halitu tantum viuentẽ, & odore, quem naribus trahunt, nullum illis cibum, nullumque potum: tantum radicum florumque varios odores, & silueltrum malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus.* Idipsum à beato requiritur viro, vt folium orationis eius numquam defluant, & odore fructus meditationis nutriatur, & olfactu florum deprecationis viuat, ideo enim præcipiebat Deus, vt semper thymiama exureretur coram Domino. Quæres fortè, quid thymiana significet? En Beda explicat, & clariscoloribus illius demonstrat formam, afferens per thymiama orationis odorem continuum figurari. Sic enim ait, *Thymiama orationis debet esse sempiternum, quia nimirum necesse est, vt anima post orationem & fletum, ad otiosa verba vel facta non diuertat: sed in eodem vigore deuotionis, quam in oratione suscepit, etiam finita oratione custodiat.* Notandum verbum custodiat, sicut Astomi de loco ad locum ambulantes, secum portant odores: Ita beatus vir ex orationis loco recedens, orationis odores secum asportare debet, vt folium verbi non defluat, sed semper & vbique oret.

Plin. lib. 7. cap. 2.

Beda in c. 30. Exodi.

20 Huius odoris necessarium halitum ad vitam sustinendam vitæ Author ostendit, afferens, *Oportet semper orare, & non deficere.* Sed petes, quomodo potest homo semper orare, cùm ad vitæ mortalis conseruationem varijs occupationibus teneatur implicitus? Respondet Beda, *Omnia, quæ iustus secundum Deum gerit, & dicit, ad orationem sunt reputanda.* Sed magis ad litteram accedit Theophylactus de vera oratione id explicãs, & caussam reddens remedij huius allati, vt possit homo à continuis insultationibus liberari, sic enim fatur, *Postquam ærumnarum & periculorum Dominus meminit, subdit horum remedium, quod est oratio iugis.* De alectoria gemma, quæ in ventriculis gallinaceorum inuenta est crystallina specie, refert Plinius, *Milonem Crotoniensem vsum in certaminibus, & inuictum fuisse.* Sed vera alectoria orationis, quæ in gallinaceis, vigiliæ symbolis, reperitur, & crystalli speciem habet, repræsentans cælum, quod semper enarrat gloriam Dei, inuictum reddit cor, clarè demõstrans dum indesinẽter orat, gratiam Spiritus paraclyti in ipso manentem. Adhibeo huius dicti fideiussorẽ Ioannem Abbatem, qui sic loquitur, *Cùm Paraclytus fuerit in homine, tunc sedens, & ambulans, dormiens & vigilans, laborans & quiescens, solus vel cũ socijs, loquens & tacẽs, orat.*

Luc. 18. 1.

Beda hic.

Theophylactus relatus a D. Th. in cat. super c. 18. Luc.

Plin lib. 37. cap. 10.

Ioan. Abb Raythu in Scholio scalæ Ioannis Climaci.

CIRCVLVS III.

Verbum in sacramentali Confessione prolatum non debet esse instabile & irritũ, sed immobile & firmum.

25 CVm orationis assiduitate dubium est quomodo stare possit Ecclesiastici vel institutũ, vel præceptum, *Non iteres verbum in oratione tua*: si enim debeo semper orare, qui mihi negatur verbũ iterare? Si de communi vel oratione, vel sermone hæc verba intelligerentur, optimè præciperetur, Ne iteres verbũ in oratione tua: cùm enim, Nouitas sit cunctarum gratissima rerum, ingratissima est eo-

Eccli. 7. 15

rumdem repetitio verborum, vnde Hugo sic explicat. Sapientis est fatum, *Coram sapientibus ne repetas sæpe idem.* Altius tamen idem Cardinalis monitum eleuat, & ad sacramentum confessionis aduocat dicens, *Non iteres verbum in oratione tua, id est, sic pænitere, & confitere ita distinctè, vt non sit necesse iterare confessionem. Quod dicitur contra quosdam, qui confitendo, peccata palliant, alia inuoluendo, vel excusant, vel extenuant, vel aliquid retinent in confessione, vt minus peccatores appareant, vnde postea vrgente conscientia, tenentur redire ad confessionem, & iterare, quod minus, vel male dixerunt.* Breuius tamen & accuratius ex Pontificio decreto, hoc reuocatur ad pænitentis peccata, quæ vbi semel, & cum dolore in confessione sunt aperta, non sũt eadem iteranda, vt iteranda sit eorumdem confessio peccatorum, *Verbum namque in oratione iterare est, post fletum committere, quod rursum necesse sit flere.*

Hug. Card. hic.

Idem ibid.

Greg. Papa lib. 10. mor. cap. 16.

12 Magnum discrimẽ cernitur inter coactam confessionem latronis, & spontaneam pænitentis: ille in tormentis confitetur facinora, à tormentis absolutus, negare audet, quæ confessus fuerat: iste voluntariè confitens peccata, peccatis moritur, vt iustitiæ viuat, nec vltra operatur, quod confiteri iterum teneatur. Ad hoc aduoco Petrum Cellensem, qui ita fatur, *A latrone, & reo extorquetur, tamquam ab inuito & deprehenso, professio furti: a peccatore pænitente suscipitur, tamquam grata hostia, Confessio, Voluntariè, inquit Psalmista, sacrificabo, & confitebor nomini tuo, quia bonũ est.* Sicut ergo hostia moritur, dum sacrificatur: sic pænitens mori debet peccatis, dum ea per confessionem sacrificat, vt de numero beato sit vnus, qui gloriari possit, *Vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Ab illo enim, qui eo animo confitetur, vt post confessionem committat quod iterum necesse sit cõfiteri, non sacrificium immolatur, sed sacrilegium perpetratur. Hos autem non elegit Dominus, qui dicebat, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,* ita vt vitæ præteritæ mortuus, nouus resurgat: & vitiis sepultus, iustitiæ viuat. Ita Chrysostomus explicans prædicta verba mouebat. *Etenim, qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent velut viuentes, iterum de hoc mundo decernere.* Debent ergo seipsos, quasi hostiam viuam ac Deo placentem sacrificare.

Petr. Cell. lib. 1. mystic. expos. mosayci Tabernaculi.

1. Pet. 2. 24.

Matt. 16. 24.

Chrysostomus lib. 2 de pænit. c. 9.

24 Admiranda fuit in Vaccæ sacrificio diligentia, vbi nedum carnes & ossa ea lege cõburi præceptum est, vt nihil ex illis residuũ remaneret: sed plus vltra disponitur, vt ne cineres quidem relinquerentur, vnde subditur, *Colliget vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra.* Cur hoc? Quia non sufficit hostiam confessionis obtulisse, nisi & cineres etiã memoriæ, & occasiones proximæ peccatorũ extra portam cordis eijciantur. Nõ est mea interpretatio, sed Cellẽsis. Ipse ergo postquam agnouit in exitu, portam confessionis: explicans tempus, locum, & modum poenitendi, sic ait, *Modum facti, & quicquid a primo peccati motu, vsque ad introitum gratiæ debacchauit in se mort, cum lacrymis exponit. Per ordinem, inordinata disponit. Emittit cineres extra castra cordis, ne saltem memoria Amalech in abortiuis suis reperiatur. Nam & peccatum, & peccati memoriam subuertere funditus cupit. Sic veritas de terra orta est.* Quasi repeteret, quæ paulo ante dixerat, *Terra peccator, veritas confessio.* Nã vbi post confessionẽ, cineres non emittuntur extra castra cordis, sed ex eis Phænix culpæ, quæ mortua videbatur, exurgit: non vera probatur præterita iam peccati confessio, nec iustitia de cælo prospicit, vt ignoscat: sed vt ad vomitum reuertentem, duplici contritione plectat & conterat.

Numer. 19. 9.

Petr. Cell. lib. de panibus c. 3.

Idem ibid.

24 Oppositũ euenit in vera confessione, vbi enim ex Iuda, qui interpretatur confessio, Thamar cõcipit, duos parit filios, Phares, id est, effectum declinãdi à malo: & Thamar, nempe firmum propositum faciendi bonum. Non est meum

in-

Stephan. Cant. in allegor. Thilman.

inuentum, sed Stephani Cantuariensis, qui sic moraliter hanc figuram exponit, *Thamar ex Iuda gemellos concepit, quia voce confitens duplicem consequitur gratiam, scilicet, affectum declinandi a malo, qui per Phares intelligitur: & faciendi bonum, qui nomine Zaram nuncupatur. Sed prius oritur Phares, quia prius est malum omittere, sed tamen Zaram prius manum extendit, quia mali odium solet benefaciendi desiderium praeuenire*. Et verè ex odio vitij, & fuga mali oritur amor virtutis, & sequela boni, scriptum est enim, *Diuerte a malo, & fac bonū*: Nam ex Hieronymo, *In declinatione mali, est initium: perfectio, in eo quod faciamus bonum*: & ex Philippo Solitario, *Ratio poenitentiæ in eo est, vt à diabolo, & a malo auersi, ad Deum & ad bonum cōuertamur: a tenebris ad lucem, & ab his, quæ præter naturam, ad ea quæ secundum naturam*.

Psal. 33. 15.

Hieronym. q. 1. contra Iouinian. Philippus Solitarius lib. 1. Dioptræ cap. 11.

25 Et miro modo, animæ pœnitentis nomen Thamar ab Augustino assignatur. Si enim Thamar idem sonat, ac commutans, mutari debet confitens ex malo in bonum, vt ipse docet, *Iam Thamar habitum mutet, nam & Commutans appellatur Thamar: sed in ea prorsus, nomen amaritudinis maneat, non illius amaritudinis, in qua Domino fel ministrauit, sed illius, in qua Petrus amarè fleuit, nam & Iuda latinè confessio est, confessioni ergo amaritudo misceatur, vt vera pœnitentia signetur*. Hæc ille. Vbi notandum verbum, Confessioni amaritudo misceatur: & recolenda est Auicennæ doctrina, *Acutum & amarum sunt linguam radentia rasione: sed amarum non radit, nisi quod de lingua apparet: acuti autem abrasio et eius separatio est profūda, quoniam est subtilis substantia profundans*. Eadē medicina necessaria est vero cōfitenti, vt acuta doloris amaritudine, & præterita mala cōfitendo radat: & acuta separatione à corde, quod profundum dicitur omnino abijciat. Hinc Augustinus notat cum linguæ rasione, pectoris vniri solitam tunsionem, vt ex

Aug. lib. 22. con. Faustū Manich. c. 86.

Auicenn. li. 2. Cantu tr. 1. cap. 3.

profundo etiam peccati separet malum, sic enim populo dicebat, *Ex hoc ipso quod sonuit, Confiteor, pectora tundistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum?* Nec castigare solū, hoc signo mostratur, sed etiam excutere, ac longe pellere, Ita Maximus asserit, *Rectè contundes manibus pectus, si omnem inde furorem maligna voluntatis excusseris*.

Aug. ser. 8. de verbis Domini.

Maximus homil. 15. in quadragesima.

26 A Rege mortali clauem auream obtinere, cubicularium regium fieri, posse ad libitum fores aperire & claudere, pro magno habetur, vel priuilegio, vel honore: apud immortalem tamen Regem clauem confessionis obtinere, qua possit homo de regno Dei, quod intra ipsum est, nunc aperiendo portas oris, peccata expellare: & nunc claudando, in perpetuum excludere, immortale est donum, & gratia super omnes gratias æstimanda. Hinc Zeno nos inuitabat ad laudes Triumphatori perpetuo canendas, sic dicens, *Exultemus in Christo, Triumphatorique gratiam referamus, qui nobis promissa perpetuam pia sanctione, vt aiunt, claues verè aureas misit. Et quidem non illas, quæ maligno beneficio crimina excipiunt: quæ corpori parcunt, animam liberare non possūt: quæ peccata, cum dissimulando prætereunt, non adimunt, sed includunt: quæ reum, qualem inuenerint, talem quoque dimittunt: quæ in parte caussa ipsi præstatori nihil prodesse possunt. At vero nostra aeruatim absoluūt quicquid inuenerint: nec aliquid sub se viui esse patiuntur, sed pectorum aperiunt cuncta penetralia, diligenter vniuersa crimina expellunt, ac rursus diligenter occludunt, ne quid illò vel friuolum, inde quod excluditur, reuertatur*. Vbi aureæ clauis prætiosæ confessionis pandens effectus, nedum pectoris apertionē, per quam crimina expelluntur, ostendit, sed oris occlusionem, ne vltra peccata viam sibi aperiant, vnde iterari oporteat verbum in confessione.

Zeno Veron. Episcop. ad Neophytos post Baptis. serm. 3.

27 Eſt quidem hoc nouum iudicij genus, in quo reus ad mortẽ feſtinat, vt beatè viuere poſsit: non tamen iudicium abſque mortis damnatione fit, debet enim mori peccatum, vt peccator viuat: viuit enim peccator confitens, ſed mori debet peccatum iam in confeſſione prolatum, ſi enim hoc nō moritur, ille non viuit. Vnde idem Zeno, *Nouum iudicij genus, in quo reus, ſi excuſauerit crimen, damnatur: abſoluitur, ſi fatetur. O magna poteſtas, magna peritia, magna pietas Iudicis noſtri, a quo vniuerſi generis peccatores, vt poſſent beatè viuere, puniri feſtinant. Deſcendit quippe gladius pius in viſcera peccatoris, & vno eodemque ictu, incolumi corporis manente materia, interficit hominem veterem, creat nouum, & ſacri gurgitis elemento ſepelit.* Vbi, & ſi Zeno de baptiſmi fonte loquatur, nos tamen ad pœnitentiæ ſacramentum aduocare poſſumus, quæ ipſe docet: hoc enim eſt, quod Concilium Tridentinum dicit eſſe baptiſmum laborioſum, & in ipſo idem miraculum videre licet, quod in aqua lacrymarum, quæ, excipiens mortuos, reddit viuos. Vnde idem Epiſcopus optimè ſubdit, *Et cum omnium aquarum natura ſit talis, vt cum in profundum homines ſuſceperint viuos, euomat mortuos: aqua noſtra ſuſcipit mortuos, & euomit viuos, ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in Angelos tranſituros, ſi prouectus ætatis eorum infantiam non mutauerit.*

Idem Zeno ſer. 2.

Idem ibid.

28 Hos nouos effectus, hoſque mirabiles aquarum confesſionis affectus deſcribebat Salomon, cùm dicebat, *Vena vitæ os iuſti.* Tum quia, vt inquit Gloſa, *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et tū quia, vt ſonus Lyræ intonat, *De tali ore verba vitæ exeunt, in quantum propria delicta vere confitentur.* Et iure vena vitæ dicitur confitentis os, nedum ob miraculum, quod Zeno annotabat, dum homines ſuſcipit mortuos, & reddit viuos, ex animalibus, veros homines factos: ſed etiam quia in his aquis peccatores mutantur in innocentes. Nō eſt meum inuentum, ſed Ambroſij decretum, qui explicans verba Iſaiæ, *Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas*: ſic ipſe fatur de aquarū vel efficacia, vel virtute, vel gratia. *Adde hanc gratiam, quòd ea, quæ timemus in terris, amamus in aquis. Etenim noxia in terris, in aquis innoxia ſunt. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Quid loquar ceruorū, quid etiam luporum teneritudines, neſcit hos lupos agnus timere, tāta eſt aquarum gratia, quarum vituli circurātur, & leones, vt his propheticum dictum de Eccleſiaſtica ſanctitate iure conueniat, tunc lupi et agni ſimul paſcentur, leo & bos ſimul paleas manducabunt. Nec mirum quandoquidē in Eccleſia, etiam illud aqua operātur, vt prædonum abluta nequitia, cum innocentibus comparetur.* O miram aquæ lacrymarum virtutem, qua ſic mutantur mortui in viuētes, peccatores in innocentes. Hinc obſeruabat Origenes in eodē loco in quo iugulantur holocauſta, offerri hoſtias pro peccato: quia verè pœnitēs ad innocētis locū per gratiam eleuatur, & qui per pœnitentiæ ſacrificium cum Deo in gratiā redit, per omnia ſimilis eſt illi, qui numquam deliquit: vnde pœnitentia & innocentia in eadem ſede morantur. Sic ille interpretans Leuitici præceptū, *Si peccauerit princeps, & poſtea intellexerit peccatum ſuum offeret hoſtiam Domino hircū. Ponetque manū ſuā ſuper caput eius, cumque immolauerit eum in loco, vbi ſolet mactari holocauſtū coram Domino:* Sic ipſe ſubdit, *Quo ſcilicet intelligat, qui peccauit, & pœnitet, & conuerſus ad Dominum contribulati ſpiritus hoſtiā iugulat, in loco ſancto ſtare, & ſociari his, qui pertinent ad Deum* Sed qui ſunt hi, qui pertinēt ad Deū? Vtique illi de quibus dicit Deus, *Innocentes ac recti adhæſerūt mihi,* Nam ex Anglico, *Innocentes infātes martyres sūt, recti vero amātes.* Adhærēt ergo æquè Deo in eodem loco innocentes & contriti diligentes.

Prou. 10. 11. Gloſ. interlinear. hic.

Lyran. hic.

Iſaia 65. 25.

Ambroſ. li. 5. hexæm. c. 2.

Leuit. 4. 22.

Orig. hom. 5. in Exod.

Pſal. 24. 21. Anglicus in pſ. 24. ver. 21.

CAELI DAVIDICI
VERSIO L.
In Psalmi primi, Versus Tertij, Partem Quartam.

Prima. Ex Vulgata, Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

2 Ex Hieronymo, Omne, quodcumque faciet, prosperabitur..

3 Ex Chaldæo, Et omne germen eius, quod germinat, granescit, & proficit.

4 Ex Vatablo, Quodcumque ediderit, prospere cadet.

5 Ex Manuscripto, Omnia, quæ egerit, prosperaerunt.

6 Ex Glosa, Omnia, quæcumque faciet, successum habebunt.

7 Ex Aquila, Omnia, quæcumque faciet, dirigentur.

8 Ex Pagnino, Omne, quod faciet, prosperari faciet.

9 Ex Felice, Omnia quæ faciet, ad prosperitatem producet.

10 Ex Suadeno, Omne, quodcumque faciet, fortunabitur.

11 Ex Annotationibus Vatabli, Quidquid faciet, successus prosperos habet.

12 Ex Arabico, Omnia quæcumque faciet, explebit.

13 Ex Symmacho, Omnia, quæcumque faciet, beneplacent.

14 Ex Hilario, Omnia, quæcumque faciet, bene dirigentur.

CIRCVLVS I.

Omnia Iusti opera prosperè succedunt, dum virtutes eius à timore custodiuntur.

1 NOn absque mysterio Psaltes Iusti beatitatē laudibus extollens, & prospera eius opera depingens, dictione illa, *Omnia*, eā descripsit, vt quodlibet malum ab eo auerteret, bona omnia dū precatur. Colorauit hoc Euthymius, his luminibus, *Dictio, omnia, hic non otiosè iacet, nam qui ad hunc vsque virtutis cumulum peruenerit, malum aliquid amplius facere nusquam sustinebit, qua ratione à Deo in omnibus prosperabitur*. Hunc virtutis cumulum, hoc mali exterminium Sapiens expressit, prosperitatem, & gloriam Iusti sic exaltans, *Non est maior illo, qui timet Deum*. Timenti Deum, qui verè sapiens est, optimè quadrat, quod Horatius cecinit,

Euthym. in Psal. 1.

Eccli. 10. 27

Horat. lib. 1 Epist. 1.

Ad summum sapiens, vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

2 Talis ergo, & tam sublimis est Iustus, qui in omnibus prosperatur habens timorem sanctum, qui virtutum & gratiarum, quasi adolescentularum nescio an custos, an pedagogus appellari debeat, ne autem erremus, demus ei cum Cellensi vtrumque titulum. *Quasi enim quidam custos super innumerabiles gazas, sic timor in vltimo charismatum ponitur ad conseruandas incomparabiles gratias. Habeamus ergo bonas & pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi padagogi, scilicet, timoris*. Hoc ergo timore, quasi gubernaculo, sic dirigitur vita Iusti, ad instar nauis, vt nullum vmquàm timere possit naufragium, nullum pauere malū, ac tempestatem culpæ trepidare nullam, peccati naufragium expauescere nullum, sed inter prospera & aduersa semper ad portum salutis dirigit proram, dum nautam habet timorē, timorē quidem, sed tutū, & ex Augustini sētētia, *Pauor ipse omni securitate appetendus*: nam pauoris pretio redditur secura animæ nauis.

Petr. Cell. lib. de pa b. c. 19.

Auguft. de symbolo ad Catechum. lib. 4. cap. 1. tom. 9.

3 Tali vtebatur gubernaculo iustus Iob, & de tali regimine gloriabatur, cùm asserebat, *Verebar omnia opera mea sciens quia non parceres delinquenti*. Componite verba Iob, cum Psalmistæ cantu. Iste canebat, *Omnia quæcumque faciet prosperabuntur*: ille dicebat, *Verebar omnia opera mea*; Vtrobique, *Omnia*: quia perfectio oritur ex caussa integra, nam qui in vno offenderit, factus est omnium reus. Sed qua via, quaue semita potuit ingredi timor in cor talis Iusti, qui ad fastigium perfectionis caput erexerat, quique ad cumulum bonorū operum iam peruenerat, qui holocaustis multiplicibus Deum placere studuit, qui affectum compassionis exercuit, qui ministerium pietatis impendit, qui humilitatis culmen medullitus tenuit, qui beneficia largitatis expendit, quique ad virtutum cumulum ambulans per excellentiorem viam caritatis, etiam inimicos dilexit? Quid ergo vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? Quid ergo est, quod mira opera faciens, hæc ipsa etiam veretur pauens, cùm dicit, Verbar omnia opera mea?

Iob 9. 28.

4 Respondet Gregorius Papa, sed eius tuta respōsio pauorem etiā Sāctis incutere videtur, dum clarè demonstrat de bonis quoque operibus esse timēdum. Sic ergo fatur, *Si placere Deo veraciter cupimus, postquam peruersa subegimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus*. Verebar ergo inquit. Vel ex Chaldæo, *Timeo*: Vel ex Septuaginta, *Cōtremisco*, Id autem communiter Latini ad timorem religionēque animi referre solent, ne quid peccati vmquam admitteret, ex diuinę maiestatis atque iustitię timore, Verebar, inquit, vt Lyra intonat,

Greg. Papa lib. 9. mor. c. 17. alias 25.

Chaldæus. Septuagin.

Ne

Nicol. de Lyra in c. 9. Iob.

Ne esset ibi aliquid iniustum, modus enim hominis diligenter suam inno centiam custodientis est, semper timere ne aliquid iniustum faciat. O terquè quaterquè beatus Iustus, qui duos habet innocentis vitæ custodes, timorem hinc, inde amorem, nã ex Hieronymi sensu, *Nulla res nos seruat ab omni peccato immunes, sicut timor supplicij, & amor Dei.*

Hieron. relatus à Beda in scintillis c. 22. de timore.

5 Sed quomodo dici potest, *Sciens quod non parceret delinquẽti?* Si enim delinquenti nõ parcitur: quis vmquam ab æterna morte eripietur, cùm à delicto nemo mũdus reperiatur? Si delinquenti nõ parcitur, quomodo dicitur, *Omnes peccauerunt, & indigent gloria, vel gratia Dei?* Si delinquenti non parcitur, quomodo nos Præcursor hortatur, *Pœnitentiã agite, appropinquauit enim regnum cælorum?* Sed certè, aliud est non parcere delinquenti, & aliud non parcere pœnitenti: illi iure non parcitur, huic autem indulgẽtia non denegatur. Non est mea solutio, sed Gregorij, statuentis, *An pœnitenti parcit, & delinquenti non parcit? Quia cum delicta plangimus, nequaquam iam delinquentes sumus. Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse, aut homo pœnitens punit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur.* Sic sic, contraria contrarijs curantur, & dedecus decore emendatur, vnde Lyranus, *Ad Deum non pertinet dimittere dedecus culpæ sine decore iustitiæ.* At Iustus ab hoc dedecore, non per arma, per cædes, sed per timoris frenum inuictus declinat, nam ex Esaia Abbate, *Timor Dei custos est animæ, & rationis defensio aduersus inimicos eius.* Et ex Chrysologo, *Deus per Euangelium mores arguit, occulta nudat, conscientiã pandit, commissa castigat, dinumerat mala, & in his persistenti minatur pœnam, quamuis conuerso veniam repromittit.*

Ad Rom. 3. 23.

Luc. 10. 11.

Greg. Papa ibid.

Lyran. ibid.

Esaias Abb. orat. 16. de gaudio animæ Deo feruientis. Chrysolog. ser. 125. de Villico iniquitatis.

6 Hic autem effectus fructus singularis est, isque tam pretiosus, & adeo sublimis, vt non ex omni planta timoris oriatur, nec ex omni timido legatur affectu, sed ex sublimi & filiali pauore. Datur, secũdum Salonij doctrinam duplex timor, seruilis vnus, filialis alter. Ille in tempore deficit, hic semper proficit. Ille à caritate foras mittitur: hic à caritate firmatur. Ille ex timore gehennæ, fugit malum: iste ex Dei amore, sequitur bonum. Ille vilis dicitur, dicitur & seruilis: iste & sanctus nominatur, & est vere Sanctorum thesaurus. Audiamus Salonium, & distinguentem, & primatum huic dantem, *Duo sũt timores, seruilis, & sanctus: seruilis quia Domino seruimus timore gehennæ, ne ad tormenta ducamur: & sanctus dicitur, quia sicut bonus filius timet, ne vel in modico offendat oculos amantissimi Patris: sic & qui perfecti sunt in Ecclesia, timent ne peccando offendant oculos Dei. Timor ergo seruilis primò incipit, quia timor Domini principium est sapientiæ, dũ peccator primò corripitur, ne ad inferna damnetur. Timor vero sanctus auget sapientiam, quoniam perfecta caritas foras mittit timorem illum seruilem, Timor vero sanctus permanet in sæculum sæculi.*

Salon. Vie. Galliar. Ep. in opusc. de explic. mystica in Salom. parabolas.



CAELI DAVIDICI VERSIO LI.

Ex Hieronymo.

Omne, quodcumque faciet proſperabitur.

CIRCVLVS I.

Vir iuſtus quodlibet, vel minimum malum fugit.

1 QVod Vulgata in generali tranſtulit iā vertit modo Hieronym⁹ in ſpeciali, demōſtrās eò animā Iuſti perueniſſe, vt alis columbæ ornata, in tuto poſita, libera à quocumque vel modico malo, modica nō ſpernet, timens ne paulatim cadat, quodlibet rete ſibi paratū in terra aſpiciens, in cælum aligeta euolet, volet ad aſtra, vt ab aucupe liberetur. Hinc ſi Ouidius cecinit, *Quaque nimium parent retia, vitat auis*: Salamon definiuit, *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum*. Veniunt quidem & aues ſtolidæ & viles ad caſſes, & laqueo atque retibus capiuntur: ſed numquam Aquilæ in diruptis ſilicibus habitantes, acutis oculis ornatæ, armatæ alis, cæli incolæ, Soliſque ſpectatrices, laqueis irretiuntur: Ita viles peccatores, terrigenæ & filij hominum, oculos habentes in calcaneis, capiūtur à quolibet laqueo peccati illis parato, at non ſic ſancti, non ſic, ipſi enim, ex Salonio, *Habent pennas fidei, ſpei, & caritatis, ceterarumque virtutum, quibus ad cæleſtia contemplanda volant. Habent & ſpirituales oculos, quibus & inſidias hoſtis antiqui prauident, & peccata præcauent. Fruſtra ergo, id eſt, in vanum iacitur rete ante oculos pēnatorum id eſt, laqueus inſidiarum diaboli obijcitur Sanctis & electis, quia facilè in terra ſuperare poſſunt inſidias diaboli, qui ſuam conuerſationem habent in cælis*. Et iure, nam lumen maius occupat minus: & aureus Sol theſauri cæleſtis obſcurat terrenarum diuitiarū faculas, diuitiarumque fauillas.

Ouidius.

Prou. 1. 17.

Salon. in opuſc. de myſtica explic. parab. Salom.

2 Nec mirum videatur id fieri à Iuſto, qui totus eſt plenus oculis, & ita à Zacharia celebratur, *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*. Vbi pro numero ſeptenario, ſi Cyrillo præſtatur fides, numerus multitudinis ſumitur: & ex Hugone, *In animato lapide vel Chriſtus, vel Iuſti figurantur*, qui membra ſunt Chriſti, & de quibus prædixerat, *Ecce lapis quem dedi coram Ieſu: Coram membris, ſcilicet, Chriſti*. Si totus ergo Iuſtus plenus eſt oculis, ita ſe cuſtodire ex omni parte debet, ſicut oculi pupilla cuſtoditur, cui etiam leuiſſimus puluis negocium faceſſit. Hanc doctrinam ex Saluiano hauſi, dicit enim, *Perfecta ac ſinceriſſima ſanctitatis volens cultores ſuos facere Saluator, iuſſit ab ijs cautiſſimè etiam minima vitari, ſcilicet, vt quàm pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſet Chriſtiani hominis vita: & ſicut, ſalua intuitus incolumitate, pulueris labem in ſe oculus non reciperet: ſic vita noſtra labem in ſe penitus impudicitiæ non haberet*.

Zachar. 3. 9.

Cyrill. Alex. hic.

Hugo Car. hic.

Zachar. 3. 9. Hugo Car. hic.

Saluianus Maſſil. Epi. lib. 3. de prouid. & guber. Dei.

3 Sicut ergo Zelotypa natura ſupra omnes corporis ſenſus pupillam muniuit, & oculi orbe vallauit, in quo & ipſa, veluti munita ſtella, in capitis orbe relucet: Ita & anima Iuſti debet, ad inſtar

pupillæ tueri, & omni custodia, & munitione seruari. Vtrumque expressit Ambrosius, non minus eloquenter, quàm vtiliter. *In summa corporis parte constitui oculos oportuit, tamquam in arce, & ab omni vel minima offensione defendi, & tuti ad cauendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, vtpotè in crystalli speciem refulgentes. In quorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur. Hæ, ne quid incidentis iniuria offensione lædantur, pilis hinc inde consertis, velut quodã vallo per circuitum muniuntur. Vnde tutum auxilium postulans Propheta, ait, Custodi me Domine, vt pupillam oculi, vt protectionis Diuinæ fieret ei tam solicita & tuta custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo dignatus est.*

Ambros. li. 5 hexæmer. cap. 9.

4 Pupilla oculi adeò est delicata, vt vbi pes ad lapidem offendẽs, parum læditur: crura gladio percussa, curantur: manus baculo icta, non cruentatur: pupilla oculi, vel arenæ lapillo, vel festucæ ictu, vel puluere tenuissimo iniecto, & obscuratur, & perit. Iustorum ergo vita, vt pupilla custodienda est etiã à leui puluere, & à veniali quolibet peccato, Vnde sic subdit Ambrosius, simul nos monens & docens, *Quia innocentia & integritas leui sorde aspersa violatur, & gratiæ suæ munus amittit: ideo prospiciendum ne quis eam puluis erroris obnubilet, aut vlla vexet festuca peccati.* O miram innocentiæ dignitatẽ, quæ vel à festuca verbi otiosi, vel à puluere cogitationis indifferentis, vexari potest, & conscientię stimulo cruciari!

Idẽ Ambr. ibid.

5 Ideo de Iusto dicitur, ne dum in communi, sed in particulari, quodcũque faciet prosperabitur, De quo verificatur Pauli encomium, *Ipsius enim factura sumus, creati in operibus bonis.* Si autem cum Græco nos legamus, ποίημα, vbi Vulgata legit *Factura*, optimè cognoscemus cuiuslibet operis nostri facturam debere poemati assimilari. Sicut Poesis requirit, vt carmen limatum atque politum sit, vtque certis quibusdam syllabis ac numeris ita constet, vt si vel vna syllaba desit, desit & poesis nomen, ac definitio: Sic opus omne Iusti debet poesi comparari, debet ex omni parte integrum, concinnum, ac perfectum construi, debet omnẽ virtutem compositionis, nõ ex poesi, sed ex diuinæ legis decretis, sic continere, vt nec, *Iota vnum, nec vnus apex prætereat à lege.* Docet nos Basilij regula hanc poesim Christianam. Ipse proposito vel dubio, vel quæsito, An si quis pro leuibus peccatis fratrem vrget ad pænitentiam, inclemens habendus sit, & caritatis euersor? Hãc Christi sententiam in medium adducens, his verbis propositæ quæstioni facit satis. *Cum asseueranter Dominus affirmauerit, quod Iota vnum, vel vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant: cùm idem etiam pronunciauerit, quòd omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij. nihil omnino tamquam minutum contemni debet, qui enim rem contemnit, contemnetur ab ea.*

Ad Ephes. 2. 10.

Græcus.

Matt. 5. 18.

Basil. in regul. breuiorib. inter. 4.

6 Ex dignitate personæ, vel augetur, vel minuitur offensa, & vbi graue & iniustum bellum inire cum homine vili, leue est malum: cum Principe vel Rege belligerare, delictum est maximum, vnde ortum duxit Adagium, *Cum dijs non pugnandum*: & inde Pindarus consulit, *Oportet aduersus Deum non contendere.* Sic vel leue bellũ, cum leui culpa inferre cælo, pro maximo æstimari debet delicto ac malo. Illuminet meas vmbras Saluianus, *Si illustrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari à quoquam licet, & si quisquam exhonorauerit, decretis legalibus reus sistetur: quantò vtique maioris piaculi crimen est, iniuriosum quempiam Deo esse? Semper enim per dignitatẽ iniuriam perferentis, crescit culpa facientis: quia necesse est quanto maior est persona eius, qui contumeliã patitur: tanto maior sit noxa eius qui facit. Et hinc est quod legimus in lege etiam eos, qui videntur contra mandatum sacrum leuia fecisse, seuerissimè tamen fuisse punitos: vt intellige-*

Adagium.

Pindarus in Pythijs Hymno 2.

Saluianus Episc. Mass. lib. 6. de Guber. Dei.

remus scilicet, nil ad Deum pertinēs leue esse ducendum, quia etiam quod videbatur leuissima esse culpa, grande id fatebat diuinitatis iniuria. Idque probat tum ex Ozæ mulcta, tum exemplo Israelitæ Sabbato legētis ligna, ad mortem damnati: & tum aliorum Hebræorum, etiā de leuibus & iniustis iustè punitis: quæ enim leuia ex se videntur secundum iudicium humanum, grauissima euadunt nimium ob dignitatem eximiam ac diuinam. Hinc Hieronymus sanxit, *Et sanè nescio an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Deum admittitur: estque ille prudentissimus, qui non iam considerat quod iussum sit, sed qui iusserit: sed quantitatem imperij, sed imperantis cogitat Maiestatem.*

Hieronym. Epist. 14. ad Colantium.

7 Aristoteles docet, *Quòd specula, non secus ac vestes mūdissima, celerrimè notam aliquam contrahunt, quod enim mundum est atque purum, exactè commōstrat quicquid excipit, & purissimū minimos motus, etenim quod leue tersumque sit, qualemcumque tactum maximè sentit.* Vbi verificatur prouerbium, *Etiam pilus vmbrā facit.* Ita Iustorū cor Deo est pro speculo, de quo ipsi asserunt, *Nos autem gloriam Domini speculātes*: Vel ex Græco, *Speculi vicem gerentes*: in quo vel pilus verbi, vel actus & motus minimus vmbram facit, & macula inficit. Tale speculum erat Malachia, de quo Bernardus, *In Malachia quis etiam si curiosius obseruet, deprehendit, non dico otiosum verbum, sed nutum? quis manum pedemque mouentem frustra? Imò quid non ædificans in eius incessu, aspectu, habitu, vultu?* Hanc speculi puritatem requirebat Lactantius in Christiano, asserens *In religione Christiana pro sacrificio exigitur bona mens, purum pectus, innocens vita. Hic communi & leui peccato locus est nullus.*

Arist. in lib. de insōnijs.

Adagium.

1. Cor. 3. 18. Græcus.

Bern. in vita S. Malachiæ.

Lactantius lib. 5. de institutione c. 19.

8 Forsan obijciet aliquis vel verba Iob, *Nemo mundus a sorde*: vel sententiam Salomonis, *Septies in die cadit iustus*? Sed legat, quæ hic subdit, *Et resurgit*: & quæ Sponsus addit, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et vidēs nauim inter Charybdim & Scyllam, aduocet in gubernaculo vel Bedam dirigentē illam, atque dicentem, *Macula non est in te, quia celeriter omni conatu te expurgas, nec in te manere peccatum vllum pateris*: Vel Gregorium docentem, *Dum sancta anima peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, tum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, & a minoribus se custodit, quamuis frequenter peccet, per assiduam tamē pœnitentiam, munditiam suam assiduè seruat.*

Iob 25. 4. Prou. 24. 16. Cant. 4. 7.

Beda in c. 4. Cāt. Cantic.

Greg. Papa hic.

9 Talis ac tanta puritas requiritur in Christianis, tanta ac talis in primitiua Ecclesia iam apparuit, vt vel vnum mendacium in Anania & Saphyra à Petro fuerit etiam morte multatum: vel vnum ab Ecclesia malum Paulus expulerit, ne contactu suo plurimos inquinaret. At nunc iure cum Saluiano exclamare licet, *O miseriam lacrymabilem! ò miseriam luctuosam! Quàm dissimile est nunc a seipso populus Christianus, id est, ab eo, qui fuit quondam. Nunc nos etiam pari, etiam vtriusque partis numero contenti sumus. Et quid contenti dicam? Exultare nos potius ac gaudere tripudio conueniret, si paritatis ista nobis contingeret.*

Saluian. de gubern. Dei lib. 7.

11 De Alexādro memoriæ proditum est, *Quòd cùm Miletis vidisset multas statuas eorum, qui in Olympijs & Pythijs vicerant, easque pergrandes. Et vbi, dixit, erant tam magna corpora, quùm Barbari vestram vrbem obsiderent?* Ast, ego videns è tot Barbaris, talia enim sūt vitia, peccataque talia, quibus nūc Christianorum populus obsidetur, cum lacrymis dicā, Vbi sunt Apostoli? Diaconi vbi? Vbi Martyres inclyti, vbi Confessores lucidi? Virgines inuictæ vbi, vt Barbaros hosce ac dæmones ab Ecclesia pellant? Heu! repetam cum eodem Episcopo Massiliensi, *Ecce in quid recidimus, ecce in quid post illam populi puritatem, qua omnes quondam immaculati erant: ecce in quid redacti sumus, vt beatam fore Ecclesiam iudicemus, si vel tantum in se boni habeat, quā-*

Ex lib. 2. Apoph. vbi de Alexan. num. 8.

Idem ibid.

tum

tum mali. Nam quomodo nō beatam arbitremur si media plebis pars habeat innoxiam, quam pene totam nunc esse plangimus criminosam? Ploret nunc ergo Ecclesia cum Ieremia, *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocauit aduersum me tempus.* Vbi Origenes ait, *Dum passi sūt acerbissima electi, vocat fortes quidem, strenuos in bello, patriaque defensores.* Quasi diceret, Vbi sunt tam magna corpora nūc, cùm à tot Barbaris obsideor? A tot dæmonibus inuador? Et à tot maculis malorum cōtaminor? Et vbi Iusti, de quibus verificetur, Et omnia quæcumque facient prosperabuntur?

Thren. 1. 15

Orig. hic.

CAELI DAVIDICI

VERSIO LII.

Ex Chaldęo.

Et omne germen eius, quod germinet, granescit, & proficit.

CIRCVLVS I.

Iusti, instar frumenti sati, moriendo, granescunt.

1 SAnum ac sanctum Sapientis consilium, omni conatu, omnique ausu, & nisu à Iusto est amplectendum, *Quasi qui arat et seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius. In opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.* Vbi duo paria rerū opponit Ecclesiasticus, & contra mortem, vitam ducit feliciter in arenam. Inde demonstrat arātem, terram scindentem, sulcisque proscindentem, sed non errantem, quia inde in aratione in satione atque in seminis morte exiguū laborē ostendit, leueque onus ac opus: & hinc generationem, prouentum, & fructuum fruitionem, in qua impletur cælestis Agricolæ vel promissum, vel decretum, *Si granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, multum fructum affert.* O fœcunda grani satio! O fecunda frumenti absconsio! O vitalis seminis mors, vel mortificatio!

Eccli. 6. 19.

Ioan. 12. 24.

2 Aspicite, & admiramini tum breuem mortem, tum prolixam Iusti vitam sub tali schemate sic à Zenone descriptam, *Granum frumenti conditum terra interit, & tamen in eo, id quod intus est, reuiuiscit: nec mortem medullitus capit, sed suum sibi genitale in germen expirans, vetusti corporis superficie deleta, immo in melioris naturæ iura transmissa, felix caput omnibus virentibus redimitum, quasi ab inferis demersum, in superna sustollit, perennitatis gloriam fructu populoso tenturum. Hoc hactenus Paulo firmante, Stulte, tu quod seminas, non viuificatur, nisi mortuum fuerit, seminatur enim in interitum: resurgit in perpetuitatem.*

Zeno Epis. Ver. in ser. de Resur.

3 Canat regius Propheta in tam noua, ac tam inusitata victoria vitę per mortem, & hymnum triumphalem sic intonet, *Iustus, vt palma florebit*: Vel ex Tertulliano, *Vt Phœnix florebit.* Quis audiuit vmquā tale? aut, quis vidit huic simile? Vt de morte, de funere, de ignis quoque substantia, & vita resur

Psal. 91. 13. Tertull. lib. de resurr. car. c. 13.

gat,

gat, & flores colligantur? Non paueat Iuſtus mortificationes, tribulationes nō timeat, perſecutiones non horreat, ex tali enim morte, & tali igne, & ex talibus flammis ipſe florēs egreditur, oritur redimitus, renaſcitur cum Corona. O felix Iuſtus, o admirabilis Phænix. *Phœnix*, vt Zeno docet, *auis illa pretioſa, quæ nobilitatē generis ſui non à parentibus accipit, non liberis tradit, ipſa eſt ſibi vterque ſexus, ipſa omnis affectus, ipſa genus, ipſa finis, ipſa principium: non ex coniugio naſcitur, nec officio alieno nutritur, non inuita, non imprudens moritur: ſed cùm maturum lethi tempus aduenerit, à ſemetipſa inuitatis ſacris ignibus libentiſſimè concrematur. Sepulchrum nidus eſt, illi fauilla nutrices, cinis propagādi corporis ſemen, mors natalibus dies. Denique poſt momentum, feto exultat in tumulo, non vmbra, ſed veritas: non imago, ſed Phœnix: non alia, ſed quamuis melior alia, tamen prior ipſa.* Inde te arguēs idem Epiſcopus, ſubdit, *Erubeſce Chriſtiana conſcientia vel tot, ac tātis ex rebus quemadmodum rurſum, eadēque iſſes melior futura, cognoſce.*

Zeno ibid.

Idem ibid.

4 Dic ergo, & tu cum Apoſtolo, & alacriter, ne dū libens repetito cum illo, *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Ambiges quomodo poteſt Iuſtus & viuere, & mori? Mori peccato, mori mundo, mori veteri homini: viuere nouo, viuere iuſtitiæ, & Chriſto viuere, O Phænicem nouam, o mortem vitamque felicem. Et tu cū Theophylacto gloriare, *Nouam quamdā vitam viuo, & Chriſtus eſt mihi omnia, & ſpiritus, & vita, & lumen. Nō vitam naturalem reijcio, ſed vitam, quæ peccato dedita eſt huius mundi impoſturæ accomodantem ſe ſe. Chriſtum autem confiteor mihi eſſe vitā: mors autem lucrum eſt, quia tunc apertius cum ipſo verſabor.* Vel cum Anſelmo repete, *Quod ego viuo, Chriſtus eſt, non habeo vitam, niſi Chriſtum: non viuo veterem hominē, ſed nouum, qui totam meam vitam renouauit. Mors eſt mihi lucrum, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus accipiam æterna.* Vt Phænix, ergo,

Ad Philip. 1. 21.

Theophylactus hic.

Anſel. hic.

floret Iuſtus, innouaturque multò melius quàm Phænix, beatus, ſic enim innouatur, vt carni moriēns, ſpiritui viuat: peccato moriens, iuſtitiæ viuat: homini veteri moriēs, nouo homini viuat: terræ moriēs, Cælo viuat: temporalibus moriēs, æternis viuat: ſibiq. moriēs, Chriſto & Deo viuat, ac lætus canat, *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

CIRCVLVS II.

Germen Iuſtorū eſt mors, quæ vitam germinat.

5 Miram naturæ artem obſeruabat Epiſcopus Veronēſis, qua non homines tantum, ſed pene omnia ſuis mortibus viuunt, idque eloquēter probabat, ne dū in terræ feminibus, ac in Phænice: ſed etiam in immortalibus cæli luminibus, vbi Stellæ, Sol, Luna, modo cadunt, modo ſurgunt: modo moriuntur, modo oriuntur: modo latent, modo patent: modo labentes è cęlo faces funereas circa feretrū accenſas oſtendunt, & modo cum rediuiuo lumine in ſedibus ſuis exultantes redeunt. Sic enim ait, *Stellæ præcipites labuntur è Cælo, & à tergo longo flammarum albeſcentium tractu funereæ faces ſolemnitate in occaſus ſuos, quaſi quibuſdam deducuntur exequijs: quas ſi per plagas vnde refixa ſunt, quæras, rediuiui luminis lege, ſuis ſedibus reſurrexiſſe agnoſcas. Sol quotidie naſcitur, eademque die, quo naſcitur, moritur: nec tamen inſtantis finis forte terretur, ſuos vt repigret curſus: vt horas, ac momenta producat: vt ſaltem paulò diutius diei ſui demoretur in vita: ſed fidelis ſemper, ſemper intrepidus ad ſepulchrum noctis cognatæ contē dit, ſciēs in ipſo ſe habere, quod viuit: denique adimitur ei ortus, ſi ei auferatur occaſus. Luna quoque, quæ verè rationis humanæ omnia in ſe lineamenta depingit, nata ſanguineæ teneritudinis, dubio cornu primò, quaſi de cunis apparet, paulatimque*

Zeno Epiſc. Veron. in ſer. de reſur.

cre-

crescendo, iam puella, iam virgo, pro quotidiana ætatis incremẽto progrediens, lasciui cursus ambagibus carpit pensa mundana. At ubi matura aureo igne flagrãtis lucifluì auriga, par laboribus fratris angustis circulis argenteum compleuerit globum, paulatim deuergit in finium, donec vltima senectute consumpta sua morte reuiuiscens, menstrualis ignis solemni germine accenso, sumat rursus de fine principium. Eadem lege & & Iustus, qui Sol, Luna, & Stella est, occidendo oritur, moriendo viuit, cadendo resurgit, resurgendo triumphat.

6 Tot ergo in Stellis materialibus, in Sole ac Luna mortes pariẽtes vitam admirantes: in spiritalibus Stellis nempe in Iustis, de quibus Apostolus asserit, *Inter quos lucetis, tamquam luminaria in mundo, verbum vitæ continentes*: quanto magis admirandæ cernentur? Lucent in mundo Sancti, & ex Ambrosio, *Tam clari apparent vita, cõuersatione, moribus, quemadmodum Sol, & Luna inter Stellas splendore sublimes sunt.* Et sicut Stellæ, apparente Sole, obscurantur: ita iniusti & infideles apparentibus Iustis, turpes & deformati videntur. Imitentur itaque Iusti luminaria Cæli, & etiam ipsi suis mortibus viuant, & de viuaci morte cum Doctore Gẽtium, eorum quilibet glorietur, & canat, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*: cognoscatque aperte, & expertus sciat, quòd tunc apud eum Auctor vitæ viuit, cùm sibi ipse non viuit: & cum Bernardo fateatur, *Ad alia quidem omnia mortuus sum, non attendo, non curo: si quæ vero sunt Christi, hæc viuum inueniunt, & paratum.*

Ad Philip. 2. 14.

Ambros. hic

Ad Philip. 1. 21.

Bernar. ser. 7. de quadragesima.

7 Quemadmodum qui duo cinctoria consuit, finem vnius cum alterius extremitate connectit: Ita, cùm Christus de se dicit, *Ego sum principium & finis*: & de hominibus scriptum sit, *Sumus & nos quodammodo finis omnium.* qui cingulo immortalitatis circumdari cupit, debet simul vnire propriæ mortis finem cum fine atque principio æternæ vitæ, vt scilicet, sibi mortuus, Christo viuat. Non est meum inuentum, sed Bernardi, sic philosophantis, *Omnino necesse est vitæ præsentis finem futuræ cohærere principio, nec ibi tolerabilis dissimilitudo est. Sicut enim, si quis duo sibi cinctoria consuere, aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipsa quæ sibi copulanda sunt capita, vniformiter parat, ne dissideant à seipsis: ita si carnalis fuerit consummatio nostra, vita illi spirituali non cohæret, nec caro & sanguis regnum Dei poterunt possidere.*

Apocalyp. 1. 8.

Arist. lib. 2. physic.

Bern. ser. 1. in die SS. Apost. Petri & Pauli.

8 Odorauit fortè Cicero hanc mortis & vitę vnionem, atque horum vinculorum similitudinem, eamque descripsit, sic se ipsũ monens, sic aliis consilium præbens, *Disiungamus nos à corporibus, id est, consuescamus mori: hoc & dum erimus in terris, erit illi cælesti vitæ simile: & cum illuc ex his vinculis emissi fuerimus, minus turbabitur cursus animorum.* Si talia dicit Tullius, quanè docebit Ambrosius? Is ergo sic ait, *Quid est Christus, nisi mors corporis, spiritus vita? Et ideo commoriamur cum eo, vt viuamus cum eo. Sit quidem quotidianus vsus in nobis affectusque moriendi, vt per segregationem à corporis voluptatibus, anima nostra se discat extrahere, & tamquàm in sublimi locata, quo terrenæ adire libidines, & eam sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, ne pœnam mortis incurrat.* O diues negociatio, qua per momentaneam mortem vita emitur æternalis. O terque quaterque beatus, de quo dici potest, Gustauit & vidit quia bona est negociatio eius, dum mortalia dat pro immortalibus, humana pro diuinis, & terrena atque caduca pro cælestibus & æternis.

Tullius in prima Tusculana.

Ambrof. li. de fide resurrectionis

9 Sed notate verba Ambrosiji, & signate mysteria, quæ illa verba sonant, Sic ipse primùm præscribit cõmunem legẽ, *Cõmoriamur cum eo, vt viuamus cum eo*. Aduocate ad hoc ciuilis iuris statutum, *Cùm in societatis contractibus fides exuberet, conuenit æquitatis rationibus, etiam compendia æqualiter inter socios diuidi*: & hic, notate Glosam.

L. cum in societatis C. de socio.

Non

Glosa hic :

Non solum onera, sed & compendia æqualiter inter socios esse diuidenda. Quod si hoc rationi cógruũ est, vti & est, quis ignoret societatem nos hic habere cum Christo, si hoc apertissimè asserit Discipulus ille, qui verum testimonium perhibet? Compendia ergò & onera æqualiter sunt diuidenda, & qui vult vitæ compendium, mortis debet sustinere dispendium. Lex enim societatis lata à Paulo apertè hoc asserit,

2. Cor. 1. 7.

Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. Vbi Ambrosius,

Ambr. hic.

Iam firmus est credens, compatitur cum suo Magistro, fidens de spe futura, vt simul consoletur, cum quo & compatitur. O locupletem, & salutarem societatem, per quã breuis compassio, & mors momentanea, perpetuam parturit vitam, gloriamque æternalem.

10 Deinde, si Ambrosius subdit, quod anima in sublimi locatur, quo terrenæ adire libidines non possunt: quis non videt elata nimium adiuuari spiritalia arma ex loco? Valeat in hoc Augustini decretum,

Aug. lib. 1. de ser. Domini in monte.

Si calcari non potest nisi inferior, sed inferior non est, qui quamuis corpore in terra multa sustineat, corde tamen fixus in cælo est. Anima ergo in cælo taliter fixa, omnia calcat, de omnibus triumphat, & triumphans canit,

Iob. 7. 15.

Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea: implẽs & quod per Hoseã prophetam est præscriptum,

Hos. 11. 7.

Pendebit populus meus ad reditum meum: & quod ab Vuerrico est additum,

Vuerric. in alleg. Gotfridi Tilm.

Pulchrè omninò, & propriè pendebit tamquam inter cœlum, & terram, vt licet adhuc apprehendere cœlestia non valeat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, nonnisi extremis articulis, id est, extremis partibus animæ propter necessitatem corruptionis nostræ, cui seruire cogimur, quamdiù vanitati seruire cogimur. Ego autem dico, Fideliter expectat, qui sic pendet. Quamobrem elegit hoc suspendium anima mea, & in ipso suspendio mortem ossa mea, vt perseueranter in Cruce ista pendere merear, dum immoriar. Quis non lętabundus, & laudans in momento ex hac Cruce pendeat, vt inde æternũ gloriæ põdus, victor mortis, & vitæ inuentor, acquirat

11 Et si Mediolanensis Antistes concludit, *Suscipiat mortis imaginẽ, nè pænam mortis incurrat*: quàm beata sors Iusti est, vt vbi iniusti vmbram vitæ suscipiũt, & pænam secundæ, veræ, æternæque mortis incurrunt: ipse suscipiens libenter & gratanter mortis momentaneæ imaginem, secundam, veram, perpetuamque mortem euadat? De hac mortis vmbra iure beatus vir dicere potest mundo,

Adagiũ ex Aristoph. in Auib.

Vmbra territas. Aliqui vasorum inanium strepitu vel pauefaciunt pueros, vel propellunt aues: & mũdus mortis vmbra territat, talis est.n. mortificatio p̃sens, quæ impios à dura via virtutis deuiat, & per inuia vitiorũ ad mortis corpus inclinat, vbi

Adagiũ ex Gabhia.

Vmbram inueniunt pro corpore: nihil tandem aufuerũt præter titulum, vnde vel spes metunt, vel desperatis manipulis implent sinũ. At pius, corpus inuenit pro vmbra, gloriã pro ignominia, vitam veram pro mortis imagine, & mortis victor, atque inuictus, canit,

Psal. 22. 4.

Nam etsi ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala. Vt enim docet Euthymius,

Euthym. hic

Vmbra mortis est vita pręsens, nam quemadmodum mors animam separat à corpore: Ita & præsens mundus amatores suos separat à Deo: quod si quis cum Deo est, erit etiam Deus cum eo. Iustus ergo. qui ambulat per hanc vmbram, & per,

Æneid. 2.

Plurimam mortis imaginem; semper mortificationem Iesu in corpore circumferens, non timet mala, sed vita Iesu manifestatur in corpore eius: est enim, est semper vmbræ proximũ vįtale lumen: est etiam morti spiritali vicinior semper diuina lux & vita, quę à malis liberat, & ad vera bona perducit.

CAELI DAVIDICI VERSIO LIII.

Ex Vatablo.

Quodcumque ediderit, proſperè cadet: & ex M. S. Omnia quæ egerit, proſpera erunt.

CIRCVLVS I.

Iuſtus etiam in culpa proſperè cadit.

1 ADmirabilis non minus, quàm amabilis eſt Doctoris Gentium celebris ſententia, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: & rara ſimul & cara eſt Gloſæ explanatio, *Omnia cooperantur in bonum, etiam peccata. Vſque adeo enim diſponit ſumma bonitas, vt talibus omnia cooperētur in bonum, vt ſi qua horum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis proficiat in bonum*. Sed dices, qui fieri poteſt, vt peccata contineantur ſub verbo, *Omnia*: cùm, ſecundùm Auguſtinum, *Peccatum nihil fit, & nihil faciat homines, cùm peccant?* Sed reſpondet ſubtiliter D. Thomas, *Quòd bonum hominis non ſolum cōſiſtit in caritate, ſed præcipuè in perſeuerantia ipſius vſque ad mortem. Ex hoc autem, quòd Iuſtus cadit, reſurgit cautior, & humilior: vnde in Gloſa ſubditur, Poſtquam dixerat, quòd hoc ipſum faciat eis in bonum proficere, quia ſibi humiliores redeūt, atque cautiores. Diſcunt etiam cum tremore exultare debere, non quaſi arrogando ſibi tamquam de ſua virtute fiduciam permanendi.*

Ad Rom. 8. 28.

Gloſa relata à D. Thom. lect. 6. in caput 8. epiſt. ad Rom.

Aug. tract. 1 in Ioan.

D. Th. ibid.

2 Sed ſi ex Philonis ſententia, *Fulchrum generis humani Iuſtus eſt, lucis dotes communicans, & in publicum vſum conferens*: quid de mūdo fiet, ſi ipſe obſcuratur? Et quid de genere humano, ſi eius fulchrū aufertur? Dicam idipſum in hoc accidere, quod in lucerna euenit, & in fulchro. Fulchrum pes lecti eſt, vt Virgilius canit, *Fulgent genialibus altis aurea fulchra toris*: & hoc aliquando, dum breui interuallo aufertur, vt melius firmetur, ſuſtentato interim foro à potenti dextera, damnum in donum vertitur: & lucerna, dum, in ictu oculi, emūgitur, lumē ei adimitur, ſed non amittitur, immo rediuiui luminis flamma emicat clarior: Ita Iuſtorum caſus, & eos & quos ſuſtinent firmat ſtabilius, & illuminant clarius. Valeat ad hoc probandum Auguſtini Decretum, *Prædeſtinati ex caſu humiliores, cautiores, & feruentiores reſurgunt*. Cū enim reſurgant humiliores, quis neget euadere firmiores? Et cùm exurgant feruentiores, quis non videt illos reddi fulgentiores?

Philo Heb. in lib. de migratione Abrahæ.

Virg. Æneid. 6.

Aug. lib. de corrept. & grat. c. 1.

3 Adagium erat, *Semper feliciter cadunt Iouis taxilli*: & dicebatur in eos, quibus felici & perpetuo quodam cæleſti fauore, ex animi ſententia caderent omnia: tranſlatum à talorum iactu, vbi fortaſſis antiquitus obſeruatum eſt Iouis talos omnibus aliis cadere feliciores. Sed quod antiquitus de fabuloſo dicebatur Ioue, ac de taxillis, nunc, de nouo, optimè aptari poteſt, & Deo, & Iuſto, de quo Pſaltes canebat, *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam* Vbi, etſi Caſſiodorus te doceat, *Vt non in peccatum cadere intelligas, quia Iuſtum dixit*: attamē Origenes dicit, *Etiam ſi in peccatū mortale cadat, non proſterni eum, qui*

Adagium.

Pſal. 36. 24.

Caſſiod. hic

Orig. hic.

exurgit per pœnitentiam, vt patet Dauidis exemplo peccatum fatentis. Sicut pulli adhuc implumes,& volare præsumentes, casus non est in ruinam, dum mater illicò occurrit,eleuat, & in nidum reportat:ita & Iustis accidit dum cadunt, & à Christi manu statim eleuantur. Non est meum inuentum, sed Chrysostomi, *Et sicut antequam volare queat, si nido pullus exierit, in terram decidat, mater velociter raptum, in nidum restituit: Sic tunc Christus in Petro peregit, cùm mergi capisset. Vt enim ostenderet, à modiesa fide sua ipsum euerti,ait,Quid hæsitasti,modica fidei: Nisi enim labefactatus in fide aliquo modo fuisset, etiam ventis facilè restitisset. Ideireo manu comprehendens eum, confirmauit vento spirante, qui, donec fides firma erat, nihil nocere potuit.* Hoc autem, quod cum Petro in mari fecit, vbi peccatum nō commisit: idem in Iudieis domo egit, vbi ter cecidit in culpam negationis, & à Christi dextera, in qua est salus: & ab oculorum intuitu,in quo est vita,nec collisus, nec prostratus iacere permissus est, sed per pœnitentiam,atque per lacrymarum lauacrum, ad altiora erectus est,& magis humilis, firmior magis, magisque compatiens ac benignus surrexit.

Chrysost. hom. 51. in Matt.

4 Hinc Salomon hanc causam, & casum hunc definiens, dicebat, *Septies in die cadit Iustus, & resurget.* Sed addubitabis, si Iustus quomodo cadit? & si cadit, quomodo adhuc dicitur Iustus? Dubium non nouum, nec à me, sed à Beda est propositum, dum petit, *Quomodo autem Iustus appellatur, qui cadere,id est,peccare memoratur?* Et quāuis ipse nodum dissoluat,interpretans sapientem Regem loqui non de peccatis grauibus, sed de leuibus, *Sine quibus nec Iustorum quispiam in hac vita esse potest*: attamen etiam de mortalibus culpis dici libere potest,quod Salomon loquatur, nec per ista deperditur nomen Iusti,quia tam cito resurgit,et cum tanto fœnere, vt cecidisse nullatenus videatur. Audiatur in lite hac, Ambrosii decretum,sic statuentis, *Sancti Domini, qui consummare pii certamen gestiunt, & currere cursu salutis: sicubi forte, vt homines corruerint, natura magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina: vt non solum nullum attulisse existimetur lapsus impedimentum,sed etiā velocitatis incentiuum cumulasse.*

Prou. 24. 16.

Beda hic.

Idem Ibid.

Ambrof. in apolog. Dauid. li. 1. c. 2.

5 Dum ergo causam inquirerē huius cumuli, & incentiui,in mentem venit, quod de Mida fabulantur Gētiles, quodque de illo Ambrosius memoriæ prodit, *Qui quicquid tangebat, aurum fiebat.* Si ergo is cadenti plumbo dexteram supponens,plumbum excipiebat,quis neget plumbo casum verti in eleuationem, ruinam in pretium, & damnum in donum,dum in manu eius vertebatur in aurum? Eodem modo si in peccatū cadens, plumbi induit formam, sed in manibus Christi, forte vel sorte cadens, quæ sunt, *Tornatiles aureæ,plenæ hyacinthis*: & instar torni in momento mutant,plumbum in aurum, & hyacinthis humilitatis ac pœnitentiæ exornant,quis non asseret eum, etiam velocitatis incentiua cumulasse?

Ambrof. li. 7. in Luc. c. de refectione turbarū.

Cant. 5. 14.

6 Ad hoc probandum aduocetur Bernardus. Ipse explicās verba Pauli à nobis allata, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: & connectēs ea cum sententia Salomonis, Septies in die cadit iustus,& resurgit: sic expēdit lucra ex tali casu q̄sita, ob manū tornatilē & auream, in qua diligēs cadit, *Iustus suscipitur à Domino, ideoque resurgit fortior. Et quia super manū Domini cadit, miro quodam modo etiam ipsum ei peccatum,in iustitiam cooperatur.* Vides plumbum peccati,in aurum iustitiæ conuersum? Si autē aspicere cupis hyacinthos humilitatis & cautionis, quibus in tali casu,ob talem manum auream & ornatam hyacinthis ei suppositam, exornatur, audi quid subdat, *Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum,vnde humiliores efficimur,& cautiores? Nonne Dominus cadentē*

Bernar. ser. 2. in Ps. Qui habitat.

Idem ibid.

illum

illum susceptit, qui de humilitate suscipitur? Impulsus sum, vt caderem, ait Propheta, sed nihil profecit qui impulit me, quoniam Dominus suscepit me. Tale plumbum infidelitatis Apostoli Thomæ in talis manus tactu, de quo dictum ei est, Tange loca clauorum: in aurum fidei versum est, Quia vidisti me Thoma, credidisti.

7 Coronemus hunc circulum cum Nazianzeno, qui idem asserit de Iusto, quem ipse, familiari sibi loquendi formula, philosophum appellat quod de ignito ferro dum aqua aspergitur, euenire solet, non enim extinguitur, sed magis accenditur: non frigescit, sed plus ignescit: non emollitur, sed potius induratur: nec fauillas minuit, sed flammas auget. Audiamus Theologi verba, quæ cedro sunt digna, *Philosophicus animus ex eo, quod passus sit, generosior redditur: atque vt eandem ferrum frigida aspersione, ita periculo obdurescit.*

Greg. Naz. orat. 23.

CIRCVLVS II.

Prosperè agit Iustus, dum patienter, & alacriter tribulationes patitur.

8 DOctoris Gentium sententia, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: paulò ante cum Augustino, cum Glosa, & cum D. Thoma à nobis exposita etiam de peccatis: ab Ambrosio, a Hieronymo, & à Theodoreto ad tribulationes, ad pressuras, persecutionesque auuocatur, & trahitur, & Theodoretus verbũ Græcum, συνεργεῖ, quod potest verti in plurali, & in singulari, in singulari transferens, sic decretum interpretatur, vt sensus sit, *Spiritus sanctus diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, facitque, vt omnia, quantumuis tristitia, & aduersa ei cedant in bonum.* Notandum verbum, *Cedant in bonum*, non in voluptatem, non in libitum, non in aliud quiduis, sed in bonum, & non bonum fallax, sed verum bonum, firmumque ac æternum bonum.

Ad Rom. 8. 28.

Ambrosius. Hieronym. & Theod.

Græcus.

Theodor. hic.

9 Docebat Plato, & vtiliter valde dicebat, *Quæcumque bona, vulgo dicuntur, deprauant animum atque impediũt, forma, diuitiæ, corporis vires, genus in Ciuitate potẽs, & genera eiusmodi: & animos præstantissimos ingenio praeditos, si malè fuerint educati, pessimos fieri: vbi si ipsa natura Philosophi conuenientem nanciscitur disciplinam, necesse est eam semper proficiendo, ad omnem peruenire virtutem. Hoc autem, verum bonum est, illud autem mendax.* Eodem pacto de vero bono, & falso, de vero beato, & populari, est nobis philosophandum. Vulgus putat bonum atque beatum diuitem, & non minus vitiis, quàm auro locupletem, vnde, *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Vbi Cassiodorus, *Sic iudicant, qui veritatis discipuli non fuerunt: mundi diuitias præferunt, & cælestia regna contemnunt. Sed audite malè persuasi, audite dementes in sinistra poni, quæ putatis esse magnifica, sic enim ac Sapientia legitur, In dextera eius anni vitæ, in sinistra verò diuitiæ & gloria.* At Regius Psaltes, nonnisi illos iudicat esse beatos, qui in Deo sunt diuites, *Beatus populus, cuius est Dominus Deus eius.* Si quæras quinam, & qualis hic populus sit, cuius est Dominus Deus eius: illos tibi demonstrat Cassiodorus, *Quibus propitius esse dignatur.* Er si vltra requiras, quibus propitius esse dignatur? Paulus respondet, Quibus omnia cooperantur in bonum: id est, vt Bernardus exponit, *Quibus non ad libitum, non ad voluptatem, sed omnia cooperantur in bonum. Quia sæpe sibi suoque appetitui contraria, dura, & molesta perferre coguntur: hæc tamen ipsa, licet non ad voluptatem, ad bonum tamen eorum, siue patientiæ, siue humilitatis, siue continentiæ, siue aliarum virtutum, & ad bonum gloriæ tam præsentis, quàm futuræ & æternæ cooperantur.*

Plato in dial. 6. de repub. vel de iusto.

Psal 143.15

Cassiod. hic

Cassiod. ibidem.

Bern in ser. de Fallacia vitæ præsentis.

10 Figurabant Poetæ, & tamquam pictores, quibus quodlibet

audiendi fuit sẽper æqua potestas, & liberis penicillis effictisq. coloribus prodigiosam arborem fingebant, quæ ferro icta iniuriam vertebat in gratiam, iacturam in lucrum, mortem in vitam, & omne damnum in donum. Nec poterāt, si vera dixissent, clarius depingere beatum virum, quem tamquam lignum secus decursus aquarum plantatum Psalmista describit. Hęc autem Nazianzenus, sic nos edocet. *Est quadam in fabulis arbor, qua cùm cæditur, viret, & aduersus ferrum certat, ac fidere noua, nouo more loquendum est, morte viuit, & sectione pullulat, atque cùm absumitur, erescit. Habetis fabulam iure suo quiduis liberè confingentem. Mihi vero, eiusmodi esse vir philosophus videtur, floret enim inter cruciatus, ac vita molestias virtutis segetem existimat, atque in aduersis gestit, & gloriatur: sic nimirum se comparans, vt neque ob dextera iustitia arma efferatur, nec ob sinistra flectatur: sed in diuersis rebus idem semper, suique similis permaneat, in materia materia expers, in corpore incircumscriptus, in terra calestis, in passionibus impatibilis; omnibus rebus vinci se facilè sidens, præterquam animi magnitudine, & eo ipso, quòd vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, deuincens.* Hæc ille, prolixo quidem, sed ornato gratoque sermone: id autem totum tribus vel verbis, vel coloribus figuratum videbis a Salomone, *Cadit Iustus, & resurgit*: Vel ex Hebræo, *Cadet, & regerminabit*. O lucrosum casũ! o vitalem mortem! o lætum ortũ! o delectabilem fœcundamque generationem!

Greg. Naz. orat. 27.

Prouer. 24. 16.
Hebræus.

11 Cupitisne aspicere practicè, quod ipse theoricè describebat? Paulum, quasi prodigiosam plantam, sed non fictam, inspicite. Sanctos, quasi admirabiles arbores, sed non effictas, aspicite: & audite, q̃ de seipsis ipsi verè fatētur, q̃ omnia cũ arbore à Nazianzeno effigiata, cõueniunt. Vultis vt dum cæduntur, aduersus ferrum certent? En de tali victoria gloriantur Apostoli, *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*: Vel cum Græco, *Non coarctamur*: Vel cum Syro, *Non premimur*: Vbi Anselmus nunc demonstrat arma & cædes, quas ipsi sustinent, & de quibus dicunt, *Vincula, carceres, verbera, & cetera tribulationum genera in corporibus nostris sustinemus*: Et nunc certamen initum, & victoriā contra ferrum, *Sed non angustiamur*: immo dilatamur ampliori latitudine cordis, vt intus regnet *Caritas, & spatietur animi libertas.*

2.Cor. 4. 8.

Græcus. Syrus.

Ansel. hic.

12 Desideratis vt sectione pullulent? *Aporiamur, sed non destituimur*: Quasi dicant ex sententia Ambrosij, Theophylacti, Anselmi, & Caietani, *Rerum omnium penuria premimur, & bonis omnibus priuamur: sed non sine lucro efficimur, & non opprimimur, Deo necessaria nobis ministrante*. Vultis vt in passionibus sint impatibiles? *Persequutionem patimur, & sustinemus*. Nam ex Nysseno, tribulatio persequitur quidem Sanctos, sed non consequitur illos. Sic enim expendens vltimam beatitudinē à Christo propositam, Beati qui persecutionem patiuntur, dicebat, *Persecutio vehemens studium leuitatis significat, immo vero etiā in currendo victoriam indicat: non enim aliter currendo quis vincere potest, nisi post se relinquerit eum, qui simul currit. Quoniam igitur, qui propter premiũ ab intimeo exagitatur, à tergo habet persequentem, videtur caput & summam in spem posita beatitudinis, velut coronam quamdam in postremis proposuisse verbis, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum calorũ.* Optatis vt in morte viuant? *Deijcimur, sed non perimus*: id est, sequētes Anselmum, *Verberibus prosternimur, sed nõ perimus, nec à cõfessione veritatis, et à prædicatione cessamus: tūc enim fieret nostrũ perire, si sicut habent dominium in carne, dominarentur prædicationi nostra.* Sed verè caro potest verberari, & corpus ligari: at verbum Domini à verberibus liberũ est, vt nõ est alligatum.

Ibidem. Ambrosius. Theophyl. Anselm. & Caiet. hic.

Ibid.

Greg. Nyss. in lib. de beatitudin. or. vltima.

Ansel. hic.

13 Cupidi estis oculos lætos inijcere, & videre eos, miraculi in

star,

ſtar, & florere inter cruciatus, ac vitæ moleſtias virtutis ſegeres exiſtimare? En ipſi coronam præteritis victorijs addunt, *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris*: Vel ex Ambroſio, & Græco, *Semper mortem Ieſu in corpore noſtro circumferentes*. O ſeruorum Chriſti cruciatus, ò vitę moleſtias! Siue dicant cũ Anſelmo, *Semper circumferentes in corpore noſtro mortificationem Ieſu, id eſt, quam Ieſus pro nobis ſuſtinuit, & ſuſtinendam reliquit: hanc enim in corpore noſtro ſemper circumferimus, quoniam ad eius imitationem aſſiduè carnem mortificamus*: ſiue cum Ambroſio, *Quia Chriſti mortem & paſſionem nos eius miniſtri in corpore noſtro, quaſi repræſentatione quadam geſtamus, dubium enim non eſt quin in Martyribus occidatur Chriſtus in ijs, qui pro fide vincula & verbera patiuntur, quin eadem in ijs patiatur & Chriſtus*. Sed ex his mortalibus cruciatibus, & ex moleſtijs hiſce mortis, & vita naſcitur, & oriũtur flores, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris: & ſicut ipſe canit, *Refloruit caro mea:* Ita quilibet Iuſtus, vt palma floreat, *Vt glorioſa immortalitas reſurrectionis manifeſtetur omnibus in corporibus noſtris*.

2.Cor.4.10. Ambroſius. Græcus. Anſel. hic. Ambro. hic. Pſ.27.7. Anſel. ibid.

14 Amor apud Deum, qui caritas eſt, non habet modum, ſed nimia dicitur caritas illius: tribulatio autem menſuram habet, quam Iſaias nunc implet, nunc euacuat, *In menſura contra menſuram*, id eſt, vt Forerius notat, *Similis in caſtigando eris menſuranti ſato triticum, adhibito modo & regula quadam*. Hanc autem menſuræ varietatem ſic explicat Idiota, cum Deo loquens. *Viſitas, & probas: exteriori vulnere, ſanas plagam interiorem: iraſceris, vt manſueſcas: affligis, vt parcas: proſternis, vt erigas: plena eſt miſerationibus ira tua, & iudicia animaduerſionis, quam temporaliter exerces in tuos, certa ſunt tua pietatis indicia. Ideo inter delicias, & dolores, ira, & miſericordia tua ſapienter agnoſcuntur. Nam ſicut in nobis paſſiones tuæ abundant, ita per te conſolatio noſtra abundat*. Nec rectius poterat menſuram conſolationis, contra menſuram opponere tribulationis. O iuſtã mixturã! O æquã, atque admirabilẽ menſurã!

Iſa.27.8. Forer. hic. Idiota lib. 2. contẽpl. de vera patien. cap. 28.

16 Et iure aſſerit tribulationes certa eſſe diuinæ pietatis indicia. Sicut enim Sponſæ Aſſueri, dum per mundum muliebrem præparabantur, certum indicium habebant, quòd præparatione expleta, in thorum Regis introducendæ forent: Sic Chriſti Sponſæ pro certo habent ſe diſponi ad thorũ cæleſte ac floridum Regis æterni, dum tribulationibus præparantur. Ita Dorotheus te admonet, *Vt cum gratiarum actione ſuſcipias tribulationes, tamquam præparationes ad regnum Calorum. Recordare eius, qui dixit, Per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Calorum, non adijciens per has, aut illas, ſed dicens indefinitè, per multas: & tu igitur ſufferas quæ accidunt cum gratiarum actione, tamquam præparantia regnum Calorum*. Per hunc ergo mundum muliebrem, per harum cumulum tribulationum, mundatur cor, diſponitur anima, ornatur Sponſa, vt præparata & ſponſata, diſpoſita adducatur in templum Regis.

Dorotheus ad fratrem tentationib. oppreſſum.

17 Et certe, quænam magiſtra vel ſapiens magis, vel magis diues parare tãtũ, ac talem præbere poſſet mundum muliebrem, quæ illi par eſſet, quem tribulatio parat & præbet? Audi ſapiens monitum Idiotæ, *Nequaquam contemnenda eſt tribulatio, quæ cordis eſt ſanitas, & via recta ad vitam*. Et reſpice tribulationem, quam, vt mundum muliebrem, mira arte comparat, miro faſtu exornat, *Magnum quoddam bonum eſt, & datum optimum, quia elationem deprimit, laſciuiam refrenat, intemperantiam edomat: & denique omnes illicitos motus mentis & corporis ſuffocat & elidit: ceruicem ſubmittit, deponit ſupercilium, componit vultum, ligat oculos, linguam frenat, iram ſedat, inceſſum format, & dirigit in viam pacis, erudit ad ſcientiam, exercet ad timorem, vt coronet*

Idiota ibid. cap. 12. Idem ibid.

ronet ad gloriam. Tribulatio namque contra carnis illecebras, dat continẽtiã; contra oculorum concupiscentiã, constantiam: & contra ambitionem sæculi, humilitatem.

18 Quicumque ergo cum tali ornatu à tribulationẽ præparatur, in omnibus sic prosperabitur, vt & in præsenti morte, & in futura vita gloriam assequatur. Et certè, si vera dixit Saluianus, immò si retulit vera ex Grecorum doctrina, *Quod Sapientiæ Sectatores vsque ad contemptum doloris ac mortis doctrina sua culmen erexerunt, dicentes scilicet, etiam in catenis, atque supplicijs beatum esse sapientem, tantam virtutis vim esse voluerit: quãtò magis Religiosi ac Sãcti viri miseri nõ putãdi sũt, qui præsentis fides oblectamenta capiunt, & benedictionis futura premia consequentur?* Inde idẽ Episcopus Massiliensis contra nescio quem opponẽtem viro iusto, *Quare tu es infirmus, quem Sanctũ esse non ambigo?* ità ironicè illudens, argumentum eludebat, *Quisnam profunas cordis virum non admiretur, qui merita Religiosorum, atque virtutes, tam magnis retributionibus dignas, vt in præsenti hac vita carnes atque fortitudines corporum, premia putet debere esse Sanctorum?* Deinde causam communem Iustorum defensurus, sic ait, *Respondeo igitur, non vnius tantum Religiosi nomine, sed vniuersorum. Quæris igitur, quisquis ille es, qua ratione infirmi sunt sancti viri? Respondeo breuiter, quia ideo sancti viri infirmiores se esse faciunt, quia si fortes fuerint, Sancti esse vix possunt, dicẽte Paulo, Castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Si ergo fortitudinem carnis Apostolus metuit, quis rationabiliter fortis esse presumit? Hæc ergo ratio est, qua homines Christo deditι, & infirmi sunt, & volunt esse, dicentes, Domine non prosperitatem vitæ istius petimus, sed pro his tantum, quæ sunt futura post mortem.*

Salu. Mass. Episc. lib. 1. de gub. Dei

Idem ibid.

19 Prosperitates huius vitæ non quærunt Sancti, sed eas quæ futuræ sunt post mortem, pro cõpeto habentes, quòd prosperitates & calamitates temporales personatæ sunt, nam ex Senecæ sententia, *Non hominibus tantum, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies.* Quæ enim in huius scenæ ingressu cum prosperitatis apparent larua, in egressu dignoscẽtur calamitates: & quæ in theatro præsenti cum calamitatis maschera comparent, in futuro agnoscentur prosperitates: & sicut pro impijs verificabitur Philosophi moralis prædictio, *Ipsa voluptates in tormenta vertentur*: Ita pro pijs adimplebitur incarnatæ Veritatis promissio, *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Nam vt Alcuinus asserit, *Cunctis fidelibus conuenit hic sermo Domini, qui per lacrymas pressurasque præsentes ad gaudia æterna contendunt. Flentibus autem Iustis, mundus gaudet: quia in præsenti delectantur, alterius vitæ nulla gaudia sperantes.* Sic, sic larua gaudij mundi amatoribus ablata, luctuosa eis facies redditur: at maschera lacrymosa Dei amatoribus ablata, gaudio plenus vultus restituitur.

Seneca in epist. 24.

Senec. ibid.

Ioan. 16. 10.

Alcuin. relatus a D. Th. in cat. super c. 16. Ioan.

20 Laruata apparuit felicitas in vita Epulonis, auro & bisso induta: mascherata calamitas in vita Lazari famelica, & vlcerata: at in exitu mortis reddita est illis facies debita, & diuitis felicitas in calamitatem est versa, & pauperis calamitas in felicitatem est commutata Abraham diuiti respondente, *Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* His personatis diuitibus & pauperibus, felicibus ac infelicibus, proprias sic facies reddit Emissenus, *Diuitiæ igitur ad miseriam, paupertas ab beatitudinem perducit: pauperibus cælũ, diuitibus infernus aperitur.* Huic autem diuiti, cui reddita est in exitu mẽdica facies, meritò cũ Chrysologo dici potuit, *Miser, quem tẽporalitas habuit diuitem, mendicum sempiternitas possidebit: & habebit hunc nudum tartarus, quem locupletem suscipere cælum potuit, et tenere.*

Luc. 16. 25.

Euseb. Emis. fer. 5. post. 2 Dom. quadragesimæ.

Chrysolog. serm. 125. de villico iniquitatis.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LIIII.
Ex Aquila.

Omnia quæcumque faciet dirigentur.

CIRCVLVS I.

Omnia Christi opera directa sunt semper.

1 AMbrosius in ea est opinione verba hæc ad lignũ relata, cuius facta omnia prosperãtur, nõ nisi de Saluatore verificari, [Ambros. in enar. super psal. 1.] *Cuius enim nisi ipsius facta possunt vniuersa laudare, et prosperos habere successus? Sed et ipse Dominus direxit opera sua, vt nullo erroris curuarentur anfractu*. Et quidem vbi hæc directio reperitur, qua homo inter prospera & aduersa, inter Scyllam & Charybdim, & nunc alta petens nunc ad ima descendens, sẽper innocentiæ tramitem custodiat, ac seruet, tamquam singulare miraculum potest demonstrari.

2 Tale miraculum proposuit Regi Achaz Isaias propheta, cùm dixit ei, [Isa. 7. 11.] *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Nam verè signũ magnum est, & instar prodigij, dũ quis immobilis in omni motu, & per superna, & per infima, tramite tam recto gradirur, vt nec extollatur in illis, nec deprimatur pro istis. Audiamus Ambrosium hoc signum extollentem. [Ambros. in psal. 118. ser. 8 vers. 4.] *Hoc igitur signum proponitur Regi, vt petat sibi remedium, per quod neque regiæ potestatis extollatur supercilio, nec certè ærumna alicuius exceptione perturbetur*. Hinc idẽ Ambrosius interpretans verba Regis, [Isa. 7. 12.] *Non petam, et non tentabo Dominum*: ita asserit, [Ambr. ibid.] *Veritus est ne tentare Dominum videatur si signum peteret in altum, aut in profundum*. Est enim adeò difficile posse quempiam prospera & aduersa æquo animo tolerare, & in omnibus absque vlla culpa, vel leui saltem perfectè dirigi, vt qui hoc a Deo exposcat, Deum tentare videatur. Ideo subdit quintus Euangelista, *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*. [Isa. 7. 14.] Quasi diceret, si quidẽ apud homines reperiri nequit hæc directio absque vlla offensione in via iustitiæ: & qui æquo animo ferar felicitatem, & infelicitatem: aderit Deus homo, qui rẽ vtramq. expleat, quia, vt cõcludit Archiepiscopus Mediolanensis, *Hoc est magnum signum, quod altitudinis & profundi tentamenta destruxit*, [Ambr. ibid] *Dominus enim Iesus neque elatus est potestate, neque mortis quadam deiectione turbatus.*

3 Homines omnes ita à iustitiæ via, ad minus ob leuia peccata, declinare solent, vt de eis, immo de se ipso asserat innocentissimus Ioannes, *Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus*: [1. Io. 1. 8.] quia vt Glosa docet, *Impossibile est quemlibet Sanctum aliquando non cadere in minimis peccatis*. [Glosa ordinaria hic.] At Christus ita à Paulo celebratur, *Impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*. [Ad Hebr. 7. 26.] Vbi rationem reddens, cur impollutus fuerit, optimè subdit, quia segregatus erat à peccatoribus, quasi à grege eorum diuisus, & singulari sanctitate distinctus, ne dum à mortalibus, sed etiã ab immortalibus.

Ita philosophatur Anselmus. *Segregatus à peccatoribus, vt iam conuersatio eius non sit inter mortales, qui quamdiù sunt in hac vita peccato carere non possunt. Et à grege sacerdotum separatus, inter quos nullus sine peccato. Et excelsior cælis factus, quia, vbi cæli non sunt mundi in conspectu eius, secundus homo de cælo cælestis, adeò est mundus, vt nec potentia immunditiæ sit in eo.*

Anselm. in epistol. 7 ad Hebræos vers. 26.

4 Sol etsi inter astra principem locum teneat, licet clara luce totũ cælum illuminet, quamuis aureis radijs terræ plagas collustret, & etiamsi rapido motu omnia lustret, & exultet vt Gigas ad currendam viam: liber tamen, nec est, nec erit ab obumbrante eclypsi, liber non fuit à retardatione cursus in tempore Iosue, nec liber extitit à retrocessione itineris in diebus Ezechiæ: Christus tamen Sol est, ex Anastasio Sinaita, qui ex generatione diuina, lux est purissima de luce æterna: ex humana autem ignis est ei adiectus per spiritum carnis: & vtrumque complexa est Spōsa de illo canens, *Dilectus meus candidus, & igneus*: Sic enim ipse legit, Cãdet enim vt Deus, ignescit vt homo: sed vtrobique sic rectus, vt rectitudo dicatur in abstracto, & in gloriam ipsius à Sponsa canatur, *Recti diligũt te*: Vel ex Septuaginta, *Rectitudo dilexit te*: Vel ex Origene, *Aequitas dilexit te*. Ac si diceret, vt noster Ghislerius philosophatur, *Tu es ipsa æquitas, prout à nobis aliquando dici solet ad exprimendas ingentes alicuius virtutes, es ipsa virtus, veritatis nomen illi tribuendo*. Quod autẽ in alijs emphatice dicitur, in Christo verè impletur, est enim ipse, ne dũ rectus & æqu⁹, sed ipsa æquitas & rectitudo.

Cant. 5. 10. ex Anastas. Sinaita in li. 4. Hexameron.

Cant. 1. 3. Septuag. Orig hom. 1. ex duabus

Ghislerius in append. cap. 1. Cãt. ver. 4.

5 Eadem, ni fallor, cernitur differentiæ inter rectitudinem, & rectum, quæ discernitur inter ideam & idealum. Docebat Plato, *Ideam à reliquis longe differre, quattuor præcipuè modis, quia scilicet Idea substantia est simplex, immobilis, cõtrario non permixta. Reliqua verò quattuor, id est, nomen, & accidentale simulacrũ, & definitio, & formula notio, à substãtia, simplicitate, stabilitate, puritate Idea degenerãt Idcirco haud sufficienter in nobis formam imprimunt, sed ad diuinam impressionem nos, vtcumque possunt, accommodant.* Sic rectitudinis Idea in Christo solo reperitur, qui innocens est, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, cõtrario non permixtus, quia Agnus immaculatus est, & incontaminatus, nec inuentus est dolus in lingua eius. Homines autem omnes, excepta Virgine, in qua eadem est caro, eademque cum Filio voluntas: à tali Idea rectitudinis oberrant, cùm omnes sint peccatores, & peccati definitionẽ participent, nam peccatum est priuatio rectitudinis debitæ inesse: & ipsi omnes, cùm non sufficienter rectitudinis formam impressam habeant, recti dici possunt & æqui, non tamen æquitas sunt, nec rectitudo dicuntur.

Plato apud Marf. Ficinum in Argum. 7. Epistolę.

6 De hominibus ergo Sponsa canit, *Recti diligunt te*: id est ex Gregorio Papa, Soli recti diligunt Christum, nam qui per distorta victoriũ ex desiderio currunt, iustitiæ Authorem diligere non posũt. At de Deo homine repetit cantionẽ, *Aequitas, vel rectitudo diligit te*: Nam ipse solus inter homines, & supra homines Idea est rectitudinis & æquitatis, & est Rectitudo & Æquitas in abstracto, dicente Nysseno, *Eum vocat rectitudinem, quo quidquid est obliquum, deducetur ad rectitudinem*. Cùm enim secundũ Angelicam doctrinam Iustitiæ sit propria rectitudo, quę constituitur circa rès exteriores, & rectitudo importet ordinem ad finem debitum, & ad legem diuinam, quæ est regula voluntatis humanæ, & communis omni virtuti: in Iustis reperitur participata, sicut triangulus in terra & in materia: in Christo autem splendet, quasi in abstracto, est enim ipse Dominus virtutum, iustitiæ Idea, regula prima, & similis triangulo in mente. His nominibus abstractis Christum describens dicebat Apostolus, *Factus est nobis à Deo sapientia & iustitia, &* san-

Cant. 1. 4. Greg. Papa hic.

Greg. Nyss. hom. 1. in Cant. Cãtic.

D. Tho. 1. 2. q. 55. art. 4. ad 4.

1. Cor. 1. 30.

sanctificatio. Nam, ex Anselmo, *Ipse, qui in seipso est aterna, & incommutabilis sapientia, etiam nobis fit sapientia, cùm nos eius participatione efficimur, vtcumque sapientes, ad rectè sapiendum. Ita ipse, cùm in se sit ipsa iustitia, quæ viuit in seipsa, & incommutabiliter viuit, etiam nobis fit iustitia, cùm nos ei cohæremus, & iustè viuimus, & tantò magis minusue iusti sumus, quantò illi magis minusue cohæremus.*

CAELI DAVIDICI VERSIO LV.

Ex Glosa.

Quæcumque faciet, successum habebunt.

CIRCVLVS I.

Omnia quęcumque Christus fecit, prosperum successum habuerunt.

1 Omnia visibilia vel inuisibilia, quæ cum Oriente mundo sunt orta, tunc prosperum successum habitura, quando Verbum, per quod omnia facta sunt, fieret caro, apertè præsignatum est, cùm dictum est, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona.* Notanter enim vbi iam singillatim de reliquis creaturis prædixerat Moses, Vidit Deus. quod bonum est: nunc de omnibus subintulit, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: vt simul quod in præsenti verum erat, diceret: & futuri prescientiam significaret. Audi Theologorum Principem philosophantem, *Præscientiam significauit futuri, nempè hominis per peccatum lapsus, eiusque per Christum reparationis. Quod igitur dictum est, Vidit* Deus *cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, tum ad præsentem bonitatem refertur, quia vniuersum à Deo conditum sapienter ac pulchrè dispositum, seu ordinatum, & in vno homine microcosmo eleganti summa collectum est: tum etiam ad futurum quæ sexta similiter die erant omnia in homine quasi collecta, per Christũ Deum & hominem instauranda.*

Gen. 1. 31.

August. lib. 3. de Genes. ad lit. c. 24.

2 Notandum verbum, *Instauranda*: & cum Festo recolendum, *Instaurari idem significare, ac, Ad instar: nam propriè aliquid tunc instauratur, cùm ad pristinam similitudinem reficitur.* Hoc autem, si verum est, quis nõ admiretur prosperum successum eorum, quæ Redẽptor fecit, videns per illum hominem instauratum, & ad pristinam similitudinem refectum? Sed cur ad pristinam dixi dignitatem, cum ad digniorem illum Doctor Gentium iudicet exaltatum, *Non enim, sicut delictum, inquit, ita & donum? Et verè sic est, alibi enim ob delictum, homo perdidit imaginem Dei: ob donum, Deus hominis sumpsit imaginem: et signaculũ similitudinis, quod homo acceperat in creatione, & fractum fuit in prævaricatione: reparatum est cum fænore in incarnatione.* Audiamus Bernardum, nũc damnum lugentem, nunc donum extollentem: damnum, quia donum creationis perdidit: donũ, quia bonum incarnationis acquisiuit. *In creatione, licet diuino fuerit munita sigillo, ad imaginem quippe & similitudinem suam creauit Deus hominem: heu! diruptum est sigillũ,*

Festus.

Ad Rom. 5. 19.

Bern. ser. 1. in die Natalis Dom.

& vnitas dissipata. Accedens pessimus ille latro, recens adhuc sigillum fregit, & sic mutata similitudine diuina, comparatus est miser homo iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

3 Et ecce, idem diuinus Abbas extollit donum reparationis humanæ, dum nouo signaculo, in quo figura rectitudinis veritatis, atque iustitiæ admiratur insculpta, Deus hominem resignauit, & de operis tũ nouitate, tũ etiam dignitate sic gloriatur, *Nouã, inquit, ego facio commixturam, vbi, & expressius, & robustius pono sigillum, eum, qui non ad imaginem meam factus, sed est ipsa imago, & figura substantiæ, non factus, sed genitus ante secula.* Cupisne huius operis prosperum videre successum? Scito quod talis virtutis fuit, tantæque fortitudinis & excellentiæ, vt nedum morti non cederet, sed & excederet etiam inexpugnabilem mortis fortitudinem. Hinc te Bernardus cõfortat, dum repetit, *Et ne fortitudinem eius esse frangendam, audi Prophetam, Aruit tamquam testa virtus mea: sed talis testa, quam nec ipse malleus vniuersæ terræ nocere vllo modo possit.* Sic, sic, omnia quæ Verbum diuinum in carne humana fecit, prosperum successum habuerunt.

Idem ibid.

Bern. ibid.

4 Nyssenus considerans verba Ecclesiastæ, *Dedi cor meum, vt quærerem & inuestigarem in sapientia de omnibus, quæ facta sunt sub Sole:* subtiliter atque vtiliter inquirit, cur addita sit particula, *Sub Sole?* Et putãs Salomonem loqui in persona veri Regis pacifici, asserit illũ sub Sole quæsisse mala, quia hæc supra Solis rotam locum non habent, & prospero successu, vbi mala reperit, fructus bonos produxit. Sic ergo fatur, *Hæc est caussa cur Dominus in carne ad homines aduenerit, & inter eos fit versatus, nempe, vt daret cor suum ad considerandum de ijs, quæ facta sunt sub Sole. Quoniam ergo in terra sunt mala: in ijs enim, quæ sunt super Cælos minimè deprimendam diuinam videt magnificentiam Propheta, dicens, Exaltata est magnificentia eius supra Cælos: quandoquidem ea pars, quæ est sub Cælis depressa & abiecta fuit per vitium. Ad hoc considerandum venit, nempe quidnam factum sit sub Cælo, quod prius nõ erat, quemadmodum ea, quod non est inualuerit, quanam sit virtus eius, quod non est, habeat substantiam: quod autem non est, ex eo quod est, ne omnino quidem est secundum suam naturam: & tamẽ in ea quæ sunt vanitati assimilata dominatum obtinet vanitas*, O noua spectacula oculis incarnatæ Sapiẽtiæ practicè proposita in terræ theatro, & sub radijs Solis! O noua bella, o inæquales, & infirmos, ne dum informes, ac varios bellatores!

Ecclе. 1. 13.
Greg. Nyss. hom. 1. in Ecclesiasté.

Greg. Nyss. ibid.

8 Quis audiuit pugnam talem, & quis vnquam vidit simile bellũ, in quo, dum nihil congrediens cũ ente, & dũ non esse contendit cum esse, victoriam obtinet non esse de esse: & nihil palmam assequitur de ente? *Venit ergo Sapientia ad suã inquirendum quidnam factum sit sub Sole, quænam rerum, quæ hic sunt sit confusio.* Et sicut amor de chaos egrediens, dicebat, *Distinguam*, Ita os Domini, & Deus amoris distinxit & separauit pretiosum à vili, ipse enim cùm sit arbor bona, bonos ibi fructus produxit vbi mala reperit, *Nam qui est natura bonus, bona quoque præbet omnino, quoniam omnis arbor bona, bonos fructus facit, & quod est suã natura bonum, ex suis thesauris malum non produxerit, & fons bonorũ nihil mali produxerit.* Si ergo bona produxit, vbi erant mala: rosis impleuit loca obsita spinis: lilia germinare fecit, vbi erant tribuli: inuernantes flores conuertit pungẽtes vrticas: & fructu redemptionis operuit & ornauit rubum captiuitatis: quis non lætanter admirabitur eius successum prosperum in omnibus felicem, & gloriosum?

Idem ibid.

Emblema.

Idem ibid.

6 O miram commutationem! ò raram inuersionẽ! Terreni negotiatores, non semper prosperos habent in nundinatione successus, nunc lucra inde reportant, nunc naufragia: nunc aureos colligunt ex floribus flores, nunc paupertatis

tis colligunt steriles spinas: & nunc dona recipiunt, nunc damna metunt: at cælestis Negotiator, etiam ex damnis dona, ex spinis aureos flores, & ex naufragijs congregat spolia & lucra. Hanc nouam mercaturæ artem sic extulit Theodoretus, *Amoris diuini negotiatio est, eiusdem inuentum: contractum satis claudicantem dicerem, sed nō audeo, cùm sit Christo ad redemptionis iter sit expeditissimum. Humanitas enim Verbi Dei hilaris & splendida & gloriosa, immortalisque: & à corruptione libera, ab inhabitante diuina natura facta est, cùm tamen ipsi possessio hec tali conditione fuerit tradita, vt non alios suo possessori fructus ferret, nisi trepidationem, formidinē, tristitiam, angorem, mortem.* Sed nobis ex sua morte contulit vitam, ex angore salutem, ex tristitia lætitiã, ex formidine securitatem, & ex trepidatione tutam firmamque fortitudinem. Si autem quæras, *Quis hæc operatus est & fecit?* Respondet, *Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum.* Ipse enim solus est, qui omnibus, quæcũque fecit, prosperum successum dedit.

Theodor. in c. 8. Cantici Canticor.


Isa. 41. 4. Idem ibid.

7 Impossibile videbatur etiam ei, cui nihil est impossibile, ex spinis colligere vuas, & ex tribulis ficus, vnde & dicebat, *Numquid colligunt de spinis vuas, aut ex tribulis ficus?* At quia, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum:* Verbum in carne apparens hanc nouam reperit negotiationem, hanc insuitatam inuenit mercaturam, vt ex spinis contumeliarum, vũas legeret honorum: ex tribulis dolorum, ficus colligeret consolationum: & ex vrticis mortis, fructus meteret æternæ vitæ. Tale commerciũ, & tam nouam negationem, taliter extulit Leo Papa, *In nobis ergo Dominus, nostro pauore trepidabat, vt susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram constantiam suę virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum diues atque misericors negotiator cæli, & commutatione mirabili inierat commercium salutare: nostra accipiens, & sua tribuens, pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam.* Sic, sic adimpletum est, Omnia quæcumque faciet prosperũ successum habebũt.

Matt. 7. 16.

Luc. 1. 37.

Leo Papa ser. 3. de passione.



CAELI DAVIDICI VERSIO LVI.

Ex Pagnino.

Omne quod faciet : prosperari faciet.

CIRCVLVS I.

Iusti integri prosperantur, & hi sunt, qui mali nihil, & omnia benè faciunt.

1 IVstus, iustitiæ cælum mobile in duobus polis sic immobile firmat, vt in primo fides fulgeat, in secundo spes rutilet: in primo in Deum credat, & omnia bona faciat: in secundo, in Deo speret, & omnia mala fugiat. Qui enim bona facit, & mala non effugit, dum Deo credit, & in Deum non credit, non integer iustus est, sed dimidius Christianus. Aduocetur ad hoc probandum Pontificium Decretum. *Fidei species hæ sunt, vna qua Deũ credimus, altera qua Deo: aliud enim est Deum credere, aliud Deo: quia omnis, qui Deo credit, & Deum credit: non omnis vero qui Deum credit, credit Deo: credimus enim Deum, eum esse confidimus: credimus vero Deo, quando fidem eius pollicitationibus commendamus. Obedientia æquè duas species habet, vna qua malum facere prohibemur: altera per quam bonum docemur operari. Noscas ergo hunc esse Christianum, qui fidelis fuerit: fidelem verò eum esse, qui iustus extiterit: iustũ autem, nonnisi illum, qui Dei mandata seruauerit: Dei vero illum seruare mãdata, qui malum nihil, quod Deus probibet, fecerit, & quicquid boni est, quod ipse fieri præcipit, obseruauerit, Scriptura dicente, Recede à malo, & fac bonum, Nolo enim censeas illos integros esse Christianos, qui quædam bona faciunt, quædam vero operãtur mala, cũ Scriptura dicat, Quicũque totam legem seruauerit, offendit autẽ in vno, factus est omnium reus.* Qui autem in spe, & in fide inuenitur stabilis, in opere efficax, & immobilis in motu, is integer Christianus, & perfectus apparens iustus, Omnia quæ faciet, ad prosperitatem perducet.

Sixtus Pap. in epist. de malis Doctoribus.

2 Et certè, qui in polis fidei est immobilis, & à caritatis intelligẽtia mouetur per opera, ꝓsperitatẽ in omnibus obtinebit. Nescio an obseruastis, Scripturales, inuersum ordinem quem diuersis in locis Doctor Gentium in enumeratione Theologalium virtutum obseruat, nunc enim dicit, *Manet fides, spes, caritas*: & nunc è contra, *Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia nõ ficta.* Vbique spem in medio collocat, nam ex Augustino, *Pro spe conscientiam ponit, ille enim sperat, qui bonam cõscientiam gerit.* Sed cur modo fidẽ primo in loco statuit, & caritatem in postremo: & modo caritatem in postremo, & finem in primo? Docet nos Paulus in hac ordinis inuersione, quòd fides & spes dũ caritatem præcedunt, informes & emortuæ, & non operantes, vix nomen virtutis merentur, sicut homo mortuus, non est nisi æquiuoce homo: dum autem caritatem sequuntur, eisque caritas formã, vitam, virtutes infundit, & vires, tunc finem præcepti assequimur, talis enim est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

1. Cor. 13. 13.
1. Tim. 1. 5.

Augus. in enarr. super psal. 31.

Augu. ibid. ficta, Hinc Augustinus, *Illo loco à fide capit Apostolus: alio loco à caritate cepit: modo nos a medio cepimus, ab ipsa conscientia & spe: qui vult ergo habere bonam spem, habeat bonam cōscientiam, credat & operetur, Sic Finem præcepti habebit.* Finis.n. ex Aristotele, habet rationē optimi: & ipse omnia quæ faciet ad prosperitatem deducet.

Arist. lib. 2. Physicor.

3 Videre mihi videor in Idea Iustorum, & principium, & medium, & finem eiusdem generis, nam pedes, qui sunt finis: manus, quæ sunt mediæ: & caput, quod est principium, omnia aurea sunt, & aurum optimum. In capite fides figuratur, in manibus caritas operatrix, in pedibus vero spes, nam ex Cassiodoro, *Spes dicta est, quasi stabilis pes.* Manus, operum ex caritate factorum hieroglyphicum sunt, vnde Artemidorus asserebat, *Oblata in somnijs manus si pulchra formosaque sint, felicem rerum agendarum successum indicant.* Caput autem fidem designat, est enim illud initium corporis, sicut hæc initium vitæ, nam Iustus ex fide viuit. Beatus ergo dicitur & est vir, qui fidē, caritatem, & spem aureā habet, sicut enim auro omnia cedunt, sic illi omnia prospere succedunt, nec spe frustrabitur.

Cassiodor. in psal. 39.

Artemidor. relatus à Valeriano lib. 35. cap. de manu.

4 Talibus fultus auxilijs accessit manu Fortis ante Deū, & prospero successu omnia obtinuit, & victoriam extollens laudibus, ita canebat, *In die tribulationis meę Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* O Dauid, quomodo contraria copulpas, & coniugis impossibilia? Si in die exquisisti, quomodo in nocte asseris contra eum stetisse? Et si de Deo loqueris, qui Spirit⁹ est, qua ratione manibus te eum fateris exquisiuisse? Forte fidem figurat cum diuinis nocturnisque coloribus, ea.n. vnit diē euidentiæ cū ineuidētiæ nocte: per man⁹ opera designat ex dilectione facta: & se non deceptum concludit à sua spe.

Psal. 76. 3.

5 Sed religio esset ea omittere, quæ circa verba hęc & dubia Augustinus proponit, & dubia soluit. Petit enim primùm à Psalmographo, In die tribulationis tuæ quid exquisisti? Deum. Quando exquisisti? nocte. Vbi exquisisti? coram eo. Et quo fructu exquisisti? & non sum deceptus. Si scire vis, quęnam sit tribulatio propria viri beati. Respondēs Episcopus Hipponēsis, *Totam vitam istam tribulationem reputat. Hic enim amat patrem supernum, ut terrena peregrinatio ipsi sit maxima tribulatio. In hac igitur tribulatione Deum exquisiuit. Quomodo? Manibus, inquit, meis. Quid est manibus meis? Operibus meis? Non enim aliquid corporeum quærebat, vt contrectando inuenirет, quod perdiderat, sed manibus, idest, operibus quærebat. Quando hoc? Nocte. Quid est, Nocte? In hoc sæculo. Non enim est antequam effulgeat dies: & in hac nocte lucerna prophetiæ debet esse super accensa in domibus nostris: & arma lucis debemus induere, vt ita vita fidelium sit nox, & dies: dies in cōparatione infidelium, nox in comparatione Angelorum. In hac ergo nocte & die, manibus quæramus Deum, quem, etsi nocte quærimus, non decipimur, quia coram ipso quærimus. Quid est coram ipso? Nolite facere iustitiam vestram coram hominibus: sed cum facis eleemosynam, & manus illa sunt quærentes Deum, sit eleemosyna tua in occultò, & Pater tuus, qui videt in occultò, reddet tibi: ita vt possis dicere, & non sum deceptus. Quid est enim, & non sum deceptus? Inueni, quod quærebam.* Hæc ille. Nos autem in die, & nocte, fidem agnoscamus: in manibus Deum quærentibus, fidem, quæ per dilectionem operatur: & in eo, quod Iustus non est deceptus, spem, quæ non confundit, immo etiā in hac vita talem præbet gloriæ certitudinem, vt possint Iusti cum Apostolo dicere, *Gloriamur in spe.*

Augustin. in enarr. supe psal. 76.

CAELI DAVIDICI VERSIO LVII.

Ex Suadeno.

Omne quodcumque faciet fortunabitur.

Et ex Annotatione Vatabli,

Quidquid faciet, ſucceſſus proſperos habet.

CIRCVLVS I.

Iuſtus in omnibus fortunatur, & felix euadit.

1 MIrabilis, & Cedro digna, mihi ſemper viſa eſt Philoſophi moralis ſententia, quæ virrutis dignitatem ad aſtra eleuat, & gloriam illius his verbis exaltat, *Vnum ergo bonum ipſa virtus eſt, quæ inter hanc fortunam & illã, ſuperba incedit cum magno vtriuſq. contemptu.* Hæc autem virtus adeò ſublimis non niſi in Iuſto ac beato reperitur viro, qui nihil in hac morte, quam nos vitam vocamus, timendum ducens, nihilque ex temporalibus, neſcio an bonis vel malis æſtimans ſperandum, inter bona momentanea, & mala præſentia cum magno vtriſque contemptu tam pompaticè incedit, vt quaſi triumphatrix pertranſeat, *In virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonã famam.* Quæres quęnam ſint arma, quibus virtute armatos Apoſtolus ornat? Reſpondet Anſelmus, *Virtutes ſunt arma Iuſtitiæ, quibus muniri debemus à dextris & à ſiniſtris, id eſt, à parte proſperorum, & à parte aduerſorum, vt contra proſpera & aduerſa, virtutum armis ſemper muniti, nec proſperis eleuemur, nec aduerſis perturbemur: nec blandis ad voluptatem emulceamur, nec aſperis ad deſperationem premamur.*

Seneca in epiſt. 76.

2. Cor. 6. 7.

Anſelm. hic

2 Sed notandum verbum illud à Seneca additum, *Ad virtutis gloriam:* quo demonſtrat virtutem inter hanc fortunã & illam, ne dum cum magno vtriuſque cõtemptu incedere, ſed ſuperbam incedere. Nec miror Annæum ſuperbiæ nomen virtuti adſcribentem: ſed admiror valdè Euſebiũ Emiſſenum in humilitatis ſchola edoctum, etiam hunc virtuti titulum ſic tribuentem, *Anima fidelis & ſapiens, ita humilitatem diligat, vt ex ſe à Chriſto per humilitatis virtutem redemptam eſſe cognoſcat, & in hoc tantùm hominem factura ſua nobilitas extollat, non vt per elationem, ac ſuperbiam vitioſus exiſtat: ſed vt contra vitia ſuperbus appareat. In hoc ſolùm videatur eſſe elatio, vt dedignetur ſubiacere peccato. In hoc ſolo ſe erigat, vt paſſionum vilia blandimenta calcet & conterat, vt delectationes concupiſcentiæ carnalis exhorreat: vt contra laſciuiam & molitiem malè ſuadentis carnis toto affectu conſcientia generoſitatis aſſurgat.* O humilem ſuperbiam, o ſuperbam humilitatem, qua dedignatur homo vel vitio ſubiacere, vel peccato ſeruire: in excelſo throno collocans dignitatem, nempe in ſequenda virtute, & in Domini

Euſeb. Emi. in ſer. exhortat. con. diuerſa vitia.

vir-

virtutum ſeruitute, ſciens, quòd Deo ſeruire regnare eſt: & virtuti obedire, eſt in exilio, patriæ beatitatem prælibare. Aſſertorem adhibeo Bernardum, qui, expertus, ita loquitur, *Totius boni illic exhibitio, hic tenuis quædam libatio primitiarum.*

Bernard. in ſerm. de natiu. Virg. M.

3 Nec miror id de Iuſtorum beatitudine à Bernardo aſſeri, ſed admiror nimium etiam à Cicerone cum tenui naturæ lumine idē aſtrui, dum docet virtutem felices reddere mortales, vitium infelices, *Cùm fateamur ſatis vim eſſe in vitijs ad miſeram vitam: fatendum eſt etiam eãdem vim in virtute eſſe ad beatam vitam.* Quid maius dicere poterat ſi in Bernardo eodem de virtutis excellentia legiſſet, *Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ eſt.* Si ergo virtus mater eſt gloriæ, quidni virtutem habens, poſſeſſor gloriæ & dicatur & ſit, cum & Dominum gloriæ, & Deum virtutum ſimul cum illa poſſidere dicatur? Hinc ſubdit Bernardus, *Congratulans ait Propheta, quoniam gloria virtutis eorum tu es. Pulchrè, non eorum, ſed virtutis eorum gloria commendatur, quæ enim ſine virtute eſt gloria, profectò indebita venit, properè affectatur, periculosè captatur.* Virtus ergo gloriæ parens etiam in exilio parit gloriam, & per eam omnia Iuſtorum opera fortunantur.

Cicero in Tuſcul. 5.

Bern. ſer. 1. in nat. S. Victoris.

Bern. ibid.

4 Fortunam, vt Pierius refert, *Nunc rotulæ, vt vulgus, nunc ſphæræ alteri, vt Cebes inſiſtentia inter hieroglyphica antiqui pinxere: ſiue vt eam rerum dominam oſtendant, ſiuè vitetus inſtabilitatem inde coarguant. Nam ſi fortuna proprium hoc habet, vt viciſſitudinum auctor ſit, quos modo claros effecerat, mox obſcurit, fouereque deſinat: quos vero premebat, iam erigat, & illuſtres efficiat: quid in rerum natura mutabilitatis huic, & apertiſſimæ rerum viciſſitudini magis ſimile reperiatur, quàm circuli rotæuè motus? Conſtant enim hæc primùm, ſimulac fiunt, ex reipſa contrarijs ſimul manentibus, & integris, curuo ſcilicet & concauo, conſtante & moto, centro ſcilicet & circumferentia: ac ſimulac impelli cœperint, vna eademque linea abit & redit, aſcendit atque deſcendit, eodemque motu, quod primum erat, vltimum: quod vltimum, primum euadit: vt nihil denique in vna re quapiam variantius excogitare poſſit. Vndè meritò dixit Ariſtoteles, circulum miraculorum omnium eſſe principium.* Talis fortunæ rota bellè à Poetis ficta, ſed non benè, nec propriè depicta eſt, cùm enim cæca, & inconſtans ſit, nec clauus facilè reperiatur ad eius volubilitatem firmandam, nihil ex ea ſtabile eſt ſperandum. At è contrà, qui timet Deum, & faciet bona, non fortuna incōſtans, ſed virtus firma obuiabit illi, & obuiabit quaſi mater honorificata, gloriam illi afferens, & clauo firmans, Scriptum eſt enim, *Firmabitur in illo, & non flectetur.* Vt enim Rabanus, Lyranus, & Gloſa hic aſſerunt, Qui ſapientiam concupiſcit, & cui per ſapientiam perſeuerantiæ donū tribuitur, & firmus conſiſtit, & nullis aut hæreticorum, aut perturbationum motibus concuſſus, à iuſtitiæ lege deflectit, ſed ſupra ſphæram, & ſupra Cælum exiſtens, in omnibus actibus proſperatur, & omnia quæ fecerit fortunantur.

Pierius Valerian. li. 39. cap. de circulo.

Eccli. 15. 3. Rabanus. Lyranus & Gloſa ordinaria hic.

5 Eſt autem ea differentia inter fortunam & virtutem, quòd fortuna ſedet, & voluit rotam, & nunc exaltat mortales, nunc humiliat: virtus autem non expectat Iuſtū, ſed illi occurrit læta, lætum recipit, & ſummo excipit cum honore. Alexander ab Alexandro refert, *Quòd ſi quem Veteres reuerebantur, aut honore dignum putabant, ad omnem occurſum aſſurgere ſolebant: In theatro autem vni Imperatori, & illi, quem ſummo honore excipere volebant, aſſurgebant.* At Sapiētia cuilibet quærenti ſe, non ſolū aſſurgit, ſed occurrit lætabunda, & obuiā it: & ne dū cōfecto itinere, quo ad illā pergebat, reperiet, ſed de via, in occurſum iam venientē inueniet. Hunc lætum virtutis ac Iuſti lætātis occurſum deſcribens Iſaias, dicebat, *Occurriſti lætanti, & facienti iuſtitiam: in vijs tuis recordabuntur*

Alex. ab Alexan. lib. 2. Genialium dierū c. 19. & li. 6. c. 19.

Iſa 64. 5.

tui. Notate verba, & cum Hugone Cardinali signate iusti prosperitates & glorias. *Occurristi, id est, occurres tamquam adiutor, & retributor: lætāti, id est, letanter facienti iustitiam, & tenenti illam in actionibus, & in operibus suis: illis enim occurrit Dominus, qui hilariter operantur iustitiam: occurrit autem in præsenti in auxilium, in futuro autem occurret eis in retributionem, & premium.*

Hug. Card. hic.

6 Mihi autem occursus iste virtutis lætabundæ, quo lætum præuenit Iustum, similis illi videtur, quo Vrbes obuiam ibant Holopherni, quando, *Vniuersarum vrbium habitatores exibant obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibijs*. Ideo Salomō te paterno affectu, & monet, & docet, & promisso premio, sic ad disciplinam hortatur, *Audi fili mi disciplinam patris, & ne dimittas legē matris tua: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*. Quasi diceret, audiens esto, & obediens præceptis Dei, qui Pater luminum est: & ne dimittas legem virtutis, quæ mater gloriæ est: id enim faciens hisque immorans, addetur gratia capiti tuo: Vel ex Septuaginta, *Coronam gratiarum, aut Charitum suscipies tuo vertici*. Huic autem coronæ iurè additur torques circa collum, in quo aurea bulla ad pectus demissa dependet. Si enim bulla, vt Pierius narrat, *Erat triumphantium gestamen, quam in triumphis gestabant, inclusis in eam remedijs, qua aduersus inuidiam pollere credebantur*. Tanta est gloria Iusti, vt iurè cum gratia, & corona, quæ est prælibatio gloriæ: vniatur torques colli, tamquam remedium, contra fascinationē dæmonum, & malorum inuidiam.

Iudith. 3. 9.

Prouerb. 1. 8

Septuag.

Pier. Valerian. lib. 41. c. de bulla.

7 Sic ergo fortunatur Iustus in omnibus, quæ facit, virtuti inseruiens, & Deo virtutum: & corona eius nimium diuersa est à coronis, quæ in Olympicis certaminibus victoribus reddebantur. Hanc differentiam obseruat, & explicat Chrysostomus tam aureo ore, quā calamo aureo, dicens, *Hæc terrena disciplina cum impendium afferat, fructum tamen nullum habet. Nam nec à corona, nec à magnifica veste, nec à reliquo fastu vniuerso conceptam voluptatem, si quærant inuenire valeant, quod omnia illa quouis vento celerius prætercurrant. Ceterum in calesti politia omnia secus habet: citra impēdium, lucrum afferunt certum, ac stabile. Illic enim non homines ebrij, sed Angelorum populus applaudit eam gerenti. Quid dixi Angelorum populus? Ipse Angelorum Dominus laudabit, & comprobabit illum. Nec vno alteroue die, sed in æternum triumphat illic gestans coronam, nec vmquam ibi caput illud videbis ea nudatum gloria.*

Chrysost. hom. de Anna & pneri Samuelis educat.

8 Quis vmquā, o Paule, tuū videbit caput nudatum gloria, qui Capitis Angelorum & hominū passiones implebas gloria, asserens, *Adimpleo, qua desunt passionum Christi in carne mea?* Sed quid defuit illius passioni, qui dixit, *Opus consummaui?* Respōdet Caietanus, *Quod deest illi coniunctio ipsius cum afflictionibus nostris*. O sublimis gloria Apostolicæ virtutis, quæ cōplementum ornatum, & ornamētum completum Christi affert passionibus, immo & superat Christi passiones. Impiè fortasis hoc dici æstimabis? Sed piè dicitur, si motiuum spectetur, de quo Hildebertus asserit, *Paulus passus est pro Christo, Christus pro mundo*. Mundus quid est cum Christo comparatus? Momentum stateræ. Quamuis igitur ratione personæ in infinitum excellat passio Christi pasionem Pauli: à motiuo tamen proximo, valde extollitur pasio diui Pauli, quæ complementum & decus dicitur pasionum Christi, & ex coniunctione cū illis, semper videbitur triumphans, semper Coronam gestans, numquam nudatus gloria.

Ad Coloss. 1. 24.

Caiet. hic.

Hildebert. in epist. 9.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LVIII.
Ex Felice.

Omnia quæ faciet, ad proſperitatem perducet.

CIRCVLVS I.

Iuſtus ſemper proſperatur in his, quæ facit.

1 Vidimus iam perfectionis Iuſti primum polũ, de quo ſcriptum eſt, Fac bonum: poſterior nobis remanet obſeruandus, in quo legitur, Diuerte à malo: ſic enim proſperè omnia facit cum malum non facit. Et theologicè interpretando Dauidica verba, cũ dicit, *Omnia, quæ faciet, proſperè faciet:* altè demõſtratur ſemper Iuſtũ benè facere, & nũquã malè facere & peccare, nã peccare defectus eſt actionis, & operis, & non opus, vel act°. Ità docet Angelicus Doctor, (D.Tho. 1. p. q. 25. art. 3. ad 2.) dicens, *Peccare eſt deficere à perfecta actione, Vnde, poſſe peccare eſt poſſe deficere in agendo.* Ex quo probat Deum eſſe omnpiotẽtem quia peccare non poteſt.

2 Sed opponens ſibi Philoſophi ſententiam aſſerentis, *Quod poteſt Deus, & homo ſtudioſus praua agere:* obiectioni reſpondet, eum loqui ſecundum communem opinionẽ Gentilium, qui homines dicebant transformari in Deos, vt Iouem & Mercurium: Dij ergo fabuloſi peccatis ac criminibus ſubditi finguntur: at Iuſti, qui dii sũt, ſed gratioſi, in quorum gloriam canit Pſaltes, (Pſal. 81. 6.) *Ego dixi, dy eſtis:* id obtinent ex dono gratiæ, quod Deus habet ex principio naturæ, & omnipotentiã in hoc participatam oſtendunt, quoniam peccare nec poſſunt. Ad hanc omnipotentem impotentiã nos hortabatur Antiochus, dicens, (Antiochus hom. 53. de memoria acceptæ iniuriæ.) *Ad eum modum pia contentione imitari Dominum debemus, quatenus ſinunt viricula noſtra, ſiquidem Euãgelica doctrina cum primis iubet à radice peccata excindi.* Sicut qui ramos excindit, radice in terra relicta, locum relinquit, quo iterum pullulare poſſint: at qui radicem euellit, potentiam vltra pullulandi etiam aufert: Sic radice peccati ablata à corde, de qua Moſes dicebat, (Deuter. 29. 18.) *Ne ſit inter vos radix germinãs fel, & amaritudinem:* Vel ex Chaldæo, (Chaldæus.) *Ne forte ſit in vobis vir cogitãs peccata:* peccata omnino, & omnia auferũtur. Vbi enim radix peccati nõ eſt, ne dum opus, ſed nec cogitatio poteſt eſſe peccati. O impotẽs omnipotẽtia! o ſimilitudo diuina, per quam, pia cõtẽtione imitamur Dominum, & à radice peccata excindimus! O vere beatus vir, qui eũ morali Philoſopho dicere poteſt, (Seneca in epiſt. 16.) *Atqui ſi nolim quicquid nõ poſſe me ſcio, gaudeo.* Qui enim ſe non poſſe peccare, ex gratiæ dono, ſcit: & quod nõ poteſt, nolit: merito gaudendi cæleſtem reperit venam, eſt enim beatorum dos, nec peccare poſſe, nec velle: nam eſt ſummi Boni proprietas.

3 Beatos ac Iuſtos erudiens Emiſſenus, eoſque ad ſublimia & diuina excitans ſic monebat, (Euſeb. Emi. in ſer. exhortatorio con. diuerſa vitia.) *Non autem nobis arduum iudicetur, vt diuina quiſque præſumat exempla ſectari: propter hoc enim Deus homo factus eſt, vt homo poſſit Deum imitari.* In hoc autem precipuè Dei imitationem Iuſtus & beatus debet æmulari, vt ſicut Deus peccare non poteſt, quia omnipotens eſt:

ita, & ipse Dei omnipotentiam imitetur, vt peccare nedum non velit, sed etiã nõ valeat, nec possit. Ita decreuit Martinus Episcopus Dumiensis, *Bonus vir est, qui eò produxit affectu animum, vt non tantum peccare non velit, sed etiam non possit.* Et quid mirum si Iusti, qui sunt in hac omnipotenti impotentia imitatores Dei, æmulatores sint & Angelorum, præuenie̅tes tempus, in quo, vt dicit Eusebius, *Nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoste tentatio, sed aduersario in Inferni profunda demerso, perfruemur hac primùm felicitate, nec velle vltra peccare, nec posse: cessante omni iniquitate, omni miseria omni moerore, totum lætitia, totum iustitia possidebit, quia exinanita omni iniquitate, & omni malitia, transibit in pectora hominum caritas Angelorum?*

Martinus Episcopus Dumiensis lib. de moribus.

Euseb. Emi. inter. exhortatorio contra diuersa vitia.

4 Ad hanc celsitudinem perueneras, caste Ioseph, & hac beata luce fulgebas, quando adulteræ mala petenti omnipotenter impotens respondebas, *Quomodo possum hoc malum facere?* Et hic obseruate, quæso, Scripturales, cum Oleastro, *Quòd Iusti peccati neruos extendant, & tam graue, & magnum faciunt, vt vires eorum omnino excedat, & sic dimittant, nec se posse aut scire facere, fatentur. Excedit enim Iustorum vires peccatum.* Hinc quærens Dorotheus Abbas, cur vestis monastica manicas eo tempore nõ haberet eùm ceteræ quæque haberent? Respondet, *Quia manica signa sunt manuum, manus autem ad practicen pertinent: cùm igitur surrepit nobis cogitatio aliqua operandi & agendi quippiam per pristini hominis manus, vtpotè furari, vel verberare, atque vt dicam breuiter, peccatum aliquod patrare cogitamus; aduertamus tunc oculos mentis ad habitum nostrum, discamusque non adesse illi manicas, idest, non habere nos manus ad operandum quippiam pristini hominis.* Et denuo inquirens, *Cur habeat tunica signum purpureum?* Denuo respondet, ex hoc se milites æterni Regis demõstrare, subdens, *Habet vnusquisque regi militãs purpuream in læna sua. Ex quo enim rex purpuram ferre cœpit, omnes eius milites togulis suis purpurea signa apposuere, vt ex his appareat regios sese esse, ac regi commilitare: Sic & nos purpureum signũ pro amictu nostro sumpsimus, vt pateat cõmilitare nos Christo, & quod tot illius gratia perferre debemus, quot ille nostri causa pertulit.* Pertulit autem omnia Christus, vt peccati incendium sanguine fuso extingueret, & peccati mortem propria morte perimeret: debent ergo fideles vsque ad sanguinẽ & mortem ei commilitare, vnde Paulus, *Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes.* Et Petrus. *Christo igitur passo in carne:* en ia Rex regũ purpuram ferre cœpit. *Et vos eadem cogitatione armamini:* en omnes milites purpurea signa in sua carne apposuere, vt ex his appareat regios sese esse, ac Regi commilitare, & peccatum à regno eius ita propellere, vt nec nominetur in eo. Nam ex Bernardi sententia, *Tanta est virtus Crucis Christi, vt si in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati prauaalere possit insidia, sed cõtinuo ad memoriam eius, & mortis fugetur exercitus.*

Gen. 38. 9.

Oleaster in Annotatione ad mores sup. cap. 39. in Gen.

Dorotheus Abb. de abrenũciatione. doctrina 1.

Idem ibid.

Ad Hebr. 12. 4.

1. Pet. 4. 1.

Bern. relatus ab Hugone Card. in c. 4. epist. 1. Petri.

5 Iustorum autem regiam dignitatem, & gloriam eorum, qui a peccato sunt immunes, quis dignè enarret? Ille, qui de sacro Dominici pectoris fonte veritatem potauit. Is ergo, sicut de peccatore dixerat, *Qui facit peccatum, ex diabolo est:* ita è contrà statuerat, *Qui ex Deo natus est, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, eò quod ex Deo natus sit.* O miram filiorum Dei dignitatem, per quam diuinam obtinent omnipotentem impotentiam, vt peccare non possint, testante Ioanne, *Non potest peccare, eo quod ex Deo natus sit.* Sed quomodo, ò Testis veritatis sic tui es oblitus, vt qui prædixeras, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus:* modo asseras, natum ex Deo non posse peccare? Respõdet Hugo Cardinalis, *Hoc intelligendũ*

1. Io. 3. 8.

1. Ioan. 3. 9.

1. Ioan. 1. 8.

Hugo Car. 1. Io. c. 1.

esse per reduplicationem, quasi dicat, Qui natus est ex Deo, quandiu manet in Deo, vel in quantum est ex Deo non peccat, quoniam semen ipsius, id est, gratia Dei, quæ in ipso seminata est in baptismo, vel in pænitentia, seruat eos. Sed melius nodũ soluit Arethas Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, *Quisquis ex Deo natus est, tamquam Dei Filius, non peccat: & causa est, quoniam semen ipsius est.*

Aretha Cæsareæ Cappadociæ Episcop. c. 4. in c. 3. epist. 1. Ioan.

6 Notandum verbum, *Non peccat, quoniam semen ipsius est:* qui enim ex semine Dei per gratiam adoptiuus Filius Dei natus est, nedum non peccat, sed nec etiam videtur posse peccare. Aduocemus in hoc & antiquum prouerbium, *Benè natis, turpè est malè viuere:* & Electræ cantum, *Natis honestè, turpe viuere turpiter:* æstimabat enim eos turpiter viuere, qui viuũt in seruitute, cùm sint ingenui nati. Cum prouerbio autem illo optimè consonat, id quod dicitur, *Vbi non sis qui fueris, non est cur velis viuere.* Vtrumque autem, sicut declarat dignitatem Iustorum, qui nec diabolo seruiunt, nec peccati macula deturpantur: Ita eos Christianos damnat, qui cùm in baptismate nàti sint ex Deo, & conscripti inter Filios Dei, diabolo seruiunt, & peccatorum tenebris obscurantur. O felices Iusti, qui ante Patrem luminum semper viuentes, fugiunt semper mala, bona faciunt semper, semper & in omnibus prosperantur, atque in eis verificatur illud quod Chrysologus asserebat, *Inter propinquorum lumina non valent delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris, Sol patris rutilat in vultu. Vnde viuenti inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt.* Vide Dei seruum, Deique filium, Anselmum dico, qui ante hæc lumina sic detestabatur peccatum, vt testaretur, *Si hinc Inferni ardorem, inde peccati horrorem cernerẽ, & necessario alterutrum mihi eligendum foret, mallem in infernum insilire, quàm peccatum committere.*

Adagium. Electræ celatus in hoc Adagio

Adagium.

Chrysol. serm. 2. de duobus filijs

In vita Anselmi.

O verba Cedro digna! Et digna vt in omnium cordibus imprimantur Iustorum.

7 Mirus verè iudicatur Mosis cantus, qui de aqua populo mirabiliter à Deo præstita, celebrans, vel prodigium, vel beneficium, sic intonat harmoniam, *Vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Si enim aqua de petra egressa est, non autem oleum vel mel: quomodo mel, & oleum inde manasse canit? Respondet Damianus petram illam mysticè figurasse eam, de qua dicitur, *Petra autem erat Christus:* Et Christus ante Passionem, velut mel, dulcedinem exhibuit miraculorum: & post Ascensionem, tamquam oleum, in Discipulos suos effudit Spiritum sanctum: vt hoc oleo & chrismate inũcti & appellati Christiani, agnoscant quam turpe sit opera exercere pagani. *Sicut à Chrismate Christus, ita consequenter à Christo dicitur Christianus. Quia igitur, per gratiam Saluatoris nostri iam huius Chrismatis percepimus Sacramentũ, quia iam regiæ dignitatis expressum praferimus in fronte signaculum, studeamus ita nobiliter viuere, vt conuersatio nostra, tam diuinis, tamque magnificis mysterijs valeat concordare.*

Deuter. 32. 13.

1. Cor. 10. 4.

Petr. Dam. ser. 24. Martij in cæna Domini.

8 Subdit autem idem Cardinalis, *Et certè satis ignobile est sub vitiorum carnalium viuere seruitute, qui, Deo nos adoptante, regij obtinemus generis dignitatem.* Notanda verba, *Sub vitiorum viuere seruitute:* ac Senecæ doctrina recolenda, qua demonstrat hominum seruitutem ad corpora tantum extendi, non ad animum, ait enim, *Corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis: mens quidem sui iuris, quæ adeo libera & vaga est, vt ne ab hoc quidẽ carcere, cui inclusa est, teneri queat; quo minus impetu suo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cælestibus exeat.* At vitiorum seruitus totum occupat hominem, & menti & animo sic vitiis dominãtibus, etiam si rex sit diademate Coronatus, dum peccati est seruus, is infelicior est quolibet seruo, nam

Seneca lib. 3. de benefic. c. 20.

serui optant libertatem, & quærũt illam: sed teste Chrysologo, *Captiuis criminum, innocentia inimicis, odiosa est semper libertas*: & quilibet eorum conqueri potest cum Augustino, *Tenebar ligatus non ferro, sed mea ferrea voluntate.* De corporali seruitute, subdit Philosophus moralis, *Corpus est, quod domina fortuna tradidit. Hoc emitur, hoc venditur. Interior illa pars mancipio dari non potest.* Itaque hominum serui, liberi sunt animo, sed corpore mancipati: at vitiorum mancipia, libera sunt corpore, sed animo durę subdita seruituti. Hinc Elias regem non timens, regi improperat seruitutem, dicẽs, *Venundatus es vt faceres malum.* Nam ex Lyræ sono, *Sicut res vendita transit in dominium & possessionem ementis: sic Achab videbatur totaliter subditus Zaolis, & seruiens eis.* O flebilẽ seruitutem, in qua non corpus vẽditur, sed interior illa pars mancipio datur, qua homo Regis regum imaginem gerit! Quid damnabitur? Quid turpius? Concludamus cum Damiano, *Nimis turpe est, vt terrena simus concupiscentia dediti, qui & Dei vocamur Filij, & ad obtinendam cælestem hereditatem, per Christi gratiam meremur adscribi.*

Chrysolog. serm. 127. de decollatione Io. Bapt.

August. in confessionibus.

Senec. ibid.

3. Reg. 3. 21 20.

Nic. de Lyra hic.

Petr. Dam. ser. 14. in cœna Dom.

9 Considerabam & ego verba Salomonis, & cum maxima admiratione legebam differentiam ab eo allatam inter cor sapientis & stulti, *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.* Et intra me dicebam, si ex hoc dignoscendi sunt sapientes, & stulti, nullam inter eos differentiam ipse dignosco, nec ab oculo, quamuis Linceo, poterit recognosci, quis enim habet cor suum carnale in dextera, vel in sinistra? Verè, vt respondet Salonius, *Nullus hoc materialiter habet, & ideo hæc sententia spiritualiter intelligi debet.* Si autem quæras, quid per cor mysticè significatur: cogitatio viri tibi profertur Et si de nouo inquiras, quid denotatur per sinistram, quidue per dexteram. Labores & opera bona, in dextera figurãtur, per quæ in dextera Iudicis homines sapiẽtes, Quasi oues fætosæ ac mundæ, collocantur. Labores autem, & cogitationes malæ in sinistra significantur, stulti enim & cogitant & laborãt vt malè agant, & per mala opera sinistræ addicuntur. Non est mea interpretatio, sed eiusdem Salonij, sic enim fatur, *Per cor designatur intentio seu cogitatio: per dexteram manum, opus bonum: per sinistram verò, malum. Cor igitur sapientis in dextra eius, quia intentio & cogitatio viri sapientis ad hoc tendit, ad hoc laborat, vt semper bona operetur, quatenus in die Iudicij ad dextram Domini, id est, in sorte Iustorum stare mereatur, & cum ipsis in æterna beatitudine gloriari. Cor verò stulti in sinistra illius, quia & mala, quæ cogitat: & malis operibus accumulat, pro quibus in die Iudicij, à sinistris, id est, in sorte reproborum ponetur, & cum eis in æternum punietur.*

Eccle. 10. 2.

Salon. hic.

Salon. in c. 10. mysticæ explicat. parab. Salomonis.

8 Sunt autem Iusti adeò dexteræ amatores, vt etiam Aristoteles ita asserat, *Accommodatur virtuti dexteritas, atque ipsius est dextri ea dicere, & audire, quæ ad modestum virum accommodantur.* Et Hieronymus docet, *Quod Iustus sinistram in se non habet, sed totum in eo dextrum est.* Omnia certè quæcũque operantur Iusti, non ad aliud tendunt, nisi, vt prosperè sic succedãt, vt inter Agnos in dextra collocentur: impij è contra, quasi omnem mouent lapidem, & omnia mala faciunt, vt in sinistra locentur. Vbi aduocanda est Philosophi doctrina ex Pythagorico fonte desumpta, *Quòd via virtutis dextera dicitur, quia ad orientem Solem tendit, id est, ad lucem atque splendorem: via vero vitij sinistra est, quia occidentem versus, id est, in noctem tenebrasque defertur.* Sic enim impij sinistram tenent, qua ad æternas tenebras exteriores ab interioribus proijciũtur: Iusti autem dexteram sequuntur, qua ad perpetuam lucem & beatitudinem feruntur. Vbi optimè Hieronymus reuocat verba Poetæ, ita vel canentis, vel lugentis, nunc impiorum termi-

Aristot. li. 4. ethic.

Hierony. in c. 5. Matt.

Arist. lib. 2. de cælo c. 2.

Hieronym. in c. 10. Ecclesiasten.

num,

num, nunc Iustorum.

Virg. lib. 6. Æneid.

Dextera, quæ magni Ditis sub mœnia ducit,
Hac iter Elysium nobis: at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

CIRCVLVS II.

Fortunatur Iustus etiam cum tribulatur.

9 VOx exultationis, & salutis audita est in tabernaculis Iustorum, cùm Apostolica tuba hilaris intonat, *Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim propè est.* Vbi iubet Apostolus duplici gaudio Iustos gaudere, nempè de hoc sæculo & de futuro: de futuro per memoriam, de præsenti per patientiā. Ita Bernardus, *Hoc duplex interim est gaudium, quod habes in Spiritu sancto de memoria futurorum bonorum, & de malorum præsentium tolerantia. Nihil quippe in eis carnale sapit, nihil sæculare, nihil vanum. Sed Spiritus veritatis, & cælestis sapientia est, cuius in vtraque suauitas prælibatur. Gaudete in Domino semper, ait Apostolus: iterum dico, gaudete. Et duplicis huius gaudij materiā secutus adiunxit: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim propè est. Quid modestia, nisi mansuetudo, & patientia est? Gaudeamus ergo de his, quæ expectamus, quoniam Dominus propè est. Interim gaudeamus de his, quæ sustinemus, & modestia nostra nota sit omnibus.*

Ad Philip. 4. 4.

Bernar. ser. 14. ex varijs.

10 Repetent fortasse tribulati cum Gedeone, *Si Dominus nobiscū est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Immo ex hoc dicā ego, quod vos hæc omnia apprehenderunt, signū vobis datur Dominum vobiscū esse, sūt enim propositiones essētiales & quæ dicuntur ad conuertentiā, Esse cū Deo, & esse in tribulatione. Non mihi præstetur fides, sed Bernardo, is enim quærit, *Vnde scimus, quòd nobiscum sit in tribulatione?*

Iudic. 6. 13.

Bernar. ser. 16. in Psal. Qui habitat

Et idem respondet. *Ex eo, scilicet, quòd in ipsa tribulatione nos sumus.* Idque ex effectibus probat, subdēs, *Quis n. sustineret, quis persisteret sine eo?* Deindè repetit verba Iacobi, & per ea demonstrat, idem esse gaudium, dùm Iustus tribulatur in terra, & dum glorificatur in cælo. Diuersum tamen, quia in terra Deus est cum eo: in cælo autem rapitur coram eo. Sic ergo cōcludit, *Omne gaudium existimemus fratres, cum in varias tentationes inciderimus, nō modo, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei: sed quia iuxta est Dominus his, qui tribulatio sunt corde. Si ambulauero in medio tribulationis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ita ergo nobiscum est Deus omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quando autem nos erimus cū ipso? nimirum quando rapiemur obuiam Christo in aera.*

Idem ibid.

11 Differentiam statuit Egesippus inter hominem virtutis cibo uacuum, & Iustum cibo gratiæ spiritualis repletum: ille enim angusti est animi, & molem formidinis, & metum mortis sustinere nequit. Vir autem patiens, qui præsentia non timet, & futura cogitat, nescit trepidare vbi non est timor. Immo vbi alij timent, vel mortem inuocant, ipse lætatur, & fruitur vita felici. Sic ergo fatur, *Denique scriptum est, quia anima effeminatorum esurient, quæ cibum vtique virtutis non habentes, esuriunt, ideo que ad mortem ante tempus festinãt. Neque enim repletus cibo gratia spiritualis, sibi ipsi manus irrogat.* Hoc cibo virtutis, & hac aqua sapientiæ repletur Iustus, iuxta oraculum, *Cibabit illum pane vitæ & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* O mirum amoris signum! Panis doloris est tribulatio, poculus amarus est afflictio: attamen Sponsus cælestis cum anima Iusti diuidit panem doloris, & bibit ex eodem poculo mœroris, dum est cum illo in tribulatione.

Egesipp. li. 5 De excidio vrbis Ierosolym. c. 17.

Eccle. 15. 2.

12 Ad hoc aduocāda sunt, quæ Curtius, & Alexander ab Alexan-

Q. Curt. li. 8 Alexand. ab

xan-

Alexandro lib. 2. c. 5.

xandro de more Macedonum & Græcorum referunt, vt diutius gladio panis, a Sponso & Sponsa gustaretur, cùm sponsalia inibant, vt eodem alimento vtrumque coniugē victurum significarent. Et ex Plutarcho habemus apud Galatas in more fuisse, cùm spōsalia celebrabrant, vt vir & vxor ex eodem poculo biberent. Sponsus ergo cælestis tunc clare demonstrat cū anima Iusti se sponsalia inire, quādo illam cibat pane vitæ, diuidens cum illa panem, de quo Iudæi dicebant, *Venite mittamus lignum in panem eius*. Vbi, ex Eusebio Cęsariensi, Ieremias notat Crucem, in qua corpus Christi fixerunt, & corpus Christi panem vocat, quia de distributo pane Discipulis dixit, *Hoc est corpus, quod pro vobis datur*. *De poculo autem idem ipse dicebat, Accipite, & bibite ex hoc omnes. Hic enim Calix noui testamentum est in meo sanguine*. Hunc ergo panem, hunc calicem diuidit ipse cum Iustis, dicens illis, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Nam secundum Chrysostomi expensionem, *Cum dixisset primum, Potestis bibere calicem? Deinde alliciens, subdit, quē ego bibiturus sum: vt ipsa cum eo cōmunicatione laborum, promptiores redderetur*. Hæc Chrysostomus, at ipse cum Richardo addam, vt dulciores redderentur, ex communicatione laborum. Labia enim Christi fauos distillant, & calicis myrram in mel vertunt: vnde qui de calice ipsius bibit, mellea dulcedine repletur, testante Richardo, *De huius plenitudine accepit gratiam, atque in labijs eius diffunditur hac gratia, & superna dulcedinis saporem spirat*. Si calix tribulatio supernæ dulcedinis spirat saporem, quidni supernam conferat tribulato beatitatem?

Plutarc. in lib. de claris mulieribus.

Ierem. 11. 19

Chrysost. homil. 66. in Matt.

Richard. à Sancto Victore in c. 4. canticorū.

13 Sic, sic, per Verbi labia, fel mutatur in mel, & per os illius vertitur aqua in vinum. Quando Architriclinus gustauit vinū ex aqua factum, tunc dixit Sponso, *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc*. Cur bonum vinum visum est ei illud, quod ex aqua factum fuerat: deterius autem illud, quod ex vuis fuerat expressum? Dicam cum Bernardo, vinum ex aqua, esse lætitiam, quæ sumitur ex perpessione malorum: Vinum vero ex vuis, esse lætitiā, quę ex carnalibus & terrenis delectationibus exprimitur. Illud ergo vinum optimum dicitur, quia lætitia, quam ex patientia Iustus haurit, omne gaudiorum genus longè superat. Et ideo Christus hoc genus vini, non ex nihilo, non ex alio liquore, sed ex aqua fecit, quia aqua significat huius mundi tribulationes, quas si ęquo animo toleramus, ingentem ex eis lætitiam hauriemus. Sed gustemus, quæ distillat mellifluus Bernardi calamus. *Apostoli plane vinum ex aqua factum gustauerūt, quando ibant gaudentes à conspectu Concilij: quando digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Quomodo non vinum ex aqua, gaudium ex contumelia? Nimirum, implebatur iam promissio Veritatis, quæ ad eos facta fuerat hoc modo, Tristia vestra conuertetur in gaudium, hoc est, aqua vestra vertetur in vinum.*

Ioan. 2. 10.

Bernardus serm. 10. ex Varijs, qui est ser. 1. de Verbis Apostoli, Non est regnum Dei esca & potus.

14 Hoc tamen verum est de vino expresso ex communibus botris, non tamen de illo vnico, de quo legitur, quod Exploratores terræ promissæ, *Pergentes vsque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri*. Nam botrus iste, ex quo vinum lætificans cor exprimitur, sicut Crucis figura est, & Crucifixi: ita designat extractam lætitiam ex passione laborum, & ex terra promissa venientem, illa enim assimilatur ei, quā Beati perfruuntur in Cælo. Eumdem Bernardum adhibeo fideiussorem, ita scribentem, *Optimum vinum seruat adhuc, quod velut, nō ex aqua fiendum, sed exprimendum magis ex botro illo magno terra promissionis, qui interim in vecte portatur,*

Numer. 13. 24.

Bernard. ibidem.

tur, dum ſecundùm carnem nouimus Chriſtum, & hunc crucifixũ. Numquid non illi vinum defecerat, qui dicebat, Renuit conſolari anima mea? Sed & vinum aqua factum guſtaſſe viſus eſt, cùm ſubiungit, Memor fui Dei, & delectatus ſum. *Quid enim faciet in præſentia, qui in ſola memoria delectatur? Sic & Apoſtoli planè vinum aqua factum guſtauerant, quando, Ibant gaudentes à conſpectu Concilij: quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

CAELI DAVIDICI
VERSIO LIX.
Ex Arabico.

Omnia, quæcumque faciet, explebit.

CIRCVLVS I.

Iuſtus in omnibus, quæ facit explet formam iuſtitię in Chriſto propoſitam

1 VErbum explẽdi, aliquãdo ſignificat conſummare ac perficere, vt Cicero dicebat, *Expletam & perfectam formam honeſtatis:* aliquando verò numerum terminare, vnde Virgilius, *Explebo numerũ.* Nos ergo vtrũque sẽſum tenentes, expendemus vtrumque vtrumque, tractabimus, nec ſine duce, ſi ad hoc aduocemus Platonis doctrinam expoſitam à Ficino, *Vult enim Plato eſſe intelligibile primum, et ſecundum: in eo ideas, id eſt, diuinæ mentis ſpecies contineri: in hoc autem numeros et figuras.* Et nos in primo incarnatam Sapientiam virtutum omniũ ſpecies fatemur contineri: & in ſecũdo numerum prædeſtinatorum impleri, in quorum catalogo ii ſoli conſcribũtur, *Quos præſciuit et prædeſtinauit cõformes fieri imaginis Filij ſui* Nam, vt philoſophatur Ambroſius, *Ideo prædeſtinantur in futurum ſeculũ, vt ſimiles fiant Filio Dei.*

Cicero lib. 1. de Finib.

Virg. Ænei. 5.

Pluto apud Marſ. Ficin. in epitome in Theætetũ

Ad Rom. 8. 29

Ambr. hic.

2 Si Plato dicebat, & bene dicebat, *Arduum eſt abſque exemplo res magnas lucide oſtendere*: quid tam arduum vmquam propoſitum eſt hominibus, quam humilitatem ſequi, paupertatem amplecti, obedire vſque ad mortem, martyria illata ſuſtinere, & voluntariè crucifigi? Hæc ergo tam ardua, qui poterat debilis homo ſine exẽplo Dei hominis adimplere? Ideo ergo Deus factus eſt homo, humilis apparuit, & obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Hunc finem vitæ Chriſti, hoc exemplar paſſionis eius, & Eccleſia ſic proponit, *Qui ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem noſtrum carnem ſumere, et Crucem ſubire feciſti.* Et idem Redemptor per os Bernardi exponit, *Ecce venio, et talem exhibeo memetipſum, vt quiſquis inuidere voluerit. quiſquis geſtierit imitari, fiat ei æmulatio in bonum.* O æmulatio in hoc tantum laudabilis! O inuidentia in hac tantum æmulatione ſalutaris?

Plato in dialogo de regno.

Eccleſia in Orat. Dominicæ Palmarum.
Bern. hom. 1. in Miſſus eſt.

3 Sed eſto, quòd imitatio hæc fiat in bonum: ſi tamen Baſilio, vt

par

Basil. in cõcione habita in La. & in Hexęmeron.

par est, præstatur fides, quod, *Inuidia diaboli diabolum facit, et est arma diaboli*; quomodo potest in bonum inuidia fieri, & facere Deũ? nam inuidia Luciferi, & Adam, qùa præsumpserunt æquales esse Deo, dum ille dicebat, Similis ero Altissimo, & hic vanè credidit se sicut Deum futurum, si scientiam Verbi propriam furaretur: nobis in bonum fit, dum Deum hominem factum æmulamur. Nam si

Menander apud Stobæum.

ex Menandro, *Haud vlla fuisset hominum inuidia, si æqualis fuisset hominum conditio*: Deus homo

Ad Heb. 2. 17.

factus dum, *Semẽ Abrahæ apprehẽdit, & per omnia fratribus assimilatus est, inuidiam exclusit, & imitationem ad bonum introduxit.* Repetam cum Anselmo, *Per omnia assimilatus est fratribus, quia natus, educatus, creuit, passus est, & mortuus, qui si aliter appareret, quomodo homines non coactos, sed volentes ad se perduceret? Nõ enim haberent quem imitando sequerentur, nisi hominem viderent sibi per omnia similem, quem imitari possent.*

Anselm. hic

4 Sic, sic, si enim vera est, vti, & est Philosophi moralis sententia, *Nisi ad regulam praua non corriges*: nisi hæc diuinæ virtutis regula hominibus errantibus fuisset proposita, corrigi ab erroribus nequaquam poterant: vbi vero hanc regulam ante oculos hominum ipse posuit: tunc exitus probauit virtutum, nam, *Correxit orbem terræ, qui non commouebitur*. Petes ad quam regulam orbis terræ praua & deuia correcta sunt? Ad regulã Crucis, ad normam Crucifixi. Nõ meo Marte id effero, sed ex Hieronymo id assero, ita enim fatur, *Numquid corrigitur, nisi quod ante rectum fuit, & postea deprauatum est? Sic igitur & nos, & omne humanũ genus naturaliter intelligit Deũ. Nulla.n. gentes sunt, quę naturaliter non intelligunt Creatorem suum. Licet enim lapides, & lingua venerentur: tamen intelligunt aliquid maius esse, quàm ipsi sunt, & in errore suo indicant se habere sapientiam: hoc est, nulla gens est, quæ naturaliter non intelligat Deum. Denique Gentiles idola colunt, hoc est, lapides, & ligna venerantur: & si forte rixam fecerint, & si iuramentum aliquod inter illos venerit, non dicit lapides isti vident, ligna vident, sed Deus videt, & Deus audit. Videte ergo quid dicat, Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur. Ideò venit Christus, & correxit Genus humanum, quod ante fuerat deprauatum, vt in æternum non moueatur. Crux enim ipsius columna est generis humani. In ipsa columna ædificata est domus eius. Ego Crucem dico, non lignum, sed passionem, cæterum Crux ista, & in Brittania est, & in India est, & in vniuerso orbe terrarum.* O Crux, o regula, o norma sic corrigens orbem, vt vltra à recta virtutis via non commoueatur.

Seneca in epist. 11.

Hieronym. in com. sup. psal. 95.

5 Quærebat Chrysologus, cur Iesus ductus est in Ægyptum monitu Angeli, ne Puer interimeretur ab Herode? Nõne si puer Christus occideretur posset à captiuitate diaboli nos redimere? Posset vtique: sed quòd Puer fugit, & ad virilem ætatem seruat mortem, differt quidem, sed nõ aufert mortis supplicium. Maturat fugam, ne immaturus occumbat: infans non perit, vt grandis factus, exemplo possit præire. In lacte matris non decoquitur Agnus, vt butirum & mel comedens, & pane tribulationis nutritus, patientiæ, humilitatis, ac omnium virtutum exemplar euadat. Inter brachia Genitricis nõ extinguitur, vt lucerna ponatur super Crucis candelabrum, & omnibus lucens, omnibus Ideam bene viuendi, & patienter exponeret moriendi. Coleret aureus Chrysologi calamus, quod meus rudis adumbrauit stylus. *Quòd fugit Christus, fuit mysterij, non timoris: fuit liberatio, non periculum Creatoris: diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: Non fugit propter Authoris mortem, sed fugit propter sæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi. Christus venerat, vt quos præce-*

Petr. Chrysolog. serm. 151. De fuga Christi in Ægyptum.

ptis

ptis docuerat, firmaret exemplis: & ipse faceret, quæ facienda mandauerat: & visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbatur auditu. Venerat vt mundo notitiam suæ deitatis infunderet, & humani generis ignorantiam auferret: Venerat vt pigra mortalium corda ad fidē virtutibus excitaret. Venerat diabolum publico superare conflictu, vt ab omnibus, & diuino vinceretur iussu, & humano prosterneretur exemplo.

6 Miraberis Archiepiscopum Rauennatem asserere, *Quòd Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi:* cùm vel gutta sanguinis diuini posset infinitos mundos saluare? Sed si Angelicum consulas Doctorem, inuenies, quòd, *Licet absolutè loquendo possibile fuit Deo alio modo hominem liberare, quàm per passionem Christi: tamen ex aliqua suppositione facta, fuit impossibile. Quia enim impossibile est Dei præscientiam falli, & eius voluntatē, seu dispositionem cassari: supposita præscientia & prædestinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo, quàm per eius passionem liberari.* Cùm ergo hoc doceat D. Thomas de passione in cruce suscepta ad exemplum virtutis, allegans Augustini decretum, *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis:* Et doctrina fuit, quod passio Christi non saluat, nisi configuratos: iure merito Chrysologus statuit, quòd Christus totam causā nostræ salutis occideret, si se paruulum permisisset occidi.

D.Tho.3.p. q. 46. art. 2. in corp.

D.Th.ibid. ar. 4. in corpore. Augu.tract. 119. in Ioa. D.Tho.1.2. quæst. 5. art. 5. ad 2.

7 Quæ autem addit Rauennatum Antistes, *Et ipse faceret, quæ facienda mandauerat, vt visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu:* clarè demonstrant exemplorum virtutem. Vbi enim ea, quæ audiuntur, nos terrent, & vel difficilia, vel impossibilia videntur: cum experimur alios homines eiusdem naturæ hæc eadem fecisse à nobis & possibilia, videntur, & etiam facilia æstimantur. Sicut vbi tu in tenebris existens, in tenebris existentem viam ciuitatis docere volens, frustra conareris, & nihil proficeres, si lucernam assumeres, si viā carperes, & si iter lumine & gressu demonstrares, certè ad sequelam tui & lætum inuitares, & alacrem duceres: Ita & Christus Crucis iter verbis Petrum docens, nedum non ducebat ad eam, sed Iesum etiam euellere conabatur ab ea: vbi vero lucernam illi ostendit, & prior in lignum ascendit, ibi eum ad sequendum ita extulit, vt vestigia Christi tenēs, simul cum illo non renuerit, immo voluerit crucifigi. Hoc totum Ambrosius & concludit & aperit, Ipse enim explicans verba Psaltis, *Lucerna pedibus meis verbum tuum:* ita subnectit, *Errabat Petrus in tenebris ignorantia, negabat Christum esse moriturum, quia adhuc non videbat morituru, & resurrecturum esse pro nobis. Conuersus ad eum Dominus ait, Vade retrò post me. Ostendit illi lucernam, quam deberet sequi, Post me, dicens: sequuntur verbum Dei confirmatus est, & postea cœpit inhærere Christo, timens ne aliquo laberetur errore.*

Ps. 118. 105. Ambr. ser. 14. in psal. 118.

7 Errabat Petrus, immo Satan errabat, vt putat Chrysologus, & à diabolo erant verba illa, quæ fallebant specie, quæque prætendebant bona, cùm mala inferrent, dicens, *Non tibi hoc erit Domine.* Vbi Chrysologus, *Triumphum Crucis vacuare contendit, cùm ferere se nimio amore mentitur. Nam cùm Dominus loqueretur passionis suæ gloriam: respondit per Petrum, Non tibi hoc erit Domine: venenum quàm dulce serpentis: ante faciē militem regis sui negare victoriā, seruus ipse Domini, quā negaret. Vnde Dominus seruum post se mittit, scandali remittit auctori, dicendo ad Petrum, Vade post me: & diabolo, Satana, scandalum mihi es. Et verè post Dominum vadit Petrus, quia, vt eum sequeretur ad calum, Crucem resupinus ascendit.* Notanda verba, & signanda mysteria, *Crucem resupinus ascendit:* Supinus stare dicitur, qui dorso incumbit, ita vt faciem habeat cælum versus spectantem,

Petr. Chrysol. in ser. 27 de scandalo tollendo.

Iuuenalis satyr. 4. vnde Iuuenalis, *Cubat in faciem, mox, deinde supinus*. Et resupinum dicimus, qui ita inuertitur, vt pars inferna superna fiat. Resupinus ergo Petrus in Crucem ascendit, qui enim perturbabat Christum à Cruce, postquam Christum crucifixũ vidit, & per Crucẽ ascẽdisse in cælum, vt Cælum aspiceret, in quo Christus regnabat, illiusque vestigia alacrius sequeretur, inuerso corpore crucifigi voluit, vt oculis in eum fixis, pedibus in alto confixis, expeditius ad astra tenderet canens cum Propheta, *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem*. Psal. 121. 2.

8 Ex hac sequela Petrus animatus, ex hac lucerna nouum hauriens lumen, & ex hoc illustri exẽplo effectus melior, ita fideles monet, ita & mouet, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Et Græca vox, ὑπογραμμὸν, exemplar illud significat, quod Pictores magistri discipulis proponunt ad imitandum: Sic enim Crucifixus ante Fidelium oculos exponitur, vt omnia faciant secũdum exemplar, quod illis in monte Caluario monstratum est. Inde Doctor Gẽtium Galatas vrgebat, qui Christi figuram depingere iam cæperant, sed non ad perfectum expleuerãt. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus!* Vel secundum Syriacum, *Ecce torãm vobis, quasi pingẽdus depictus fuerat Iesus Christus crucifixus*. Quasi, interprete Anselmo, diceret, *Sicut incantatores fascinant & deludunt homines, vt credant verum esse, quod falsum est: Ita nescio quis fascino sua deceptionis adeo vos incantauit, ac verbis suis immutauit, vt falsitatem pro veritate teneatis. Vnde & scriptum est, quia fascinatio nugacitatis obscurat bona. Non creditis veritati, sicut insensati. Ante quorum interiores oculos Iesus Christus præscriptus est, id est, præostensus, & prænotatus à nobis, non in tabulis lapideis, sicut lex: sed & in vobis, id est, in cordibus vestris, est crucifixus, quia Crux & passio eius, quæ redempti estis, erat maximè imitanda vobis*. 1. Pet. 2. 21. Græcus. Ad Gal. 3. 1. Syriacus. Anselm. hic

9 Notate verba, & documenta signate, *Quia Crux & passio eius, quæ redempti estis, erat maximè imitanda vobis*. Cùm enim Christus & Redemptor sit, & Magister, & exemplar: qui eum, vt exemplar & Doctorem non imitatur, nec Redemptorem experitur. Hinc dicebat Paschasius, *Nihil gloriosius suis Magister veritatis proponere potuit ad exemplum, quàm se ipsum lumen æternum, qui est immortalis Rex gloriæ. Gloriosum quidem est si illum, quo nihil est locupletius, amplectimur per fidem, quæ per dilectionem operatur, vt vniuersis passionum conditionibus, vt ipsi fecerũt Apostoli, adæquemur*. Paschasius lib. 6. in Matthæum.

10 Simiæ encomia Salomon extollebat, his coloribus eam depingens, his fingens moribus, *Simia manibus nititur, & moratur in ædibus regis*. Per simias vel per satyros de quibus legitur apud Victorinũ, *Quòd sunt facie admodùm grata, & gesticulis ac motibus inquietis, clarè auctus adumbrans, qui ad Principum exemplum, vt eorum gratiam promereantur totos se effingunt*. Vt illi de quibus Plutarchus refert, *Qui imitabantur Alexandrum, ceruicis inflexum inflexione, oculorumque volubilitate*. Si ergo Principum serui in satyros se transformant, nec dedignantur æmulari vitia dominorum: quomodo vos non gloriosũ putabitis imitari Regem gloriæ crucifixum, quando hoc ipsum, vt cum Tertulliano loquar, *Sufficere vobis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini & Magistri?* Prou. 30. 28 ex Pagnino. Hugo Vict. lib. 2. de bestijs c. 12. Plut. in Alexand. Tertull. in Scorpio c. 9

11 Si Deo, parentibus, & magistris non potest reddi æquale: quid reddemus nos Christo, qui triplici titulo, quasi triplici vinculo nos ligat, cùm ipse & Deus sit, & Pater futuri sæculi, & Magister? Hinc anxius, & gratus petebat Dauid, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sed si nos o Psaltes, audiuimus à Paulo, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quomodo tu audes & dicis, non, quid* Psal. 115. 3.

tribuam, sed quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Respondet Augustinus, *Retribuit Deus bona pro malis, cui homines retribuunt mala pro bonis*. Et hoc quidem ceteri hominum: at homo secundum cor Dei retribuit bona pro bonis, passionem pro passione, sanguinem pro sanguine, mortem pro morte, calicem pro calice, vnde & subdit. *Calicem salutaris accipiam.* Iterum autẽ Hipponensis Antistes ab illo inquirit. *Quis tibi dedit calicẽ salutaris, quem accipiens, retribuas ei pro omnibus, quæ retribuit tibi? Quis? nisi ille, qui ait, Potestis bibere calicẽ, quẽ ego bibiturus sum? Quis tibi dedit imitari passiones suas, nisi qui propter te passus est prior?* Ad hoc enim prior passus, & prior amauit, vt te ad amandum, & ad patiendum inuitaret, quia. *Nihil minus videtur hominis, quàm non respondere in amore ijs, a quibus prouocaris.*

August. in enar. super ps. 115.

Ps. 115. 4.

Augu. ibid.

Cicero ad Brutum.

12 Inde subnectit Psaltes, *Vota mea Domino reddam.* Multi vota aurea, vel argẽtea sacris templis reddere solent, in quibus effigiata cernitur passio Christi, vel effigies Crucifixi, & est religio sacra, & laude digna: ast regium Prophetę cor, non vota exhibet externa, sed semetipsum offert in votum viuum, se, vt imaginem Crucifixi reddit crucifixo. Hinc Theologorũ Dux, ad hanc nos ducit sublimem cognitionem, sic à Psalmista perquirens, *Quæ vota redditurus es? Quas vouisti victimas? Quæ incensa? Quæ holocausta? An ad illud respicis, quod paulo ante dixisti, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, & tibi sacrificabo sacrificiũ laudis? Et re vera quisquis benè cogitat quid voueat Domino, & quæ vota reddat, seipsum voueat, seipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Inspecto nũmo Dominus dixit, Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt: & Deo, quæ Dei sunt. Imago sua reddatur Cæsari, imago sua reddatur Deo. Sed qui meminit non solum seruum se esse Dei, sed & filium Ancillæ Dei: videt vbi reddat vota sua, conformatus Christo per calicem salutaris.* Deauret hæc vota aureus Chrysologi stylus, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Hoc est, & ego moriar pro illo. Et quid simile? Ille spontè pro impio & peccatore: ego vix pro Iusto, & bono: ego vix, quia me ad mortem non tam voluntas, quàm necessitas trahit: In aduersis, fratres, necessitas voluntati non potest comparari: acquiescere necessitatis est, velle virtutis. Et tamen quia diuinæ caritati nil potest homo simile redhibere, det quod potest: quia secundum quod habet, acceptus est.* Et quidem iure, dicente Seneca. *Animus est, qui parua extollit, sordida illustrat, magna & in pretio habita dehonestat. Sicut nec victimis quidem, licet optima sint, deorum est honor, sed pia ac recta voluntate venerantium.*

Ps. 115. 5.

Idem Aug. ibid.

Chrysolog. serm. 1 o. in verba Apostoli, Non est autẽ &c.

Seneca lib. 1. de benef. c. 6.

13 O terq. quaterque beatus, qui hanc bene explet in se crucifixi figuram, quia si cum eo conformatur in Cruce, conformabitur, & in gloria, quæ prælibatur in Cruce & passione. Paradoxum forte, & nouum vobis videbitur, quòd in passione & Cruce prælibetur Paradisus, cum Doctor Angelicus probet, *Quòd dolor in Christo fuit maximus præsentis vitæ?* Sed verum est ꝙ assero, nec alio indigeo fideiussore, cùm pro me habeã Archiepiscopũ Mediolanẽsẽ. Is, explicans verba Christi Crucem gestantis, & flentibus mulieribus, sic dicentis. *Nolite flere super me,* Crucifixi passionem imaginem esse cælestis regni demonstrat, vbi exultatio est, lætitia exuberat, aufertur dolor, pellitur gemitus, & lacrymæ ab oculis Sanctorum absterguntur. Sic ergo Ambrosius fatur, *Ecce ego pinxi muros tuos, dicit Dominus ad Ierusalem, hoc est, ad animam studiosam tranquillitatis & pacis, quã fecit ad imaginem suam. Noli, inquã, auferre imaginem cælestem, & imaginem mortis imponere. Passio Christi imago fuit regni cælestis. Nemo audiuit in plateis vocem eius; quia illo silentio passionis suæ clamorem omnem in posterum impiæ vocis abolebat.* Nolebat fleri, quid dicebat ad *filias Ierusalem, Filiæ Ierusalem*

D. Tho. 3. p. q. 46. ar. 5. in corp.

Lucæ 23. 28.

Ambros. serm. 14. in psal. 118.

nolite me flere, sed vosipsas flete. Ablaturus enim omnes lacrymas sua beneficio Crucis, in passione propria futura instar beatitudinis exhibebat, vt nemo fleret, nisi qui Christi beneficia non teneret Sic, sic in Christi Cruce, non vt in equo Troiano armati celantur, & arma, sed olea cælestis & gloria.

14 Quis nō miretur Christi benignitatem adeo procliuem in largiendo, quæ petuntur, vt vbi aliquid negat, quia vel non expedit, vel quis immaturo tempore illud petit, aliquid concedit, quod illi possit æquari? Ita petentibus filijs Zebedæi importuno tempore dexteram, & sinistram, antequam cæli deneget gloriam, calicem offert, qui cæli tenet vicem: gloriæ enim & beatitudinis libamen prægustatur in terra, dum Calix pro Christo bibitur in terra Non est mea inuentio, sed Ambrosij asserentis, *Indulgentiam autem suam in Discipulos, quos diligeret sententia, quam expressit reuelauit, promittens, Calicem quidem meum bibetis. Etenim, quòd non debebat id dare, quod petierant, aliud proposuit, vt priùs commemoraret, quid ijs tribueret, quàm quid negaret: quò magis æquitatem sibi petitionis, quàm studium Dominicæ liberalitatis intelligerent defuisse.* Et certè, si ex antiquo Prouerbio, quo significabatur commutatio Neptuni cū Latona, vt illa Calauriam Neptuno concederet, & possideret Delum; si inquam Calauriam verteremus in Caluarium, & Delum in Cælum: optime conuerteretur Prouerbium. Non vltra, *Pro Delo Calauriam:* sed pro Cælo Caluarium, calicem pro regno, & pro Passione Paradisum. Repetamus cum Chrysologo, *Gloriemur, fratres, de nouo isthus commutatione commercij: quia mors, quæ erat inter hominis separatio tota pietatis, per Christū diuinæ cōmendatio est facta caritatis.* Calix ergo & mors commendatio est diuinę caritatis, & prælibatio diuinæ gloriæ, ac Paradisi beatitatis, dum Calix datur pro regno, & Caluariū pro Cælo.

Ambros. li. 5. de Fide ad Gratianū cap. 3.

Adagium.

Chrisolog. in serm. 110 de verbi Apostol., Non est autē &c.

15 Paradiso Sponsus Sponsam æquans, dicebat, *Emissiones tuæ paradisus.* Et inter varias plantas, quibus illam consitam describebat, præcipuè asserebat ibi florere Crocum. Vbi ex his, quæ Philo Carpathius philosophatur, *Per has res sensibiles diuina illa & cælestes insinuantur, nam fructus arborum iusta sanctorum opera & castitatis odores indicant.* Crocus ergo simul connectit & colorem cælestis arcus in flore, & calicis formam in figura, & triplicem fructum, & nouum ac insolētem affectum, nam sic gaudet calcari & atteri, vt tanto felicius fructificet, quanto quis durius illū conculcet. Quis vmquam colores inueniet, quis lumina vmquam excogitabit, vt magis ad viuum vitam Iustorum describat, qui cū aureis & pallentibus croci coloribus, crocique affectibus valeant comparari? En inter pressuras tribulationum, & calices passionum, Arcus cælestis æternæ pacis, & gloriæ Paradisi Iustis apparet, testante Carpathio, *Crocus notissima herba est, probatissimus eius in medicina vsus, maximi est odoris, folio est angusto in capillamenti modum, florem cælestis arcus colore persimilem, calicis modo ab angusto in latum sese explicantem habet: intra quem fructum triplicem, veluti apicem coloris flammei ex vna radicula duplici folio lutei coloris bine indumentum profert, gaudet calcari, & atteri pede: perelidòque felicius prouenit: ideo iuxta fontes & viarum semitas latissimus est: nec melli, ac dulci, sed vino, vel aqua dissoluitur. Huic igitur Croco exercitati virtute patientia, & factis caritatis illustres comparātur. Qui veluti triplex Croci fructus ex vna radice dilectionis emanans, Deo, sibique, & proximis vtiles extiterunt: terrenis rebus angusti, sed cælestibus amplissimi: castigati & afflicti corpore, sed anima vegeti, latissimi, & immortales.* Sed quod de arcu reticuit Carpathius, non tacuit Ignatius dum Crocum se exhibens, & amans conteri, nūc dicit de bestijs sibi Romæ paratis, *Si venire noluerint, ego vim faciam,*

Cant. 4. 13.

Phil. Carp. in interpret. sup. cap. 4. Cant.

Idem ibid.

Ignat. apud

ego me vrgebo, vt deuorer: & nunc addens. *Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparata*. Sed quomodo ò Martyr inuicte, tribulis tribulationi, fruitionis gloriæ nomen, cū tribulatio medium sit ad gloriæ fruitionem, non gloriæ fruitio? Forte ob id, quia in tribulatione, & in calice gustabat premium potius, quàm calicem & passionem, recolens doctrinam Apostoli, *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini*: & præuidens interpretationem Anselmi, *Vobis donatum est, quasi premium pro Christo, quem diligitis, non solum, vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini ad cumulum gloriæ*. Si ergo tribulatio datur vt premium, ergo in tribulatione & martyrio ac morte arcus pacis æternæ, & immortalis gloria prægustatur. Hinc Chrysostomus de Paulo ita loquitur, *Non eum sic dico beatum, quod tertium vsque ad cælum, & in paradisum raptus est, quemadmodum quod in vincula conieclus sit: non enim beatum dico, quod audierit arcana verba, quemadmodum quod vincula sustinuerit: etenim hæc illis longè maiora: eligibilius namque mihi est velle pati pro Christo, quam honorari pro Christo*.

Ad Philip. 1. 29.

Ansel. hic.

Chrysost. hom. 5. de patẽtia Iob.

16 De Alexãdro Macedone Seneca refert, quòd, *Corinthij per legatos ciuitate sua illum donauerunt. Cùm autẽ risisset Alexãder hoc officij genus, vnus ex legatis, Nulli, inquit, ciuitatem vmquam dedimus alij, quã tibi, & Herculi. Libens accepit delatum honorem, cogitauit enim, non qui sibi honorem darent, sed cui dedissẽt. Et homo gloriæ deditus, Herculis vestigia sequens, ad socium honoris sui respexit à dantibus, tamquam cælũ teneret, quia Herculi æquabatur*. Agnosce, ò Christiane, dignitatem tuam, quia non Corinthij, sed Rex Cæli: non terrena ciuitate, sed cælesti: non socio Hercule, sed Christo: non ad Liberi vestigia sequenda, sed ad LIBERATORIS imitanda inuitaris, cuius si socius passionum es, & resurrectionis eris. Et si Alexãder ad sociũ honoris sui respexit à dantibus, tamquam cælum teneret, quia Herculi æquabatur: tu ad socium honoris tui respice, &, *Aspice in Auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem: ne deficias*. Sed si crux a cruciatu deriuatur, quomodo vt gaudium proponitur? Respondet Anselmus, *Proposuit sibi in corde gaudium æternum*: vnde cruciatus in corpore, gaudio replebatur in corde. Esto & tu socius Crucifixi, nam crucem cum illo sustinens, & beatus eris in spe, & beatus in re: & tamquam cælum tenebis, dum Christo in passionibus æquaberis.

Seneca li. 1. de benaficijs c. 13.

Ad Hebr. 12. 2.

Ansel. hic.

CIRCVLVS II.

Iustus cum gratiæ dono, dicere potest, Explebo numerum prædestinatorum.

15 QVamquam sphæra prædestinationis ex parte Dei in duobus firmetur polis, nempe in electione, & dilectione, nam ex Anglica doctrina, *Prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationẽ, quòd Deus velit illorum salutem ad quod pertinet electio, & dilectio: dilectio, inquantum vult eis hoc bonũ salutis æternæ, nam diligere est, velle alicui bonum: electio autem, inquantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult*: requiritur tamen, vt electi & dilecti, conditionem prædestinationis expleant, vt numerum prædestinatorum impleãt. Illa autem est, quam Petrus describit, dicens, *Magis autem satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. Quasi diceret, sicut Sol videri non potest in propria sphæra, videtur tamen in puro speculo, & in claro fonte: Ita & prædestinatio, quæ posuit tenebras latibulum suum, nec potest in propria causa, nempe in Deo cognosci, cognoscitur in operibus

D. Tho. 1. p. q. 23. ar. 4. in corp.

2. Petri 1. 10

ribus sanctis, in morũ puritate, in fuga ma i, in emendatione vitæ,& in emundatione à macula omnis culpæ. Hinc Oecumenius vos hortatur, *Date operam, vt permanentem atque immutabilem vestram electionem ostendatis, vt irreprihensibiles sitis, ne quasi muneris Dei obliti, iudicemini.*

Oecumen. in c. 2. epist. 1. Petri ad c. 1.

CIRCVLVS III.

Prædestinatorum numerus fit cum conditione.

16 AD hoc propositum recolenda sunt, quæ alibi diximus cum Emisseno, quod omnis Dei prædestinatio fit cum aliqua conditione, & qui conditionem non implet, prædestinationis numerum non explet. Sic ergo Eusebius fatur, *Fit autem conditionaliter prædestinatio Dei, nihilque sine aliqua conditione prædestinatum est. Prædestinatum est enim, vt saluaretur mundus, sed per aquam baptismatis, & mortem filii Dei. Prædestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamen conditione, si fidem tenuerint, si caritatem, si humilitatem, si sapientiã, si misericordiam, & pietatem, & his similia habuerint. Tales enim eos futuros præuidit, quos Deus ad vitam prædestinauit: & quasi prædestinando eis diceret, Ego quidem vos ad vitam prædestino, si tamen tales fueritis, si mea mandata custodieritis, si fidem, & misericordiam habueritis, & si in bonis tandem inuenti fueritis. Qui igitur talis esse non vult, qui mandata Dei custodire non nititur; ideo non venit ad prædestinationem, quia nõ seruat conditionem. Noli ergo attendere prædestinationẽ Dei, quam ignoras: attende ad verba, quæ audis, & intelligis.*

Eufeb. Emi. in fer. 2. post Dom. primã Quadrag.

17 Nec abit ab Emisseni sententia Angelica doctrina qua ex effectibus naturalibus, ita probantur prædestinationis effectus, *Sicut sic prouidentur naturales effectus, vt etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non prouenirent: ita prædestinatur à Deo salus alicuius, vt etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promouet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutẽ non consequitur. Vnde prædestinatis conandum est ad benè operandum, & orandum: quia per huiusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur, Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Aduocetur in hoc Adagium illud, *Auxiliante Minerua, manum interim moue*: inde natum vnde quemdam referunt dimicaturum, Mineruam consuluisse num futurum esset, vt victor descenderet: responsumque est, fore. Verùm cũ ille ingressus in theatrum, in certamine manibus staret otiosis, percussum ab aduersario, victum fuisse: cumque cõquereretur de Oraculi falsa promissione, dictum est ei, Cum Minerua manus illi fuisse admouendas, vt Oraculi euentum certum redderet. Sic de prædestinatis asserit Doctor Gentiũ, *Quos prædestinauit, illos & vocauit*: & secundum Ambrosium, *Vocare est cogitantem de fide adiuuare.* Adiuuare autem, quid est, nisi in re bona operanti, opem ferre? Si ergo, vis vt Deus tibi præstet auxilium, vt tecum sit, & tecum vt laboret, bona opera fac, & firmiter tene Augustini decretum, *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.*

D.Tho. 1. p. q. 23. ar. 8. in corp.

Adagium.

Ad Rom. 8. 30. Ambr. hic.

Aug ser 15. de verb. Apostoli.

CIRCVLVS IV.

Quid faciendum vt numerus expleatur prædestinatorum.

18 DEsiderasne & tu in numero prædestinatorum describi? Audi Paulum, *Participes enim Christi effecti sumus*: id est, vt interpretatur Ambrosius, *Participamur ex eo, vnum effecti sumus cũ*

Ad Hebr. 3. 14.

Ambr. hic.

illo,

illo, *siquidem ipse caput est, & nos membra, cohæredes & concorporales illi*. Vidisti gaudens prædestinationem: sed audi conditionem, *Si tamen initium substantiæ eius, vsque ad finem firmum retinemus*. Vbi Archiepiscopus Cantuariensis ita illam notat, *Tamen, hac conditione dico, si retineamus initium substantiæ eius, id est, fidem, quæ est initium bonorum operum, & per quã deificamur*. Nec immeritò fidem initium vocat: initium est enim bonorũ operũ, & sicut linea, quæ est cursus puncti, à puncto initium habet, & terminatur in puncto: Ita opera bona lineæ sunt, quæ à fluxu fidei originem trahunt, & in puncto, immo in vltima linea rerũ terminãtur, & qui in hoc fine terminum fidei, & operum bonorum ponunt, ipsi participes Christi erũt, quia initium substantiæ, id est, fidei eius vsque ad finem firmum retinuerunt: & tũc, vt concludit Ambrosius, *Iustus Iudex reddet vnicuique secundum opera, requiem sempiternam, fidem habẽtibus, eam tamen, quæ per dilectionem operatur: non credentibus, pœnam perpetuam*.

Ad Hebr. 3 14.

Ansel. hic.

Ambr. ibid.

CIRCVLVS V.

Diuerso modo Deus cum hominibus agit, atque cum brutis.

19 Aristoteles Alexandro iubebat, ex his quæ Plutarchus refert, *Græcis se tamquam Principẽ, barbaris vt dominum præbere: & illorum quidem, vt amicorum & domesticorum curam gerere: his, tamquam stirpibus, vti*. At summus rerum Conditor & dominator, legẽ huiusmodi videtur statuisse inter creaturas ratione orbatas, & hominem libero arbitrio ornatum: nam illis vtitur ad libitum, ita vt omnia, quę ipse vult, nesitate cogente exequãtur: at cum homine diuersã obseruat viam, & illud de eo prædestinat, & prędeterminat ad quod illum voluntariè aspicit, cum gratiæ auxilio inclinari. Ita Faustus philosophatur, dicens, *Generalis præscientia, quæ de statu mundi totius apud Deum manet, de potentia nascitur: sed circa statum hominis, qualitates & species prænoscendi, de humanæ actus inspectione mutatur. Non enim propterea homo quodcumque futurus est, quia eum coactura sit præscientiæ auctoritas, sed magis Deo præsciendi ingerit qualitatem, libertas præsecta hominis, ac voluntas. Ergo non de violentia prauidendi imponitur homini caussa peccãdi, sed magis de consecuturis hominum meritis, ordo exoritur prænoscendi*. In libro ergo propriæ conscientiæ, vbi caracteres operum bonorum Iustus imprimit non cum atramẽto, sed cum auro, & spiritus dono, testimonium legit quo numerum prædestinatorum se implere, hilaris ac gratulabundus, coniecturaliter tamen, cognoscit.

Plutarc. in orat. 1. de fortuna vel virtute Alexandri.

Faust. lib. 1. de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio c. 2.

26 Testem omni exceptione maiorem afferre videtur Paulus in caussa gloriæ, dum asserit, *Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ*. Sed dic mihi, o Doctor Gentium, quomodo sufficiẽs testimonium propria & sola conscientia reddere potest, si ex legum definitione, In ore duorum vel trium stare debet omne verbum, ita vt dictum vnius, dictum sit nullius? Respõdere potest Apostolus, quod testimonium conscientiæ non est singulare, & vnicum, sed ex vulgato, & communi prouerbio, *Conscientia mille testes*. Illa ergo forma, qua salutares voces horum testium cælestem exultationem intonãt in tabernaculis Iustorum: eadem sonitus exitiales testimoniũ damnationis tonantes, infernales terrores intonant in auribus peccatorum, Anselmo sic testante, *Sicut magna pœna est impiorum conscientia, sic magnum gaudium est piorum conscientia. Nam etsi diabolus, vel homo peruersus falsas eis criminationes impingere quærat, ipse tamen coram Deo intus gloriatur ex bona conscientiæ testimonio*. Neque testimonium conscientiæ solum est: nam & Spiritus sanctus simul

2. Cor. 1. 12.

Seneca in declamat. 9.

Ansel. hic.

2. Cor. 1. 12

cum

cum Spiritu nostro testimonium reddit conscientiæ nostræ, quod simus filij Dei. Vnde Bernardus exponens verba Apostoli, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*: sic ait, *Non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat seducta & seductrice cogitatione, testimonium perhibens de se ipso, & testimonium eius verum non erat: sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet Spiritui nostro.*

Bern. ser. 1. in annũt. B. Mariæ.

CIRCVLVS VI.

Iustus est suorum operum testis, & custos.

21 SEd apud quem Iudicem examinatur hic testis, vt gloriã Iustus mereatur, ob conscientiæ testimonium? Apud eumdem Iustum, qui est simul operum suorũ Iudex, & custos, qui hominum, & testimonium fugit, & iudicia non timet: sed Deo tantum seruat, quæ à Deo recepit virtutum dona, & meritorum thesauros. Aperi tu, o Bernarde, thesauros istos, tu qui expertus de talibus loqui potes, *Probat ipse opus suum, vt sic habeat in semetipso gloriam, & non in altero. Fidelis suimet custos, qui sibi olei fauoris sine fraude reseruat, ne in aduentu Sponsi lampas conscientiæ vacua extinguatur. Non in altero, inquam, nec enim tutum arbitror labijs hominum committere gloriam suam, arca vtique sine claue, & sine sera, nullique omnino clausa nocere volenti. Non tutum planè, sed stultũ ibi thesaurum tuum recondere, vnde non vales resumere, cùm volueris. Si ponis in os meum, iam non in tua, sed in mea potestate est: cùm vtique pro meo libitu, vel laudare te possim, vel derogare tibi. Sanum vas, & inconcussum conscientia, & secretis seruãdis idoneum: nullis patens insidijs, nulli violentiæ cedens, nulli quippe oculo, vel manui accessibilis, excepto dumtaxat spiritu, qui scrutatur etiã alta Dei. Quidquid in ea reposuero; securus sum, quia non perdam. Seruabit viuo, defuncto restituet.*

Bernard. in epist. 42. ad Henric. Senen. Episc.

22 Quod autem Prædestinatus seruat in conscientia, Deus conseruat in præscientia, quia, *Nouit Dominus qui sunt eius*. Sed timeo, ò Paule, ne ex hoc aliquis ansam sumat, male viuendi, & male dicat, Si Deus me nouit saluandum, dãnari non potero: si damnandum, nec potero saluari. Nouerat hoc, & Vas electionis, ideo subdit, *Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini*. Et dubium, & solutionem ex Anselmo hausi, sic enim ait, *Et ne quis diceret, Non curo amplius quid faciam, quia securus sum, quod si Dominus me nouit esse suum, non potero perire: & è contrario, si nouit me suum non esse, non potero ad salutem peruenire: subiungitur vtilis admonitio, Vt discedat ab iniquitate omnis, qui nouit nomen Domini. Liberum enim arbitrium dedit nobis Dominus, vt arbitrio propria voluntatis recedamus ab iniquitate, & simus ex illis, quos ipse nouit suos esse: vel permaneamus in iniquitate, & simus ex illis, quos nouit ad se non pertinere. Nã & hoc est illud signaculũ, quod fũdamẽto nostræ fidei apparebit impressum, si propria spõte recesserimus ab iniquitate.*

2. Tim. 2. 19
Ibidem.
Ansel. hic.
Ansel. hic.

CIRCVLVS VII.

Quale sit sigillum, quo signantur, qui pertinent ad numerum prædestinatorum.

23 ALludit Anselmus his postremis verbis tũ ad Pauli verba, *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius*: tum etiã ad ea, quę ipsemet paulò ante sic dixerat, *Hoc signaculum cordi suo impressum bonus habet, id est, hanc cogitationi suæ firmiter infixam, qui corda hominũ inspicit, ipse nouit qui sunt eius, ideo vraciter studeo in oculis eius iustus apparere, vt possim ad eorum sortem, qui sunt eius peruenire*. Talis cogitatio est diuini sigilli impressio. Cur autem Spõsus

2. Tim. 2. 19.
Ansel. hic.

Cant. 8. 5.

nedum in corde ſigillum imponi iubet, ſed etiam in brachio, *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum?* Forte, vt electos doceat, ne dũ ſpiritu, ſed corpore: nedum voluntate, ſed opere: nedum corde, ſed manu: nedum affectu, ſed effectu: & nedum cogitatione, ſed actione obſequium illi deberi, & adhiberi, vt hoc duplici teſtimonio, probent ſe eſſe de numero electorum. Ita Nyſſenus ſimul docet, & monet, *In corde ſunt cogitationes, & in brachio operationes, ſuper cor ergo, & ſuper brachium Sponſæ Dilectus, vt ſignaculum ponitur: quia & ſancta anima quantum ab eo diligatur, & voluntate, & actione deſignatur.* Non ſufficit teſtimonium voluntatis, niſi addatur & actionis, vt in ore duorum teſtium ſtet omne verbum.

Greg. Papa in c. 8. Cãt.

24 Aſt, ego ſi in tali ſignaculo Emblema eſſem ſculpturus, candidum illud animal pro corpore ibi imprimerem, quod mauult mori, quàm fœdari; & formam in gyro adderem ex Paulo, *Recedat ab iniquitate.* Si tamen ambigis, cur ab iniquitate, & non ab iniquis præcipiat recedendum? Dicam eum impoſſibia non imponere, ſed præcipere poſſibilia, vnde cùm benè ſciret quod ſi ab iniquis fugiendũ eſſet, eſſet & ab hac area, vbi paleæ frumento ſunt mixtæ, & etiam à mundo recedendum: non ab illis, ſed ab hac recedere iubet, quoadusque ventilabrum ſeparet frumẽtũ à paleis. Non eſt mea reſponſio, ſed è pænu Archiepiſcopi Cantuarienſis deſumpta: ſic enim fatur, *Ab iniquis recedere non poſſumus, quia mixta eſt palea tritico, donec area Ventiletur. Mira comparatio. Nam ecce in ipſa area triticum recedit a palea cum trituratur. Quando autem omnino ſeparabitur? Cùm venerit ventilator. Ergo modo in area, in orbe terrarum eſt. Neceſſe eſt, vt ſi proficis, inter iniquos viuas: quia Abel eſſe non poteſt, quem Cain malitia non exerceat. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate potes.*

2. Tim. 2. 19.

Anſel. ibid.

CIRCVLVS VIII.

Si numerus prædeſtinatorum eſt certus, quomodo dicuntur multiplicari ſuper numerum?

25 SEd ſi, vt Auguſtinus docet, *Certus eſt prædeſtinatorum numerus, qui neque augeri poteſt, neque minui:* quomodo Pſalmographus canit, *Multiplicati ſunt ſuper numerum?* Et quomodo poteſt eſſe numerus ſuper numerum, ſi numerus eſt certus apud Deum? Dicerem numerum vocatorum eſſe ſuper numerum electorum, numerum Fidelium ſupra numerum prædeſtinatorum, & numerum adunatorum in Eccleſia militante, ſupra numerum ſignatorum pro triumphante. Hoc autem ego aſſerere non auderem niſi Auguſtinum pro duce haberem, ita præeuntem, *Numerus certus eſt, pertinens ad illam cæleſtem Ieruſalem, Nouit enim Dominus, qui ſunt eius, Chriſtianos timentes, Chriſtianos fideles, Chriſtianos præcepta ſeruantes, Dei vias ambulantes, à peccatis abſtinentes, ſi ceciderint confitentes, ipſi ad numerum pertinent. Sed nunquid ſoli erunt? Sunt & ſuper numerum. Nam etſi modo pauci ſunt: pauci in comparatione multitudinis malarum frequentiarum: quantis turbis implentur Eccleſiæ, ſtipantur parietes, preſſuris ſe vrgent, propè ſe ſuffocant multitudine. Rurſus ab eis ipſis, ſi munus eſt, curritur ad amphiteatrum: iſti ſuper numerum ſunt.*

Auguſt. in lib. de corrept. & grat.

Pſal. 39. 7.

Auguſtin. in enarrat. ſup. Pſal. 39.

26 O tempora, o mores, concurſus ſolus ad amphiteatrum adeò damnatur ab Epiſcopo Hipponẽſi, vt ex hoc ſolo delicto, quod hodie in delectum tranſijt apud plures, excludat Chriſtianum à numero prædeſtinatorum. Nõne ſi pius Doctor modo videret tot adulteros, tot fratrum olores, tot concu-

Chrysolog. serm. 127. de decollatione Io. Bapt.

serui optant libertatem, & quærũt illam: sed teste Chrysologo, *Captiuis criminum, innocentia inimicis, odiosa est semper libertas*: & quilibet eorum conqueri potest cum Augustino, *Tenebar ligatus non ferro, sed mea ferrea voluntate.* De corporali seruitute, subdit Philosophus moralis, *Corpus est, quod domina fortuna tradidit. Hoc emitur, hoc venditur. Interior illa pars mancipio dari non potest.* Itaque hominum serui, liberi sunt animo, sed corpore mancipati: at vitiorum mancipia, libera sunt corpore, sed animo durę subdita seruituti. Hinc Elias regem non timens, regi improperat seruitutem, dicẽs, *Venundatus es vt faceres malum.* Nam ex Lyræ sono, *Sicut res vendita transit in dominium & possessionem ementis: sic Achab videbatur totaliter subditus idolis, & seruiens eis.* O flebilẽ seruitutem, in qua non corpus vẽditur, sed interior illa pars mancipio datur, qua homo Regis regum imaginem gerit! Quid damnabitur? Quid turpius? Concludamus cum Damiano, *Nimis turpe est, vt terrena simus concupiscentia dediti, qui & Dei vocamur Filij, & ad obtinendam cælestem hereditatem, per Christi gratiam meremur adscribi.*

Aug. in confessionibus.

Senec. ibid.

3. Reg. 3. 21. 20.

Nic. de Lyra hic.

Petr. Dam. ser. 24. in cena Dom.

9 Considerabam & ego verba Salomonis, & cum maxima admiratione legebam differentiam ab eo allatam inter cor sapientis & stulti, *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.* Et intra me dicebam, si ex hoc dignoscendi sunt sapientes, & stulti, nullam inter eos differentiam ipse dignosco, nec ab oculo, quamuis Linceo, poterit recognosci, quis enim habet cor suum carnale in dextera, vel in sinistra? Verè, vt respondet Salonius, *Nullus hoc materialiter habet, & ideo hac sententia spiritualiter intelligi debet.* Si autem quæras, quid per cor mysticè significatur: cogitatio viri tibi profertur. Et si de nouo inquiras, quid denotatur per sinistram, quidue per dexteram. Labores & opera bona, in dextera figurãtur, per quæ in dextera Iudicis homines sapiẽtes, Quasi oues fætosæ ac mundæ, collocantur. Labores autem, & cogitationes malæ in sinistra significantur, stulti enim & cogitant & laborãt vt malè agant, & per mala opera sinistræ addicuntur. Non est mea interpretatio, sed eiusdem Salonij, sic enim fatur, *Per cor designatur intentio seu cogitatio: per dexteram manum, opus bonum: per sinistram verò, malum. Cor igitur sapientis in dextra eius, quia intentio & cogitatio viri sapientis ad hoc tendit, ad hoc laborat, vt semper bona operetur, quatenus in die Iudicij, ad dextram Domini, id est, in sorte Iustorum stare mereatur, & cum ipsis in æterna beatitudine glorîari. Cor verò stulti in sinistra illius, quia & mala, qua cogitat: & malis operibus accumulat, pro quibus in die Iudicij, à sinistris, id est, in sorte reproborum ponetur, & cum eis in æternum punietur.*

Eccle. 10. 2.

Salon. hic.

Salon. in c. 10. mysticæ explicat. parab. Salomonis.

8 Sunt autem Iusti adeò dexteræ amatores, vt etiam Aristoteles ita asserat, *Accommodatur virtuti dexteritas, atque ipsius est dextri ea dicere, & audire, qua ad modestum virum accommodantur.* Et Hieronymus docet, *Quod Iustus sinistram in se non habet, sed totum in eo dextrum est.* Omnia certè quæcũque operantur Iusti, non ad aliud tendunt, nisi, vt prosperè sic succedãt, vt inter Agnos in dextra collocentur: impij è contra, quasi omnem mouent lapidem, & omnia mala faciunt, vt in sinistra locentur. Vbi aduocanda est Philosophi doctrina ex Pythagorico fonte deumpta, *Quòd via virtutis dextera dicitur, quia ad orientem Solem tendit, id est, ad lucem atque splendorem: via vero vitij sinistra est, quia occidentem versus, id est, in noctem tenebrasque defertur.* Sic enim impij sinistram tenent, qua ad æternas tenebras exteriores ab interioribus proijciũtur: Iusti autem dexteram sequuntur, qua ad perpetuam lucem & beatitudinem feruntur. Vbi optimè Hieronymus reuocat verba Poetæ, ita vel canentis, vel lugentis, nunc impiorum termi-

Aristot. li. 4. ethic.

Hierony. in c. 5. Matt.

Arist. lib. 2. de cælo c. 2.

Hieronym. in c. 10. Ecclesiasten.

num, nunc Iustorum.

Dextera, quæ magni Ditis sub mœnia ducit,
Hac iter Elysium nobis: at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Virg. lib. 6. Æneid.

CIRCVLVS II.

Fortunatur Iustus etiam cum tribulatur.

9 Vox exultationis, & salutis audita est in tabernaculis Iustorum, cùm Apostolica tuba hilaris intonat, *Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim propè est.* Vbi iubet Apostolus duplici gaudio Iustos gaudere, nempè de hoc sæculo & de futuro: de futuro per memoriam, de præsenti per patientiã. Ita Bernardus, *Hoc duplex interim est gaudium, quod habes in Spiritu sancto de memoria futurorum bonorum, & de malorum præsentium tolerantia. Nihil quippe in eis carnale sapit, nihil sæculare, nihil vanum. Sed Spiritus veritatis, & cælestis sapientia est, cuius in vtraque suauitas prælibatur. Gaudete in Domino semper, ait Apostolus: iterum dico, gaudete. Et duplicis huius gaudij materiã secutus adiunxit: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim propè est. Quid modestia, nisi mansuetudo, & patientia est? Gaudeamus ergo de his, quæ expectamus, quoniam Dominus propè est. Interim gaudeamus de his, quæ sustinemus, & modestia nostra nota sit omnibus.*

Ad Philip. 4. 4.

Bernar. ser. 14. ex varijs.

10 Repetent forrasse tribulati cum Gedeone, *Si Dominus nobiscũ est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Immo ex hoc dicã ego, quod vos hæc omnia apprehenderunt, signũ vobis datur Dominum vobiscũ esse, sũt enim propositiones essẽtiales & quæ dicuntur ad conuertentiã, Esse cũ Deo, & esse in tribulatione. Non mihi præstetur fides, sed Bernardo, is enim quærit, *Vnde scimus, quòd nobiscum sit in tribulatione?*

Iudic. 6. 13.

Bernar. ser. 16. in Psal. Qui habitat

Et idem respondet. *Ex eo, scilicet, quòd in ipsa tribulatione nos sumus.* Idque ex effectibus probat, subdẽs, *Quis .n. sustineret, quis persisteret, fine eo?* Deindè repetit verba Iacobi, & per ea demonstrat, idem esse gaudium, dùm Iustus tribulatur in terra, & dum glorificatur in cælo. Diuersum tamen, quia in terra Deus est cum eo: in cælo autem rapitur coram eo. Sic ergo cõcludit, *Omne gaudium existimemus fratres, cum in varias tentationes inciderimus, nõ modo, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei: sed quia iuxta est Dominus his, qui tribulatio sunt corde. Si ambulauero in medio tribulationis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ita ergo nobiscum est Deus omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quando autem nos erimus cũ ipso? nimirum quando rapiemur obuiam Christo in aera.*

Idem ibid.

11 Differentiam statuit Egesippus inter hominem virtutis cibo uacuum, & Iustum cibo gratiæ spiritualis repletum: ille enim angusti est animi, & molem formidinis, & metum mortis sustinere nequit. Vir autem patiens, qui præsentia non timet, & futura cogitat, nescit trepidare vbi non est timor. Immo vbi alij timent, vel mortem inuocant, ipse lætatur, & fruitur vita felici. Sic ergo fatur, *Denique scriptum est, quia anima effeminatorum esurient, quæ cibum vtique virtutis non habentes, esuriunt, ideo que ad mortem ante tempus festinãt. Neque enim repletus cibo gratiæ spiritualis, sibi ipsi manus irrogat.* Hoc cibo virtutis, & hac aqua sapientiæ repletur Iustus, iuxta oraculum, *Cibabit illum pane vitæ & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* O mirum amoris signum! Panis doloris est tribulatio, poculus amarus est afflictio: attamen Sponsus cælestis cum anima Iusti diuidit panem doloris, & bibit ex eodem poculo moeroris, dum est cum illo in tribulatione.

Egesipp. li. 5 De excidio vrbis Ierosolym. c. 17.

Eccle. 15. 2.

12 Ad hoc aduocãda sunt, quæ Curtius, & Alexander ab Alexan-

Q. Curt li. 8 Alexand. ab

Alexandro lib. 2. c. 5.

xandro de more Macedonum & Græcorum referunt, vt diuius gladio panis, a Sponso & Sponsa gustaretur, cùm sponsalia inibant, vt eodem alimento vtrumque coniugē victurum significarent. Et ex Plutarcho habemus apud Galatas in more fuisse, cùm spōsalia celebrabant, vt vir & vxor ex eodem poculo biberent. Sponsus ergo cælestis tunc clare demonstrat cū anima Iusti se sponsalia inire, quādo illam cibat pane vitæ, diuidens cum illa panem, de quo Iudæi dicebant, *Venite mittamus lignum in panem eius*. Vbi, ex Eusebio Cæsariensi, Ieremias notat Crucem, in qua corpus Christi foderunt, & corpus Christi panem vocat, quia de distributo pane Discipulis dixit, *Hoc est corpus, quod pro vobis datur. De poculo autem idem ipse dicebat, Accipite, & bibite ex hoc omnes. Hic enim Calix nouū testamentum est in meo sanguine.* Hunc ergo panem, hunc calicem diuidit ipse cum Iustis, dicens illis, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Nam secundum Chrysostomi expensionem, *Cum dixisset primum, Potestis bibere calicem? Deinde alliciens, subdit, quē ego bibiturus sum: vt ipsa cum eo cōmunicatione laborum, promptiores redderetur.* Hæc Chrysostomus, at ipse cum Richardo addam, vt dulciores redderentur, ex communicatione laborum. Labia enim Christi fauos distillant, & calicis myrram in mel vertunt: vnde qui de calice ipsius bibit, mellea dulcedine repletur, testante Richardo, *De huius plenitudine accipit gratiam, atque in labijs eius diffunditur hæc gratia, & superna dulcedinis saporem spirat.* Si calix tribulatio supernæ dulcedinis spirat saporem, quidni supernam conferat tribulato beatitatem?

Plutarc. in lib. de claris mulieribus.

Ierem. 11. 19

Chrysost. homil. 66. in Matt.

Richard. à Sancto Victore in c. 4. canticorū.

13 Sic, sic, per Verbi labia, fel mutatur in mel, & per os illius vertitur aqua in vinum. Quando Architriclinus gustauit vinū ex aqua factum, tunc dixit Sponso, *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Cur bonum vinum visum est ei illud, quod ex aqua factum fuerat: deterius autem illud, quod ex vuis fuerat expressum? Dicam cum Bernardo, vinum ex aqua, esse lætitiam, quæ sumitur ex perpessione malorum: Vinum vero ex vuis, esse lætitiā, quę ex carnalibus & terrenis delectationibus exprimitur. Illud ergo vinum optimum dicitur, quia lætitia, quam ex patientia Iustus haurit, omne gaudiorum genus longè superat. Et ideo Christus hoc genus vini, non ex nihilo, non ex alio liquore, sed ex aqua fecit, quia aqua significat huius mundi tribulationes, quas si ęquo animo toleramus, ingentem ex eis lætitiam hauriemus. Sed gustemus, quæ distillat mellifluus Bernardi calamus. *Apostoli plane vinum ex aqua factum gustauerūt, quando ibant gaudentes a conspectu Concilij; quando digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Quomodo non vinum ex aqua, gaudium ex contumelia? Nimirum, implebatur iam promissio Veritatis, qua ad eos facta fuerat hoc modo, Tristitia vestra conuertetur in gaudium, hoc est, aqua vestra vertetur in vinum.*

Ioan. 2. 10.

Bernardus serm. 16. ex Varijs, qui est ser. 1. de Verbis Apostoli, Non est regnum Dei esca & potus.

14 Hoc tamen verum est de vino expresso ex communibus botris, non tamen de illo vnico, de quo legitur, quod Exploratores terræ promissæ, *Pergentes vsque, ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri.* Nam botrus iste, ex quo vinum lætificans cor exprimitur, sicut Crucis figura est, & Crucifixi: ita designat extractam lætitiam ex passione laborum, & ex terra promissa venientem, illa enim assimilatur ei, quā Beati perfruuntur in Cælo. Eumdem Bernardum adhibeo fideiussorem, ita scribentem, *Optimum vinum seruat adhuc, quod velut, nō ex aqua fiendum, sed exprimendum magis, ex botro illo magno terræ promissionis, qui interim in vecte portatur,*

Numer. 13. 24.

Bernard. ibidem.

tur, dum secundùm carnem nouimus Christum, & hunc crucifixū. Numquid non illi vinum defecerat, qui dicebat, Renuit consolari anima mea? Sed & vinum aqua factum gustasse visus est, cùm subiungit, Memor fui Dei, & delectatus sum. Quid enim faciet in præsentia, qui in sola memoria delectatur? Sic & Apostoli planè vinum aqua factum gustauerant, quando, Ibant gaudentes à conspectu Concilij: quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

CAELI DAVIDICI VERSIO LIX.

Ex Arabico.

Omnia, quæcumque faciet, explebit.

CIRCVLVS I.

Iustus in omnibus, quæ facit explet formam iustitię in Christo propositam

1 VErbum explēdi, aliquādo significat consummare ac perficere, vt Cicero dicebat, *Expletam & perfectam formam honestatis:* aliquando verò numerum terminare, vnde Virgilius, *Explebo numerū.* Nos ergo vtrūque sēsum tenentes, expendemus vtrumque vtrumque, tractabimus, nec sine duce, si ad hoc aduocemus Platonis doctrinam expositam à Ficino, *Vult enim Plato esse intelligibile primum, et secundum: in eo ideas, id est, diuinæ mentis species contineri: in hoc autem numeros et figuras.* Et nos in primo incarnatam Sapientiam virtutum omniū species fatemur contineri: & in secūdo numerum prædestinatorum impleri, in quorum catalogo ij soli conscribūtur, *Quos præsciuit et prædestinauit cōformes fieri imaginis Filij sui* Nam, vt philosophatur Ambrosius, *Ideo prædestinantur in futurum sæculū, vt similes fiant Filio Dei.*

Cicero lib. 1. de Finib.

Virg. Ænei. 5.

Pluto apud Marf. Ficin. in epitome in Theætetū

Ad Rom. 8. 29

Ambr. hic.

2 Si Plato dicebat, & bene dicebat, *Arduum est absque exemplo res magnas lucide ostendere:* quid tam arduum vmquam propositum est hominibus, quam humilitatem sequi, paupertatem amplecti, obedire vsque ad mortem, martyria illata sustinere, & voluntariè crucifigi? Hæc ergo tam ardua, qui poterat debilis homo sine exēplo Dei hominis adimplere? Ideo ergo Deus factus est homo, humilis apparuit, & obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Hunc finem vitæ Christi, hoc exemplar passionis eius, & Ecclesia sic proponit, *Qui ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere, et Crucem subire fecisti.* Et idem Redemptor per os Bernardi exponit, *Ecce venio, et talem exhibeo memetipsum, vt quisquis inuidere voluerit. quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio in bonum.* O æmulatio in hoc tantum laudabilis! O inuidentia in hac tantum æmulatione salutaris?

Plato in dialogo de regno.

Ecclesia in Orat. Dominicæ Palmarum.
Bern. hom. 1. in Missus est.

3 Sed esto, quòd imitatio hæc fiat in bonum: si tamen Basilio, vt

par

Basil. in cōcione habita in La. & in Hexęmeron.

par est, præstatur fides, quod, *Inuidia diaboli diabolum facit, et est arma diaboli*: quomodo potest in bonum inuidia fieri, & facere Deū? nam inuidia Luciferi, & Adam, quia præsumpserunt æquales esse Deo, dum ille dicebat, Similis ero Altissimo, & hic vanè credidit se sicut Deum futurum, si scientiam Verbi propriam furaretur: nobis in bonum fit, dum Deum hominem factum æmulamur. Nam si ex Menandro, *Haud vlla fuisset hominum inuidia, si æqualis fuisset hominum conditio*: Deus homo factus dum, *Semē Abrahæ apprehēdit, & per omnia fratribus assimilatus est, inuidiam exclusit, & imitationem ad bonum introduxit.* Repetam cum Anselmo, *Per omnia assimilatus est fratribus, quia natus, educatus, creuit, passus est, & mortuus, qui si aliter appareret, quomodo homines non coactos, sed volentes ad se perduceret? Nō enim haberent quem imitando sequerentur, nisi hominem viderent sibi per omnia similem, quem imitari possent.*

Menander apud Stobæum.

Ad Heb. 2. 17.

Anselm. hic

4 Sic, sic, si enim vera est, vti & est Philosophi moralis sententia, *Nisi ad regulam praua non corriges*: nisi hæc diuinæ virtutis regula hominibus errantibus fuisset proposita, corrigi ab erroribus nequaquam poterant: vbi vero hanc regulam ante oculos hominum ipse posuit: tunc exitus probauit virtutum, nam, *Correxit orbem terræ, qui non commouebitur*. Petes ad quam regulam orbis terræ praua & deuia correcta sunt? Ad regulā Crucis, ad normam Crucifixi. Nō meo Marte id effero, sed ex Hieronymo id assero, ita enim fatur, *Numquid corrigitur, nisi quod ante rectum fuit, & postea deprauatum est? Sic igitur & nos, & omne humanū genus naturaliter intelligit Deū. Nulla enim gentes sunt, quę naturaliter non intelligunt Creatorem suum. Licet enim lapides, & ligna venerentur: tamen intelligunt aliquid maius esse, quàm ipsi sunt, & in errore suo indicant se habere sapientiam: hoc est, nulla gens est, quæ naturaliter non intelligat Deum. Denique Gentiles idola colunt, hoc est, lapides, & ligna venerantur: & si forte rixam fecerint, & si iuramentum aliquod inter illos venerit, non dicūt lapides isti vident, ligna vident, sed Deus videt, & Deus audit. Videte ergo quid dicat, Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur. Ideò venit Christus, & correxit Genus humanum, quod ante fuerat deprauatum, vt in æternum non moueatur. Crux enim ipsius columna est generis humani. In ipsa columna ædificata est domus eius. Ego Crucem dico, non lignum, sed passionem, cæterum Crux ista, & in Britania est, & in India est, & in vniuerso orbe terrarum.* O Crux, o regula, o norma sic corrigens orbem, vt vltra à recta virtutis via non commoueatur.

Seneca in epist. 11.

Hieronym. in com. sup. psal. 95.

5 Quærebat Chrysologus, cur Iesus ductus est in Ægyptum monitu Angeli, ne Puer interimeretur ab Herode? Nōne si puer Christus occideretur posset à captiuitate diaboli nos redimere? Posset vtique: sed quòd Puer fugit, & ad virilem ætatem seruat mortem, differt quidem, sed nō aufert mortis supplicium. Maturat fugam, ne immaturus occumbat: infans non perit, vt grandis factus, exemplo possit præire. In lacte matris non decoquitur Agnus, vt butirum & mel comedens, & pane tribulationis nutritus, patientiæ, humilitatis, ac omnium virtutum exemplar euadat. Inter brachia Genitricis nō extinguitur, vt lucerna ponatur super Crucis candelabrum, & omnibus lucens, omnibus Ideam bene viuendi, & patienter exponeret moriendi. Coleret aureus Chrysologi calamus, quod meus rudis adumbrauit stylus. *Quòd fugit Christus, fuit mysterij, non timoris: fuit liberatio, non periculum Creatoris: diuina virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: Non fugit propter Authoris mortem, sed fugit propter sæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi. Christus venerat, vt quos præce-*

Petr. Chrysolog. serm. 151. De fuga Christi in Ægyptum.

ptis docuerat, firmaret exemplis: & ipse faceret, quæ facienda mandauerat: & visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbatur auditu. Venerat vt mundo notitiam suæ deitatis infunderet, & humani generis ignorantiam auferret: Venerat vt pigra mortalium corda ad fidē virtutibus excitaret. Venerat diabolum publico superare conflictu, vt ab omnibus, & diuino vinceretur iussu, & humano prosterneretur exemplo.

6 Miraberis Archiepiscopum Rauennatem asserere, *Quòd Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi*: cùm vel gutta sanguinis diuini posset infinitos mundos saluare? Sed si Angelicum consulas Doctorem, inuenies, quod, *Licet absolutè loquendo possibile fuit Deo alio modo hominem liberare, quàm per passionem Christi: tamen ex aliqua suppositione facta, fuit impossibile. Quia enim impossibile est Dei præscientiam falli, & eius voluntatē, seu dispositionem cassari: supposita præscientia & prædestinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo, quàm per eius passionem liberari.* Cùm ergo hoc doceat D. Thomas de passione in cruce suscepta ad exemplum virtutis, allegans Augustini decretum, *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis*: Et doctrina fuit, quod passio Christi non saluat, nisi configuratos: iure merito Chrysologus statuit, quòd Christus totam causā nostræ salutis occideret, si se paruulum permisisset occidi.

D.Tho.3.p. q. 46. art. 2. in corp.

D.Th. ibid. ar. 4. in corpore. Augu. tract. 119. in Ioa. D.Tho. 1. 2. quæst. 5. art. 5. ad 2.

7 Quæ autem addit Rauennatum Antistes, *Et ipse faceret, quæ facienda mandauerat, vt visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu*: clarè demonstrant exemplorum virtutem. Vbi enim ea, quæ audiuntur, nos terrent, & vel difficilia, vel impossibilia videntur: cùm experimur alios homines eiusdem naturæ hæc eadem fecisse; nobis & possibilia, videntur, & etiam facilia æstimatur. Sicut vbi tu in tenebris existens, in tenebris existentem viam ciuitatis docere volens, frustra conareris, & nihil proficeres, si lucernam assumeres, si viā carperes, & si iter lumine & gressu demonstrares, certè ad sequelam tui & lætum inuitares, & alacrem duceres: Ita & Christus Crucis iter verbis Petrum docens, nedum non ducebat ad eam, sed Iesum etiam euellere conabatur ab ea: vbi vero lucernam illi ostendit, & prior in lignum ascendit, ibi eum ad sequendum ita extulit, vt vestigia Christi tenēs, simul cum illo non renuerit, immo voluerit crucifigi. Hoc totum Ambrosius & concludit & aperit, Ipse enim explicans verba Psaltis, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: ita subnectit, *Errabat Petrus in tenebris ignorantiæ, negabat Christum esse moriturum, quia adhuc non videbat moriturum, & resurrecturum esse pro nobis. Conuersus ad eum Dominus ait, Vade retrò post me. Ostendit illi lucernam, quam deberet sequi, Post me, dicens: sequutus verbum Dei confirmatus est, & postea cæpit inhærere Christo, timens ne aliquo laberetur errore.*

Ps. 118. 105. Ambr. ser. 14. in psal. 118.

7 Errabat Petrus, immo Satan errabat, vt putat Chrysologus, & à diabolo erant verba illa, quæ fallebant specie, quæque prætendebant bona, cùm mala inferrent, dicens, *Non tibi hoc erit Domine*. Vbi Chrysologus, *Triumphum Crucis vacuare contendit, cùm seruare se nimio amore mentitur. Nam cùm Dominus loqueretur passionis suæ gloriam: respondit per Petrum, Non tibi hoc erit Domine: venenum quàm dulce serpentis: ante facit militem regis sui negare victoriā, seruus ipse Dominū, quā negaret. Vnde Dominus seruum post se mittit, scandalū remittit auctori, dicendo ad Petrum, Vade post me: & diabolo, Satana, scandalum mihi es. Et verè post Dominum vadit Petrus, quia, vt eum sequeretur ad cælum, Crucem resupinus ascendit.* Notanda verba, & signanda mysteria, *Crucem resupinus ascendit*: Supinus stare dicitur, qui dorso incumbit, ita vt faciem habeat cælum versus spectantem,

Petr. Chrysol. in ser. 27 de scandalo tollendo.

Iuuenalis satyr. 4.

vnde Iuuenalis, *Cubat in faciem mox, deinde supinus*. Et resupinum dicimus, qui ita inuertitur, vt pars inferna, superna fiat. Resupinus ergo Petrus in Crucem ascendit, qui enim perturbabat Christum à Cruce, postquam Christum crucifixũ vidit, & per Crucẽ ascẽdisse in cælum, vt Cælum aspiceret, in quo Christus regnabat, illiusque vestigia alacrius sequeretur, inuerso corpore crucifigi voluit, vt oculis in eum fixis, pedibus in alto confixis, expeditius ad astra tenderet canens cum Propheta, *Stantes erat pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem*.

Psal. 121. 2.

8 Ex hac sequela Petrus animatus, ex hac lucerna nouum hauriens lumen, & ex hoc illustri exẽplo effectus melior, ita fideles monet, ita & mouet, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Et Græca vox, ὑπογραμμὸν, exemplar illud significat, quod Pictores magistri discipulis proponunt ad imitandum: Sic enim Crucifixus ante Fidelium oculos exponitur, vt omnia faciant secũdum exemplar, quod illis in monte Caluario monstratum est. Inde Doctor Gẽtium Galatas vrgebat, qui Christi figuram depingere iam cæperant, sed non ad perfectum expleuerãt. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?* Vel secundum Syriacum, *Ecce coràm vobis, quasi pingẽdus depictus fuerat Iesus Christus crucifixus*. Quasi, interprete Anselmo, diceret, *Sicut incantatores fascinant & deludunt homines, vt credant verum esse, quod falsum est: Ita nescio quis fascino suæ deceptionis adeo vos incantauit, ac verbis suis immutauit, vt falsitatem pro veritate teneatis. Vnde & scriptum est, quia fascinatio nugacitatis obscurat bona. Non creditis veritati, sicut insensati. Ante quorum interiores oculos Iesus Christus præscriptus est, id est, præostensus, & prænotatus à nobis, non in tabulis lapideis, sicut lex: sed & in vobis, id est, in cordibus vestris, est crucifixus, quia Crux & passio eius, qua redempti estis, erat maximè imitanda vobis*.

1. Pet. 2. 21.

Græcus.

Ad Gal. 3. 1.

Syriacus.

Anselm. hic

9 Notate verba, & documenta signate, *Quia Crux & passio eius, qua redempti estis, erat maximè imitanda vobis*. Cùm enim Christus & Redemptor sit, & Magister, & exemplar: qui eum, vt exemplar & Doctorem non imitatur, nec Redemptorem experitur. Hinc dicebat Paschasius, *Nihil gloriosius suis Magister veritatis proponere potuit ad exemplum, quàm se ipsum lumen æternum, qui est immortalis Rex gloriæ. Gloriosum quidem est si illum, quo nihil est locupletius, amplectimur per fidem, quæ per dilectionem operatur, vt vniuersis passionum conditionibus, vt ipsi fecerũt Apostoli, adæquemur*.

Paschasius lib. 6. in Matthæum.

10 Simiæ encomia Salomon extollebat, his coloribus eam depingens, his fingens moribus, *Simia manibus nititur, & moratur in ædibus regis*. Per simias vel per satyros de quibus legitur apud Victorinũ, *Quòd sunt facie admodùm grata, & gesticulatis motibus inquieti, clarè auliei adumbrans, qui ad Principum exemplum, vt eorum gratiam promereantur totos se effingunt*. Vt illi de quibus Plutarchus refert, *Qui imitabantur Alexandrum, ceruices in sinistrum inflexione, oculorumque volubilitate*. Si ergo Principum serui in satyros se transformant, nec dedignantur æmulari vitia dominorum: quomodo vos non gloriosũ putabitis imitari Regem gloriæ crucifixum, quando hoc ipsum, vt cum Tertulliano loquar, *Sufficere vobis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini & Magistri?*

Prou. 30. 28 ex Pagnino

Hugo Vict. lib. 2. de bestijs c. 12.

Plut. in Alexand.

Tertull in Scorpio c. 9

11 Si Deo, parentibus, & magistris non potest reddi æquale: quid reddemus nos Christo, qui triplici titulo, quasi triplici vinculo nos ligat, cùm ipse & Deus sit, & Pater futuri sæculi, & Magister? Hinc anxius, & gratus petebat Dauid, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sed si nos o Psaltes, audiuimus à Paulo, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quomodo tu audes & dicis, non, quid*

Psal. 115. 3.

tribuam, sed quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Respondet Augustinus, *Retribuit Deus bona pro malis, cui homines retribuunt mala pro bonis*. Et hoc quidem ceteri hominum: at homo secundum cor Dei retribuit bona pro bonis, passionem pro passione, sanguinem pro sanguine, mortem pro morte, calicem pro calice, vnde & subdit. *Calicem salutaris accipiam.* Iterum autẽ Hipponensis Antistes ab illo inquirit. *Quis tibi dedit calicẽ salutaris, quem accipiens, retribuas ei pro omnibus, quæ retribuit tibi? Quis? nisi ille, qui ait, Potestis bibere calicẽ, quẽ ego bibiturus sum? Quis tibi dedit imitari passiones suas, nisi qui propter te passus est prior?* Ad hoc enim prior passus, & prior amauit, vt te ad amandum, & ad patiendum inuitaret, quia. *Nihil minus videtur hominis, quàm non respondere in amore iis, à quibus prouocaris.*

August. in enar. super ps. 115.

Ps. 115. 4.

Augu. ibid.

Cicero ad Brutum.

12 Inde subnectit Psaltes, *Vota mea Domino reddam.* Multi vota aurea, vel argẽtea sacris templis reddere solent, in quibus effigiata cernitur passio Christi, vel effigies Crucifixi, & est religio sacra, & laude digna: ast regium Prophetę cor, non vota exhibet externa, sed semetipsum offert in votum viuum, se, vt imaginem Crucifixi reddit crucifixo. Hinc Theologorũ Dux, ad hanc nos ducit sublimem cognitionem, sic à Psalmista perquirens, *Quæ vota redditurus es? Quas vouisti victimas? Quæ incensa? Quæ holocausta? An ad illud respicis, quod paulo ante dixisti, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, & tibi sacrificabo sacrificiũ laudis? Et re vera quisquis benè cogitat quid voueat Domino, & quæ vota reddat, seipsum voueat, seipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Inspecto nũmo Dominus dixit, Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt: & Deo, quæ Dei sunt. Imago sua reddatur Cæsari, imago sua reddatur Deo. Sed qui meminit non solum seruum se esse Dei, sed & filium Ancillæ Dei: videt vbi reddat vota sua, conformatus Christo per calicem salutaris.* Deauret hæc vota aureus Chrysologi stylus, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Hoc est, & ego moriar pro illo. Et quid simile? Ille spontè pro impio & peccatore: ego vix pro Iusto, & bono: ego vix, quia me ad mortem non tam voluntas, quàm necessitas trahit: In aduersis, fratres, necessitas voluntati non potest comparari: acquiescere necessitatis est, velle virtutis. Et tamen quia diuinæ caritati nil potest homo simile redhibere, det quod potest: quia secundum quod habet, acceptus est.* Et quidem iure, dicente Seneca. *Animus est, qui parua extollit, sordida illustrat, magna & in pretio habita dehonestat. Sicut nec victimis quidem, licet optima sint, deorum est honor, sed pia ac recta voluntate venerantium.*

Ps. 115. 5.

Idem Aug. ibid.

Chrysolog. serm. 110. in verba Apostoli, Non est autẽ &c.

Seneca lib. 1. de benef. c. 6.

13 O terq. quaterque beatus, qui hanc bene explet in se crucifixi figuram, quia si cum eo conformatur in Cruce, conformabitur, & in gloria, quæ prælibatur in Cruce & passione. Paradoxum forte, & nouum vobis videbitur, quòd in passione & Cruce prelibetur Paradisus, cum Doctor Angelicus probet, *Quòd dolor in Christo fuit maximus præsentis vitæ?* Sed verum est quod assero, nec alio indigeo fideiussore, cùm pro me habeã Archiepiscopũ Mediolanẽsẽ. Is, explicans verba Christi Crucem gestantis, & flentibus mulieribus, sic dicentis, *Nolite flere super me*, Crucifixi passionem imaginem esse cælestis regni demonstrat, vbi exultatio est, lætitia exuberat, aufertur dolor, pellitur gemitus, & lacrymæ ab oculis Sanctorum absterguntur. Sic ergo Ambrosius fatur, *Ecce ego pinxi muros tuos, dicit Dominus ad Ierusalem, hoc est, ad animam studiosam tranquillitatis & pacis, quã fecit ad imaginem suam. Noli, inquã, auferre imaginem cælestem, & imaginem mortis imponere. Passio Christi imago fuit regni cælestis. Nemo audiuit in plateis vocem eius; quia illo silentio passionis suæ clamorem omnem in posterum impia voce abolebat.* Nolebat fleri, quid dicebat ad filias Ierusalem, *Filiæ Ierusalem*

D.Tho. 3. p. q. 46. ar. 5. in corp.

Lucæ 23. 28.

Ambros. serm. 14. in psal. 118.

nolite me flere, sed vosipsas flete. Ablaturus enim omnes lacrymas sua beneficio Crucis, in passione propria futura instar beatitudinis exhibebat, vt nemo fleret, nisi qui Christi beneficia non teneret. Sic, sic in Christi Cruce, non vt in equo Troiano armati celantur, & arma, sed olea cælestis & gloria.

14 Quis nõ miretur Christi benignitatem adeo procliuem in largiendo, quæ petuntur, vt vbi aliquid negat, quia vel non expedit, vel quis immaturo tempore illud petit, aliquid concedit, quod illi posit æquari? Ita petentibus filijs Zebedæi importuno tempore dexteram, & sinistram, antequam cæli deneget gloriam, calicem offert, qui cæli tenet vicem: gloriæ enim & beatitudinis libamen prægustatur in terra, dum Calix pro Christo bibitur in terra. Non est mea inuentio, sed Ambrosij asserentis, *Indulgentiam autem suam in Discipulos, quos diligeret sententia, quam expressit reuelauit, promittens, Calicem quidem meum bibetis. Etenim, quòd non debebat id dare, quod petierant, aliud proposuit, vt priùs commemoraret, quid ijs tribueret, quàm quid negaret: quò magis aquitatem sibi petitionis, quàm studium Dominica liberalitatis intelligerent defuisse.* Et certè, si ex antiquo Prouerbio, quo significabatur commutatio Neptuni cũ Latona, vt illa Calauriam Neptuno concederet, & possideret Delum; si inquam Calauriam vertéremus in Caluarium, & Delum in Cælum: optime conuertetur Prouerbium. Non vltra, *Pro Delo Calauriam:* sed pro Cælo Caluarium, calicem pro regno, & pro Passione Paradisum. Repetamus cum Chrysologo, *Gloriemur, fratres, de noua istius commutationis commercij: quia mors, quæ erat inter homines separatio tota pietatis, per Christũ diuinæ cõmendatio est facta caritatis.* Calix ergo & mors commendatio est diuinæ caritatis, & prælibatio diuinæ gloriæ, ac Paradisi beatitatis, dum Calix datur pro regno, & Caluariũ pro Cælo.

Ambros. li. 5. de Fide ad Gratianũ cap. 3.

Adagium.

Chrisolog. in serm. 110 de verbi Apostol. Non est autẽ &c.

15 Paradiso Sponsus Sponsam æquans, dicebat, *Emissiones tuæ paradisus.* Et inter varias plantas, quibus illam consitam describebat, præcipuè asserebat ibi florere Crocum. Vbi ex his, quæ Philo Carpathius philosophatur, *Per has res sensibiles diuina illa & cælestes insinuantur, nam fructus arborum iusta sanctorum opera & castitatis odores indicant.* Crocus ergo simul connectit & colorem cælestis arcus in flore, & calicis formam in figura, & triplicem fructum, & nouum ac insolẽtem affectum, nam sic gaudet calcari & atteri, vt tanto felicius fructificet, quanto quis durius illũ conculcet. Quis vmquam colores inueniet, quis lumina vmquam excogitabit, vt magis ad viuum vitam Iustorum describat, qui cũ aureis & pallentibus croci coloribus, crocique affectibus valeant comparari? En inter pressuras tribulationum, & calices passionum, Arcus cælestis æternæ pacis, & gloriæ Paradisi Iustis apparet, testante Carpathio, *Crocus notissima herba est, probatissimus eius in medicina vsus, maximi est odoris, folio est angusto in capillamenti modum, florem cælestis arcus colore persimilem, calicis modo ab angusto in latum se se explicantem habet: intra quem fructum triplicem, veluti apicem coloris flammei ex vna radicula duplici folio lutei coloris hinc inde munitum profert, gaudet calcari, & atteri pede: perelidòque feliciùs prouenit: ideo iuxta fontes & viarum semitas latissimus est: nec melli, ac dulci, sed vino, vel aqua dissoluitur. Huic igitur Croco exercitati virtute patientia, & factis caritatis illustres comparãtur. Qui veluti triplex Croci fructus ex vna radice dilectionis emanant, Deo, sibique, & proximis vtiles extiterunt: terrenis rebus angusti, sed cælestibus amplissimi: castigati & afflicti corpore, sed anima vegeti, lætissimi, & immortales.* Sed quod de arcu reticuit Carpathius, non tacuit Ignatius dum Crocum se exhibens, & amans conteri, nũc dicit de bestijs sibi Romæ paratis, *Si venire noluerint, ego vim faciam,*

Cant. 4. 13.

Phil. Carp. in interpret. sup. cap. 4. Cant.

Idem ibid.

Ignat. apud

ego me vrgebo, vt deuorer: & nunc addens, *Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparata*. Sed quomodo ò Martyr inuicte, tribuis tribulationi, fruitionis gloriæ nomen, cũ tribulatio medium sit ad gloriæ fruitionem, non gloriæ fruitio? Forte ob id, quia in tribulatione, & in calice gustabat premium potius, quàm calicem & passionem, recolens doctrinam Apostoli, *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini*: & præuidens interpretationem Anselmi, *Vobis donatum est, quasi premium pro Christo, quem diligitis, non solum, vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini ad cumulum gloriæ*. Si ergo tribulatio datur vt premium, ergo in tribulatione & martyrio ac morte arcus pacis æternæ, & immortalis gloria prægustatur. Hinc Chrysostomus de Paulo ita loquitur, *Non eum sic dico beatum, quod tertium vsque ad cælum, & in paradisum raptus est, quemadmodum quod in vincula coniectus sit: non enim beatum dico, quod audierit arcana verba, quemadmodum quod vincula sustinuerit: etenim hæc illis longè maiora: eligibilius namque mihi est velle pati pro Christo, quàm honorari pro Christo*.

Ad Philip. 1. 29.

Ansel. hic.

Chrysost. hom. 5. de patientia Iob.

16 De Alexãdro Macedone Seneca refert, quòd, *Corinthij per legatos ciuitate sua illum donauerunt. Cùm autẽ risisset Alexãder hoc officij genus, vnus ex legatis, Nulli, inquit, ciuitatem vmquam dedimus alij, quã tibi, & Herculi. Libens accepit delatum honorem, cogitauit enim, non qui sibi honorem darent, sed cui dedissẽt. Et homo gloriæ deditus, Herculis vestigia sequens, ad socium honoris sui respexit à dantibus, tamquam cælũ teneret, quia Herculi æquabatur*. Agnosce, ò Christiane, dignitatem tuam, quia non Corinthij, sed Rex Cæli: non terrena ciuitate, sed cælesti: non socio Hercule, sed Christo: non ad Liberi vestigia sequenda, sed ad LIBERATORIS imitanda inuitaris, cuius si socius passionum es, & resurrectionis eris. Et si Alexãder ad sociũ honoris sui respexit à dantibus, tamquam cælum teneret, quia Herculi æquabatur: tu ad socium honoris tui respice, & *Aspice in Auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem: ne deficias*. Sed si crux a cruciatu deriuatur, quomodo vt gaudium proponitur? Respondet Anselmus, *Proposuit sibi in corde gaudium æternum*: vnde cruciatus in corpore, gaudio replebatur in corde. Esto & tu socius Crucifixi, nam crucem cum illo sustinens, & beatus eris in spe, & beatus in re: & tamquam cælum tenebis, dum Christo in passionibus æquaberis.

Seneca li. 1. de benaficijs c. 13.

Ad Hebr. 12. 2.

Ansel. hic.

CIRCVLVS II.

Iustus cum gratiæ dono, dicere potest, Explebo numerum prædestinatorum.

15 QVamquam sphæra prædestinationis ex parte Dei in duobus firmetur polis, nempe in electione, & dilectione, nam ex Anglica doctrina, *Prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationẽ, quòd Deus velit illorum salutem ad quod pertinet electio, & dilectio: dilectio, inquantum vult eis hoc bonũ salutis æternæ, nam diligere est, velle alicui bonum: electio autem, inquantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult*: requiritur tamen, vt electi & dilecti, conditionem prædestinationis expleant, vt numerum prædestinatorum impleãt. Illa autem est, quam Petrus describit, dicens, *Magis autem satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. Quasi diceret, sicut Sol videri non potest in propria sphæra, videtur tamen in puro speculo, & in claro fonte: Ita & prædestinatio, quæ posuit tenebras latibulum suum, nec potest in propria causa, nempe in Deo cognosci, cognoscitur in operibus

D. Tho. 1. p. q. 23. ar. 4. in corp.

2. Petri 1. 10

ribus sanctis, in morum puritate, in fuga mali, in emendatione vitæ, & in emundatione à macula omnis culpæ. Hinc Oecumenius vos hortatur, *Date operam, vt permanentem atque immutabilem vestram electionem ostendatis, vt irreprehensibiles sitis, ne quasi muneris Dei obliti, iudicemini*.

Oecumen. in c. 2. epist. 1. Petri ad c. 1.

CIRCVLVS III.

Prædestinatorum numerus fit cum conditione.

16 AD hoc propositum recolenda sunt, quæ alibi diximus cum Emisseno, quod omnis Dei prædestinatio fit cum aliqua conditione, & qui conditionem non implet, prædestinationis numerum non explet. Sic ergo Eusebius fatur, *Fit autem conditionaliter prædestinatio Dei, nihilque sine aliqua conditione prædestinatum est. Prædestinatum est enim, vt saluetur mundus, sed per aquam baptismatis, & mortem filii Dei. Prædestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamen conditione, si fidem tenuerint, si caritatem, si humilitatem, si sapientiã, si misericordiam, & pietatem, & his similia habuerint. Tales enim eos futuros prauidit, quos Deus ad vitam prædestinauit: & quasi prædestinando eis diceret, Ego quidem vos ad vitam prædestino, si tamen tales fueritis, si mea mandata custodieritis, si fidem, & misericordiam habueritis, & si in bonis tandem inuenti fueritis. Qui igitur talis esse non vult, qui mandata Dei custodire non nititur, ideo non venit ad prædestinationem, quia nõ seruat conditionem. Noli ergo attendere prædestinationẽ Dei, quam ignoras: attende ad verba, quæ audis, & intellige.*

Euseb. Emi. in fer. 2. post Dom. primã Quadrag.

17 Nec abit ab Emisseni sententia Angelica doctrina, qua ex effectibus naturalibus, ita probantur prædestinationis effectus, *Sicut se prouidentur naturales effectus, vt etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur sine quibus illi effectus non prouenirent: ita prædestinatur à Deo salus alicuius, vt etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promouet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutẽ non consequitur. Vnde prædestinatis conandum est ad benè operandum, & orandum: quia per huiusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur,* Satagite, *vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Aduocetur in hoc Adagium illud, *Auxiliante Mineruа, manum intrim moue*: inde natum vnde quemdam referunt dimicaturum, Mineruam consuluisse num futurum esset, vt victor descenderet: responsumque est, fore. Verùm cũ ille ingressus in theatrum, in certamine manibus staret otiosis, percussum ab aduersario, victum fuisse: cumque cõquereretur de Oraculi falsa promissione, dictum est ei, Cum Minerua manus illi fuisse admouendas, vt Oraculi euentum certum redderet. Sic de prædestinatis asserit Doctor Gentiũ, *Quos prædestinauit, illos & vocauit*: & secundum Ambrosium, *Vocare est cogitantem de fide adiuuare*. Adiuuare autem, quid est, nisi in re bona operanti, opem ferre? Si ergo, vis vt Deus tibi præstet auxilium, vt tecum sit, & tecum vt laboret, bona opera fac, & firmiter tene Augustini decretum, *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*.

D.Tho. 1. p. q. 23. ar. 8. in corp.

Adagium.

Ad Rom. 8. 30. Ambr. hic.

Aug fer 15. de verb. Apostoli.

CIRCVLVS IV.

Quid faciendum vt numerus expleatur prædestinatorum.

18 DEsiderasne & tu in numero prædestinatorum describi? Audi Paulum, *Participes enim Christi effecti sumus*: id est, vt interpretatur Ambrosius, *Participamur ex eo, vnum effecti sumus cũ illo,*

Ad Hebr. 3. 14.

Ambr. hic.

illo, siquidem ipse caput est, & nos membra, coheredes & concorporales illi. Vidisti gaudens prædestinationem: sed audi conditionem, *Si tamen initium substantiæ eius, vsque ad finem firmum retinemus.* Vbi Archiepiscopus Cantuariensis ita illam notat, *Tamen, hac conditione dico, si retineamus initium substantiæ eius, id est, fidem, qua est initium bonorum operum, & per quã ædificamur.* Nec immeritò fidem initium vocat: initium est enim bonorũ operũ, & sicut linea, quæ est cursus puncti, à puncto initium habet, & terminatur in puncto: Ita opera bona lineæ sunt, quæ à fluxu fidei originem trahunt, & in puncto, immo in vltima linea rerũ terminãtur, & qui in hoc fine terminum fidei, & operum bonorum ponunt, ipsi participes Christi erũt, quia initium substantiæ, id est, fidei eius vsque ad finem firmum retinuerunt: & tũc, vt concludit Ambrosius, *Iustus Iudex reddet vnicuique secundum opera, requiem sempiternam, fidem habentibus, eam tamen, quæ per dilectionem operatur: non credentibus, pœnam perpetuam.*

Ad Hebr. 3. 14.

Ansel. hic.

Ambr. ibid.

CIRCVLVS V.

Diuerso modo Deus cum hominibus agit, atque cum brutis.

19 ARistoteles Alexandro iubebat, ex his quæ Plutarchus refert, *Græcis se tamquam Principẽ, barbaris vt dominum prabere: & illorum quidem, vt amicorum & domesticorum curam gerere: his, tamquam stirpibus, vti.* At summus rerum Conditor & dominator, legẽ huiusmodi videtur statuisse inter creaturas ratione orbatas, & hominem libero arbitrio ornatum: nam illis vtitur ad libitum, ita vt omnia, quę ipse vult, necessitate cogente exequãtur: at cum homine diuersã obseruat viam, & illud de eo prædestinat, & prędeterminat ad quod illum voluntariè aspicit, cum gratiæ auxilio inclinari. Ita Faustus philosophatur, dicens, *Generalis præscientia, quæ de statu mundi totius apud Deum manet, de potentia nascitur: sed circa statum hominis, qualitates & species pranoscendi, de humanis actus inspectione mutatur, Non enim propter ea homo quodcumque futurus est, quia cum eo Dura sit præscientia auctoritas, sed magis Deo præsciendi ingerit qualitatem, libertas præfecta hominis, ac voluntas. Ergo non de violentia prænoscendi imponitur homini caussa peccãdi, sed magis de consecuturis hominum meritis, ordo exoritur pranoscendi.* In libro ergo propriæ conscientiæ, vbi caracteres operum bonorum Iustus imprimit non cum atramẽto, sed cum auro, & spiritus dono, testimonium legit quo numerum prædestinatorum se implere, hilaris ac gratulabundus, coniecturaliter tamen, cognoscit.

Plutarc. in orat. 1. de fortuna vel virtute Alexandri.

Faust. lib. 2. de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio c. 2.

26 Testem omni exceptione maiorem afferre videtur Paulus in caussa gloriæ, dum asserit, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Sed dic mihi, o Doctor Gentium, quomodo sufficiẽs testimonium propria & sola conscientia reddere potest, si ex legum definitione, In ore duorum vel trium stare debet omne verbum, ita vt dictum vnius, dictum sit nullius? Respõdere potest Apostolus, quod testimonium conscientiæ non est singulare, & vnicum, sed ex vulgato, & communi prouerbio, *Conscientia mille testes.* Illa ergo forma, qua salutares voces horum testium cælestem exultationem intonãt in tabernaculis Iustorum: eadem sonitus exitiales testimoniũ damnationis tonantes, infernales terrores intonant in auribus peccatorum, Anselmo sic testante, *Sicut magna pœna est impiorum conscientia, sic magnum gaudium est piorum conscientia. Nam etsi diabolus, vel homo peruersus falsas eis criminationes impingere quærat, ipse tamen coram Deo intus gloriatur ex bona conscientia testimonio.* Neque testimonium conscientiæ solum est: nam & Spiritus sanctus simul

2. Cor. 1. 12.

Seneca in declamat. 9.

Ansel. hic.

2. Cor. 1. 12

cum

cum Spiritu nostro testimonium reddit conscientiæ nostræ, quod simus filij Dei. Vnde Bernardus exponens verba Apostoli, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*: sic ait, *Non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat seducta & seductrice cogitatione, testimonium perhibens de se ipso, & testimonium eius verum non erat: sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet Spiritui nostro.*

Bern. ser. 1. in annũt. B. Mariæ.

CIRCVLVS VI.

Iustus est suorum operum testis, & custos.

21 SEd apud quem Iudicem examinatur hic testis, vt gloriã Iustus mereatur, ob conscientiæ testimonium? Apud eumdem Iustum, qui est simul operum suorũ Iudex, & custos, qui hominum, & testimonium fugit, & iudicia non timet: sed Deo tantum seruat, quæ à Deo recepit virtutum dona, & meritorum thesauros. Aperi tu, o Bernarde, thesauros istos, tu qui expertus de talibus loqui potes, *Probat ipse opus suum, vt sic habeat in semetipso gloriam, & non in altero. Fidelis suimet custos, qui sibi oleũ fauoris sine fraude reseruat, ne in aduentu Sponsi lampas conscientiæ vacua extinguatur. Non in altero, inquam, nec enim tutum arbitror labiis hominum committere gloriam suam, area vtique sine claue, & sine sera, nullique omnino clausa nocere volenti. Non tutum planè, sed stultũ ibi thesaurum tuum recondere, vnde non vales resumere, cùm volueris. Si ponis in os meum, iam non in tua, sed in mea potestate est: cùm vtique pro meo libitu, vel laudare te possim, vel derogare tibi. Sanum vas, & inconcussum conscientia, & secretis seruandis idoneum: nullis patens insidijs, nulli violentiæ cedens, nulli quippe oculo, vel manui accessibilis, excepto dumtaxat spiritu, qui scrutatur etiã alta Dei. Quidquid in ea reposuero, securus sum, quia non perdam. Seruabit viuo, defuncto restituet.*

Bernard. in epist. 42. ad Henric. Senen. Episc.

22 Quod autem Prædestinatus seruat in conscientia, Deus conseruat in præscientia, quia, *Nouit Dominus qui sunt eius*. Sed timeo, ò Paule, ne ex hoc aliquis ansam sumat, male viuendi, & male dicat, Si Deus me nouit saluandum, dãnari non potero: si damnandum, nec potero saluari. Nouerat hoc, & Vas electionis, ideo subdit, *Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini*. Et dubium, & solutionem ex Anselmo hausi, sic enim ait, *Et ne quis diceret, Non curo ampliùs quid faciam, quia securus sum, quod si Dominus me nouit esse suum, non potero perire: & è contrario, si nouit me suum non esse, non potero ad salutem peruenire: subiungitur vtilis admonitio, Vt discedat ab iniquitate omnis, qui nouit nomen Domini. Liberum enim arbitrium dedit nobis Dominus, vt arbitrio propriæ voluntatis recedamus ab iniquitate, & simus ex illis, quos ipse nouit suos esse: vel permaneamus in iniquitate, & simus ex illis, quos nouit ad se non pertinere. Nã & hoc est illud signaculũ, quod fũdamẽto nostræ fidei apparebit impressum, si propria spõte recesserimus ab iniquitate.*

2. Tim. 2. 19
Ibidem.

Ansel. hic.

Ansel. hic.

CIRCVLVS VII.

Quale sit sigillum, quo signantur, qui pertinent ad numerum prædestinatorum.

23 ALludit Anselmus his postremis verbis tũ ad Pauli verba, *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius*: tum etiã ad ea, quę ipsemet paulò ante sic dixerat, *Hoc signaculum cordi suo impressum bonus habet, id est, hanc cogitationi sua firmiter infixam, qui corda hominũ inspicit, ipse nouit qui sunt eius, ideo veraciter studeo in oculis eius iustus apparere, vt possim ad eorum sortem, qui sunt eius peruenire*. Talis cogitatio est diuini sigilli impressio. Cur autem Spõsus

2. Tim. 2. 19.

Ansel. hic.

Cant. 8. 5. nedum in corde ſigillum imponi iubet, ſed etiam in brachio, *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum?* Forte, vt electos doceat, ne dũ ſpiritu, ſed corpore: nedum voluntate, ſed opere: nedum corde, ſed manu: nedum affectu, ſed effectu: & nedum cogitatione, ſed actione obſequium illi deberi, & adhiberi, vt hoc duplici teſtimonio, probent ſe eſſe de numero electorum. Ita Nyſſenus ſimul docet, & monet,

Greg. Papa in c. 8. Cãt. *In corde ſunt cogitationes, & in brachio operationes, ſuper cor ergo, & ſuper brachium Sponſæ Dilectus, vt ſignaculum ponitur: quia & ſancta anima quantum ab eo diligatur, & voluntate, & actione deſignatur.* Non ſufficit teſtimonium voluntatis, niſi addatur & actionis, vt in ore duorum teſtium ſtet omne verbum.

24 Aſt, ego ſi in tali ſignaculo Emblema eſſem ſculpturus, candidum illud animal pro corpore ibi imprimerem, quod mauult mori, quàm fœdari; & formam in gyro

2. Tim. 2. 19. adderem ex Paulo, *Recedat ab iniquitate.* Si tamen ambigis, cur ab iniquitate, & non ab iniquis præcipiat recedendum? Dicam eum impoſſibia non imponere, ſed præcipere poſſibilia, vnde cùm benè ſciret quod ſi ab iniquis fugiendũ eſſet, eſſet & ab hac area, vbi paleæ frumento ſunt mixtæ, & etiam à mundo recedendum: non ab illis, ſed ab hac recedere iubet, quoadusque ventilabrum ſeparet frumẽtũ à paleis. Non eſt mea reſponſio, ſed è pænu Archiepiſcopi Cantuarienſis deſumpta: ſic enim fatur,

Anſel. ibid. *Ab iniquis recedere non poſſumus, quia mixta eſt palea tritico, donec area Ventiletur. Mira comparatio. Nam ecce in ipſa area triticum recedit a palea cum trituratur. Quando autem omnino ſeparabitur? Cùm venerit ventilator. Ergo modo in area, in orbe terrarum eſt. Neceſſe eſt, vt ſi proficis, inter iniquos viuas; quia Abel eſſe non poteſt, quem Caim malitia non exerceat. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate potes.*

CIRCVLVS VIII.

Si numerus prædeſtinatorum eſt certus, quomodo dicuntur multiplicari ſuper numerum?

25 SEd ſi, vt Auguſtinus docet, *Certus eſt prædeſtinatorum numerus, qui neque augeri poteſt, neque minui:* quomodo Pſalmographus canit, *Multiplicati ſunt ſuper numerum?* Et quomodo poteſt eſſe numerus ſuper numerum, ſi numerus eſt certus apud Deum? Dicerem numerum vocatorum eſſe ſuper numerum electorum, numerum Fidelium ſupra numerum prædeſtinatorum, & numerum adunatorum in Eccleſia militante, ſupra numerum ſignatorum pro triumphante. Hoc autem ego aſſerere non auderem niſi Auguſtinum pro duce haberem, ita præeuntem, *Numerus certus eſt, pertinens ad illam caleſtem Ieruſalem, Nouit enim Dominus, qui ſunt eius, Chriſtianos timentes, Chriſtianos fideles, Chriſtianos præcepta ſeruantes, Dei vias ambulantes, à peccatis abſtinentes, ſi ceciderint confitentes, ipſi ad numerum pertinent. Sed nũquid ſoli erunt? Sunt & ſuper numerum. Nam etſi modo pauci ſunt: pauci in comparatione multitudinis malorum frequentiarum: quantis turbis implentur Eccleſia, ſtipantur parietes, preſſuris ſe vrgent, propè ſe ſuffocant multitudine. Rurſus ab eis ipſis, ſi munus eſt, curritur ad amphiteatrum: iſti ſuper numerum ſunt.*

August. in lib. de corrept. & gratia.

Pſal. 39. 7.

Auguſtin. in enarrat. ſup. ſal. 39.

26 O tempora, o mores, concurſus ſolus ad amphiteatrum adeò damnatur ab Epiſcopo Hipponẽſi, vt ex hoc ſolo delicto, quod hodie in delectum tranſijt apud plures, excludat Chriſtianum à numero prædeſtinatorum. Nõne ſi pius Doctor modo videret tot adulteros, tot fratrum olores, tot concu-

binarios, tot vsurarios, totque publicos peccatores, admirabundus quæreret, Christiani sunt isti? Fideles sunt isti? Vocati ad gloriam sūt isti? Electi sunt isti? Heu Domine, vocati quidem sunt isti, non tamē electi. Inter multos fideles numerantur isti, quia, Multiplicasti Gētem: sed supra numerum sūt, quia non magnificasti lætitiam. Suscipiunt Christi nomen & isti, sed vita nomen ementitur. Audiat quicumque talis est, Cyrilli sententiā, *Si ergo nomen Christi suscipiat, non tamen ostendat, quā simul cum hoc nomine considerantur, vita nomen ementitur. Non potest enim fieri vt Domini non sit iustitia, & puritas, & veritas, & ab omni malo abalienatio: neque verè est Christianus, qui non illorum quoque nominum in se non ostendit participationem.* Vbi explicat illud, quod cum Paulo diximus, Recedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini: Hoc enim Iustus in operibus demonstrat, quasi in speculo, per hæc enim nititur numerum Electorum explere, & conscribi in beato catalogo signatorum.

Cyrill. Ierosolym. ad Olympium Monachum

CAELI DAVIDICI
VERSIO LX.
Ex Symmacho.

Omnia quæcumque faciet, beneplacet.

CIRCVLVS I.

Iustus horologio comparatur.

Demosthenes.

1 IVstus, cui lex non est posita, ipse sibi lex est, cūq. lex, sin Demosthenē, *Sit horologiū Ciuitatis*: mirum non erit, si in anima eius, quę est Ciuitas Regis magni, ordinatione legalis horologij, & perseueret dies, & distinguantur horæ, & tempora succedant ordinata. O sacrosanctum horologium, O Iusti cor, in quo, loco rotarum magnarum Theologicæ gyrantur virtutes: vice paruarum, mouentur morales: vice spiritus, vita est in rotis: vice olei, inungitur gratia: vice vertiginis, vertitur meditatio: & vice soni, septies in die redditur oratio: tota autem ordinatio à ponderibus pēdet, vnde pendet & rotatio. Quæres quænam sint pondera, per quæ fit circumrotatio, per quæ ordinatur & motus? Non alia quidem, nisi spes & timor, vnde omne quod Iustus facit, & bene dirigitur, & ita bene placet, vt dicatur in gloriam eius, *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant in misericordia eius*. Pendenda sunt cum Agellio verba, sic enim notat, *In Hebræo nulla est interposita coniunctio, vt eidem intelligantur timentes Deum, qui sperant super misericordia eius*. Vnde innuitur, nec posse vnum pondus ab alio separari, nec filialem timorem à spe diuidi. Confirmatur hæc veritas ab Hugone, dicente, *Timorem spei cōiunxit, quia non valet timor sine spe omnia, nec spes sine præcedenti timore, aliter enim præsumptio esset.*

Psal. 146. 11

Agellius hic.

Hugo Car. hic.

2 Sed forte nouum videbitur, quod spes & timor conueniant in vnum, cùm toto cælo opposita iudicentur: Opposita autem nō possunt in eodem esse subiecto. Quod autem sint hæ virtutes inter se cōtrariæ, testem adhibeo Philonem Hebræum, qui talem contrarieta-

Philo Heb. in lib. de Abrahamo.

tem ita describit, *Negāt vllas duas res tam infestas esse inuicem, quàm spem & timorem: & meritò nā vtraque est expectatio, altera bonarum rerum, altera, contra, malorum, inter quas natura nulla possunt intercedere fœdera.* Hæc autem discrepātia reperitur quidem inter spem & seruilem timorem, non autem inter timorem filialem, & spem partum amoris. Explicetur hæc veritas cum doctrina Augustini, qui opponens verba Apostoli, hinc dicentis, Seruus non manet in domo in æternum: & Ioannis inde asserentis, Non est seruus maior Domino suo: duos timores demonstrat figuratos: vnum seruilem, qui foras mittitur à caritate: alterum castum, qui permanens cum caritate, & cum spe permanet, nam caritas omnia sperat. Adest Augustinus hęc omnia talibus depingēs coloribus, & luminibus, *Manifestū est ergo illum seruum, qui non manet in domo in æternum, illum pertinentem ad timorem quem foras caritas mittit, esse intelligendum, vt dictum est Iam non dicam vos seruos. Hic autem vbi dicitur, Non est seruus maior Domino suo, si me persequuti sunt, & vos persequētur: illum significari seruum pertinentem ad timorem castum, qui permanet in sæculum sæculi. Hic enim seruus est auditurus, Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Ex quibus patet timorem filialem & spem amantem obuiare sibi, & seruum ac filium inuicem osculari.

Augu. tract. 88. in Ioan.

CIRCVLVS II.

Timor & spes ponderibus assimilantur.

3 Tota horologij structura ex ponderum successione dependet, dum enim nunc hoc ad inferna, illud vero deducitur ad suprema, & modum seruat, & in ordine perseuerat, & distinguit horas, & tempora signat, ciuium regit actus, negotia distribuit, dirigit vitam, & ordinatione eius perseuerat dies, quoniam omnes obediunt illi. Talis est & Iusti vita, quę à Deo curam illius gerēte, ita dirigitur horologij more, vt nūc à spe eleuetur, nūc à timore deprimatur: nūc descēdat ad inferos, ad superos nūc ascendat: nūc quod ascēderat, descendat ad ima, ad ima quod descenderat, nūc ascendat ad astra: nunc tendat deorsum infra, quod supra contenderat, cōtendat & ad supera, quod ad ima descenderat: nunc pertingat cælum, quod tetigerat terram, nunc tangat terram quod tetigerat cęlum. Hanc Dei prouidentiam, Mulier illa sapiens summis vocibus, summis laudibus sic extollebat, *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* Sed, ò Anna, dic mihi, quis te docuit ex inferis posse homines reuocari, & illuc deductos, inde posse reduci, cùm & lata sit lex, *Qui descendunt ad inferos, non ascēdēt:* & lectum sit Pontificium Decretum, *Semel locis pœnalibus traditi, ad operationes vltra nō redeunt?* Soluit ipsemet Pontifex apparentem in verbis propositis difficultatem, decernens hic non describi internum, sed timorem: nec reductionem à tartaro desperato, sed à desperato pauore ad lætam spē, Sic enim fatur *Vt mortificet, quippe, ducit ad inferos: & vt viuificet, reducit ab inferis. Omnipotenti enim Deo ad inferos deducere est, peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere Et quoque ab inferis reducere est, territas pœnitentium atque commissa lugentium mentes, spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippe peccare desinimus, cùm superna gratia mollitis cordibus, futura tormenta formidamus. Et ab inferis reducimur, cùm interno visitati solatio, ad spem veniæ, de pænitentia lamento respiramus.* O spes! o timor! ò pondera ordinata & iusta! Vos vitam Iusti disponitis & sic ordinatis actus, motusque dirigitis, vt ordinatione vestra dies virtutum & in lege viuat, & in gratia perseueret, & in fide sit stabilis, & in opere efficax, & in luce crescat, & proficiat vsque ad perfectum diem.

1. Reg. 2. 6.

Iob. 7. 9.

Greg. Papa lib. 2. cap. 1. in li. 1. Reg. cap. 2.

CIRCVLVS III.

His ponderibus librata fuit vita hominis in primæua conditione.

4 NEc nouum eſt in homine, nec inuſitatum, nec inſolitum talibus pōderibus immobili agitari motu, ſed antiquum, vſitatum, innatum, & in naturam conuerſum, cùm id ei conueniat à prima conditione. Cum conſtet homo ex anima, conſtet & corpore, ex duobus ponderibus ſic videtur conſtare, vt dum corpus corruptibile aggrauat animam, anima incorruptibilis eleuet ſenſum: dum anima ſpiritalis & angelica, ſpe aliqua, erigitur ad ſuperna, caro corruptibilis & belluina, timore depreſſa, trahitur ad inferna: & hoc irrequieto motu, tunc quieſcit homo, cùm in diſciplina perſeuerans diuinæ ordinationis intonat horas, *Dominus humiliat, & ſubleuat*: & cum Gregorio ſubdit, *Humiliat, & ſubleuat, quia in contemplatione cæleſtium, quàm abiecti ſunt in terra, conſpiciunt: ſed in eadem abiectione temporalis inopia, per gratiam meritorum, ſe pennis ſubleuant ad gaudia perennis vitæ*. Apertins tamen ex fonte condirionis humanæ hæc pondera varia Conſtantinopolitanus Patriarcha ita deduxit, *Propterea namque ex duabus ſubſtantijs nos Deus condidit, vt cùm ſuperbia quidem elatus fueris, reprimat te carnalis vilitas: cum autem degener quid & indignum dato tibi diuinitus honore cogitaueris, animi nobilitas ad cæleſtium virtutum æmulationem ſubleuet*. Sicut ergo in corpore horologij affabrè facto, gentilis quidā Spiritus addidit animam, *Aſpice pondus*: Ita & tu, qui ob animæ dignitatem, qua factus es ad imaginē Dei, & minoratus es paulo minus ab Angelis, immo paulo minus a Deo: Aſpice pondus corporis, quo comparatus es iumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis: vt ſi inde eleueris, hinc deprimaris, & Dauidicum conſilium ſequaris, *Nec apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram*: Vel ex Hieronymo, *Nequaquam vltra ſuperbiat homo de terra*. Qui enim ſic magnificant ſe, atque ſuperibunt, ſimiles bullis ſunt, de quibus Gregorius, *Sicut ſpumoſa aquarū bulla, pluuijs inchoātibus excitata, ab intimis certatim prodeunt, ſed eò celerius dirupta pereunt, quo inflata altius extollūtur: cumque creſcunt, vt appareāt: creſcendo pereunt, ne ſubſiſtant*.

1. Reg. 2. 12
Greg. Papa ibid.
Chryſoſt hom. de humilitate.
Emblema.
Pſal. 9. 42.
Hieronym.
Greg. Papa relatus ab Anglico in pſ. 9. ver. 41.

CIRCVLVS IV.

Beatus eſt qui pedibus timoris & ſpei, ambulat in vijs Dei.

5 SIcut ex celebri Ariſtotelis doctrina demonſtratur hominis inceſſum fieri ex ſtatu & motu, mouens enim dexterum, & firmans ſiniſtrum: deinde ſiniſtrum mouens, & firmans dexterum: alternando ſtatus ac motus eorum, & via carpitur, & peragitur iter: Ita & beatorum documento Sanctorum, beatus vir, & ex ſtatu ſpei, & ex timoris motu, in vijs Domini & firmiter ambulat, & permanet feliciter. Hinc Bernardus horum pedum & firmitatē deſcribens, & morū definiens aſſerebat, *Et ipſe timor firmiſſima quædam & efficax materia ſpei, ſiquidem maximum quoddam Dei donum timor iſte, & ex perceptione præſentium, firma eſt expectatio futurorū. Quemcūque enim locū calcauerit pes veſter, veſter erit. Pes veſter vtique, ſpes veſtra eſt, & quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deo tota figatur, vt firma ſit, & non titubet*. Si ergo timor nunc firmus definitur, & nunc mobilis adumbratur: quis illum non videt modo in ſtatu apparere, modo in motu? Si verò ſpes, & expectatio dicitur futurorū, & firma eſt ac non titubās, nōne videtur & ipſa nunc in

Ariſtotel. in problematibus.
Bern. ferm. 15. in pſal. qui habitat.

motu consistere, nunc in statu? Eadem ergo mensura dum mouentur affectus spei & timoris tamquã animæ pedes, Iustum a terra deducunt, ducunt in cælum.

6 Sed clarius id totum explicat Auctor Psalmorum, in Iustorum triumpho lætabundus canens, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.* Sed alterutrum tibi afferẽdũ est, o Dauid, vel beatos non esse qui timent, cũ beatitudo omnem excludat pænam, & Timor pænam babeat: vel nedum omnes homines, sed etiã iumenta esse beata sic Zenone docente, *Si omnes, qui timent Dominum beati sunt, nõ beatus est nullus, quia nulla gens est, nulla sunt pecora, animantium denique nulla natura, quæ non timeat Deum. Cum grauamur rumpentibus fontis, concussis vndique cardinibus, cum præter morem terrifico fragore intonans, conerepat coelum, cum inter coecas pinguibus conductas nubibus tenebras, crebra micantes cursus ignibus flammæ intercepti diei lumen incunctanter assimilat, cũ ardent plura fulminibus, cũ terra, vel tremit, vel hiatu se recipit in se, nullus hic beatitudinis locus est, vbi non deuotionis, sed necessitatis est, quod timetur.* Sed idem Propheta dubio respondet, dum timorem distinguit a timore, nẽpe timorẽ vel necessitatis, vel culpæ, vel naturæ, a timore gratiæ virtutis & voluntatis, vnde subdit, *Qui ambulant in vijs eius.* Vbi subnectit, & Zeno, *O necessarius timor, qui nihil aliud agit, nisi vt beatum efficiat qui timet arte, non casu: voluntate, non necessitate: religione, nõ culpa: qui Deum metuit, non naturam. Omnes enim timores quoscumque inuaserint, incremẽto conficiunt: hic solus ad hoc crescit, vt immortalẽ quem possederit, faciat.*

Psal. 127. 1.

Zeno Episc. Veronẽs. in serm. de timore.

Idem Zeno ibidem.

7 Sed qualis timor tales producit effectus? Vel ille qui est, effectus & partus amoris, dicente Zenone, *Videtisne hunc timorem nobis necessarium, qui in Dei amore consistit, qui in voluntate sua se parit?* Vel ille, qui est conuersus in amorem, philosophante Bernardo bonum vinum in nuptijs cæli vltimũ asseruari: in deteriori vino, vel in aqua agnoscens timorem. & in aqua cõmutata in vinum bonum, noscens amorem Sic enim ait de cælesti Sponso, *Semper seruat ad vltimum vinum bonum; quod vero in eius comparatione deterius est, ante propinat. dicens, Fili accedens, ad Dei seruitutẽ, sta in timore. Si ex timore te feceris illius seruum, faciet te ex caritate amicum suum: & sic aqua timoris commutabitur in vinum dilectionis.* De hoc autem vino verificatur Cubicnlarij Regis dictum, *Forte est vinum*: nihil enim amore fortius, *Fortis enim est vt mors dilectio.* Inde, vt Ficinus docet, *Mars sequitur Venerem. Venus Martem non sequitur, quoniam audacia amoris pedissequa est, non amor audaciæ. Nam amore saucij audacissimi fiunt ad quæque pericula, propter amatum, intrepidè subeunda.* Nec mirãdum quod aqua conuertatur in vinum, & pauor in fortitudinem, cum Iustus primo timens, deinde amans, de seruo in amicum, de homine promoueatur in Deum. Beati omnes, qui immobiles in motu, nũc pedem timoris firmãt, nunc spei gressum mouent, nunc alacres ambulant in vijs Domini, & læti obuiam eunt ei, qui cum immortali corona illis occurrit. Beati ergo omnes, inquit Hugo, *Qui ambulant in vijs eius, scilicet Domini: id est, in vijs, per quas Dominus venit ad nos, & nos ad ipsum.*

Zeno ibid.

Bern. ser. 13 ex paruis.

3. Reg. 3. 10. Cant. 8. 6. Mars. Ficin. in Com. in conuiu. or. 5 c. 8.

Ex Chrysolog. ser. 131 in illud Ioannis, Si quis sermonem meum seruauerit, &c.

Ps. 127. 1. Hugo Car. hic.

CIRCVLVS V.

Iustus nunc Capreæ, & nunc Cerui sequatur vestigia.

8 ET licet viæ, per quas Dominus venit ad nos fuerint ex sententia eiusdem Hugonis, misericordia & veritas: viæ autem, per quas nos imus ad ipsum, timor & spes sunt: dum spes misericordiæ semitam sequitur, timor autem

iudicij

Cant. 2. 17.

iudicij terit iter. Sponsa Sponsum assimilans capreæ hinnuloque ceruorum, solicitis auditoribus non paruam generat quæstionem: qui enim fieri potest, vt caprea simul & hinnulus sit, cum hinnulus rapidiore feratur cursu, & caprea cauta obseruet vbi oportet figere pedẽ? Sed miro modo Christus comparatur, nunc hinnulo, vt ardenter amans & pius: nunc capreæ, vt iustus Iudex, atque seuerus: vt hinc timorem incutiat inde spem excitet, atque nos doceat, vt eius vestigia sectãtes, hinc pedem spei, inde vestigium imprimamus timoris. Reuertatur ad fontem riuus, & ex Bernardi ore ortus, ex Bernardi mellifluo ore fluat, sic enim fatur, *Oportuit profectò eum hinnulo, etiam de capreæ similitudinem dari, quatenus & per illum salutis desiderium, & per hanc, eligentis exprimeretur iudicium. Christus nempe iustus & misericors, saluator, & iudex: & quia amat, vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & quia iudicat, nouit qui sunt eius, & ipsi sunt quos elegit à principio. Igitur duo hæc bona Sponsi, misericordiam scilicet & iudicium, in his duobus commendata a Spiritu sancto nobis interim sentiamus, vt in testimonium integritatis, & perfectionis fidei nostræ, nos quoque, Prophetam imitantes, misericordiam, & iudicium cãtemus Domino.* Beati ergo omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius, vel eum sequẽtes, vel in occursum eius cũtes, vel timẽtes vt capreæ, vel sperantes vt hinnuli: vel Iudicem pauentes, vel in Saluatore confidẽtes: vel pro iudicio confusi, vel pro misericordia confisi. Beatus ergo est iustus, qui sectatur vestigia hinnuli, sed non separatur a capreæ itinere: qui nunc sperando timet, nunc timendo sperat: nunc pedem spei mouet, nunc gressũ timoris firmat, & ita simul timens, simulque sperans, ambulat inter spem & metum in vijs Domini.

Bernar. ser. 55. in Cant.

CIRCVLVS VI.

Nedum pedes: sed etiam manus Sponsi timorem producunt, & spem.

9 SI autem a pedibus Sponsi ad manus ascendens cum Sponsa canas, *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: nonne clarè dignosces te inter medias dormire sortes, & hinc pauorem cor inuadere, inde spem animũ subleuare, dum in dextera ꝓspera, & in sinistra inuenies aduersa: & ex hac mæstam audis comminationem supplicij, ex illa lætam, aspicis promissionẽ premij? Sed hi vel cari affectus, vel rari effectꝰ nõ oriuntur a timore seruili, qui poenam habet: sed à filiali, qui & comitem habet amorem, & sociã pacem. dicente Bernardo, *Donec quis premitur à spiritu seruitutis parumque habet de spe, de timore plurimum, non est ei pax, neque requies, fluctuante nimirum conscientia inter spem & timorem, maximèq. quòd à superexcellente timore abundantiùs cruciatur, Nam timor pœnã habet. Et ideo non est illi dicere, In pace, in idipsum dormiam & requiescam: quando nec dum se singulariter in spe constitutum dicere potest. Ceterum si paulatim per incrementum gratia cœperit deficere timor, & proficere spes, cùm demum ad hoc ventũ fuerit, vt totis viribus exurgens caritas in adiutorium spei foras mittat timorem, nonne eiusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iam, & requiesceret Si dormiatis, inquit, inter medios cleros, pinnæ columbæ deargentatæ. Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem & securitatem, tamquam inter læuam & dextram, & media videlicet spes, in qua mens, & conscientia, molli nimirum supposito caritatis strato, suauissimè requiescit.*

Cant. 2. 6.

Bern. ser. 55 in Cantic. Canticor.

11 O terque quaterque beatus,

qui

qui inter læuam timoris, & dexteram spei, medium eligens locum, inter medias sortes dormit tutus, & inter vbera caritatis requiescit securus. Sic, sic cælestis Sponsus ferculum, vt subdit Bernardus, media caritate constrauit propter filias Ierusalem, *Nam qui se singulariter in spe constitutum sentit, non iam in timore seruit, sed requiescit in caritate.* Tale ferculum fuit Ionæ Cetus in mari, dicente Zenone, *Ionas timens Dominum, spontaneum non timet adire naufragium. Ceto inbiāte miserabilius sepelitur, quàm præcipitatur, & tamen ictus, quo tædebat, inuenit ante, quàm videat Felix magis sepulchro, quàm naui.* In eodem ferculo, *Petrus astu marino fertur, non naufragus, sed viator, timet profundum intercipere non timentem, nec tamen in toto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulasse nō credat.* Sic apparent in mari viæ Petri, vt dum constans spes, in inconstantibus aquis pedem figit, in Christo ita firmetur, vt non flectatur: & dū timidus pes tumidū signat pelag⁹, nō mergitur, quia à Domino adiuuatur. His ergo pedibus, vel ponderibus iter dirigitur viatorum, vita ordinatur beatorum.

Bern. ibid.

Zeno Episc. Veron. in sermone de timore.

Idem ibid.

CIRCVLVS VII.

Timor est sapientiæ principium & corona.

12 NEscius quidem sum, an aliquis ex vobis contraria verba Ecclesiastici adnotarit, dum timorem extollens, nunc asserit, *Initium sapientiæ timor Domini:* & nunc, *Corona sapientiæ timor Domini:* si enim Corona non datur nisi in fine belli, & timor est initium belligerandi, quomodo poterit timor initium esse & corona, principium & finis? Concordat has discordias Iustinianus de spe distinguēs: & re: nā timor sapiētiæ initiū est in re, Corona verò in spe: qui enim ab infantia timori cohæsit, firmam spem habet Coronæ, & spē salutis, sic enim fatur, *Corona sapientiæ timor Domini, replens pace, & salutis dono. Magna enim salutis spes, & maxima in profectu virtutū causa est timor Domini, quia se possidentem solicitum reddit ad peragenda, quæ Dei sunt, ne incurrat malum pœna, quod peccātibus minatur: aut amittat bonum virtutis, gratiæ, & gloriæ, quod desiderat.* Vbi vides pondera spei de premio, & timoris de pœna esse illa, per quæ Horologiū vitæ Iustorum ordinatè mouetur, immobile permanet, in motu perseuerat. Aduocetur ad hoc sententia Richardi, qui de timore loquens dicebat, *Hæc est prima virtutum proles, sine qua ceteras habere non potest.* Timor enim primogenitus est virtutis, & primò timido pede terram signat: secundo verò loco spem virtus generat, & ita per viam felicitatis beatum ducit. Vnde exclamare possumus cū Zenone, *O necessarius timor, qui nihil agit, nisi vt beatos efficiat.* Duos inuenio beatorum opifices, in cælo est lumen gloriæ, in terra timor, qui felicitatem beatitudinis æmulatur, & nihil agit, nisi vt beatos efficiat.

Eccli. 1. 16. Ibid. versu 22.

Laurent. Iustinian. in lib. de ligno vitæ c. 1. de timore.

Richard. Victorin. lib. 1 de præpar. ad contemplation. p. 1. c. 8.

Zeno Epis. Veron. in ser. de Timore.



CAELI DAVIDICI VERSIO LVI.

Ex Arabico.

Omnia quæcumque faciet, bene dirigentur.

CIRCVLVS I.

Opera, quę Iustus facit, dirigunt illum in cælum.

1 SEntẽtia à Psalmographo prolata, vel promissio ab eo facta filijs seruorum Dei, non autem seruis

Psal. 101. 29

Dei, *Filij seruorum tuorum habitabũt, & semen eorum in sæculum dirigetur*: magnum difficultatis ostiũ aperuit Augustino, & magnam parentibus pauoris materiam parit. Quomodo enim filij seruorũ, & non parentes nec serui, per viã salutis diriguntur, & ibi inhabitãt, vbi mansiones multæ sunt? Nam si nos filij Apostolorum sumus, quis nostrum audeat, vel cogitare, quòd ibi non Apostoli, sed nos futuri simus? Audiamus Augustinũ,

August. cõcione 2. de 2. p. ps 101.

Metuendum ne nos serui Dei simus, & filij nostri ibi futuri sint, nõ nos? Quęnam tandem audacia tam infelix filiorum subnascentium, & recenti successione gloriantium, qua audeat dicere, nos ibi erimus, Apostoli ibi non erunt? Absit hoc a pietate filiorũ. Quare ergo filij seruorum tuorum, & non d. compendio, serui tui? O sacrum arcanum! ô salutare documentum! Filij seruorum partus & opera eorum sunt, qui seruiunt Deo: seruientibus autem Deo nõ sufficit nudum nomen seruorum Dei, si enim steriles languent, & opera non habent, quæ sunt partus & filij seruorum Dei, nec in cælo locum habebunt, vbi serui per filios suos inhabitabũt. Hinc subdit Augustinus, *Filij seruorum opera seruorum sunt: nemo ibi inhabitabit, nisi per opera sua. Quid ergo est, filij seruorum tuorum inhabitabunt? Serui per opera inhabitabunt, serui per filios suos inhabitabunt, serui per filios suos inhabitabunt. Noli ergo esse sterilis, si vis habitare: præmitte fætus, quos sequaris, præmittendo, non offerendo*. Vbi nos legimus, *Homo nascitur ad laborem, sicut auis ad volatum*: Hebræi transferunt, *Sicut scintilla ad volatum*. Vt enim scintillans flamma, alis igneis armata, sursum euolat, ad centrum semper tendit, & sic in cælum dirigitur, vt glorietur, dicens, *Deorsum numquã*: Sic Iustus, vt alata flamma operũ pennis ornatus, alta semper petit, cælum aspicit, dirigitur ad astra, volat ad centrum, inuenit Paradisum, quiescit in gloria.

August. ibi

Iob. 5. 7.

Hebræi.

Emblema.

CIRCVLVS II.

Cum lampadibus operum bonorum dirigendum est iter in cælum.

2 TErribilis Sponsi seueritas, & terribilior in sponsalitij die, ob solam extinctionem lampadarum Virgines excludere à cælis, detrudere ad inferos. Erat olim ludus lampadum, erat & facum certamen, eratque, vt Rhodiginus refert, *Apud Athenienses certaminis Lex, vt in Academia, ara dicta, lampada succensa gestantes, currendi in vrbem initia auspicentur, certami-*

Rhodiginus lib. 11. lect. antiq. c. 27.

nisque

nisque lex est toto cursu inextinctam seruasse facem: siquidem cum flamma deperit, & victoria spes perit. At in cælesti lampadarum certamine seuerior lex est, quia fatuæ Virgines ob solam extinctionem lampadum, & premio priuatur & Corona destituuntur, & à Ciuitate deturbātur. Bone Deus! quænam sunt lampades, quodue lumen, quo seruato, seruatur gloria: & quo extincto, extinguitur vita? Esaias Abbas putās animam esse lampadem, bona opera esse lumen: ita simul & docet, & monet, *Cùm aderit Dominus sedens in solio Maiestatis suæ, & congregabuntur corā illo omnes Tribus, & vnusquisque ex propria lampade, quam in manu tenebit, illustrabitur. Quod si quis oleum non habuerit, lampas eius extinguetur, & in tenebras conijcietur. Qui lampadem splendidam, & ardentem habuerit, in regnum ingredietur. Demus igitur operam fratres, vt vasa nostra sint oleo plena quamdiù sumus in corpore, quo lampas nostra nobis in regnum ingredientibus præluceat. Præclara lampas. atque illustris est anima sancta, Anima enim bonis operibus splendens in regnum introibit. Anima verò malitia coinquinata in tenebras discedet.*

Esaias Abb. orat. 16. de gaudio animę Deo seruientis.

CIRCVLVS III.

Semen operum bonorum vnde manipuli beatitudinis colliguntur, differt ab alijs.

3 HAbent naturalia semina statutos menses, & tempora statuta serendi, vnde naturæ mystes sementibus varijs sic varios assignat dies, *Sementibus tempora plerique præsumunt, & ab vndecimo die autumnalis æquinoctij fruges serunt, aduentente Corona exortu, cōtinuis diebus certo prope imbrium promisso. Xenophon non antequam Deus signum dederit: Hoc Cicero Nouembris imbre fieri interpretatus est cùm sit vera ratio, non prius serendi, quàm folia cœperint decidere. Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant* Hæc à Naturalibus tempora statuta serentibus sunt: at quænā tempora à sacris signantur Agricolis? Accedite ad Salomonem, qui sicut mira arte quattuordecim contrarios temporum choros ad pacem reduxit, cuique proprios assignans vel menses, vel circulos: ita & te docet quando bene, & vtiliter debeas operari, dum dicit, *Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis orìatur, hoc, aut illud: & si vtrumque simul, melius erit.* Sed si cū Salonio ambigas, & iure, *Quis semper, & mane & vespere seminare potest, maximè cùm glaciali tempore nemo audeat seminare?* Et si vltra etiam addas, qui pterit terra locū dare vespere nouo semini, si iam fæcunda recepit illud mane? Mysticum esse nosces, quòd ipse docet, in semine enim adumbrat opera, in fructibus figurat mercedem, in mane significat iuuentam, in vespere colorat senectutem. Nō est mea, sed Salonij interpretatio, sic enim ait, *Semen hoc, non intelligendum est frumenti, vel alterius cuiuslibet grani: sed semen boni operis, ex quo nascitur fructus iustitiæ, & merces æterna remunerationis. Quid ergo docet, cùm dicit, Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua? Vt nullo tempore, nulla ætate à bonis operibus cessemus. & nostram matutinā iustitiam vesper inueniat: & vespertinam misericordiam iterum Sol ortus accumulet. In adolescentia pariter, & senectute virtutum copia nos semper Deo commendet. Mane ergo semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: hoc est semper te in bonis operibus exercere.*

Plin. lib. 18. cap. 25.

Eccle. 11. 6.

Salon. Vie. Galliar. Ep. in mystica explicat. in parabol Salomonis.

Salon. Vie. Galliar. Ep. in explicat. myst. in Salom. Ecclen

4 Hieronymus ad eleemosynā, deflectens animum, putat ex Consilio Salomonis, numquam à bene operando brachium esse amouendum. Sic enim ait, *Ne eligas cui benefacias: sed, & cum benefeceris, numquam à bono opere desistas. Matutinam iustitiam vesper inueniat: & vesperi misericordiam, Solis*

Hieronym. in com. sup. c. 11. Eccle.

ortus accumulet. Incertum eſt enim, quod opus magis placeat Deo: & ex quo tibi fructus iuſtitia præparetur. Poteſt autem accidere, vt non vnum, ſed vtrumque placeat Deo. Addit & nouum documentum, ac intelligens per mane figurari adoleſcentiam, & per veſperam ſenectã, iubet, vt in vtraque ætate laboremus, dicens, *In adoleſcentia & in ſenecta æquus tibi labor ſit: nec dicas, Dum potui, laboraui, debeo in ſenectute quieſcere. Neſcis enim vtrũ in iuuentute, an in ætate lõgæua placeas Deo. Nec prodeſt adoleſcentiæ frugalitas, ſi ſenecta ducatur in luxu. In quacũque enim die errauerit Iuſtus, veteres eum iuſtitia à morte liberare non poterunt. Quòd ſi iuxta vtramque interpretationem ſemper benefeceris, & omni ætate æqualem curſum habueris, videbis* Deum *Patrem dulciſſimũ lumen, videbis Chriſtum* Solem *iuſtitiæ.*

Idem ibid.

5 O fertilem ſeminis boni fructum! Quid ſeminant Iuſti? Lumẽ, dicitur enim illis, *Luceat lux veſtra coram hominibus.* Quid ergo metent? Lucem ac Solem, vnde manipulis lucis ſinum implentes, & ornati radijs Solis, lætabundi canebunt, *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solem:* Vel cum Paraphraſte Chaldæo, *Et dulcis eſt lux, & bona ad illuminandum oculos caligantes, vt videant gloriam faciei Maieſtatis Domini, quia futurum eſt, vt illuminentur facies Iuſtorum ex ſplendore Maieſtatis eius, & vt ſit pulchritudo eorum, vt Solis.* O ſalutarem bonorum operum fructum, quo Iuſti ſic coronantur, vt ſit pulchritudo eorum ſimilis Soli!

Eccle. 11. 7.

Paraphr. Chaldæus.

CIRCVLVS IV.

Bene diriguntur Iuſti in Cælum per beneficentiam, & eleemoſynam.

6 SEquentes autem communiorem expoſitionem circa hoc ſemen omni tempore ſerendum, quam nedum Hieronymus, ſed Bonauentura, Caietanus, & Lyranus ſuis veſtigijs ſignatam reliquerunt, Pauli ſequentes ductum, qui monet & docet, *Bonum facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes:* erigendæ ſunt aures ad Lyrę ſonũ. Is ergo commendat eleemoſynã, atque mandat, vt mane iuuentutis, vt veſpere ſenectutis plenis ſeratur manibus, & diſpergatur in benedictionibus, ſic enim intonat, *Mane ſemina ſemen tuum, id eſt, pietatis opera incipe à tempore iuuentutis: & veſpere, id eſt, in ſenectute, in qua ſolent homines fieri tenaces, ne ceſſet manus tua facere pietatis opera: quia neſcis quid magis oriatur, id eſt, Deo acceptum efficiatur. Et ſi vtrũque ſimul, id eſt, æqualiter Deo acceptum, melius erit in fructu premij.* Et quidem melius, quia, vbi, *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: qui ſeminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.* Nam ex Anſelmi doctrina, aliud eſt dare, aliud ſeminare: dare eſt, ex natura doni, & magnificentia animi, irredibilis donatio: ſeminare eſt, ex natura ſeminis, & gratitudine terræ; vel centeſimum, vel ſexageſimum, vel trigeſimum ad minus fructum expectare: ſic elemoſyna donum nõ eſt, ſed ſemen: datum non eſt, ſed ſatum: & ex eo multo plus colligitur, quàm ſeratur. Sic ergo Archiepiſcopus Cantuarienſis nos docet, & admonet. *Dare non eſt amittere, ſed ſeminare: ad tempus carere, vt poſtmodum multiplicius habeatur. Sed qui parcè ſeminat, id eſt, qui non vult largè tribuere, cum poſſit, parcè & metet, id eſt, exiguum remunerationis colliget: quia ſicut ipſe nunc eſt parcus ad tribuendũ, ita & Deus erit parcus ad retribuẽdũ: & qui ſeminat in benedictionibus, id eſt, qui tribuit voluntate bona ſub ſpe futuræ remunerationis, hic metet de benedictionibus, quando cum ceteris eleemoſynarijs audiet, Venite benedicti patris mei, percipite regnũ: quia eſuriui, & dediſti mihi mãducare.*

Bonauent. Caietan. & Lyran. hic.

Ad Gal. 6. 9.

Nicol. de Lyr. hic.

2. Cor. 9. 6.

Anſel. in c. 9. epiſt. 2. ad Corint.

7 Obſequium Aſſuero exhibi-

tum

tum à Mardochæo, ſcriptum erat in Annalibus Regis, quæ cùm illo præſente legerẽtur, dixit Rex, *Quid pro hac fide honoris & premij Mardochæus conſecutus eſt?* Et audiens, *Nihil omnino:* Iuſſit eum ad primos honores euehi. Sic, ſic, qui honoris obſequium Regi cælorum exhibet in paupere, quia hoc reputat honorem ſibi, quod pauperi computatur iniuria: & gloriatur in cælo Deus, vnde pauper erubeſcit in terra: & ſaginatum ſe in eſca pauperis aſſeret coram Angelis in publico conuentu reſurgentium: & in libro vitæ, eleemoſynæ primùm ſcriptæ, primo loco legentur, ſummo munerabuntur honore, æternaque gloria compenſabuntur, ſic enim Chryſologus ait, *Prima ſtipendia pauperis tractantur in cælo, Erogatio pauperis prima diuinis ſcribitur in diurnis. Beatus, cuius nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cælo.* Vbi notanda ſunt verba *Erogatio pauperis prima diuinis ſcribitur in diurnis:* contendit enim eleemoſynarius cum Chriſto: hic enim aſſerit, *In capite libri ſcriptum eſt de me:* & eleemoſyna ab illo pauperi diſtributa, prima diuinis ſcribitur in diurnis.

Eſther. 6. 3.

Chryſolog. ſerm. 14. in Pſal. 40.

Pſal. 39. 9.

CIRCVLVS V.

Quomodo poſſint veſtimenta candida, cum oleo numquam è capite deficiente, conſeruari.

8 NOn videtur primo intuitu, nec poſſibile nec ſanum Sapientis conſilium, immo mandatum, *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo nõ deficiat.* Vt enim cum Veranio repetam huius præcepti vel incommoda, vel difficultates, *Numquid poteſt aliquis candida veſtimenta ſemper habere? Et forſitan, ſi ita eſt diues, vt ſẽper poſſit, quod omnino difficile eſt: quomodo fieri poteſt, vt de capite ipſius numquam deficiat oleum? Qui namque fieri poteſt, vt ſemper habeat caput oleo perfuſum?* Et augetur difficultas, malè enim conueniunt candida veſtimenta cum oleo de capite ſemper ſtillante. Myſticum ergo eſt præceptum illius, & in veſtimentis candidis virtutes deſignat, & in oleo eleemoſynas deſcribit. Talis eſt reſponſio, talis & interpretatio Salonij, ſic enim definit, *Hæc ſententia, non hiſtorialiter, ſed ſpiritualiter debet intelligi. Nam per veſtimẽta virtutes deſignantur, quibus anima veſtitur & ornatur. Per oleum verò deſignatur opus miſericordiæ: id eſt, eleemoſyna, vel certè ſpiritualis lætitia. Et eſt ſenſus, Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, id eſt, quæcumque boni egeris ſint munda & pura, vt poſſint Deo eſſe accepta, & numquam deficias ab operibus miſericordiæ, & ſemper habere ſtude ſpiritualem lætitiam.*

Eccleſ. 9. 8.

Vera. apud Salonium Epiſc. Vien. in explicatione myſtica in Salomon. Eccle.

Salon. ibid.

9 Nec ſilentio obuoluenda eſt reſponſio Cyrilli Alexandrini, cui eodem modo præceptum apparẽs vel impoſſibile, vel quoad ſonum litteræ inutile: vtile ac poſſibile reddit per ſpiritus ſonum, dum putat veſtimenta candida indui à Iuſto, dum induit Chriſtum, & veterem exuit hominem. Audiamus hoc totum ex ore eius, *Puto autem, & quidem rectè, numquam virum ſapientiſſimum Salomonem ad has nugas peruenturum fuiſſe, vt ſuaderet nobis veſtium ſplendore pueriliter oblectari ſed vita ſplendida vitã velut ablutam, & ab omnibus ſordibus liberam comparat: ſic præcipit nobis, vt induamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & nouum hominẽ, exuto vetere.* Cùm ergo Chriſtus ſit Dominus virtutum, & Virpotẽs in opere & ſermone, quicumque Chriſtum induit, virtutes induit, operibus coronatur, & ab eo, quaſi à prototypo ſigillo, figuram recipit virtutum, & operum premia. Celebrat hanc figuram, extollitque hoc ſignum Propheta regalis, ſic enim canit, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine: dediſti lætitiam in corde meo.* Quod totum ad

Cyril. Alex. lib. 14. de adoratione in ſpiritu, & veritate.

Pſalm. 4. 7.

Bernar. ser. 5. in festo omnium Sãctorum.

propoſitum miro modo applicat Bernardus,ipſum audite,*Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Vnde? Planè ex his,quæ ſequitur, à fructu frumenti, vini, & olei ſui. Audiunt enim eiuſmodi animæ vocem dicentis, Date ei de fructu manuum ſuarum,& laudent eam in portis opera eius. Vnde Ioanni ſcribere iubetur in Apocalypſi,Beati mortui,qui in Domino moriuntur. Quare beati? Amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Vnde & in ipſo, de quo ante loquebamur Pſalmo,eis, quæ ſuprà poſuimus verbis adiunctum eſt, In pace in idipſum, dormiam, & acquieſcam: & de quibus habemus in Apocalypſi, Opera enim illorum ſequuntur illos. Ad quid verò ſequuntur, niſi vt laudent eos in portis?*

CIRCVLVS VI.

Quomodo opera in portis Iuſtum laudent.

10 SEd circa eamdem ſententiã, Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius:multa quærit Veranius, multaque reſpondet Salonius. Primùm ille inquirit, *Cuius ſunt hæc verba?*Et hic reſpõdet, *Eſſe Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Secundo ille requirit, *Quando hæc verba dicturus eſt?* Et iſte ſignat, *Iudicij tempus, in die enim iudicij præcipiet Angelis, vt premium bonorum operum reddant Iuſtis* Sic ergo concludit, *Hæc verba dicturus eſt in die iudicij quando præcipiet Angelis, vt poſt finem huius vitæ, Eccleſiam ad regni cæleſtis gaudia introducant: ſic enim præcipit Angelis, Date ei de fructu manuum ſuarum, hoc eſt, bonorum operum. Nam per manus opera deſignantur: ac ſi patenter dicat, Quia bonorum operum facere fructus curauit: hoc eſt, caritatem, gaudium, pacem, benignitatem, bonitatem, modeſtiam, continentiam, fidem, patientiam: hoc fructu dignam illi reddite mercedem. Et laudent eam in portis opera eius: hoc eſt, in iudicio, ſiuè in ingreſſu patriæ cæleſtis, laudent eam opera ipſa, quæ fecit, hoc eſt, remuneretur pro bonis operibus, quæ geſſit.*

Salonius in explicatione Myſtica parabolarũ Salomon.

11 Et fortè in particulari iudicio, quod in exitu animæ cuiuslibet fidelis à corpore, fit in porta, tribuitur à iuſto Iudice in manu Angeli ſtatera, quæ iuſtitiæ Dei, reddentis vnicuique ſecundum opera eius, ſymbolum eſt, vt hinc poſitis operibus bonis, & inde malis, iuxta pondus ſuperans, vel horum, vel illorum, vel premium morienti tribuatur, vel pæna. Hoc iudicium timens Sophronius Archiepiſcopus, ita cum Angelis loquebatur, immò tales preces fundebat, quas quicunque fidelis repetere, & memoriæ mandare debet, ſi propitios ſibi Spiritus in illa tremenda hora, ex qua pendet æternitas,deſiderat reperire. *O diuini ſpiritus vos rogatos plurimumque obteſtatos cupio, quando in vltimo vitæ meæ hiatu, ex luteo hoc vaſe excidere compellar, voſque omnes actiones meas trutina expenſuri eſtis, cunctaquè quæ vel palàm, vel clàm deſignaui, calculaturi, vt tũc vel omnes,vel ij certè, quos Deus ex veſtro ordine tum mittet,quo infelicem miſeramque animam meam excipiant, placidos clementeſque vos mihi exhibeatis, bilancemque, quam paucis meis operibus perditè grauaui, dexterè, ſubleuetis, eamdemque tamquam ſolius clementiæ Dei miniſtri, quauis ratione & arte exonerare ſtudeatis. Porrò autem bonorum honeſtorumque operum loco, de quibus ſpem concipere licebit, immenſam Domini miſericordiam in medium proponite, beneficum clementemque Deum, ò laudatiſſimæ præſtãtiſſimaque Mentes, orantes,vt per veſtram interceſſionem, omnes afflictiones, & morbos,& calamitates, quas vmquam in vita pertuli, in criminum meorum compenſationem, condemnationiſque, & cruciatuum non vulgarium, quos iuſtè promeritus fueram, relaxationem, & condonationem admittere, eorumdemque vice & loco habere, & calculare dignetur: quo, enimuero, per diuinam*

Sophronius Archiepiſc. Ieroſol. tract.6. de Angelorũ excellentia.

gratiam,

gratiam: perfectè semel superato debellatoque, ob seruatam miseram animam meam, ingens gaudium oriatur in cælo, Conditore ter benignissimo vos conuocante, & dicente, Congratulamini mihi amici, quia inueni ouem, quæ olim in montibus aberrauerat.

CIRCVLVS VII.

Quodcumque Iustus facit, benè dirigitur, quia pura intentione omnia facit.

12 FElix est Iustus, beatus est Vir bonus, qui omnia bona facit, facitque ad Dei gloriam, & bene. Quis enim non pauebit? quis non formidabit dum de cælo Deus vel auditum faciet vel iaculabitur iudicium, sic intonãs, *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo*? Quis timens non repetet cùm Hugone, *Terribile verbum, quòd nõ tantum peccata iudicabit, sed & iustitias, id est, bona opera examinabit*? Propterea & Iob dicebat, *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Et Gregorius addebat, *Sancti, omne quod agunt, metuunt: dum considerant ante quem Iudicem stabunt, considerant praua quàm districtè iudicet, & bona opera quàm subtiliter penset.* Reuocentur ad trutinam vltima verba, *Bona opera quàm subtiliter penset*: & ad memoriam reuocetur differentia inter stateram, qua fænum: & bilancem, qua ponderatur aurum: in illo paruipenduntur & libræ: in hoc magnifiunt etiam scrupuli & drachmæ. Eadem diuersa lege, vel in statera penduntur iniqua opera, quæ fænum sunt, sub quo iustitiæ currus stridet, sed pinguiter examinantur, quia in fronte portant bestiæ ac mali publici characterem. At bona opera, quasi aurum, subtili libra, tam subtiliter pensantur, vt intentionis dragma, finis grana, cogitationis athomi, & pulueris etiam ratio sic æstimentur, vt si ob vanam & nullius momenti gloriã facta sint, ob ipsam damnentur. Vnde ex Titelmano, *Christus iudicaturus est iustitias, quoniam iustitias hominum examinabit.* Examinabit autem, non populari trutina, sed aurificis statera.

Psal. 74. 2. Hebræus.

Hugo Car. hic.

Iob 9. 28.

Greg. lib. 9. moral. c. 17. aliàs 25.

Titelman. in annot. super psal. 74.

13 Hinc est, quod Caino dicitur, *Nonne si benè egeris, recipies?* Si tamen quæris, cur iustus Iudex, qui bonum opus examinat ac perpendit, sententiam non sic profert, Nonne si bonum egeris, recipies? Scito apud Deum plus ponderis habere aduerbia, quàm verba: plus æstimari radices, quàm fructus: plus intentionem operis, quàm opus: & multo plus affectũ, quàm effectum: vnde qui bona agit, sed non benè, reus erit iudicij, & sic damnabitur, ac si fecisset mala, mala enim agit, dum bona agit, nõ bene, & dum ob propriam gloriã agit bona. Non est mea ponderatio, sed subtilissimi Caietani, qui iustus æstimator operum, sic definit, *Nec dicitur, si bonum facies, sed si benè facies, vt intelligamus, quòd non sufficit facere bonum, sed oportet bonũ benefacere. Vt hinc agnosceret Cain, se deliquisse in hoc, quòd non benè fecerit, quamuis fecerit bonum: obtulerat enim Deo sacrificium, sed non benè, quia non elegerat.*

Genes. 4. 7.

Caiet. in c. 4 Genes.

14 Vbi notandum est verbum, *Recipies*: Vel ex Hebræo, *Seth*, quod secũdum Pagninũ, *A Nassa*, ortum habet, & significat portare, leuare, eleuare: quasi dicat, *Nonne si bene egeris, portare, id est, portabis premiũ.* Si tamen legas cũ Mõtano, *Si bene egeris, eleuaberis:* Sic ait, si de bono, non bene facto, superbè euanesces, vt male bonum feceris: statim in foribus, & ante Iudicis districtum examen peccatum tuum aderit. Obseruat autem Augustinus, quòd, *Cetera vitia in maleficijs gaudent, superbia in benefactis, magisterque & suasor superbiæ serpens diabolus, statim obrepit, & medijs in virtutibus se se inserit, vt in elationem & arrogantiam inducat.* Sic, sic, sæpè serpens inter flores degit, & vbi florem boni operis te legere putas, serpentis mortifero

Pagnin in annot. in c. 4 Genes.

Arias Montanus hic.

Augustin.

ictu læderis. Quod clarius patet, si cum Septuaginta legatur, *Nonne si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti?* Vbi ex Gregorio, *Rectè offertur, si eum recta intentione agitur: sed rectè non diuiditur, si non quod piè agitur, subtiliter discernatur. Oblata enim rectè diuidere est, bona studia solicitè discernendo, pensare, quod qui agere dissimulat, & rectè offerens peccat. Sæpe enim quod bono studio agimus, dum discernere cautè negligimus, quo indicatur fine nescimus, & fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis.* O latens virus & vitium, virtutes etiam ac bona opera lædens, ex quo idem Pōtifex vos simul docet & monet, *Vt & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis, ne per hoc quod à vobis rectum geritur, fauor aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostēditur, intus à mercede vacuetur.* Notandū verbum, *Subrepat:* Sicut enim subripere est clam auferre: ita appetitus laudis clam aufert premiū boni operis, aufert & CORONAM.

Septuag.

Greg. Papa lib. 3. mor. cap. 10.

Greg. Papa hom. 12. in Euangel.

Et hæc de PARTE PRIMA PSALMI PRIMI, & de VERSIONE ORIENTALI obseruasse sufficiat, vt morem geramus, immo, vt ius seruemus etiam OCCIDENTALI, succedunt enim sibi Lucifer, & Hesperus, dies & nox, Genesis & Exodus, tempus nascendi, & tempus moriendi, Ortus, insuper, & Occasus.



SECVNDA PARS OCCIDENTALIS.

IN CAELI DAVIDICI

Verſiones ſuper Pſalmum primum,

INTRODVCTIO.

1 Eſplenduit iam, fauente DEO, ac VIRGINE adiuuante, rutilanſque ſplenduit prior Oriẽtalis ODÆ pars, eaque felici auſpicio, claris ornata luminibus, caris aſpectibus decorata, ſtellata riſit, & arriſit Beato: dũ beatus Propheta, & Canorus Poeta admirabili magiſterio, & ſubtili artificio, illam vel colorauit vt Pictor, vel vt Sculptor cælauit. Cælauit quidem pedes, tamquam viuæ ſtatuæ & virtutis Ideæ baſes, in conſilio impiorum non abeuntes, in via peccatorum non ſtantes, & in cathedra peſtilentium non ſedentes. Depinxit & ſpiritum iuxta ſpiritales gratiarum decurſus plantatum, depinxit & fructum operum in tempore ſuo productum, depinxit vt inuerſam arborem folijs humilitatis obtectam, depinxit & omnem actum in omnibus ſemper, & vbique proſperatum. Reliquum erat, vt idem eximius Sculptor, & celebris Pictor, non ignarus, Oppoſita iuxta ſe poſita elucẽſcere magis: Orientali Verſioni opponeret Occidentalem, vitæ mortem, virtuti vitia, bono malum, premio pœnam, luminibus tenebras, Pijs impios, Iuſtis peccatores, atque beatis damnatos. Oculos, ergo, dirige, ò prudens Lector, & nunc ſperans, nunc timens, *Intuere in hoc opere Altiſſimi, duo, & duo, vnum contra vnum.* Intuere libens, & lubens perpende, hanc, non Palladis arte, ſed Dauidis vel celſe, vel penicillo diuariatã Odã, variegatã picturam, & ſtatuam effigiatam, in qua poſt album beatitudinis Iuſtorum, ſubniger ſupponitur color damnatorum: ad huius.n. cõtẽplationem te Petrus Cellenſis inuitabat, cùm illam his coloribus adumbrabat. *Pictor ille, cuius ſedes cælum, cuius albi & optimi colores bonum natiuũ, cuius nigri & deformiores teteriores voluntas rationalis deficiens à bono principio in finem prauum teterrimum, cuius palatium Cæli Calorũ, cuius ſecretarium eſt, quod præ omni intellectu & cogitatione iſt excellentiſſimum. tàm mirabiliter, quàm ſapienter ordinationem ſuam diſponens: priùs in Eccleſia inſtituit Patriarchas & Prophetas, deinde Apoſtolos & Euangeliſtas, poſteà Paſtores & Doctores bonos, & tandem etiam ſeruos & mercenarios, ad vtilitatem familiæ ſuæ habere non recuſauit. Vt autem nulla in pictura abuſio videtur, ſi poſt album, etiam ſubniger color ſupponitur: ſimiliter ſi cum bonis Apoſtolis, peſſimus proditor Iudas inuenitur, vel Sathan cum filijs Dei adſit, conſiderata patientia Dei, ſine ſtupore ſuſcipitur.* Susciperetur quidem cum magno ſtupore, ſi non conſiderata patientia Dei, nigredo peccatorũ ſuſciperetur. At illa peripecta, qua, Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ parata interitum, ſtupor ceſſat.

Eccli.33.15.

Petr. Cell. lib. de panibus c. 16.

Ceſſat

Cessat quidem, dum prouidentia & simplex & varia oculis proponitur mentis, quæ & malis viuitur, vel vt ipse conuertantur, vel vt per eos boni exerceantur, sic vos monēte Augustino, *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo; & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur: aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.*

August. in enarr. super Ps. 54.

2 Sciens ergo Poeta facer se loquentem esse pictorem, immo canorum Prophetam, sicut lætus depingit, & hilaris canit illustria facta Sanctorum: sic non dedignatur ad impiorum vel tristē picturā, vel deploratā iacturā, inclinare penicillum, & deflectere Lyram. *Quùm Alexander transmisso Hellesponto, Troiam inuiseret, veterum Heroum res gestas animo reuoluens: quidam, si vellet, pollicitus, se Paridis lyram daturum. Hic, Alexander, Minimè, inquit, illa mihi est opus, quùm Achillis lyram habeam. Hac vir strenuus fortium virorum laudes canere consueuit, quùm Paris sua lyra molles, ac lasciuos modulos incineret.* Sic ille hanc mollem & eneruem Lyram despexit, illā autem Heroum victorias exaltantem elegit. At regius Psaltes, & Manu fortis, etsi libenter, & primò fortium opera depingit & cantat, cantat enim & depingit, vt Hugo Cardinalis obseruat, tum candorē innocentiæ & immunditatis a triplici peccato operis, cordis, & oris: tum solinæ legis lucem, tum meditationis ignem, tum florentis ligni virtutes, tum aurei & maturi fructus Coronam, tum virides verborum frondes, & tum prosperam ac perseuerantem fæcunditatem: vnde & radicem fidei fundat, & truncum caritatis eleuat, & ramos virtutum partitur, & fructum boni operis describit, & locutionis folia eloquitur, & prosperos in omnibus successus prædicit, dum Beatum depingit, qui ad statum tendit omnium bonorum aggregatione perfectum, & æternæ vitæ gloria muneratum.

Ex lib 4. Apopht. vbi de Alexandro nu 60.

Hugo Car. in psal. 1.

3 His ergo feliciter effictis, hisque, beato poemate, non in Achillis Lyra, sed in Cithara decē chordatum, pro Decalogo legis lætanter expletis: conuertit Citharam in Lyram, Lyram in luctū, lugubrem intonat sonum, & cantu lugubri impiorum non canit, sed detict, nescio, an mortem, an vitam: an pæana, an pænam: an culpas, an actus: an vitiorum congregationem, an pulueris a vēto proiecti dispersionem, dicens, Non sic impii, non sic: sed tamquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. O impietas, quàm cæca semper? O impiorum arrogantia quam pessimasemper? Cùm enim apud illos peccādi amor permaneat, amor innocentiæ non maneat, propēsi ac destinati semper ad scelus ad piaculum prompti semper, & parati ad crimen semper: dum caussas innocentiæ non requirunt, ius abrogant, confundunt fas, confundunt, & nefas, quibus nequitia est sodalis, quibus odiosa est æquitas, quibus iniquitas semper est amica: qui cædibus viuunt, qui se muniunt sanguine, qui crudelitatem sectantur, quibus de timore totum stat, quibus de amore nihil constat: mirum non est quod sicut puluis ab aura ambitionis, a turbine lasciuiæ, & a vento auaritiæ miserè proiiciantur a facia terræ, & infeliciter ad ima Tartari detrudātur, & puluere in plumbum verso, in aquis vehemantibus descendāt.

4 Et meritò quidem Iustos plātæ, impios puluere a vento rapto axæquauit: illorum folia numquā decidentia depinxit, pulueremautem horum hinc inde proiectum a facie terræ descripsit: & illos in gloria cælesti exaltatos, hos autem ad æternas inferni poenas damnatos adumbrauit. Adumbrauit & Salomon varijs coloribus variam sortem Iustorum, aut impiorum. In illos amygdalis, hisque florentibus: hos autem locustis comparat, hisque pinguibus, *Florebit amygdalus, pinguescet locusta impinguabitur capparis.* Huc, huc Olympiodorus veniat, & has vmbras illuminet, ac lineamēta coloret, dicēs,

Eccle. 12. 5.

Olympiod. in enar. sup. c. 12. Eccle.

Qui agricultura sunt periti, aiunt, ante cæteras arbores efflorere amygdali, & reliquarum postrema folia exuere, vt videatur quodammodo frondibus viuere perpetuis. Scimus autē nuces amygdalae triplices esse. Nam extrinsecus viridem corticem ligneo testo, siue duriori putamini impositum habent, cui nucleus, quem comedimus. Talis verò est homo è corpore, anima, spirituque compositus. Inquit, ergo Salomon, Tunc florebunt Iusti, *sicut amygdali, habentes in vigore & gloria, corpus animam, & spiritum. Iustis igitur in gaudio constitutis: locusta pinguescet: hoc est, peccatorum corpora depascetur Infernus, ita vt pinguescere videatur. Locusta, enim, hoc loco supplicium figurat, & pœnam: quia & locustis Deus Aegyptios deuastauit. In hoc itaque statu rebus constitutis, florentibus (inquam) Iustis, peccatoribus autem traditis ad æternum supplicium: dissipatur capparis, & euanescit, quæ, cùm amarorem quemdam & salsedinem habeat, anxietatem figurat solicitudinemque peccati. Ipsū verò peccatum priuatio quædam cùm sit, neque reuera subsistat, in nihilum redigetur, atque cessabit: cum homines exacto iudicio amplius in hoc mundo peccatures non sint. Quoniam fuit homo in domum æternitatis suæ.*

5 Quæres fortasse ordinis rationem, & cur Psalmographus, quem non latebat. Prius quod carnale, esse, quàm quod spirituale, & prius Babyloniam, quàm Ierusalem extitisse: ordinem sic inuertit, vt beatos describat, qui pertinent ad Ierusalem, & spiritales sunt: & posterius damnatos depingat, qui spectant ad Babyloniam, tamquam carnales, & spiritum non habētes? Vt huic dubitationi faciam satis, simile dubium referam ex Philone. Is ergo expendens chronica verba Mosis, *Et factus est Abel pastor pecoris, Cain autem operabatur terram*: sic inquirit, Cur, quamuis maiorem natu Cain dixerat, nunc transponit ordinem, iunioris prius mentionem faciens in ostendēdo vitæ proposito? Erat enim probabile grandiorem prius aggressum agriculturam, ac tum demum iuniorem suscepisse curam pecorū. Soluit autem subtiliter & ipse nodum, asserens, *Virtutem à vitio antiquitate quidem superari, viribus autem, ac dignitate præpollere: ergo quando de amborum natiuitate agitur, Cain procurat prior: quando vero conferuntur, & examinātur vtriusque studia, Abel præcedat. Nam à prima statim natiuitate, & ab ipsis fasciis incunabulis, vsquedum adolescentis ætatis effectuum flamma deferueat, extinguaturque, anima, collactaneas habet imprudentiam, intemperantiam, iniustitiam, metum, ignauiam, aliasque cognatas pestes, quarum singula educantur, augenturque à nutrice, & victus ratione per mores, atque leges pietati quidē infestas, superstitionem verò impietatis germanam adstruentes, inducentesque. Vbi verò quis pubertatem ingressus est, & affectuum concutientium morbus se remisit, tāquam ventis cessantibus, incipit in trāquillitate degere, vix tamen constabilitus in virtutis firmitudine, quæ continuò sibi succedentem quassationem grauissimum animæ morbum mitigauit: atque ita vitium iuxta temporis prærogatiuam sit antiquius, iuxta dignitatem verò honorem atque gloriam virtus est potior.* Eadem lege & Dauid dignitatis ordinem, non natiuitatis obseruans, prius canit Beatorum pæana: posterius luget damnatorum pœnas.

Idem ibid.

Gen. 4. 2.

Philo Hebræus in li. de sacrific. Abel & Caini.

6 Hinc est, quod virtus, & virtute præditus frumento comparatur, ventilato in area, vbi flante vento, residet, tamquam graue: seruatur, veluti pretiosum: colligitur, vt carum: & in horreum ducitur, vt panem det comedenti, & semen serenti. At impij quasi paleę & quisquiliæ, eodem vento flāte, & dissipātur ex area, & a facie terrę disperguntur. Aduocentur pro tali, eaque iusta, ac debita bonorum à malis, & frumenti ab aristis separatione, iustum iudicium Philonis, qui ita decernit, *Sicut in area triticum hordeumque, & id genus alia seorsum separātur: arista videlicet, & palea, & huiusmodi quisqui-*

Philo He Ibid.

Ita dissipatur aliò: ita etiam apud nos alia sût optima & vtilia, veros cibos præbentia, per quæ recta vita perficitur, quæ quidem offerenda Deo sunt: alia vero parum diuina relinquêda, vel vt retrimenta mortali generi.

7 Sic, sic Homo secundum cor Dei in area Ecclesiæ militantis hactenus aureum triticū, nempe beatum virum collegit, firmauit illum, quia non abijt in consilio impiorum: selegit, quia in via peccatorum non stetit: secreuit, quia in cathedra pestilentiæ non sedit: in horreo legis collocauit, quia in lege Domini voluntas eius: seuit, tamquam lignum, quod plantatū est secus decursus aquarū: cibum inde sumpsit, quia fructum dedit in tempore suo: folia non omisit, quia folium eius non defluet: & omnia prospera ei obuenire monstrauit, impletum est enim Oraculum, Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. His ergo in area vel horreo collectis, quid de aristis, quid de quisquilijs fiet? Vento tradantur, & à turbine sic dispergantur, vt neque locus impiorum vlla in facie terræ inueniatur. Adest nobis regium decretum, quo illi damnãtur simul, & vento, quasi iustitiæ ministro dispergen-

Psal.1.ver.5 di traduntur. *Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.*

8 Premiorum promissio, & pænarum comminatio, aurea calcaria sunt, aureaque frena, quibus vel Iustus viam mandatorum currit, cùm cor verbis sapientum stimulatur per clauos in altum cōfixos: vel impius à via peccatorum reuocatur, dum odit peccare saltē formidine pænæ. Et calcaribus ergo, & freno vtitur Psaltes: & quia illis premijs Iustos iam incitauit potius, quàm inuitauit: istis, impios, & detrahit à pęnis damnatorū, & retrahit à præcipitio vitiorum. Religio quidem esset, si cum Cassiodoro non pōderaremus eloquētis Psalmistæ artificiosum schema, & sacrum Paradigma, quo per exempla proposita, vel homines hortatur, vel deterret. Sic enim ait, *Inuitauit, cùm dixit, Beatus vir, & reliqua: deterret, cùm ait, Non sic impij, non sic, &c. Efficacissimum plani doctrinæ genus, & inuitare prosperis, et terrere contrarijs. Sicut et Pater Augustinus in libris de Doctrina Christiana memorat, dicens, Debet igitur diuinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor rectæ fidei ac debellator errorum, et bona docere, et mala dedocere, quod institutionis genus, & in 14. & in 36. & in 110. & in 118. potenter exequitur, vt distinctio sit in comminatione supplicij, magnitudo semper in premijs. Dicit ergo, Non sic impij, nō sic, quoniam nō erit sic impijs, vt superius dixit. Et vt immobiliter crederes, firmitatem negationis iterando mōstrauit. Nam si locum eorum diligenter inquiras, audi Apocalypsim Ioannis, dicentem, Et diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi illa bestia, & pseudopropheta, quod videlicet ad omnes pertinet impios, cruciabuntur illic die ac nocte in sæcula sæculorum.* Cassiodor. hic.

9 Nec schemate clariori describi poterat à canoro Pictore distantia piorum & impiorum, nisi inde adhibitis luminibus Orientis, hinc vero additis vmbris Occidentis, nā & ipse cecinit, *Quantum distat Ortus ab Occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Ps.102.12. Cum Oriens lętus, lætum Solem mox iam surgentem expectat, Luciferum mittit auricomū, lucis nuncium, flaua coma præmittit ornatū, roscidā excitat suauem auram, lacteo conspergit plagam candore, auro redimitam rosisque coronatam trāsmittit Auroram, splendidas aperit portas, radijs aureis aeris telam texit, rebus omnibus reddit colorē, & purpureo Sol nascitur aureus ortu: at Occidens mæstus, mæstum occultat Principem lucis, mutat Luciferum in erebū noctiferum, mutat Posphorum in Vesperum, mutat Auræ rorem in lacrymas, mutat Albæ lac in nigredinem, mutat Auroram in Vesperam, mutat diem in noctem, mutat varios colores in tetrum colorem, & sic

mutat Solis ortum in Solis occasum, vt Stellæ præcipites labantur è cælo, & à regno longo flammarum albescentium tractu funereæ faces solemnitate, in occasus suos, quasi quibusdam deducantur obsequiis.

10 Et quidem oculis mentis obijcitur distantia non impar inter pium & impium ab ea, quæ par cernitur inter Orientem & Occidentem: si enim in Oriente Paradisum, in Occidente conspiciunt infernum, qui non videant æqua mensura distare pium ab impio, ac paradisus lõge est ab inferno? Audiamus Cassiodorum has pares distantias his paribus mensuris meditantem, *Siue Orientem significat regnum Dei, Occasum verò gehēnam, quæ tantùm à beatorum sede disseiata est, quantùm dicit ille Pauper in Abraha sinu constitutus, Inter nos & vos Chaos magnum firmatum est*. O Oriens! o Occidens! o pij! o impij! En Iustus in Oriente Luciferū præmittit beatitudinis inceptæ, expectans locum gloriæ completæ, vnde dicitur, Beatus vir: at non sic impij, non sic, id est, Quoniam non erit sic impiis, vt superius dixit, sed ex tenebris peccatorum, transibunt ad tenebras inferorum, Ille non stat in via impiorum: isti sicut puluis proijciuntur in tartara damnatorum. Ille in cathedra pestilentiæ non sedit: isti in iudicio non sedebunt. Ille non abit in cōsilio stultorum: isti non resurgunt in consilio senatorum. Illius lucida via est, quia in lege, quæ lux est, est voluntas eius, in ea meditatur die, quia noctem ignorat, in roscida rutilat aura & dealbatur, quia plātatus est iuxta aquas, folijs coronatur, fructusque lucis germinat lætabundus. Impij autem in Occidēte locātur, quia rebelles lumini, quia Luciferum virtutis per vitia cōuertunt in vesperum: quia Posphorum bonorum operum, in dānatorum vertunt Hesperum: quia rascidam gratiæ auram concupiscentiæ mutant in flammam: quia lac innocentiæ, conuertunt in nigredinem ollæ: quia auroram & dlem spiritus transferunt in desideria nocina, & in noctem: quia colores electorum transformant in horrorem præscitorum: & quia Solis iustitiæ ortum transfigurant in mortis occasum, nam iter impiorum peribit.

Cassiodor. in ps. 102.

11 Distant ergo, distant Pij ab impijs, Iusti ab iniustis, & Beati à dānatis, quantum distat Oriens ab Occasu. Et vtinam, qui modo in Occasu iacent, transeant per pænitentiæ currum ad ortum, vt etiam ipsi iustificati repetant contriti Regis canticum, *Quantum distat Ortus ab Occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*. Et vtinam in eis mutatio illa appareat, quam Cassiodorus ita insinuat, *Oriens, est initium bonæ vitæ nostræ: Occasus, malæ conuersationis affectus. In occasu enim eramus, cùm peccati vinculo tenebamur stricti: in Oriente autem sumus, quando per aquam regenerationis nos Sol verus inuisit, & tenebras nostrorum reijcit peccatorum. Tantùm ergo iniquitates nostræ longè fiunt, cùm nobis peccata condonantur, quantum potest clara dies à tenebrosa nocte distare*. Distāt ergo Beati à damnatis, Iusti ab iniustis, & Pij ab impijs: vt dies à nocte, vt lux à tenebris, vt Sol ab vmbra, vt Ortus ab Occasu. Si ergo lætantes vidimus Ortum illorum, videamus gementes occasum istorū: & In hoc Cælo Dauidico videamus, in quo auspicantur verè hominum variæ sortes, natiuitates variç, & varij vel felices, vel infelices, vel Iustorum vel impiorum exitus mortis ad vitam, mortis ad mortem. P. 102. 12. Cassiod. hic

12 Errantes Astronomos hoc pallenti stylo, quamuis aureo describebat Chrysologus, dicens, *Stellarum scrutatores, errantes per astra, Cæli negotia in tenebris perquirentes, nascendi moriendi causas Stellarum cursibus ascribentes, bona malaue hominum de arbitrio luminarium firmant. Sic sentit mundus, sic Gentiles intelligunt*. Nos autem non doctas fabulas sequuti, non humanis somnijs inhærentes, nocturnum non speculamur Cęlum,

Chrysolog. ser. 156. De Epiphania & Magis.

ſed Pſalmum diurno lumine illuſtratum: non hæreas tabulas ſtelliferis caracteribus depictas, ſed aureas paginas diuinis verbis conſcriptas: non ſphærarum volumina complicata,ſed Hymnorum volumen, in quo, Plicatur tanquam liber Cælum: & non aſtra fatalia vel infauſta,vel fauſtam,vel infauſtam vitam præſagientia,sed virtutes, vel vitia, quæ beatos reddunt Iuſtos,iniuſtoſue damnatos. Nam Pſalmi huius ſermo, & Odę huius cantus,non humana loquitur, ſed diuina: non vſitata,ſed noua:non arte fallentia,ſed veritate ſubnixa: non oculos illudentia, ſed cordibus infixa: non coniecturis nutantia, ſed auctoritate firmata: à Deo venientia,non a fato: non collecta numeris, ſed virtutibus acquiſita. Virtutibus ergo acquiſitam beatitatem hactenus lætabundus & laudans cecinit Pſalmus, dicens, Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & quæ largè in Orientali Parte deſcripta,& latè vidimus & audiuimus lęti. Nunc autem vinis quęſita damna,in Occidentali Parte aggreditur explicanda,Citharam conuertens in luctum & Chorum in tale lamentum, Non ſic impij,non ſic,&c. Mærēs igitur canit impiorum ſortem, immo mæſtus ideo luget damnatorum partem, vt nos męſti legendo, & męrentes audiendo illius cantum vel planctum, ex aliorum ſupplicio erudiamur. Beatus enim eſt,qui ex peccatorum corrigitur pęna,& qui quod impijs eſt flagellum, ſic ſibi vertit in frenum,vt caſtigato peſtilente,& ſapientior reddatur,& cautior efficiatur.

13 Hactenus ergo, cum ſtellātis fidei luce,cum Dei gratia duce,gyrando gyrauimus Cæli Dauidici Orientalem Verſionem, & ab Oriente Pſalmorum exordio ad Orientem venimus beatitatis Auctorē,& lætabundi inuenimus beatitudinis Fontem. Vnde & repetere nobis licebit aurea Chryſologi elegātia verba, ***Ab Oriente ad Orientem veniunt Magi, vt ſuſciperet venientes,ipſe qui iuſſerat,vt venirent. Quādo enim Deum Magus, niſi Deo iubente perquireret: quando Regem Cæli niſi reuelante Deo Aſtrologus inueniſſet,?*** Nunc eodem iubente Deo, per aliam reuertamur viam, & non quidem ad noſtram,ſed ad impiorum tendamus regionem: non ad Orientalem patriam,ſed ad Occidentalem pergamus plagam: non ad Beatorum gloriam, ſed ad damnatorum demigremus pęnā: & non ad ſtellantes virtutum Coronas, ſed ad nigrantes petamus vitiorum catenas: vt oppoſitis iuxta ſe poſitis, magis elucescat interpoſitum Chaos inter Iuſtos & impios, inter virtutes & vitia, inter Prædeſtinatos & præſcitos, inter agnos & hędos, inter frumentum & quiſquilias,& demum inter Beatos atque damnatos. ***Conuertimini ergo, & videbitis quid ſit inter Iuſtum & impium: & inter ſeruientem Deo,& non ſeruientem ei.*** Conuertimini, nec vobis graue ſit, non enim erit abſque futura vtilitate, Conuertimini,inquam, ab Oriente ad Occidentem, nam ſi Oriens influxit Dei amorem, Occidēs refluet Dei timorem, vt in his duobus Polis immobilibus, mobiles rotentur Cæli Dauidici Verſiones, Omne enim tulit punctum, qui miſcuit amorem timori.

Chryſolog. ſer. 156. De Epiphania & Magis.

Malach. 3. 18.

CAELI DAVIDICI VARIARVM VERSIONVM PARS OCCIDENTALIS.

In Psalmi Primi, Versum Quartum & in Versus quarti, Partem Primam.

Prima. Ex Vulgata, Non sic impij, non sic, sed tamquã puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

2 Ex Pagnino, Non sic impij, sed tamquam gluma, quam proijcit ventus.

3 Ex Chaldæo, Non sic impij, sed sicut stipula, quã proijcit ventus.

4 Ex Hebræo, Non sic impij, sed tamquam festuca.

5 Ex Vatablo, Non sic impij, sed tamquam quisquiliæ, quas dispellit ventus.

6 Ex Felice, Tamquam puluis, quem agitabit, propellet, propulsabit ventus.

7 Ex Arabico, Tamquam puluis, quem dispergit ventus.

8 Ex Græco, Tamquam lanugo, vel tenuis palea.

VERSIO LXII.

CIRCVLVS I.

Impiorum pæna duplex est, hic enim incipit, & illic consummatur.

1 NOn sic impij non sic. Repetito hæc quamuis nec in Hebræo reperiatur, nec in Chaldæo: quia tamen legitur in Romano, in Ambrosiano, & in Gallicano, ideo meritò retinetur, & iure exponitur. Audiendus est Eugubinus, qui rem dilucidat, ita dicens, *In Psalterio quo nunc omnis, siue Græca, siue Romana vtitur Ecclesia, quod ab ipsis Septuaginta interpretibus editum fuit, superuacuè additur secundò, Non sic. Redundat etiam, A facie terræ: cum Hebraicè sit, Non sic impij, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus: quemadmodum Hie-* Eugubin. in enarr. super Psal. 1.

rony

ronymus quoque transtulit. Admonet etiam Græci in Hexaplo Originis nõ haberi. Idem tamen commodè exprimi, repetitione designari maiorem negationem, qua negantur impij viuorem habituri. Addendus est etiam Genebrardi sensus, sic asserentis,

Genebr. hic.

Hæc Epizeusis non est in Hebræo: sed apposita ad vehementius exprimendam vim actus oppositi iustorum eorumque felicitatis, ad etiam fontis exprimendam: vt intelligeremus impios multis modis esse miseros & infelices etiam in terra, dum non diu eodem statu res eorum permanent, multaque patiuntur. Hæc autem multa, binaria notatur multa, dualis enim numerus, etsi finitus, sumitur indefinitè. Sicut ergo olim Deus solabatur Pium varijs tribulationibus afflictum, dicens de eo,

Isa. 40. 2.
Forer. hic.

Suscepit de manu Domini duplicia: & secundum Forerium, *Est hyperbolicus sermo, qualis solet esse blandientis, & quasi se ipsum reprehendentis, quòd sic duriter cum amico egerit: quasi diceret, Plus quàm opus erat indignatus sum: duplo, quàm opus erat indignatus sum: duplo, quã iustum erat pœnas dedisti;* Similiter etiam nunc de impijs loquens, binario vtitur numero, Non sic impij, non sic: vt eorum & præsentia & futura absque vllo numero & data adumbret damna, & danda describat tormenta: sicut sancitum est, *Multa flagella peccatoris.*

Psal. 31. 10.

2 Si flagella ex multis funiculis nectuntur: quis poterit omnes funiculos enumerare, quibus peccatores miseri & hic & ibi plectuntur?

Virg. Ænei. 6.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas.
Omnes pœnarum percurrere genera possem.

Hugo Car. hic.

Heù, inquit Hugo, *Flagellãtur peccatores in præsens, tum miseria contritionis suæ, tum remorsu conscientiæ, tum inquietudine à dæmonibus illata; tum cogitationibus & sollicitudinibus, tum amore diuitiarum, quæ dicuntur spinæ; & quanto magis cordi infiguntur per amorem, tanto magis pungunt per dolorem, & erit Babylon in possessionem Ericij: tum ab alijs peccatoribus, Facies homines quasi pisces maris, qui scilicet, comedunt se inuicem. Item multa sunt flagella peccatoris in futurum.* Ibi erit flagellum inundans, vbi, *Apprehendet eum, quasi aqua inopia.* Quis autem posset tumentes & innumeras has vndas dinumerare? *Vnda erit tempestas nocturna, Nocte opprimet eum tempestas.*

Iob. 27. 20.

Vnda erit ventus validus, *Tollet eum ventus vrens, & validus.* Vnda erit turbo impellens, *Et velut turbo rapit eum de loco suo.* Er vnda erit percussio præsens, quæ initiũ est futuræ percussionis, *Emittet super eum, & non parcet.* Nam ex Pontificio Decreto, *Omnis diuina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis. His enim flagella ab hac vita inchoant, et in æternam percussionem perdurant.*

Greg. Papa lib. 18. mor. c. 13. vel 11.

3 Depinxit nescio quis sagittarium, qui arcu armatus, pharetra succinctus, sagittam iaculabatur, eaquè adhuc per aeris vana volante, alteram e pharetra arripiebat, eamque neruo committens, iam iam iaculaturus, dicebat, *Instat altera.* Nec melius effingere poterat iratum Deum, qui delectatur in iaculo, dum tendit arcum, quasi inimicus, & iaculo contra peccatorem in hac vita emisso, ad alterũ ardentibus effectum, ira succensus admouet minitantem manum, dicens, *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit vsque ad inferni nouissima:* Vel secundum Gregorij versionem, & interpretationem, *Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit vsque ad inferos deorsum. Quantum ad præsentem etenim percussionem spectat, rectè dicitur, Ignis exarsit ab ira mea. Quantùm verò ad æternam damnationem, aptè mox subditur, & ardebit vsque ad inferos deorsum. Quia eorum percussio hic cœpta, illic perficitur: vt incorrectis vnum flagellũ sit, quod temporaliter incipit, sed in æternis supplicijs cõsummatur, quatenus eis, qui omninò corrigi nequeunt, iam præsentium flagellorum*

Emblema.

Deuteron. 32. 22.

Greg. Papa lib. 18. mor. cap. 13. alias 12.

per-

percussio, sequentium sit initium tormentorum. Nec aptius pro emblemate dici poterat, semper enim vno emisso iaculo, instat alterum.

4 Ambiges fortè quomodo hęc stare possint cum summi Iudicis promissis, siue decretis, *Non consurget duplex tribulatio:* Vel ex Pagnino, *Non consurget bis angustia:* Vel ex Septuaginta, *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione?* Si enim & hic iudicat, & ibi vindicat: & si & hic, & inibi est iudex, & vindex, angustias cōduplicans, tribulationesque multiplicans, quis neget bis iudicare, et duplicem tribulationem immittere? Nodus Pontificia manu ligatus, Pontificia etiam manu sic est solutus, vt in duplici flagello, in duplici iudicio, atque in duplici tribulatione, non duplicem tribulationem, sed vnam: non duplex iudicium, sed vnum: nec flagellum duplex iaculetur, sed vnum, & vnum hic quidem cæptum, inibi compiletum: in terra initiatum, in inferno continuatum: in præsenti habens principium, & in futuro finem. Sic ergo Magnus Pontifex has dissonas voces temperandas decernebat. *Quamlibet culpa bis feriri non possit, hoc ex peccato percussis, atque in peccato morientibus debet extimari, quia eorum percussio hic capta, illic perficitur: vt incorrectis vnum flagellum sit, quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur: quatenus eis, qui omnino corrigi renuūt, iam præsentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum. Emittet ergo super eum, et non parcet.* Vnde, & verum est, quod vno emisso iaculo, instet alterum.

Nahum. 1. 9

Pagninus. Septuag.

Idem Greg. ibid.

5 Et quamuis Remigius putet, *Quòd non consurget duplex tribulatio, nec bis homines iudicabūntur, quia in illos, quos præsens tribulatio affligit, futuram damnationem consurgere non sinit: & peccatoribus idcirco Deus ad præsens infert supplicia, vt in æternum non perdat:* hoc tamen vel verificatur in Iustis, qui per flagella temporalia exercentur: vel in beatis pœnitentibus, quorum peccata, per flagella emēdantur. At qui ad flagelli duri, redduntur deteriores, vel duplicia recipient supplicia, & diploide induentur, tormentis subditi & hic, & ibi: vel non duplicia, sed vnum, quod hic initiatur, & illic terminatur. Vnde subdit Gregorius, *Quatenus eis, qui omnino corrigi renuunt: tam præsentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum.* Vbi philosophica regula locum habet, quod sicut vnus ac idem modus realiter est in principio, & in fine, nec differt nisi secūdum imperfectum ac perfectum, in initio enim imperfecta forma mouetur, quæ in fine perficitur: eodem modo quasi flagellum percutit impium in hac vita, in altera autem erit verum, erit perfectum, eritque sic inundans, vt, *Omnis dolor irruat super eum.* Audiamus eumdem Gregorium ita philosophantem, *Quia timor ipse pœna est, tanta infelix patitur, quanta pati timet. Post hoc quoque ad gehennam ducitur, & æternis cruciatibus mancipatur. Omnis ergo dolor irruit super eum, quem & hic prius pœna cōcupiscentiæ, & illic pœna vltionis cremat. Et hic fatigatur in desiderijs, & illic in tormentis.* O infelices impij, vos tot desideriorum aculeis stimulati, inferni tormēta nunc prælibatis in terra, tamquam dolorum omnium initia, quæ affatim ebibetis in inferno, vbi, *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Hic enim pœna guttatim gustatur, illic superpleno semper calice bibitur. Sicut dum quis plenum haurit calicem, cui ab alio semper superinfunditur vinum, numquam liquor hauritur, sed potatur vsque ad fęces: Ita in calice tormentorum pleno, sic pluit semper desuper prodigus Iudex & iustus, vt numquam damnatorum supereffluens potio sit exinanita. Hinc Origenes, Dydimus, & Eusebius legunt, *Superpluet super peccatores ignis, sulphur, & spiritus procellarum.* Et hinc concludit Euthymius, *Hæc autem pluuia meta-*

Remig. Remens. in c. 1 Nahum.

Idem Greg. ibid.

Iob 20. 22.

Greg. Mag. l. b. 15. mor. cap. 13. vel 12.

Psal. 10. 7.

Origen. Dydimus, & Euseb. hic.

Euthymius in Psal. 10.

phora

phora, summam suppliciorum abundantiam ac perpetuam denotauit.

CIRCVLVS II.

Impiorum tormenta non possunt, nisi reticendo dici.

6 MIrabile sanè apparet sacri & canori Pictoris magisterium, qui post Iusti imaginem mira arte, viuis coloribus, claris luminibus, & beatitudinis corona figuratam: impiorum imagines efferas, atque mortiferas triplici tãtum tractu adumbrans, ait, Non sic impij. Vbi nec efformes figuras integras format, nec sensum verborum completos intonat: non enim verbum addit, nec suis numeris propositionẽ absoluit. Quid enim sibi vult, Non sic impij? Datur inter rhetorum figuras figura Præcisionis, cùm dictis quibusdã, reliquum, quod cęptum est dici, relinquitur in prudentis vel lectoris, vel auditoris iudicium: hac ergo arte Psalmographus, multa cũ iam largè dixisset de beati viri felicitate: de impiorum infelicite, arctè, ac præcisis verbis, multo plura dixisse videtur, verba sic præcidendo, Non sic impij. Adest pro hac interpretatione Isidorus Clarus clarè asserens, *Synedochè est, cũ breuitatis & argutiæ gratia, verbum subtrahitur*. Et cui mirum, quòd impij sine verbo describantur, si etiam ipsi in non verbo lætantur? Nonne eis exprobratur ab Amos Propheta, & optimo iure, *Qui lætamini in nihilo*: Vel ex Symmacho, *Qui lætamini frustra*: Vel ex Septuaginta, *Qui lætamini in nullo verbo bono*: Vel ex Pagnino, *Qui lætamini in nõ aliquid*: Vel ex Hebręo, *Qui lætamini in non verbo?* Cùm ergo nihil sint, & lætentur in non verbo, verbum iure subtrahitur in descriptione infelicitatum eorum, & in pœnarum infinitarum definitione.

Isidor. Clarus hic.

Amos 6.13.
Symmach.

Septuag.
Pagninus.
Hebræus.

7 Synedoches, quam Isidorus hic aduocat, si fortè illa est, qua ex antecedentibus, sequentia monstrantur: quis non videt, quæ & quanta dicat, præcidendo? Non sic impij, inquit Ambrosius, *Hoc est, non sic vt beatus vir, qui ideo beatus, quia non abijt in consilio impiorum, quia in peccato non stetit, qui in consilio pestilentiam non sedit, & qui eã voluntatem habuit in lege, vt præcepta legis resonent in vita eius: & mores eluceant. Non ergo sicut beatus iste, qui hoc fecerit, ita erit & impius. Non sic impij, non sic. Et ideo repetiuit vel qui scripsit, vel qui postea addidit, vt confirmatio fieret repetita sententia.* Vel, vt Diuus Thomas subdit, *Non sic impij facient in processu, non sic recipient in euentu*. Vel, vt Euthymius addit, *Non ita florent impÿ, nec germinant, aut fructum ferunt, nec tantis fruuntur bonis, quantis vir ille, quem beatum diximus*. Admittens autem Euthymius repetitionem, per eam putat augeri impiorum miseriam, nam si vel vna negatio est malignantis naturæ: quanto magis exprimũtur per geminatam negationem eorũ & malignitates & mala? Ita ergo concludit, Non *sic impÿ, non sic: & dum negationem repetit, quod negatum est magis confirmat, firmatque magis*. Hinc & Cassiodorus obseruat, quòd, *Vt immobiliter crederet, firmitatem negationis iterando monstrauit*. Vel hac geminatione negationis, clarius exprimere voluit in nummo huius Psalmi, auersam impiorum faciem à recta Iustorũ, sicut notabat Basilius, breuiter cõcludendo, ꝙ mirabili arte Psaltes, *Geminatione, per negationis contrarietatem, manifestius exprimit*. Exprimit quidem repetita negatione, quod nulla adumbrari potest affirmatione, & per ea, quæ Theodoretus affirmat, *Per negationis geminationem, contrarietatem dilucidius ostendit.* Ostendit contrarietatem Piorum & impiorum, beatitatis & infelicitatis, virtutum & vitiorum, fæcunditatis & sterilitas & ligni secus aquarum fluẽta plãtati, & pulueris à ventorum flatibus proiecti, Non sic impij, non sic.

Ambros. in enarr. super psal. 1.

D. Thom. in psal. 1.

Euthymius hic.

Idem Euth. hic.

Cassiod. hic.

Basili us in scholia sup. psal. 1.

Theod. in Psal. 1.

CIRCVLVS III.

De beato viro in ſingulari, de impijs loquitur in plurali, quia prauorũ infinitus eſt numerus, paruus Iuſtorum.

8 MVtat Canorus Pictor in cithara ſonum, in cantu numerum, in melodia tonum, & vbi hactenus famam beati viri cecinit, & lætus extulit ſummis laudibus in ſingulari: nunc triſtis impiorum infamiam deflet in plurali, Non ſic impij, non ſic. Vbi ſi cauſſam inquiras, eãdem reperies, quàm in ſimili quæſito Philo reddebat. Cùm enim ipſe quæſiſſet, cur Deus vnicum hortatur, vt comedat de omni arbore paradiſi: multos autem deterret, dum præcipit ne comedant? Reſpondet, rarum eſſe bonum, multiplex malũ. Hoc modo ergo dubium primò proponit, poſtea ſoluit. *Illud quoque perquirendum eſſe videtur, dum hortatur, vt ex omni arbore paradiſi comedat, vnicum hortatur: dum vero interdicit eſum arboris eius, qua boni malique cauſſa dicitur, vt plures alloquitur. Illic enim, inquit, Ex omni comedes: hic, ne comedatis, & quocumque die comederitis, non comederis: eo moriemini, non morieris. Dicendum igitur, primò rarum eſſe, quod bonum eſt, malum contra multiplex. Ideo ſapiente vno inuento, reperitur fatuorum multitudo innumera, Itaque meritò vnum hortatur innutriri virtutibus, multos vero vt à nimia calliditate abſtineant, hac enim vtuntur innumeri.*

Philo Heb. lib. 1. legis Allegoriar.

9 Et quidem non miror Ciceronem demonſtraſſe, *Deteriorum magnam nationem, bonos ſingulares:* nec admiror canẽtem Iuuenalem, vel lugentem,

Cic. lib. 7. Epiſtol. ad Atticũ epiſ. 7.

Quocumque in populo videas, quocumque ſub axe,
Sed ne Brutus erit, Bruti nec auunculus vſquam:
Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili:

Demiror tamen, & valde ſtultorũ numerum apud Salomonem numerum ſic excedere, vt innumerabilis ſit, & ſic augeri in immẽſum, vt dici poſſit, *Stultorum infinitus eſt numerus*. Nonne tibi notum erat, o ſapiens Rex, infinitum numerũ, ex naturæ terminis eliminatum, cùm naturæ Auctorem tu ipſe ex hoc tollas ad aſtra, dicens ei, *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti*! Et verè, ſi, vt Auguſtinus docet, iure ſic dicitur, *Quoniã ſic Deus diſpoſuit omnia, vt haberent menſuram, numerum, & pondus*: qua ergo forma, qua norma, quomodo infinitus ſtultorum numerus dari poteſt? Gloſa Interlinearis hæc duo exiſtimat æquipollere, infinitum numerum ſtultorum, ac ſtultos nõ numerari, nullamque eorum rationem haberi, ita enim ait, *Stultorum infinitus eſt numerus, id eſt, non ſunt digni numero, vt Sancti, de quibus dicitur, Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur*. Gloſa ordinaria putat, ideo numerum infinitum dici, *Quia non poteſt comprehendi*. Caietanus cum Hebræo legens, *Defectus non poſſunt numerari*: infiniti nomen euitans, ſic explanat, *Tot defectus contingunt in rebus, vt vix poſſint numerari*. In idem recidit Vatablus, quãuis aliter ſententiam vertat, *Quod deeſt, non poterit numerari: id eſt, defectus qui ſunt inter homines numerari non poſſunt*. Hieronymus pro eodem accipit infinitum numerum, ac numerari nõ poſſe, aiens, *Tantus eſt numerus ſeductorum, ac eorum, qui a grege Domini ſeparati ſunt, vt ſupputatione non queat comprehendi*. Sed præualet Lyræ ſonus, cum tribus notis, *Stultorum infinitus eſt numerus, & valde excedens numerum aliorum*. Vbi æquipollere putat infinitum, & innumerabile à nobis: quamuis Deo perfectè ſit notũ, iuxta illud, *Et erit numerus filiorum Iſrael,*

Eccle. 1. 15.
Sap. 11. 21.
Auguſtin.
Gloſ. interlin. in c. 1. Eccleſiaſtes
Gloſa ordinaria hic.
Caiet. hic.
Vatablus hic.
Hieronym. in com. ſup. ca. 1. Eccle.
Nicol. de Lyra, hic.
Hoſ. 1. 10.

quasi arena maris, qua sine mensura est, & non numerabitur: non quidē numerabitur ab hominibus, at bene à Deo numerabitur. Hinc Deus, qui scientiarum Dominus est, tum de Sanctis, tum de reprobis dicebat, *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*: vbi Sanctos numerat: reprobos autem, nō quia nescit, sed tamquam arenam grauem ac vilem numero indignā, contemnit. Non est mea interpretatio, sed Albini, sic enim ait, *Dinumerabo eos id est, Sanctos, quorum fit numerabilis, id est, numero digna multitudo. Et super arenam, id est, stultos, qui arena comparantur, & quorum congregatio indigna sit numero.*

Ps. 138. 18.

Albin. hic.

CIRCVLVS IV.

An impiorum numerus numerum excedat electorum.

10 QVamquā Eugubinus omnem moueat lapidem, vt demonstrare posit maiorem esse numerum electorum, quàm impiorum, ex varijs fontibus argumenta deducens, tum ex pænitentium numerositate, tum ex paucitate prodigiosè viuentiū, & tum ex paucorū vita desperata: attamen ex trāquilliori ac pellucidiore fonte aquam hausisset, si dato excessu numeri impiorum, dignitatem eximiam Iustorum illi opposuisset: inde enim Chrysostomus flumen duxit. Ipse feliciter expendens preclara verba Pauli in honorem Iustorum prolata, *Quibus dignus non erat mundus*: & mundi nomine, & mundum & mundi amatores intelligens, tamquam iustus æstimator & index, clarè asserit, si in vna bilance decem Iusti, & in altera totus mundus, & omnes mundi amatores ac peccatores suspenderentur, illos his præualere, & absque vlla comparatione superare, sic enim ait, *Si cuncta creatura cum omnibus hominibus consti*

Eugubin. li. 7. Diuin. instit. c. 7.

Ad Heb. 11 38.

Chrysost. homil 27. in ep. ad Heb.

tuatur, numquam in comparatione istis digna fit. Et quidem meritò, nam sic essent illa his composita, ac si decem millia fœni pondera, cum decem margaritis essent appensa. Hinc ipse subdit, *Sicut enim decem millia pondera palearum vel fœni, in comparatione decem margaritarum digna non essent: Sic neque illi. Melior, inquit, vnus faciens voluntatem Dei, quam decem millia iniqui. Decem millia enim, non plurimos dixit, sed multitudinem infinitam. Intellige ergo quantus est Iustus.*

Idem ibid.

11 Sufficeret ad hoc probandū diuini Verbi auctoritas, *Multi sūt vocati pauci vero electi*. Sed probatur vltra hæc veritas à D. Thoma hac euidenti vel ratione, vel demonstratione, *Quia quùm beatitudo æterna in visione Dei consistens, excedat communem statum naturæ, & præcipuè secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt qui saluantur*. In hoc autem nigro colore substrato in tabula, magis elucet Pictoris diuini, nescio an dicā, ars magistra, an parens misericordia, per quam naturæ Auctor, naturæ superans cursum, Iustos eligit, claros depingit, & lucidos reddit in medio nationis prauæ. Ita ergo subdit Angelicus Doctor. *Et in hoc etiam maximè misericordia Dei apparet, quod aliquos in illam salutem erigit, à qua plurimi deficiunt secundum communem cursum, & inclinationem naturæ*. Ex hoc fonte Iusti & prædestinati ad æternam gloriam, Vasa dicuntur gloriæ, & vasa misericordiæ. Iudex ergo iustus, & æterni premij largitor, illis tantùm militibus in hoc theatro certantibus promittit Coronam, qui violentia adhibita Cælum rapiunt, *Regnum enim cælorum vim patitur, & violēti rapiunt illud*. Sed dices, quomodo fieri potest violētia Cælo, quod potuit fines suos pacē? Respondet Hieronymus, non armis, sed virtute hanc fieri violentiam, dum per hanc obtinemus, quod corrupta vitijs denegat natura, sic enim ait,

Matt. 20. 16.

D. Tho. 1. p. q. 23. art. 7. ad 3.

Idē D. Tho. ibidem.

Matt. 11. 12.

Hieronym. relat. a Diu. Tho. in catena sup. c. 11. Matt.

Grandis est violentia, in terra nos esse generatos, & Cælorum sedes quærere, & possidere per virtutem, quæ non tenuimus per naturam. Quod cùm paucorum sit pauci obtinent.

12 Tritum est illud Diogenis, qui accensam lucernam gestans, obambulabat in foro clarissima luce, quærenti similis: & rogantibus quid ageret, respondit, *Hominem quæro*. At Deus, si dicere fas est, volens in platea totius terræ hominē inuenire, non simplicem accendit lucernam, sed cælestem orbem incendit, lucentem stellis, planetisq. fulgentem, nam, *Dominus de cælo prospexit super filios hominum*. Si inquiras, quid quęrat, dicet, Hominem. *Vt videat si est intelligens, aut requirens Deum*: Intelligentē enim quærens, hominem requirit, cuius est propria intelligentia. Hominē requirit, qui factus est, vt Deum cognosceret, cognoscēdo amaret, amando possideret. Et hominem requirit, ex sententia Hugonis, *Qui sit intelligens, per veram fidem: & requirens Deum, per bonam operationem, & per amorem*. Sed quid, ô Domine, hominem quærens, inuenisti? Heu! non homines, sed belluas, quia, *Omnes declinauerunt*, Quid autem Dauid, per verbum, declinauerunt, depingit, nisi humano capiti ceruicem iniunctam equinam, eamque decliuem, vice illius, quam receperat accliuem & rectam? Non est mea etimologia, sed Basilij, dicentis, *Perinde, ac vituli quidam in abrupta ruentes, declinauerunt, recti, videlicet, ex natura constituti, hominem enim Deus cùm faceret, rectum fecit*. Vbi nimiū facit illud Diogenis, qui *Conspecto adolescentulo cultu gestuque parum virili: Non te pudet, inquit, qui peius tibi velis, quàm ipsa natura voluit! Siquidem illa te virum fecit, tu teipsum refingis in feminam*. Sic, sic, o puer cētum annorum, o peccator cētum annorum, tibi dicam, Non te pudet, cum Auctor naturæ te minorauerit paulominus ab Angelis, vel à Deo, tu peius, quam diabolus tibi velis, declinās in belluam, degenerans in dæmonem, & in monstrum desinens varium, & immane?

Ex lib. 3. Apopht. vbi de Diog. nu. 63.

Psal. 13. 2.

Ibidem.

Hugo Car. hic.

Psal. 13. 3.

Basil. in Scholia super psal. 13.

Ex lib. 3. Apopht. vbi de Diogene nu. 81.

13 Petes fortasse, quot in tam exquisita perquisitione in tota superficie terræ homines Deus inuenit? An centum? An sexaginta? An triginta? An decem? Heu! heu! Ne vnum quidem, vnde subdit *Omnes inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*. Audi eumdem Basilium philosophantē, *Per id enim, quod dicit, Simul inutiles facti sunt, ostendit quòd naturaliter vtiles conditi, proprio arbitrio, præter naturam, à primo ad vltimū vsque, hoc est, à pedibus vsque ad caput, à paupere vsque ad potentem, inutiles sunt facti*. Et vbi nec vnus vtilis reperitur, reperiūtur duo testes, qui illos demōstrant inutiles: Et Basilij testificationi addit testificatio Euthymij, *Inutiles facti sūt, eō adeo abominabiles essent, vt inter ipsos nec vnus etiam reperiretur, qui bonus appellari posset*. Sed si hoc verum est, o Psaltes, quomodo stabūt, quę tu paulo post subdis, ne dū bonos, sed Sanctos ita extollens, *Sanctis, qui in terra sunt eius?* Si sancti eius in terra sunt, & sancti boni sunt: quo iure asseris, nō esse inter filios hominum qui faciat bonum, non esse vsq. ad vnum? Respōdet Beda, *Hoc dicit per comparationem, & nec vnum facere bonum, dicitur, quia perpauci faciunt*. Sicut perpaucis audientibus in Ecclesia cōcionem, dicere solemus, nullum auditorem adesse: Sic in mundi templo paucis existentibus Iustis, qui Cælos enarrantes gloriam Dei audiant, nec vnum audire dicimus, vel facere bonum.

Psal. 13. 3.

Basil. ibid.

Euthym. in psalm 13.

Psal. 15. 2.

Beda hic.

16 Sed hanc comparatiuam paucitatem melius expressit, qui eam melius nouit, & his claris luminibus adumbrauit, hisque pallentibus vmbris eam depinxit, *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam*. Quæres, cur lata via inuentione non indigeat, arcta vero inue-

Matt. 7. 14.

nienda sit? Et cur per illam liberè intratur, & a multis intratur, & vsque ad perditionis terminum non relinquitur: per hanc autem non communiter ingressus pateat, à paucis inueniatur, & feliciter inuẽta, à non paucis infeliciter relinquatur? Respõdet Hieronymus, qa lata errantium via est, & spontè se omnib⁹ offert: angusta vero est benè ambulantiũ, quæ nec ab omnibus inuenitur, nec per inuentam vsque in finem inceditur. Verba Hieronymi hæc sunt, *Lata via est saeculi voluptas, quàm appetunt homines. Angusta, quæ per labores, & ieiunia panditur: quam & Apostolus ingressus est, & vt Timotheus per eam ingrediatur, hortatur. Simulque considera quàm signanter de vtraque via locutus sit. Per latã multi ambulant: angustam pauci inueniũt. Latam non quærimus, nec inuentione opus est, sponte se offert, & errãtium via est. Angustam vero, nec omnes inueniunt, nec qui inuenerint, statim ingrediuntur per eam. Siquidem multi inuenta veritatis via, capti saeculi voluptatibus, de medio itinere egrediuntur.*

Hieron. lib. 1. com. in c. 7. Matth.

17 Et fortè, ratio disparitatis est, quia sicut difficilè medium inuenitur, in quo virtus consistit, nec facile scopus attingitur, & si attingitur semel, non minus difficile est illud iterum inuenire, quia tãtum est vnica via ad illum attingendũ, innumeræ autem ab illo diuertẽdi: Idipsum & in bonò cõspicitur, cùm enim bonum consurgat ex integra caussa, quæ vna est, malum autem ex singulis defectibus, qui innumeri sũt: ad illud per vnã viã, ad hoc per varias errorum tenditur vias. Hinc reprobi, qui vt Phryges serò sapiunt, in inferno, dante eis vexatione intellectum, & confitentur, & plorãt, *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen nõ luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis: ambulauimus vias difficiles.* Quasi dicant, si Hugoni præstatur fides, *Ergo errauimus nos, qui ad mortem venimus, à via veritatis, quæ ducit ad vitam: & iustitiæ lumen, id est, fides, siue notitia Christi non luxit nobis. Et ambulauimus vias difficiles, id est, vias peccatorum, quæ ducunt ad infernum: viam autẽ Domini, id est, caritatis, vel pœnitentiæ ignorauimus, id est, reprobauimus.* Vnde & Valerianus Cemeliensis Episcopus concludit, *Inde est quod multos porta mortis recipit, quia perituris semper via difficultas occurrit.* Occurrit namque arctæ & angustæ viæ difficultas, quæ ducit ad vitam; & ideo per amplas & latas incedunt, per quas ducuntur ad mortem. Ob idem enim, viam veritatis vnam esse fatentur, quæ & iustitiæ est: vias autẽ mendacij, difficiles asserunt, quæ & iniustitiæ sunt, & plures.

Sap. 5. 6.

Hug. Card. hic.

Valerian. Cemeliens. Epis. hom. 3. De arcta, & angusta via.

18 Multi ergo per latam viam incedunt, quæ tendit ad interitum, pauci vero per arctam, quæ ducit ad vitam. Sed verè cum sit pretiosa vita Iustorum, debebat ex consequenti, esse paucorum, prouerbium enim est, *Rebus pretium raritas facit.* Hinc Tertullianus vbi de pretio gemmarum, quæ partim è marinis conchis, partim è draconũ capitibus, partim è piscium cerebris eruuntur, verba fecisset, subtexuit, *Hæc omnia de raritate, & peregrinitate sola gratiam possident: denique intra terminos suos patrios, non tanti habentur. Semper abundantia contumeliosa in semetipsa est.* Abundant ergo tabernacula prædonum multitudine reproborum, qui tanquam glumæ, stipulæ, festucæ, in quisquilijs, in puluere, in lanugine, in spuma, vel in paleis sũt obuoluti: vbi pauci & veri prædestinati, quasi lapides de peregrinitate, & pretiositate æstimãtur, Psalmographo canente, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Vbi optimè philosophatur Basilius, & ad propositam similitudinem aptissimè sic loquitur, *Sanè lapilli quidam floridis interspersi & sublucentes coloribus nominari solent pretiosi ab istis diuitiarũ belluonibus: re autem vera pretiosa est mors Sanctorum eius, quàm videlicet anima per vitæ istius curriculum expurgata ab omni eluuie, & inquinamento carnis emancipata, ac*

Bern. epist. 248.

Tertull. de habitu muliebri c. 7.

Psal. 115. 15

Basil. in ho. sup. ps. 115.

liber-

libertati reddita: nullam in se retinens maculam aut rugam, duris pro pietate agonibus iam exantlatis probata, insignita corona Iustitiæ, perquè hæc omnia admirabili decore virtutis interlucens, Domino suo, atque omnium Iudici se præsentauerit lapide omni pretioso longè rutilantior, Dei munere eam adepta claritatem, quonã pacto non censeri debeat pretiosa hominis istius mors in cõspectu Domini? O pretium! o raritatẽ!

Ex lib. 4. Apopthegmatũ vbi de Alexandro num. 64.

19 *Alexandro Magno, vt alias retulimus, Corinthij per legatos ius sua Ciuitatis detulerunt. Hoc officij genus cùm risisset Alexander, quidam è legatis, Nulli, inquit, Ciuitatem vmquam donauimus, præterquàm tibi & Herculi. Hoc audito lubens accepit oblatum honorem, quem illi commendabat partim raritas, partim cum Hercule laudatissimo viro societas.* O felix prædestinate, gaude & lætare de tibi oblato iure patriæ cælestis, quia hæc non Herculi, sed Regi æterno, & tibi simul cum alijs prædestinatis, qui vnum corpus efficitis, ex diuina conceditur bonitate. Vbi repetam ipse verba pacifici Regis, *Quid est homo, vt sequi possit Regem factorem suum?* Vbi ex Olympiodoro interrogatiuè legendum est, *Quid est homo? quasi dicat, varus est valde.* Vel aliter cũ Alijs, *Ad quid est homo? quid intendit, & quarit præ hoc in omni consilio, & labore suo? Vt nimirum sequi possit Regem factorem suum, qui est scopus & finis, in quem dirigi labor debet atque consultatio, cùm sit bonum sempiternum, in quo animus non rediturus amplius in hanc vitam, postquam hinc emigrauit, valeat cõquiescere.* Hoc autem soli Christo, tamquam capiti: & prædestinatis ab eo, tamquam corpori, concessum est, vnde dicitur, *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit hos, & vocauit.* O ius patrium gloriosa magnificentia, & singulari prærogatiua insignitum, quod tantùm datur Christo, & prædestinatis, primogenito, & fratribus. Vbi notanda est ponderatio Anselmi, *Christus secundum id, quod Vnigenitus est, non habet fratres: secundum id autem, quòd Primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post eius, & per eius primatum in Dei gratiam renascuntur per adoptionem filiorum, quos & vocat, & iustificat, & magnificat: magnificat enim profectu virtutum, & glorificat æterna beatitudine.* Quis ergo non lubens accipiat oblatum à Patre luminum supernæ Ciuitatis honorem, quem & commendat raritas, & cum vnigenito Filio societas?

Eccl. 2. 14.

Olympiod. in cap. 2. Ecclesiastes.

Ad Rom. 8. 29.

Ansel. hic



CAELI DAVIDICI VERSIO LXIII.

Ex Pagnino.

Non sic impij,non sic,sed tamquam gluma, quam proijcit ventus à facie terræ.

CIRCVLVS I.

Temporales diuitiæ glumę comparantur,exter næ enim sunt, nec implent cor.

Varro lib. 1 de re rustica cap. 48.

1 GLuma,si Varroni præstatur fides. *Est folliculus grani, & grani theca*: ex quo aperte cognoscitur,quod impiorum prosperitas, ideo glumæ comparatur, quia exteriora tantum opplet, interiora vero nō implet. Interrogemus ipsos, vt ex vi tormentorum veritatem aperiant, nec vltra abscondant, sic enim eam fatebûtur, *Quid profuit nobis superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquã vmbra.* Vmbra,iactantia,superbia, quid sunt nisi folliculi apparentes, absq. substantia: colorati, non formati: ficti,nō veri: externi,nō interni: simulati,non viuificati: depicti, nō solidi: & sensui, nō animo: atq. corpori, non spiritui fallacem delectationē afferentes? Sicut enim superbia à Gręcis dicitur ὑπερηφανία id est,ex Hieronymo *superapparẽs*, & iactantia, ἀλαζονεία,id est ostentatio: & vmbra, tenebrosa imago corporis, non corpus: Ita diuitiæ, honores,delectationes,& bona terrena, immo mala, imagines sunt, ostentationes sunt, superapparentes res sunt, non veræ non solidæ, non animum lætificantes non cor implentes. Hinc bene cecinit Iuuenalis,

Sapien. 5. 8.

Hierony. in c.8. Prouer.

O curas hominum, o quantum est in rebus inane!

Sed sacratius Salomon decreuit, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hebræa enim lingua,vt Origenes obseruat, cùm careat superlatiuo, vtitur genitiuo ad ea significanda, quæ siue in bonum, siue in malum alia superant. Et sicut,ex Nazianzeno, dicitur *Canticum cãticorum illud, quod summum beneficium continet incarnationis Verbi, & coniunctionis Christi cum Ecclesia,quo nullum potest excogitari maius*: Ita ad exprimendam diuitum vanitatem, qui cum auro coniugium contrahunt, Vanitas dixit vanitatum. Tali coniugio repudij libellum dedit Iob, ita scribens, *Si putaui aurum robur meum*: Vel ex Septuaginta, *Si posui aurum in coniugium meum.*

Eccle. 1. 2.

Orig. hom. 1. in cantic. canticor. Nazianz. orat. 40.

Iob 31. 24. Septuag.

2 Sicut vir nobilis, sed pauper, cum ignobili, sed prædiuiti coniugium contrahens, conqueri solet, *Aurum accepi, libertatem amisi*: quia non vt vir, sed vt empticius seruus: nec vt dominus,sed vt mãcipiũ sponsæ cogitur deseruire: Ita ingenuus homo,dũ cōiugio iungitur, immo subiugatur auro, auro, nō tã ipse, vt vir & dominus principatur, quám ipse auro cogitur obaudire, eique obedire, tamquã vnus de infelici numero eorum, qui dicuntur, *Viri diuitiarum*. O miram auarorũ definitionem, idem enim est eos dicere viros diuitiarũ, ac mancipia barbarorum.

Adagium.

Psal. 75. 6.

Sic

Sic Cassiodorus te docet, te monet sic, & sic terret, *Intende quemadmodum auaros designat atque definit, Viri diuitiarum, qui scilicet pecunijs suis captiua mēte deseruiunt.* Seruitus autem hæc, ne dum barbarorum seruituti exæquatur, sed multo miserabilior ab Ambrosio æstimatur, sic enim statuit, *Tolerabilior conditio seruulorum, illi enim hominibus seruiunt, isti peccato, sic inquit Apostolus, Qui facit peccatū, seruus est peccati. Semper in laqueis, semper in vinculis est: numquam liber a compedibus, quia semper in criminibus. Quàm misera seruitus, seruire peccatis. Natura ipsius nescit munia, nec somni ipsius nouit vices, aut sibi fungitur suauitate, cùm ius nullum est immune seruitium. Dulcis enim somnus serui, etsi modicum, vel multum edat. At satiato diuitijs, non est, qui eum sinat dormire. Excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia non vexat, sterilitas prouentuum infecunda perturbat, sollicitat abundantia.* Quis somnum capiet, quis quietem inueniet inter tot fremētes vndas, totque fluctus furentes?

Cassiod. hic

Ambros. in li. de Nabuthe cap. 6.

3 Describit hanc tyrannidem Ecclesiastes, & obscuris coloribus, sic illam depingit, *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Illuminat autem has tenebras Olympiodorus, & his lucidis verbis illas deaurat, *Posita comparatione ostendit felicius euenire homini serui cōditione subiecto, quàm ei, qui liber cùm sit, auaritiæ tamen est seruus. Famulus enim securam vitam ducens, quocumque demùm victu alatur dulci somno reficitur. At qui pecunijs seruit, herū habet importunū, qui dormire eum non sinit, curam scilicet augendi lucri, anxietatibus plenam.* In huius mundi theatro, laruatus ingreditur diues, foris apparens felix, infelix intus: laruatus & pauper, foris erumnosus, intus autem diues. Sed quia, *Præterit figura, vel schema huius mundi:* reddēte morte cuilibet, ꝙ suū est, apparebit tūc diues pauper, & pauper diues.

Eccle. 5. 11.

Olympiodor. in enar. sup Salom. Ecclesiastē.

1. Cor. 7. 31.

CIRCVLVS II.

Diuitiæ, & deliciæ temporales, externa bona sunt, non interna.

4 ALexander Magnus Darij regiam ingressus, cùm vidisset sublime cubiculum, & in eo stratum, mensas, cæteraque omnia mirifico ornatu instructa, Haeccine, inquit, erat imperare? Sentiens non esse regium huiusmodi delicijs exterioribus indulgere, sed regiam gloriam virtutum, & non domus quærere. Si ergo gentilis Rex ita de regis felicitate philosophatur, quam sententiam proferet Dauid rex? Audi quid statuat, *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniā cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius:* Vel ex Ambrosio, *Gloria domus eius.* Vides, quòd gloriam diuitis non diuiti, sed domui eius tribuit? Qui enim sic diuites sunt secundū Deum, vt ipsi dicant, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: Rex gloriæ illos confortat, dicens eis, Regnum Dei intra vos est: at mundi diuites nullum regni vestigium intus seruant, immo seruitutem durissimam vitiorum sustinent, & tantum in externo gloriam ostentant. Cumque domus diuitis ostium habeat commune cum domo Ditis, Infernum prælibat hic, vt ibi totum hauriat: vnde Ambrosius, *Ditem dicunt Gentiles inferni præsulem, arbitrum mortis appellāt Ditem, & diuitem. Quid nisi mortem diues inferre nouerit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferna sint?* Si ergo sedes & domus ipsius infernus est, & illius domus ab infernalibus spiritibus regitur, & à vitijs moderatur, nōne de illius domo dici potest, dum videtur sumptuosè ornata, Hoccine erat imperare? Explicet hoc idem ipse Ambrosius, *Ne timueris cum multiplicatam gloriam domus alicuius poten-*

Ex li. 4. Apphtegmatū vbi de Alexandro nu 51.

Psal. 48. 17.

Ambrosius

Ambr. li. de Nabuthe c. 6.

Ambros. in enarr. sup psal. 48.

tis

tis audieris. Inspice diligenter, & vacua est, quæ nihil habet in se de fidei plenitudine. Quid autem non vacuum quod sæculare atque mundanum: cùm rectè dixerit, qui mundum istum sobria virtute contempsit, Nudus sum natus, nudus & moriar? Numquid secum quis auferre potest, quæ possidet? Hic omnia derelinquit; solus intrat in tumulum, & vacuum illius diuitis est sepulchrum, quem nec ipsa terra capiebat.

5 O miram inter gloriã & gloriam, inter diuitem cæli & diuitem terræ, & inter iustum & diuitem differentiam. Cum iusto gloria ascendit, cum diuite non descendit, ita obseruat Ambrosius verba prædicta, *Neque simul descendet cum eo gloria eius*: dicit enim, *Vide vim scripturæ: gloria sæculi nõ descendit cum peccatore, sed gloria virtutis ascendit cum innocente. Et vt compendiosius dicamus,* Gloria *hominis cum ascendente ascendet, cum descendente non descẽdet. Quod gratiæ est ac virtutis, ascendet. In paradisum ascenditur, in infernum descenditur, & descendãt, inquit, in infernũ viuentes.* Et ratio discriminis inter diuites cæli, & terræ diuites, illa fortè posset adduci, quia licèt vtrique pennas habeant, quibus eleuare se possent, & in altum volare, tamen quia Iusti liberas habent alas, ascendunt quidem, assumentes pennas, vt aquilæ, & volant, vti volauit, & in montem ascendit diues Abraham: at diuites auari plumas vt passeres habent glutino & visco conglutinatas, ideo ascendere nequeunt, & coguntur descendere. Obseruatio non mea est, sed est Chrysostomi, Is enim explicans verba Psalmi, *Transmigra in montem sicut passer:* ita subdit, *Quemadmodum passer & à pueris, & à visco capitur, & à laqueis, & ab alijs innumerabilibus: ita etiã qui est diues, & suorum, & hostium petitur insidijs, & in maiore, quàm ille versatur periculo, vt qui multos habeat, qui viscum adhibent, neque enim habet diuitias stabiles, & quæ auferri nequeunt, & ideo semper volat, & transmigrat montes, & deserta persequens, & versans in caligine. Sed non talis est Iustus, viæ enim Iustorum resplendent instar lucis, & quietum, & remissum habent animum.*

Ambrof. ibidem.

Psal. 10. 1.

Chryfost. in Ps. sup. ps.

6 Sed quia incidimus in Chrysostomum, non recedamus ab eo, antequam verbis præmissis, & cum Ambrosio explicatis, aureum lumen addamus, sic enim fatur, *Non dixit, cùm multiplicata fuerit gloria eius, sed gloria domus eius: hæc omnia, nempe fontes, ambulacra, porticus, & balnea, aurum & argentum, equi & muli, stragula vestes & indumenta, sunt gloria domus, non hominis, qui domum habitat. Hominis enim gloria est virtus, vnde etiam recedit vna cum possessore: manet autem ipsa domus gloria, immo verò ne manet quidem, sed etiam vna cum domo dissoluitur, nec quidquam ei præfuit, qui in ea versabatur, neque enim erat illius.* O quàm bene de tali in gloria gloria dixit Apostolus, *Gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt:* cùm & Philosophus moralis hanc pompaticam gloriam contemnat, de se ipso sic asserens, *Quoties occurrerit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus, hoc ipsi mihi dico, quoties tale aliquid perstrinxit oculos meos, quid moraris? quid stupes? Pompa est: ostenduntur istæ res, non possidentur, & dum placent trãseunt.* Nonne tibi videtur, quòd pompa sit ad ostentationem tantũ, dum gloria possidetur non ab homine, sed à domo: & dum ostenduntur huiusmodi pompæ, & non possidentur, sed dum placent, transeunt, si idem Psaltes subiungit, *Quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius?* Et tanto magis, si cum Chrysostomo subdas, *Potentia est ad breue tempus, vix vnius horæ trãsit rerum successus, vmbras & somnia imitantur pecunia, diuitiæ, & honor, quæ sunt momentanea: venit enim mors, radicem ascindit, & vniuersa coma decidit cum folijs, & domus facilè capi potest ab omnibus.*

Chryfost. homil. in ps 48.

Ad Philip. 3. 18.

Seneca epist. 110.

Psal. 48. 10.

Chryfost. ibidem.

7 In diuitis domo accidit, quod in arbore succisa euenire solet, quã

oues & capreæ iacentem inuadũt, & folia raptim terunt, & fructus certatim deuorant: eodem enim modo, & amici, & inimici furantur bona diuitis iam defuncti. Non est mea comparatio sed eiusdem Aurei oris, sic enim fatur, *Quemadmodum ergo oues & capræ, post sectionem, arborem iacentem inuadunt: ita etiam in ijs, qui hoc modo sunt diuites, multi inimici, multi amici, multi eorum, quos beneficijs affecerit, inueniuntur res illorum per vere, & euertere: & qui tot & tanta possidebat, tot postillatores, tot quocos, crateres aureos & argenteos habebat, tot & tanta terræ iugera, domos, mancipia, equos, mulos, camelos, castra seruorũ, solus abit, & nemo cum eo descedit, nec ipsas quidem vestes sumens.*

Chrysost. ibidem.

8 Sed quomodo stare potest Chrysostomi sententia cum Basilij decreto, qui statuit, *Mox vt illi moriendum fuerit, non hanc omnem opulentiam sumet, vix vestem sumet, quæ pudenda teget?* Ast, verum vterque asserit, & cum eodem spiritu, quia ille de vestibus: hic loquitur de veste. Vestes pretiosas & aureas nõ sumet: veste autẽ nullius pretij vix operietur, *Idque fiet si seruis placuerit, qui illum ad sepeliendum obtegunt & componunt.* Sed esto, pompaticè vestiatur, sumptuoso funere honoretur, in Mausoleo, ne dũ in sepulchro, locetur, & planctus magnus fiat super eum. Quid inde? Motus continuus est, & quod habuit in vita, in morte perseuerat: in morte corpus tantum gloriam fruitur, nam anima ex eo recessit: in vita, domus tantum gloriam possidet, nec ad diuitis peruenit cor, quia in vita sua iam proiecit, intima sua, & vt Zeno philosophatur, & bene, *In inferno cum suo prædone non descendet, solum quod oculos infelices inanemque conscientiam ad hoc in maligni fulgoris cupidinem diram spe potiundi præcipitat, ne gratis homo videatur occisus.*

Basil. in homil. sup. ps. 48.

Idem ibid.

Zeno Epis. Veron. ser. 1. de Auaritia.

9 Et certè, si aliud est diuitias possidere, aliud videre, qui enim videt, potius inuidet, quàm fructũ capiat ex eis: qui autem possidet, dominium earum habet: dicite, quæso, estne diues possessor, an spectator diuitiarum? Non quidem possessor, cùm ipse potius, vt diximus cum Ambrosio, possideatur: Si spectator, quis non videt externè tantum, nõ internè lætari? Vnde Salomon decreuit, & rectè, *Quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis?* Olympiodorus legit, *Principatus est enim illi, vt videat oculis suis.* Et ita explicat, *Solo namque intuitu principatũ gerit pecunijs, auaritia tali correptus: quasi dicat, Nullo alio vsu dominus est earum, præterquam quod appositas contemplatur.*

Eccle. 5. 10.

Olympiod. hic.

10 Sed quomodo dici potest vel auarus, vel diues, & princeps pecuniarum & possessor, si possessionẽ & principatũ nõ in alio actu exercet, quàm in aspectu, vnde potius dici debet spectator, quàm possessor: & custos, quàm princeps? Immo nec possessoris meretur nomen, nam si Possessio est pedum positio, non rite possidet, qui non sub pedibus tenet. Fortè id fit, quia dantur & Principes titulares, dantur & reales: dantur & possessores, qui & pedum positione, clauium traditione, actus possessorij opere, vel fructus capiendi, vel plãtas euellendi in possessione introducuntur: & dantur possessores ex solo aspectu. Nam ciuilis ratio decernit, *Si vicinum mihi fundũ mercatum venditum ex mea turri demonstret, vacuamque possessionem se tradere dicat, non minus possidere cœpi, quàm si pedes finibus intulissẽ.* Non aliter diues, princeps diuitiarum est, sed titularis: possessor auri & argenti est, sed oculorum, ita vt per solum aspectum acquirat possessionem. Dicatur ergo cũ Symmacho, *Quæ enim vtilitas inest habenti ea bona, nisi vt ea spectet oculis suis?* Et concludatur cum Olympiodoro, *Et quæ vtilitas est fortitudo possidenti bona? Principatus enim est illi, vt videat oculis suis. Quid enim prodest imprudenti auaro ac tenaci sua turpis huiusmodi vtilitas & fortitudo, quæ oculorum solo intuitu pecunijs vti diuites permittit?*) Inde Pagninus legit, *Et quid prodest*

L. quod meo nomine. §. si vẽditorẽ ff. de acquir. vel amit. poss.

Eccle. 5. 10. ex Symmacho.

Olympiod.

Pagnin. in

Thesauro.

4. Reg. 7. 2.

domino eius, nisi visio oculorum? Et tali domino rectè quadrat illud, *Videbis oculis tuis, & inde non comedes.* O infandam auri miseriam! O miseram & mēdicam auari sortem! En oculus ipsius nequam diuitias proprias aspicit, sed non comedit: facultates alienas videt, & inuidet: videt vt proripiat, non autem sic sibi ipsi cautus, vt oculus, qui est animæ fenestra, speculum mētis, lumen corporis, membrorum dux, inrroitus non fiat vitiorum, mortis ianua, inuidiæ fax, liuoris caminus, ac toto cupiditatis incendio velocius per aliena percurrat, quàm currit ignis arida & terrena per gramina, vnde & sibi nequam sit, & noxius extraneis. Quid enim prodest aurum domino eius, nisi ad intoritum, ne dicam ad interitum?

Zeno Epis. Veron. in ser. 1. de Auaritia.

11 Exclama, o Zeno, eleua vocem, & clama, *Proh nefas! quid tibi tua tollis infelix? Quid extraneo facies, qui tibi auarus es? O omni detestabilis detestabilius malum. O caecamens hominum, quàm variè, vnam tamen contendis in mortem, pauper, cùm opes infeliciter quærit, quas feliciter non habet: diues, cùm diuitias putat se non habere, quas habet. In vno nititur auaritia, bacchatur in alio: in vtroque crescit, in vtroque nō desinit. Verumtamen eos vno momēto exigua humus, & peraquat, & satiat, quod cum tota ambitione sua non potest aurum.* Id autem quod Zeno theoricè docet, Philippus Macedo practicè didicit, *In palestra enim prolapsus, quùm surgens, in puluere vidisset corporis vestigium, Papè, inquit, vt minimam terræ partem natura sortiti, orbem appetimus vniuersum!* Vbi experimento probatur, quod exigua humus vno momento homines & peræquat & satiat, quod cum tota ambitione sua non potest aurum. Sicut de ambitione dixit Bernardus, *O ambitio ambientium crux!* Ita de auri ambitione dicā & ego, *O auri ambitio, auarorum crux!* Et de vtriusque insatiabilitate cum eodē Abbate Claræuallis repetam & concludam, *O infinita semper ambitio, & insatiabilis auaritia.* Ea enim lege, qua illa exlex nullum sibi statuit dignitatis finem: eadem & ista inexplebilis, nullum inuenit satietatis terminum, & numquam dicit, Sufficit, nisi vbi & deficit, & minimā terrę partē sortitur, ac inibi confringit tumētes fluctus suos.

Ex li. 4. Apophte. vbi de Philippo Maced. n. 33

Bernard. in li. 3. de consideratione.

Idem in ep. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopū



CAELI DAVIDICI
VERSIO LXIV.
Ex Chaldæo.

Non ſic impij, ſed ſicut ſtipula, quam proijcit ventus:

Vel ex Hæbreo.

Non ſic impij, ſed tamquam feſtuca.

CIRCVLVS I.

Proijciuntur impij, ſicut feſtuca, & ſtipula, à vẽto concupiſcentiæ per varia mala.

1 DEfectus verborum, *A facie terræ*: qui in Chaldaica & Hebraica reperitur verſione, & affectum pandit inſtabilem, quo impij vento concupiſcentiæ abſtracti hic agitantur: & ſtabilem damnationis effectum, quo eos impellens turbo & ventus primæ mortis, in ſtagnum ignis proijcit, & in os mortis ſecundæ. Sic Aretas in vento recognoſcit nefarias ac ſteriles cupiditates, quæ impium ſterilem, inſtar ſtipulæ & feſtucæ, hinc inde propellunt. Et iure cupiditas ſterilis, ſed omnibus fæcunda malis, vento æquatur, nam ita proijcit hominem in peccatum, vt peccatũ ipſa metonymicè dicatur. Talem eam Apoſtolus appellat, *Habitat in me peccatum*: id eſt, ex Lyræ ſono, *Concupiſcentia, quæ dicitur peccatum*: quia eam & Concilium Tridentinum ſic definit, *Ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat:* Et talem Auguſtinus illam deſcribit, *Sicut vocatur frigus pigrum, quòd pigros faciat: ſic dicitur concupiſcentia peccatum, quod in peccatum inducat*. Concupiſcentia enim in ſimilitudinem Murenæ, à nequitiæ ſpiritu, tamquam à vipera: à carnali delectamento, velut à ſibilo: ab aqua gratiarum, quaſi à mari, miſerabiliter abſtracta, peccatum cõcipit: flebiliter illecta, peccatum parit: & damnabiliter victa, generat mortem, Iacobo Apoſtolo teſtante, *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcẽtia ſua abſtractus, & illectus: deinde concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem*. Vbi ex Olypiodoro, *Gradus quidam conſtituti ſunt ad animæ perditionem, Cõcupiſcentia enim locum diuerſorij tenens, inuenta mãſione, operata eſt peccatum, quod parit mortem*. Manſio omnibus patens, omnibus aperta, nunc ab Oriente venientem, nunc ab Occidẽte diuertentem recipit hoſpitem: Et concupiſcentia, diuerſorij tenẽs locum, nũc hoſpitatur peccatum, nunc vero mortem. Sed per hos gradus enucleatius, vel aſcendamus, ſi placet, vel deſcendamus.

Aret. in Catena ſuper Pſal. 1.

Ad Rom. 7. 17.

Lyran. hic.

Cõc. Trid. ſeſſ. 5.

Aug. lib. de nupt. & cõcupiſc. c. 23.

Iacob. 1. 14.

Olympiod. cap. 1. in c. 1 Iacobi.

2 Sicut in partu naturali dantur & gradus, concipitur fœtus, conceptus nutritur, nutritus creſcit, creſcẽs variegatur, variegatus paritur, partus excipitur genibus, & exceptus genibus, lactatur vberibus: Ita in ſpirituali partu molæ vel mali, concupiſcentia tentatur, tentata

concipit cogitationem, cogitatio monstruosa formatur per consensum, consensus parit in actu peccatum, peccatum genitum, genibus excipitur per operationem: operatio consummatur, dum per consuetudinem, ab vberibus nutritur, & lactis dulcedine sic inflatur, vt vbi gradus generationis naturalis terminantur ad viuentis ortum; isti innaturales pro termino habent abortum, Peccatum enim, cum consumatum fuerit generat mortem. Sed Gregorius Papa percurrit accuratè omnes hos miserabiles concupiscentiæ gradus, & explicans verba Iob, *Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? quare exceptis genibus? cur lactatus vberibus?* ita moraliter, vtiliterque nimis philosophatur, *Hos itaque peccati modos, qui vel in corde latenter fiũt, vel patenter opere perpetrantur, beatus Iob cõsiderat, & humanumgenus in quot peccatorum gradibus lapsũ sit, deplorat, dicens, Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perii? cur exceptus genibus? cur lactatus vberibus? Prima enim vulua conceptionis, fuit lingua malæ suggestionis. Sed peccator in vulua moreretur, si moriturum se homo in ipsa suggestione cognosceret. Qui tamen ex vtero egressus est, quia postquam in peccato cum suggerens lingua concepit, foras mox etiam delectatio rapuit. Post egressionem vero, exceptus est genibus: quia cum ad delectationem carnis prodijt, nimirũ culpam per consensionem spiritus, subiectis cunctis sensibus, quasi suppositis genibus consummauit. Sed genibus exceptus, etiam vberibus est lactatus. In consensu enim culpa addictis spiritus sensibus, multa cassa fiducia argumenta subsecuta sunt, quæ natam in peccato animam, virulento lacte nutrierunt: & ne aspera mortis supplicia metueret, hanc blandis excusationibus fouerunt.* (Iob 3. 11. — Greg. Papa lib. 4. mor. c. 25. vel 27.)

3 Per hos autem peccati gradus tum descendunt filij in perditionem, cùm primorum parẽtum male imitantur perditionis exemplũ. In illorum casu & serpens suasit, & Heua delectata est, & Adam consensit, & post consensum renuit confiteri peccatum, immo in eo limo profundi infixus, perstitit induratus. Hos damnabiles gradus idem Pontifex hoc laudabili ordine dispofuit, hac lugubri dispositione ordinauit, *Hoc vero in humano genere quotidie agitur, quod actũ in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit: quia occultus hostis mala cordibus hominum latẽter suggerit. Heua delectata est, quia carnalis sensus, ad verba serpẽtis mox se delectationi substernit. Cõsensum vero Adam mulieri præpositus præbuit: quia dum caro in delectationem rapitur, etiam à sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri culpam noluit: quia videlicet spiritus, quo peccando à veritate disiungitur, eo in ruina sua audacia nequius obduratur.* Satis visum est regio Prophetæ excusationem in peccatis defensionis comparare scuto: sed Quinto Euangelistæ non satis, vnde illam offensionis armis vndique communiens, Ericio æquauit, dicens, *Ibi habuit foueam ericius.* Ericius enim excusantis peccata hieroglyphicum gerit, nam ex Damiano, *Si apprehendi se sentiat vel contingi, ita confertissima spinositate densatur, vt vndique aculeis & punctionibus vestiatur.* Sic Adam armatus, contra Deum arguentem adorsus est prælium, vibrauitque spinam, dicẽs, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*: Vbi ex Ruperto, *In Deum culpam retorquere voluit.* In Deum vtique, qui illi dedit feminam, à qua seduceretur, ac si non tam sit sua culpa, quàm Dei. O execrabilem excusationem, qua nocens, vt innocens appareat, in innocentiæ Auctorem retorquet noxam. Sic, sic, *Declinauit cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Vt. n. docet Valeria, *Qui per verba malitiæ volũt excusare errorem, & cæcitatẽ, & proteruitatem suã: cùm falsis verbis malitia excusant errorem suum, & retinent se & suos in illo errore & cæcitate.* (Idem ibid. — Isa. 34. 15. — Petr. Dam. ser. 60. — Gen. 3. 12. — Ruper. Ab. li. 3. in Gen. cap. 5. — Ps. 141. 4. — Valẽria hic.)

CIRCVLVS II.

Homines, instar piscium concupiscentia inescati, à diabolo capiuntur.

4 QVamquam non omnia peccata ex diaboli suggestione oriantur, sed sæpe ex vitiata vena corruptæ carnis hominum sic erumpant, vt ipsi *Parati sint suscitare Leuiathan:* Nā ex Lyrano, *Per Leuiathan intelligitur diabolus, quem suscitare habent mali homines ei obedientes:* & quasi dormientem excitant, dum ex se, & non ex illius suggestione peccāt: *Non enim omnes cogitationes nostra mala à diabolo excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt:* Attamen vera est doctrina D.Thomæ, *Quod occasionaliter & indirectè diabolus est causa omnium peccatorum nostrorum, inquātum induxit primum hominem ad peccandum: ex cuius peccato catenus vitiata est humana natura, vt omnes ad peccandum procliues simus.* Sed ambiges, quomodo procedit quòd diabolus sit causa malorum, cùm veræ sint incarnatæ Veritatis promissiones, *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras:* vel vt Augustinus legit, *Princeps huius mundi missus est foras?* Respondet Augustinus, missum esse foras ab animis amicorum Christi, & diaboli inimicorum: non autem ab animis sociorum diaboli, inimicorum cæli, amatorum mundi, & Christi aduersariorum. Sic enim is fatur, *Princeps huius mundi missus est foras, non quia extra mundum missus est, quomodo quidam heretici putāt: sed foras ab animis eorum, qui cohærent verbo Dei, & non diligunt mundum, cuius ille Princeps est, quia dominatur eis, qui diligunt temporalia bona, quæ hoc visibili mundo continentur: non quia ipse dominus est huius mundi, sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne quod transit, vt ei subiaceant, qui negligunt æternum Deum, & diligunt instabilia & mutabilia.* O nouum principatus titulum, quo diabolus insignitur, dum dicitur, *Princeps Cupiditatum!* Addubitabat Bernardus, *Quo pacto Virgo dicitur Regina misericordiæ, cùm misericordia non substantia sit, sed pietas superna clementia?* Respondet autē, quòd, *Metonymicè potest intelligi, hoc est, per efficientem id, quod efficitur.* Eodem quidem, sed opposito modo, Diabolus appellatur Princeps cupiditatum, nam etsi cupiditas substantia non sit, sed accidens: principatus tamen illius metonymicè figuratur, & per cupiditatem efficientem, describuntur cupidi, in quibus & fundatur, & stat regnū ipsius, & regnum per totum orbē iam diffusum, nam quicquid in mundo est, concupiscentia est.

Iob 3.8. Lyran. hic.

Lib. de Ecclesiast. dogmatib. citatus à D.Th. 1.2.q.80.ar. 4. sed contra. Idem S.Th. ibid. in corpore.

Ioan. 12. 31.

Aug. in lib. de Agone Christiano cap. 1. tom. 3

Idem ibid.

Bern. ser. 1. super Salue Regina.

5 Nec quidem poterat ista non Luciferi, sed Noctiferi tetra obscuritas lucidius adūbrari, quàm nomine Principis cupiditatum, cùm ipse cupiditatum armis mortalib⁹ principetur. Vbi Princeps animi causa, in scopulo tranquilli maris auras captat, dum oculos in ceruleis aquis inclinat, & inibi argenteos pisces aspicit, eosque videt gregatim volantes, certatim natantes, lætos hinc inde discurrentes, inde huc recurrētes, choreas ducere, lusitare festiuos, & festinos ac tutos in fluctibus volitare: si interim ipse cautè arundinem rapit, escam electam capit, ex hamo illam suspendit, & sic suspensam in pelagū immittit: quis posset verbis exprimere, quàm hilari vultu conspiciat eos certatim hinc inde occurrere, & sic currere ad cibum, vt distans accedat, recedat prope stans: pellatur iste ab illo, ille propellatur ab isto; quousque viribus præualens, ceteris victis appropinquet anhelans, auidum os aperiat, & sub esca visibili inuisibilem deuoret hamum? Sed vbi premio victoriæ putat potiri, victum se noscit, cùm vicit: raptum cùm rapuit: captumque, cùm cæpit, quod enim oculis apparuit lætum, lethū est faucibus,

à qui-

à quibus inuenitur sub dulci melle fel, sub esca hamus, sub apparenti bono latens malum, & sub cibo, quo viuitur, aduncum ferrum, quo vita eripitur. Eodem fere modo Princeps cupiditatum ex scopulo tenebrarum, & ex cælestibus conspiciens homines, quasi pisces maris, in hoc mari magno gregatim volantes, in auro natantes, nantes in argento, discurrentes & recurrentes, dum & exultant lusibus, & choreas ducunt, & delicijs vacant, & honoribus inhiant, & compositionem vitæ positam sic putant ad lucrum, vt oporteat etiam ex malo acquirere: cupiditatem emittit, quam Cicero escam malorum appellat, quod ea videlicet homines capiantur, vt hamo pisces: & quasi escam profert, vel pulchram vanã que mulierem, vel dignitatem & gradum, vel domum pauperis, ac villam sub hasta positã: & cum læti tia magna conspicit varios homines, quasi fatuos pisces, certatim currere, inde enim videt gregatim accurate amantes, hinc ambitiosos, isthinc cupidos, illinc auaros, qui expelluntur inuicem, inuicemque pelluntur: ab vno mordetur alter, ab altero vnus: currunt, occurrũt, recursus fit & accursus, & sic contendunt ac satagunt, vt post æmulationes & contentiones, felicem se existimet, qui escam obtinet. Sed nescit, infelix, quòd cùm capit capitur, sub esca enim hamũ peccati reperit, cruentatur, & perit. Sic, sic impletur & dictũ Ecclesiastes, *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore suo*: & Oraculum Habacuc, *Facies homines quasi pisces maris, totum in hamo suo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & cibus eius electus*: Vel ex Septuaginta, *Esca eius electa*. Colorat hasce vmbras Augustinus, sic penicillum vertens lumine plenum, *Quicumque mali sunt, sic ordinati sunt: quia vnusquisque sibi, & omnes inuicem sibi nocent. Hoc enim appetunt, quod perniciosè diligitur, & quod eis facile auferri potest: & hoc sibi auferũt inuicem, quando se prosequuntur. Et ideo cruciantur, quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea: illi autem qui auferunt, gaudent: sed talis lætitia cæcitas est, & summa miseria, ipsa enim magis implicat animam, & ad maiora tormẽta perducit. Nam gaudet & piscis, quando hamum non videns, escam deuorat: sed cùm piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, qua lætatus est, ad consumptionẽ traditur. Sic sunt omnes, qui bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt, & illo gloriantur, sibique nimium placent. Veniet tempus, vt sentiant quanta tormenta cum auiditate deuorauerint.*

Cicero de senectute.

Eccle. 9. 12.

Habac. 1. 14

August. lib. de agone Christiano.

6 Obseruabat Philo varium modum, quo idem delictum describitur à Moyse, dum narrat eiusdem cibi vetiti in escam sumpti ab Heua, & ab Adam. Petit enim cur vir dicit mulierem sibi dedisse: mulier autem, serpentem non sibi dedisse, sed decepisse? Et dum in muliere voluptatem, in viro sensum æstimat figurari, iure optimo asserit id factum esse, quia sensus est dare, decipere voluptatis. Audi Philonem hæc omnia definiẽtem atque probantem: *Obserua autem quod vir quidem ait, mulierem sibi dedisse: mulier verò serpentem, non dedisse, sed decepisse. Sensus enim proprium est dare, voluptatis autem varia serpentinaque fraudare ac decipere. Verbigratia, album naturaliter nigrumque, calidum & frigidũ dat sensus menti, non decipiendo, sed veraciter. Nam talia sunt hæc subiecta, qualis & inde pendens imaginatio, sicut plurique aiunt, qui minus accuratè scrutãtur physiologiam. At voluptas non quale est subiectum, tale id agnoscit cogitatione: sed addit arte mendacium, rem inutilem transferens in ordinem vtilium, sicut meretrices deformes videre licet fucantes pingentesque faciem, vt tegant suam deformitatem, & intemperantem pronum ad venerem voluptates.* Philo Heb. in lib. 2. de alleg. legis.

7 Specula dantur monstrifera, vt Seneca docet, *Neque enim omnia ad verum specula respondent: Sunt, quæ videre extimescas, tanta* Senec. lib. 1. nat. quæst. c. 5.

de-

deformitate corruptam faciem visentium reddunt, seruata similitudine in peius. Sunt, quæ cum videris, placere tibi vires tuæ possint, in tantum lacerti crescunt, & totius corporis supra humanam magnitudinem habitus augetur. Sunt quæ dextras facies ostendant, sunt quæ sinistras, sunt quæ torqueant, vel euertant. Huiusmodi speculis concupiscentia à voluptate corrupta, incorruptum iudicium exæquabit, cùm pro tribunali sedens aperte videat vano amore deceptos homines formosas æstimare deformes, deformes formosas, & in eas insanire ac deperire. Non mea est sententia, sed Philonis: ita enim statuit, *Amatores videre licet sæpe insanire in mulieribus aspectu turpissimis, voluptate decipiente, & tantum non percensente, quod bona forma, bonus color, bona habitudo, & membrorum proportio his insit, quæ habent omnia contraria. Itaque verè pulchras, in quarum forma nihil desideres, contemnunt: illas verò, quas dixi, depereunt. Ergo omni voluptati decipere est propriũ, dare autem sensui: nam illa circumuenit mentem, seducitque, non qualia sunt subiecta ostendens, sed qualia non sunt.* Idem & Salomon demonstrat, dicens, *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona:* idque tũc agit, cùm mala & turpia demonstrat pulchra ac bona, & bona ac pulchra, è contra, turpia & mala: quod quotidie defletur in viris fascinatis, qui deformes ac viles concubinas depereunt, vxores pulchras & nobiles derelinquunt.

Philo ibid.

Sap. 4. 12.

CIRCVLVS III.

Concupiscentia voluptate decepta in pessum trahit.

8 I*Nterrogatus Bias, quod esset animal, omnium maximè noxiũ: Si de feris, inquit, percontaris, Tyrannus: si de mitibus, adulator:* at ego decernerem, non omniũ animaliũ vel ferarũ maximè noxiũ esse Tyrannum, nam hic tot homines felicitate æterna modicum passos Corona donauit, cùm ex Augustini decreto, *Bonis nihil nocent, quia hoc eis auferunt, quod non diligunt, & vnde beati sunt, auferre illis nemo potest: & cruciatus corporis bonos fortiter purgat, & sic fit, vt malus homo diuina prouidentia militet, sed nescit quid boni de illis operetur Deus.* Oppositum autem operatur concupiscentia voluptate decepta. Hæc tamquam fera mitis apparens in aspectu, sed effera in effectu, dum affectum demulcens, ad mala ducit, ad æternam mortem inducit: & dum amicam se simulat, vt inimica damnat. Non est meum inuentum, sed Philonis, ita enim fatur, *Reuera voluptas inimica est sensui, quamuis sint, qui putent amicissimam. Sed sicut adulatorem nemo amicum dixerit, est enim adulatio vitium amicitiæ: sic & voluptatem si examines, inuenies adulterinã familiaritatem insinuantem se sensui. Certè saturatis voluptate omnes sensus laxantur, an nõ cõsideras istos vini amatores ebrios, quomodo videntes, non videãt: audientes, non audiãt, impotes etiam reliquorum sensuum?*

Ex lib. 7. Apoph. vbi de Biante Prienæo num. 4.

Augu. in lib. de Agone Christiano. cap. 7.

Phil. Hebr. lib. 2. legis Allegoriar.

9 Concupiscentia voluptate decepta speculum illud imitatur, de quo moralis Philosophus asserebat, *Quòd sit natura talis, vt maiora multo quàm videat, ostendat, & in portentosam magnitudinem augeat formas: aliquius inuicem talis est, vt minuat.* Nonne in tali speculo voluptas delectabile obiectum in principio magna refertum oblectatione ostendit, quod in fine paruum in dulcedine, sed in amaritudine & luctu maximum experitur: idemque in filijs parit, quod primi parentes sunt passi? Confirmat hanc veritatẽ & deceptionem hanc aperit Moyses Bar-cepha, aiens, *Peccatum initio supra modum placet, ac in fine luctum parit patrãti. Cùm enim primi parentes cupiditate ferrentur in illam arborem, de ipsa edendi, & Deum ipsum, & legem præ illa paruipendebant: at vbi edissent, nudatique erubuissent, odio ipsam sunt prosequuti.*

Senec. lib. 1. Nat. quæst. cap. 6.

Moys. Barcephi Epis. Syrus in 1. p. de paradiso.

10 Bone Deus, & quis non videt apertè in hoc speculo mulierē multo maiora vidisse, quàm ostendebat, dum visum vltra sphæram actiuitatis sic extendit, vt nedum pulchrum aspectu, qui actus est oculorum: sed delectabile, qui actus est gustus, iudicat ex visione? Nonne Pentapoli cernuntur, *Incerto tempore fructus ferentes arbores*: vel ex Græco, *Imperfectis tempestatibus fructus ferentes plantæ*: quæ, vt Solinus narrat, *Fuliginem favillacea intra fructus contento, & fumos exhalant ad tactum, & puluere fatiscunt*: quæque vt Tertullianus vel canit, vel deflet,

Sapien. 10. 7

Græcus.

Solin. c. 38. par. 5. historiæ.

Tertullian. carmine de Sodoma.

Promittunt oculis pyra, persica, & omnia mala
Donec carpantur, nam protinus inde tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauilla que pomum?

Quo ergo iure de fructus dulcedine potest ferri iudicium ex visu, si sæpe foris Helena, intus est Hecuba? Decernat hoc Mediolanensis Antistes, *Infirma autbor iudicij, quæ de eo, quod non gustauerat, iudicabat: & ideo non facilè, nisi si quod diligentiùs pertractauerimus, interiore probauerimus affectu, videtur ad opus aliquod esse sumendum.* Notanda verba, De eo quod non gustauerat, iudicabat: nam visus incompetens iudex est eorum, quæ ad tribunal gustus reuocantur. Vnde Oleaster, *Si numquam gustauerat, aut senserat, vnde fructum nouerat suauem esse ad vescendum: nisi ex corrupto affectu scientia boni & mali?*

Ambro. lib. de paradiso cap. 13.

Oleast. in c. 3. Genes. Annot. 2.

11 Sed diminuidus serpentis oculus sic fascinauit Heuā, vt plus videret, quàm ad oculum spectabat, *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.* Si ethymologiam verbi, Fascino, a βασκαίνω, pro φαεσκαίνω deducitur, idem erit, ac inuideo, id est, nimiū video: quis enim non videt, quòd mulier nimium vidit, dum ex visu pulchri, dulce iudicauit, quod non ad visus, sed ad gustus iudiciū iure spectabat? O ter quaterque & iu

Sap. 4. 12.

Græcus.

Heua, & nos quoque felices, si ad hoc fascinum nugacitatis, id est, nugax, leue, vile, nihili, nullius pretij, & adulatorium curandum, illud remedium religiosè obseruasses, quod postea superstitiosè seruari, & Theocritus docuit, & Tibullus sic protulit,

Theocrit. c. 1. Landyll. Tibull. lib. 1. Æleg. 2.

Hunc puer, hunc iuuenis turba circumsteterit arcta
Despuet in molles, & sibi quisque sinus:

Si enim ter vel in sinum tuum humilis expuisses, considerans nihilū vnde veneras, quid eras, & quo tēdebas: vel in faciem deceptoris sputum eiecisses, forsitan & tibi remedium, & nobis salutem, & mundo tātam malorū exitialem turbā nō intulisses. Sed fascinata cecidit, & prolem deiecit, quia inconstantia, vel ex Græco, *Circumrotatio*, & turbo concupiscentiæ in orbem ipsā proiecit, & nos perdidit sicut stipulas, sicut aristas, quas proijcit ventus.

CIRCVLVS IV.

Difficilis pugna cum diabolo & cum concupiscentia.

2 SI verum est Adagium, *Nec Hercules contra duos*: quis non decernat difficilem esse pugnam, in qua homo solus cum duplici contendit hoste, nempe cum propria concupiscentia, & cum antiquo ac veterno serpente? Cùm ergo, ex Apostoli & Augustini sententia, *Corona victoria non promittatur nisi certantibus*: in diuinis autem Scripturis assiduè inueniamus promitti nobis Coronam si vicerimus: tanto gloriosior erit Corona, quanto hic difficilior proponitur pugna. Pugna quidem difficilis est cum concupiscentia contendere, dum in stadio clauso pectoris & angusto, non cum alio, sed cum seipso: nec cum extrinseco, sed cū intrinseco certat aduersario. Tale decretum statuitur à Fulgentio,

Adagium.

Fulgentius

In vincendis proprijs cupiditatibus magnam esse certaminis difficultatẽ, quia non extrinsecus ex altero, sed intrinsecus ex seipso certanti homini concupiscentia carnalis generetur aduersitas. In pugna hostili nil magis pertimescendum, quàm inimicus sub amici habitu occultatus, qui dum minus pauetur, lædit magis: & in Christiana militia nil magis periculosum, quam proprius appetitus, à quo decipimur sub specie amatoris. Hunc Nazianzenus oderat aduersarium, cum dicebat, *Corpus vt inimicum odi, atque auersor: vt vinculum fugio, hostis est blãdus, insidiosus amicus, semper namque est in insidijs, vt aggrediatur insidijs & eripiat animam.*

Greg. Naz. in orat. 16.

13 Inermes apparebant Siculi Francos aggressuri, sed mulieres arma cæca sub pallijs gestabant, quæ opportuno tempore illis ministrantes, repente armati, hostes inopinatos trucidarunt. Eadem fere arte inuisibiles inimici nostræ concupiscentiæ arma sumentes, de nobis miseris victoriam obtinent, canuntque triumphum. Hãc lamentabilem, & communem hominum calamitatem, in semetipso deplorans Bernardus, aiebat, *Diabolus plus confidit in adiutorio carnis, quoniam magis nocet domesticus hostis: illa verò ad subuersionem meã cum illo fœdus inijt, vtpotè de peccato nata, & in peccato nutrita, vitijs corrupta ab ipsa origine, sed multo amplius vitiata praua consuetudine. Hinc est, quòd tam acriter concupiscit aduersus spiritum: hinc est quòd diabolus baculo nostro nos cædit, & manus nostras proprio cingulo ligat, & caro, quæ data est nobis in ruinam, & scandalum.* Grauis lucta, *& graue periculum est aduersus domesticum hostem pugnare, maximè cùm nos aduenæ simus, & ille ciuis. Ille suam habitat regionem, nos exules sumus & peregrini.*

Bernar. lib. de anima cap. 15.

14 Augetur autem huius pugnę periculum ex eo, quòd domesticus hic hostis non aperto marte oppugnat, sed latens sub amici habitu nos expugnat. Sirenum vngues vix prudens Vlyxes euasit, quia non gerebant vt auersatrices, sed vt amatrices: nõ arma sonabãt, sed pacem intonabant: non bellica clangebant buccina, sed vocis illecebra alliciebant: non minas spirabat oculus, sed delicias præseferebat vultus, quibus illecti nauigantes, relicto ad portum cursu, & ad eas accedentes, vbi portum quærebant, scopulos repererunt: vbi sperabant gaudium, inueniebant luctum: & vbi felicem auspicabantur vitam, infelicem incidebant in mortem. Deflebat quondam Psaltes hanc cæcam concupiscentiæ deceptionem, sic dicens, *Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.* Vbi Ambrosius Aquilam sequens, sic primò legit, *Humiliasti nos in loco Sirenũ:* sic postea exponit, *Sirenas quasdam fuisse puellas Gentiles, quæ vocis suauitate, canendi illecebris, audiendique studio illectos nauigantes, ad littus admouere nauigia prouocabãt: eosque cùm gratiam vocis sequerentur, scopuloso in loco naufragium facere solitos, vetustas posteris tradidit. Earum autem interpretatio hæc est, voluptas vocis, & quædam adulatio. Ita ergo sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, vt decipiat. Decipit autem sic, vt corpus perimat, animamque occidat.*

Psal 43. Aquila.

Ambros. in enarr. super Psal. 43.

***

***

CAELI DAVIDICI VERSIO LXV.

In Psalmi Primi, Versus quinti, Partem secundam.

Ex Vatablo, & Felice.

Non sic impij, sed tamquam quisquiliæ, quas depellit ventus, & propellit ventus.

CIRCVLVS I.

Impij instabiles, aridi, sterilesque sunt.

1 Emblema, cuius varium corpus ex talibus contrarijs elucebat, vt rosæ & lilia cæpis obsiderentur & allijs cum addita forma, *Per opposita*: Si corpori corpora adderet, hinc beatum demonstrans virũ rosis ac lilijs coronatum: & inde impiũ cæpis & allijs circumdatũ: formam etiam posset sic commutare, vt vbi legebatur, Per opposita, scriberetur, Non sic impij. Obseruate, quæso, has oppositiones, quas Hugo Cardinalis ad tres tantùm reuocat, & iure, nam tria sunt omnia. Sunt enim impij in puluere figurati, & pulueris ad instar, dissipabiles, instabiles, & aridi, & steriles sunt: vbi beatus vir stabilis est, vt arbor firma radice: mollis, vt plãta locata secus decursus aquarum: & salubriter fæcũda, quia fructum suum dabit in tempore suo. Sed Hugonẽ audiamus, sic enim fatur, *Hic notantur tria, sed vno membro, quæ faciunt hominem miserum. Primum, est inconstantia, quia sicut puluis est leuis & mobilis & incompactus: sic peccator, vt luna mutatur. Secundum, est ariditas, Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Tertium, est sterilitas, erit sicut myrica in deserto. Hæc tria in peccatore opponuntur tribus, quæ prædixit in viro iusto. Inconstantia leuitas, contra hoc quòd prædixit, Plantatum. Ariditas, cõtra hoc quod prædixit, Secus decursus aquarum. Sterilitas, contra hoc quod dixit, Dabit fructum. Hæc tria ergo notantur in primo, quæ faciunt hominem miserum.*

Emblema.

Hug. Card. hic.

2 Bone Deus! & quæ maior oppositio dari poterat inter eos, quã descriptum videre beatum virum proceritate plantæ, excelsũ: aquarum abundantia, viuentem: coma perpetua viridantium foliorum, numquam cadẽtium, redimitum: & fructibus virtutum, sic coronatũ, vt in omnibus actibus prosperetur: & ecõtra, conspicere impios, tamquam quisquilias ab arbore vitæ cadentes, bis mortuos, & à cõcupiscentiæ vento, vel à diabolico turbine ita deturbatos, vt sint tamquam quisquiliç, quas depellit vẽtus? Quisquiliæ, vt inquit Festus, purgamenta terrarũ sunt, & quicquid ex arboribus surculorum foliorumque & florum minutim decidit, vnde nomen venit, velut quidquid cadit. Inde Cicero, homines nihili, & perditorum fæcẽ, per translationem, Quisquilias appellat. Sed multo ante similes homines,

Festus.

Cic. lib. 1. epist. ad Atticum.

mines, si tamen hominis nomen merentur impij, nam & Næuius dicebat cuidam eiusdem farinæ, *Quisquilia, non homo*: hoc nomine Propheta regius appellauit, dicens, *Non sic impij, sed tamquam quisquilia, quas depellit ventus à facie terræ*, illius scilicet terræ, vt asserit Beda, de qua à Iusto dicitur, *Credo videre bona Domini in terra viuentiũ*: nam inde, iuxta quisquiliarum nomen, cadunt, nec terminant, nisi in profundum centrum casum, in cæco inferno motum.

Næuius in Tegularia.

Beda in ps. 1.

CIRCVLVS II.

Locus, in quem hæ quisquiliæ cadunt, obscurus est.

3 ET certè, si cadendo peccatores, audirent vocem Ieremiæ, *Numquid qui cadit non resurget*? & voci obaudirent, continuo pœnitentes: haberent simul morbum & medicinam, venenum & antydotum, infirmitatem & remedium, casum & elationem, atque Iustum imitarentur, de quo dicitur, *Septies cadet Iustus, & resurget*. At impij cadunt quidem, sed non adijciunt, vt resurgant. Si causam huius differentiæ requiras, illam tacitè Salomon assignauit, dicens de Iusto, quòd cadit, & resurgit, quia in die cadit, hoc notante Bernardo, *Septies cadit Iustus, & septies resurgit. Si tamen cadat in die, vt se cadere videat & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis, & dicat, Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*. Impij autem nesciunt vbi corruãt, nã in cæco inferno cadentes, non vident vbi cadant, pericula casus non timent, & vel vt immobiles in malo iacent, vel vt quisquiliæ sic depelluntur vento, vt in circuitu ambulent de malo ad malum, de vitio ad vitium, de peccato in peccatum, & de morte culpæ ad animi cæcitatem, quæ infernus est, in quo viuit confusio, in quo perit confessio, & de quo dicitur Deo, *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis cõfitebitur tibi?*

Ierem. 8.4.

Prou. 24.16

Bern. ser. 17 in Cant.

Psal. 6. 6.

4 Sed quomodo authoritas hæc potest intelligi, & vera demonstrari, si & idem Dauid de peccatoribus mortali morbo laborantibus asserit, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt*: quod de pœnitentia in extrema linea rerum Bernardus intelligit, ita dicens, *Quid dissimulant homines in vita sua agere pænitentiam, & extrema de confessione præsumunt*? Et si etiam damnatus Epulo, vt Augustinus docet, *Confessus est in inferno ille diues, de quo Dominus dicit, qui Lazarum vidit in requie, se autem in tormẽtis excruciari. Vsque adeò confessus, vt etiam monere suos vellet, vt se à peccatis cohiberent, propter pœnas, quæ apud inferos esse non creduntur. Quamuis ergo frustra, confessus est, tamen sibi meritò illa cecidisse tormenta, quando etiam suos, ne in hæc inciderent doceri cupiebat. Quid ergo est, In inferno autem quis confitebitur tibi*? Respondeamus ergo cum eodem Augustino, mortem esse peccatum contemptus Dei, & infernum cæcitatem animi, quæ peccatorem sepelit, ne dũ recipit: in tali enim peccati morte, & inferni sepulchro, & Dei memoria perditur, & confessio perit, ait enim, *Potest illud intelligi, vt mortem vocet peccatum, quod contempta diuina lege committitur; vt aculeum mortis mortem appellemus, quòd mortem compararet. Aculeus enim mortis, peccatum. In qua morte, hoc esse immemorem Dei, legem eius & præcepta cõtemnere: vt infernum dixerit, cæcitatem animi, quæ peccantem, id est, morientem excipit & inuoluit. Sicut non probauerunt, inquit, habere Deum in notitia, dedit illos Deus in reprobum sensum.*

Psal. 15. 4.

Bernar. in serm. 18. ex paruis.

August. in enar. super Psal. 6.

Idem ibid.

5 Horribile ergo malũ est cæcitas ista infernalis, vbi impij cadũt in vita, immo vbi decidũt in priori morte, sed ibi non permanent, nam ventus vindictæ cælestis depellet

illos ante tribunal Iudicis, vt transeant à tenebris interioribus ad exteriores. Vnde idem Princeps Theologorum, explicans verba Dauidis, *Turbatus est ab ira oculus meus:* nã sic ipse legit, postquam petijt, *Vtrum sua, an Dei?* Respondet bene, irã esse Dei, quæ hic inchoatur, dum peccatores excæcati dantur in reprobum sensum: & illic perficitur, dum extra Deum, qui lux est, fient, & in æternam cæcitatem cadent. Sic ergo fatur, *Sed si illo ira diem iudicij significat, quomodo nũc potest intelligi? An inchoatio eius est, quod hic homines dolores & tormenta patiuntur, & maximè damnum intelligentiæ veritatis, sicut iam commemoraui quod dictum est, Dedit illos Deus in reprobum sensũ? Nam ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur: sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diẽ iudicij pertinere intelliguntur, vt penitus extra Deum sit, quisquis dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus .n. esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cæcitate? Siquidem Deus habitat lucem inaccessibilem, quò ingrediuntur ij, quibus dicitur, Intra in gaudium Domini tui. Huius igitur iræ inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator.*

Psal. 6. 8.

Idem Aug.

Augu. ibid.

CIRCVLVS III.

Altitudo gradus, ex quo Christiani in quisquilias versi cadunt, quàm deflenda.

6 NOn potest æstimari casus Christianorum, qui in quisquilias conuertuntur, nisi cognita celsitudine eorum. Sed ad hanc describendam quis idoneus? Philo Carpathius quinque tãtum lineis eam depingens, sic dixit, *Magna est excellentia veri Christiani.* Et prioribus lineis, Magna excellentia, & titulo magni illum honorat, & excellentia super alios mortales illum exaltat ita, vt cum Angelis ipsis in dignitate contendat. Nec mirum hoc esse explicat, subdens, *Verè Christianus.* Si enim Christianus verus ille est, qui verã profert in dictis & in actis imaginem Christi, eo dignus est honore, quo imago Sacraæ Principis est honoranda: immò tamquam viuum Dei simulacrũ colẽdus est Iustus. Valeat in cõmuni, quod Cæsarius Arelatensis de Seth philosophatur in particulari. Ipse .n. interpretans verba, Adam genuit filium ad similitudinem suam, secundum imaginem suam, ita subdit, *Hoc est qualem habuit ab initio, quando factus est à Deo, imaginem & splendorem in facie. Et vocauit nomen eius Seth, hoc est, resuscitatio, quoniam videbat in illo pristinam, & admirandam illam formam, & gratiam renouatã, & splendorem sacrosancti Spiritus, quem videntes illius temporis homines, Deum appellauerunt.*

Philo Car. in interpr. sup. c. 8. Cãtic.

Cæsar. Arelat. Dial. 1.

7 Sicut ergo ex Philosophorum doctrina, *Corruptio optimi pessima:* ita ex Paschasij disciplina nil peius Christiano corrupto, sic enim vel philosophatur, vel fatur, *Sicut nihil in hac vita felicius bono Christiano: ita nihil illo periculosius, si desertus à tanta gratia, fiat membrum meretricis.* Sed audiamus Chrysologũ hunc casum ex distantia termini à quo à termino ad quem metientẽ, ait enim, *Quanto altius ascenderit homo lapsus, tantò altius cadet. Quid altius cælo? De cælo cadit, in cælestibus qui delinquit: desperatus incurrit, qui in ipsis dominatis oculis offendit: & excusatione caret, qui facinus ipso iudice teste committit. Aut quam defensionem sperat, quem testimonium cognitoris accusat? Sic diabolus, cùm esset Angelus, & in cælo, & coram Deo semper clarissimus versaretur, & fulgens, dum Dei tentat aures, dum in Dei superbit aspectu, lapsus ad terram, in tartara deiectus, in diabolum mutatur ex angelo: & qui erat minister vitæ, factus est dux pœnarum.* Quis autem inficiabitur quemlibet Christianũ & posse, & debere confiteri cum Prodigo, Pater, peccaui in cælum

Paschasius in li. de corpor. & sang. Dom. c. 11.

Chrysolog. serm. 26. de Fideli dispẽsatore.

&

Idem ser. 2. de duobus filijs.

& coram te? Vnde & Chrysologus dicebat, *Cui peccatur in cælo; non terrenus pater est, sed & cælestis: ideo adiecit, Coram te. Cui in cælo & in terra ante oculos sunt omnia, quæ geruntur*. Hic ergo dum cadit, & à cælo in profundum cadit, cum strepitu magno cadit: horribili casu ruit, & irreparabili præcipitatur ruina.

Hermas li. 3. similitudine 9.

8 Hinc Hermas discipulus Pauli multo maiori pœna asserit mulctandos Christianos peccatores, quàm paganos, sic enim fatur, *Is quidem, qui non nouit Dominum, si nequiter viuit, manet in eo nequitiæ suæ pœna: At, qui nouit Dominum, omnino abstinere debet ab omni nequitia, & magis, magisque seruire bonitati. Nonne ergo ille qui bonitatem sequi debebat, si nequitiæ præferat partes, plus peccare videtur, quàm is qui deliquit ignorans Dei virtutem? Ideòque, hi quidem morti destinati sunt: at verò hi, qui cognouerunt Dominum, atque eius mirabilia & opera vident: si nequiter viuunt, duplo amplius punientur, & ipsi morientur in æuum*.

Luc. 12. 47.

Et hoc totum fundatur in diuini Legiferi statuto, *Seruus sciens voluntatẽ domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis*: vbi Chrysologus expendit vim sententiæ, & differentiam pœnæ, ita subdens, *Ille quidem qui per conscientiam peccat, meritò grauius soluit conscientiæ pœnas: sed & iste per ignorantiæ culpas, plagas ignorãtiæ non vitabit: Deum sicut contemnere non licet, sic non licet ignorare*.

Idem Chrysolog. ibid.

9 Deus ergo qui tamquam speculum immutabile, sic mutatur in homine, vt ei dicatur, *Cum sancto sanctus eris: & cum peruerso peruerteris*: cum beato viro, qui ex homine in terra transit in Angelum, & illi in omnibus seruit ac ministrat, mutabitur & ipse, & transiens à Deo in seruum ministrabit in cælo. Ne impiam putes assertionem, est enim pia, nec mea, sed Chrysologi, sed Christi, hic enim de se dicit, *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*: & ille addit, *Discumbenti homini Deus astat, & astat in cælestibus, epulante seruo, seruit Dominus, & seruit accinctus pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus: & facit in patris iam gloria constitutus. Homo calumniator: est adhuc quod detuleris patri, qui tibi in terra lauando pedes, extremum repræsentauit obsequium & repromittit in cælestibus nouissimam seruitutem? Crede hæretice, & tu illi stude reddere talionem. Ille tibi in cælestibus parat conuiuium se ministro, & tu illi in terra non desinis continuas ingerere & generare blasphemias*. Cum impijs autem qui transeunt ex hominibus in quisquilias, & à summo cælo cadunt in profundum laci: transit & ipse de misericordi Patre in Iudicem seuerum, sed verum. Ita subdit idem Rauennæ Antistes, *Faciet & ille transitus suos, quia transiens ministrabit illis: de dominatione fidelium suorum pia transiet & migrabit obsequia: ad te de misericordi patre seuerissimum transibit in iudicem*.

Psal. 17. [cut off]

Luc. 12. 3[cut off]

Chrysolog. serm. 24. [cut off] seruo vigil[cut off]

Idem ibid



CAELI DAVIDICI VERSIO LXVI.

Ex Felice.

Non ſic impij, ſed tamquam puluis, quem agitabit & propellet ventus.

CIRCVLVS I.

Impios, quaſi puluerem, primò proijcit ventus tẽtationis, tamquam inſtabiles.

Hugo Car. ibid.

1 HOs ergo impios, hunc puluerem, ſubdit Hugo, proijcit ventus tẽtationis, & leui labore proijcit, cùm inſtar pùlueris, & leues reddantur, & mobiles, & incõpacti ſint, & inſtabiles. Sed quomodo poteſt impius, vt inſtababilis, damnari, ſi ipſe, *Cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*: & terris his coloribus, teſtante Hugone, deſcribitur, *Contumacia, pertinacia, & excæcatio impiorum?* Qui ergo, fieri poteſt, vt excæcati, moueantur: pertinaces, inconſtantes ſint: & contumaces, inſtabiles extimentur? Immo ſi Græcam ſequẽtes explicationem, *Impius cùm in centrum venerit peccatorum, contemnit*: & in centro cum Ariſtotele, *Cognoſcamus grauium corporum quietem*: qua ratione poterunt hæc contraria coire, vt quieſcant, & moueantur: fixi permaneant, & nutent: firmentur, & agitentur, ſtabileſque & inſtantes iudicentur? Sed verè inſtabilis & ſtabilis, immobilis & mobilis in eadem peccati area, & in eodem criminis centro, vſque ad ſtuporem, conſpicitur: immobilis & ſtabilis, quia in malo permanet obſtinatus: mobilis & inſtabilis, quia per varia malorum genera ventilatur, male obſeruans Eccleſiaſtici præceptum, *Non ventiles te in omnem ventum.*

Prou. 18. 3.

Hugo Car. hic.

Græcus.

Ariſt. lib. 1. de Cælo & mundo.

Eccli. 5. 11.

2 Si in area trituratæ ſegetes, ſic in orbem colliguntur, vt ex quauis mundi regione vento perflatæ, leuiter inibi poſſint à paleis grana purgari: vbi non à vento placide, ſed ab effero turbine procellūtur, quis neſciat, & puluerem, & paleas, & ariſtas, & quiſquilias quidem obuerti, ſed tali gyro & circulo, ſic turbinari, vt è confinibus areæ non egredientes, circum circa continua vertigine agitentur? Idipſum videre eſt, & flere decet in caſu & deturbatione impiorũ. Dicite cũ Auguſtino, quod, *Area ſit Eccleſia huius temporis, quæ & paleam habet & frumentum.* Subijcite, quòd peccator velut puluis vel palea immobiliter mobilis, & inſtabiliter ſtabilis ex hoc in illud peccatum circumuoluatur. Et demum inſpicite hãc inſtabilem ſtabilitatem contrariis coloribus ab Iſaia ita deſcriptam, *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Sed quomodo, o Propheta, habitare poſſunt, & ambulare? Si ambulant, qui habitant? Et ſi habitant, qui ambulant? Illa vtique forma, qua vel quiſquiliæ à turbine euertæ: vel trochus potenti ictu iactatus, in eodem centro & mouentur, & moueri non cernuntur: & rotantur, & rotari non dignoſcuntur: & circumducuntur, & circumductio

Auguſt. in enar. ſup. pſ. 25.

Iſa 9. 2.

non comprehenditur: & circumflectuntur,& circumflexio non iu dicatur: & ob rapidum motum motus ita immobilis æstimatur, vt non prius instabilis gyrus stabilis pateñat, quàm centrum, in quo vel erecte quisquiliæ, vel rectus vertebatur trochus, vtrisque cadẽtibus, vertatur in sepulchrum. Sic impii stabiles in malo, instabiles in malorum electione, & habitant obstinati, & ambulant de peccato in peccatum, & continua vertigine circũuoluuntur. Hoc irreparabile malum imprecabatur Dauid, immo sub specie imprecationis prædicens precabatur, *Deus meus pone illos vt rotam*: Vel ex Genebrardo, *Torque illos in modum trochi, id est, quo modo trochus solet torqueri à pueris, sic illos torque*. Vel ex Rabbi kimhi, *Pone eos sicut plumã, qua per aerem vento raptatur*. (Psal. 82. 13. Genebr. hic; R. Kimhi hic.)

3 Hoc magnum malum lugẽs Ieremias aiebat, *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*. Dic mihi, ò lugens Propheta, quid sibi vult hæc peccati repetitio? Nonne, dicens, Peccauit, peccatum peccasse asseruisses? Cur ergo addis, Peccatum peccauit. Respondet D. Thomas, *Peccatum antonomaticè infidelitatis & idololatria eum describere*. Respondet Bonauentura, idem esse, *Peccatum peccauit, ac si diceatur peccata multiplicans frequentauit*. Respondet Paschasius, *Peccatum peccare, quoties quis aliqua deprauatur heresi*. Respondet Olympiodorus, *Liquet omnem peccantem peccatum admittere: peccatum verò peccare is dicitur, qui scienter peccat*. Respõdet Lyranus, *Peccatũ peccauit, id est, peccata peccatis accumulauit*. Respõdet Hugo, quòd peccatum impænitentiæ peccauit, *Peccatum enim, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit, & propterea instabilis facta est*. Sed respondet Rupertus, peccatum superbiæ animam peccasse, in quo stabilis perseuerans, instabilis facta est de vitio cadens in vitium, de peccato in peccatum, *Propterea instabilis facta est, & de vitio in vitium cadit, quia peccatum superbia peccauit, quæ & de Angelis dæmones facit*. Sicut ergo dæmones in malo sunt indurati: Ita & obstinati peccatores, & stabiles sunt in malo; & instabiles mouentur in malis. Sic census peccati soluitur, dum remanente integra sorte prioris criminis debita, reddituum stipendia penduntur, peccata peccatis addendo, culpas culpis, & crimina criminib⁹. Vnde & Tertullianus hoc nomen census peccato tribuit, *Census peccatis*. Et Paulus illi attribuit stipendia mortis. *Stipendia peccati mors*: Vel ex Ambrosio, *Quæstus peccati mors*. Quot enim post primum peccati censum, peccata mortalia committuntur, tot census, tot vsuræ, & tot stipendia mortis morti exoluuntur, vectigalia enim peccati sunt, quia in reprobum sensum obstinati traduntur, vt faciant ea, quæ non conueniunt. (Thren. 1. 8.; D. Tho. hic.; D. Bonau. hic.; Paschas. hic; Olympiod. hic.; Lyran. hic.; Hugo Car. hic.; Ruper. Ab lib. 1. in Ierem c. 20.; Tertull. lib de pudicitia cap. 3.; Ad Rom. 6. 23.; Ambrosius.)

CIRCVLVS II.

Consuetudo peccandi, & sedentes & proiectos reddit peccatores.

4 PRodigiosa conditio consuetudinis peccandi, quæ reddit hominem & stantem & ambulantem, & firmũ & vacillantem, & immobilem & in motu, & sedentem & agitatum, & in portu iacentem, & in tempestate errantem. Hanc inquietam quietem, & immobilem motionem varijs coloribus, mæstisque luminibus depinxit Zacharias, de iniquitate sic loquẽs, *Proiecit eam in medio amphora, & misit massam plumbeam in os eius, & ecce dua mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas, quasi alas milui, & leuauerunt amphorã inter terram & cælum*. Vbi & sedet iniquitas, & volat: sedet quia fixa est in peccato consuetudinis, & volat per varia & diuersa peccata cupiditatis. Sic fixam in peccato illam demonstrat Ambrosius, *Iniquitas in talento plum-* (Zach. 5. 8.; Ambrof. in enarr. supe pl. 1.)

beo ſedet, eo quod fixa in peccato, ſe ab eo ſeparare non poſſit. Etenim inueterati in errore, & ſtudioſè flagitijs inhærentes, ſedere dicuntur. Si tamen quæras, quænam ſint mulieres, quæ alis Milui armatæ, impietatem deferunt inter terram, & cælum? Dicam, mulieres referre concupiſcentiam & conſuetudinem: alas verò Milui, qui eſt impietatis hieroglyphicum, & qui de regione in regionem transfert vas, apertè & clarè diabolũ repreſẽtare.

Ex Aldrou. li. 5. Ornithologiæ c. 17.

Ita docet, Rupertus, & ſic teſtatur, *Iſta habent alas, quaſi Milui, id eſt, ſuperbiã quaſi diaboli: & leuant amphoram inter terram & cælum, vt innuant portentum, quia nec terra eos capit, nec cælum admittit: ſed ſicuti ſceleris eorum ſignifer Iudas perijt inter terram & cælum: ita & ipſi.* Heu! heu! Ob id a turbine eleuãtur in ſublime, vt ex ſublimi cadentes, caſu grauiore ruant.

Ruper. Ab. in c. 5. Zach.

5 Ciuile ius ita ſtatuit, *Conſuetudo eſt altera natura*: Ambroſius autem plus vltra addit, deliberatque cõſuetudinem ſuperare naturam, cùm enim homo ex anima & corpore, tamquam ex duplici componatur parte, corpus à natura producitur ſanabile, anima vero à conſuetudine redditur inſanabilis. Sed illum audiamus philoſophantem, *An ignoramus, quod tantam vim habet inueterata conſuetudo peccandi, vt excludat naturam, quæ cùm ſit medicabilis ad ſalutem, tamen corroborata tempore, paſſionibus immedicabilis inuenitur?* Hinc Nilus Abbas potentiam conſuetudinis exprimens, eo illam titulo inſigniuit, quo Alexander & potentes Principes appellari conſueuerunt, & magnam aſſerens, ita definit, *Magna eſt conſuetudinis vis, ex conſuetudine enim habitus, ex habitu natura proficiſcitur. Naturam porrò mutare difficillimum eſt.*

L. ſi quis ff. de lib. & poſthum. & ibi Gloſa.

Ambroſ. in enarr. super pſ. 2.

Nilus Ab. in lib. Aſcetico.

6 Confirmant hanc veritatem Paſchaſius, qui comparans peccatores ob conſuetudinem induratos in malo, delicatæ puellæ, quæ lotis pedibus, & tunica depoſita, duci non poteſt, vt vel pedes inquinet, vel veſtem reſumat, immo reſpondet dura, *Explicaui me tunica mea, quomodo induar illam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* ſic ait, *Quia peſſima penitus conſuetudo vix aut nunquam tollitur, Vnde Doctores expoliati tunica charitatis, quæ ſola cooperit ſordes peccatorum, torpent, ac ſi puellarum delicata aliqua lotiſque pedibus expoliata, de lectulo quietis nolit reſurgere, præ naque conſuetudinis ſuæ oblectamenta reuocare: ſicque tales nolunt dilectionis Dei & proximi tunicam expoliati reinduere, nolũt pedes, quos ſemel de via anguſta ſe mouerant per malam deliciarum conſuetudinem, & deſidia quaſi aqua lotos, cum magna contritione cordis rurſus ad præparationem Euangelij dirigere.* Vbi pares belligeræ à parib⁹ agonothetis in certamine proponuntur: & inde Nilus magnam conſuetudinis vim, hinc Paſchaſius magnam cordis contritionem inducit, hæc enim ſola deuincere poteſt illam. Sed ad hanc quis idoneus? & quis hanc poterit ſibi, beatus, aſciſcere? Procedit Nilus plus vltra, & exiſtimat peccati conſuetudinem in Idolatriæ vitium, ſic tradere damnabiliter peccatorem, vt in idolis inſedeat, in materia deformi ſe ipſum infigat, nec rationem ad ſurgendum hortantem audiat, nec tonantis Cæli efferas minas timeat. Affert pro themate hoc hiſtoriam Liæ, Sicut Lia ſubter ſtramenta Cameli idola abſcondit, ac deſuper ita immobilis reſedit, dicens, *Iuxta conſuetudinem feminarum nunc accidit mihi*: Non aliter animæ accidit, cum idola peccatorum ſibi format, in eis conquieſcit, longo tempore incubat in illis, & conſuetudinem vertit in naturam. Nilum audiamus, *Animus, qui in huiuſce vitæ rebus longo iam tempore conquieſcit, idolis incubat, quibus ex informi materia conſtantibus, ars humana formam adhibuit.* Si quæras quænam ſint hæ res informes arte humana formatæ? Reſpondet, *Nonne res informes diuitiæ ſunt, & gloria, & reliqua huius vitæ bona, quæ nihil ſolidum, aut verum habẽt, ſed ſimilitudine quadam efficta, veri-*

Cant. 5. 3.

Paſchaſius lib. 1. in lament. Ieremiæ.

Gen. 31. 35.

Nilus Abb. ibidem.

tatem praeseferant, & aliam ex alia subinde speciem induunt? Nos autem illis formam adiungimus, cum ea ex hominum opinione, ad vsus minimè necessarios adhibemus. Cùm enim, vt corpori satisfaciamus, sumptus incredibiles facimus, & epulas innumerabilibus condimentis instruimus, eumque voluptatis & deliciarum gratia ambitiosè tot vestimentorum varietates excogitamus, & si vanitatis accusemur, quòd frustrà tam ingentes impensas facimus, cùm natura paucis expleri possit, nos ea vt honesta, congruentiaque defendimus: quid aliud, quã rebus informibus conamur formam imponere? His autem rectè dicimus animam insidere. Si enim de ijs, quæ dicta sunt, ita secum ipsa constanter iudicat, rebus istis terrenis inhaeret: nec veritati seruit, cui non potest surgere, sed consuetudini, quæ tamquam immunditia menstrua rerum naturã coinquinat. Sedere enim accipitur in Scriptura pro ignauum esse, & voluptatibus deditum. Ignauiam locus ille significat.

8 Nec ignauiæ stagnum ab alia vena magis procliui, quàm à consuetudine mala deriuatur. O mirũ! Petrus ille, qui ad primam vocem sequutus est Dominum: vbi illum negauit, & ter negauit: non surgit ad primam galli vocem, sed ter admonitus, vitandum aliquando, grauem somnum, quo præmebatur, discussit. Sic, sic, quia peccata, quæ repetuntur, & vsu quodam fiunt, difficile excutiuntur. Non meum, sed Ambrosij est inuentum, ipse enim interpretans verba, quæ Chtistus Simoni dixit, *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*: ita fatur, *Si aliquando conuertitur, qui ad primam Domini sequutus est vocem, quis dicere poterit se cito esse conuersum?* (Luc. 22. 31. / Ambrosius hic,)

9 Describens Isaias dirutæ Ciuitatis extrema damna, decoremque eius omnem egressum ab ea, dum lamentabilem habitantium formam sic ante molles oculos cõmutatã exponit, vt vbi olim principes hominesque degebant: illic efferi Dracones cubicula inuenerint, ibi struthiones pascantur, ibi dæmonia Onocentauris occurrãt, ibi pilosi clament, & lamiæ quiescant: ita dicebat, *Et erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia Onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum, ibi cubabit lamia, & inueniet sibi requiem.* (Isa. 34. 14.) Quis autem vel depingere poterit, vel verbis assequi miserabilem Christiani mutationem, qui vbi templum iam erat Dei viui, in quo æternus Princeps & Angeli habitabant, à diabolis ac peccatis nunc ita vastetur, vt Dei, & Angelorum loco, tot belluas, tot feras, & monstra tot recipiat occupantes locum, quot vitijs ostium pandit, & quot peccatis ac iniquitatibus cor expandit? Deterreat te, ò peccator, Basilij magni decretũ minax, horrendum, *Planè in te ipso circumferri numerosam, & tam apprimè turbulentam belluarum intemperiem.* (Basil. hom. 10. in Hexæmeron.)

10 Vide & horresce in tuæ mentis caueis latentem & draconum malitiam, & struthionum hypocrisim, & Onocentaurorum elationem, & taurorum superbiam, & astutiam dæmonum, qui fletum pro gaudio figurant, vt decipiant: & Pilosorum imagines, quæ hominum habent effigiem, & in ferarum formas terminantur. Sic enim Gregorius Papa hæc monstra demonstrat, *Quid namque per dracones, nisi malitia? Quid verò Struthionum nomine, nisi hypocrisis designatur?* (Greg. Papa lib. 7. moral. cap. 12. ve 15.) Struthio quippe volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet: quia & hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sãctitatis ignorat. (Ezech. 23. 20.) Quid verò Onocentaurorum nomine, nisi & lubrici figurantur elati? Græco quippe eloquio onus Asinus dicitur, & appellatione Asini luxuriæ designantur, Propheta testante, qui ait, *Vt carnes Asinorum, carnes eorum.* (Ezech. 23. 20.) Tauri autem vocabulo ceruix superbiæ demonstratur, sicut voce dominica de Iudæis superbientibus, per Psalmistam dicitur. *Tauri pingues obsederunt me.* (Psal. 21. 13) Onocentauri ergo sunt, qui subiecti luxuriæ

vitiis,inde ceruicem erigunt,vnde humiliari debuerunt. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni Spiritus valde eis ad votum deseruiūt,quos de his gaudere conspicunt, quæ flere debuerunt. Vbi aptè subiungitur, *Et Pilosus clamabit alter ad alterum.* Qui namque alij Pilosi appellatione figurātur,nisi hi quos Græci Panas, Latini verò Incubos vocant? quorum nimirum forma ab humana effigie incipit, sed belluina extremitate terminatur. Pilosi ergo nomine cuiuslibet peccati asperitas designatur, quæ etsi aliquādo, quasi ab obtentu rationis incipit,semper tamen ad irrationabiles motus tēdit. Et quasi homo in bestiam desinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans, vsque ad irrationabilem effectum trahit.

Isa.34.14.

21 Cōsuetudo peccandi illud, si probè noui,mirabile dictu,renouat in anima peccatoris, quod de vrbe Cynici naturæ Secretarius memorabile refert,vbi, *Iuxta portum, qua Thracia vocatur, turres septem acceptas voces numerosiore repercussu multiplicāt: nomenque huic miraculo Echo est à Græcis datum,* De hoc & Lucanus canebat.

Plin.lib.36. cap.15.

Sex quoque ac septē loca vidi reddere voces,
Vnam cum feceris.

Lucanus.

Sic, sic & septem turres, septem peccatorum caueæ in peccatoris anima erectæ, voces multiplicant, dum peccata peccata, vitia vitia, iniquitates nequitias,& mala mala sic inuitant, vt in eis verificetur, *Abyssus abyssū inuocat.* Quid enim in abysso figuratur,nisi peccatum? & quid peccatū intonat, nisi aliud peccatum? Hugonis est expositio, ita dicentis, *Abyssus abyssum inuocat,id est, peccatum peccatum: sicut superbia auaritiam, gula luxuriā, ira homicidium. Peccatum enim, quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere, trahit ad aliud: & occurrunt dæmonia Onocentauris,& pilosi clamant ibi alter ad alterum.* Nec prætermittenda est Gregorij explanatio, qui hæc vltima verba, iteratò repetens,ait, *Pilosus autem alter ad alterum clamat, cùm perpetrata nequitia ad aliam perpetrandā malitiam prouocat,& quasi quadam cogitationis voce, commissa iam culpa,culpam adhuc, quæ committatur, inuitat. Sæpe namque, vt diximus, gula dicit, Si abundanti alimento corpus non reficis, in nullo vtili labore subsistis. Quæ sæpe deprehensa, patrocinium mox fallaciæ & negationis inquirit, reumque se esse non æstimat, si mētiendo vitam defendat. Pilosus ergo alter ad alterū clamat, quando sub aliqua ratiocinandi specie, peruersam mentem culpa subsequens, ex occasione culpæ præcedentis illaqueat.*

Psal.41.8.

Hugo Car. hic.

Greg. Papa lib.7.moral. c.12. vel 18.

12 Priora quidē vulnera peccati diabolus sic infert & iaculatur, vt solent paruuli spicula iaculari, de quibus & dici potest, *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum:* nam ex Cassiodoro, *Paruulorum sagittæ inanitæ tela sunt, qui ludendi studio,fragiles cannas in sagittarum consuetudinem iacere consueuerunt.* At cum additur sagitta sagittæ, & culpa culpæ, gigas dæmon euadit, & incurabilia vulnera,per consuetudinem sic addit, vt possit peccator conqueri, *Circumdedit me lanceis suis, concidit me vulnere super vulnus,irruit in me quasi gigas.* Vbi diabolus figuram mutat, & commutat arma,nam vice sagittarum paruuli, lanceas gigantis assumit: & per ea, quæ Gregorius asserit, *Antiquus hostis tētationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit, & vulnere super vulnus homo conciditur, quando peccatum peccato additur,vt culpa vehementius exaggeretur. Et quia, cùm vulnus vulneri additur, vires contra nos antiqui hostis vehementius excrescunt, rectè subiungitur, Irruit in me,quasi gigas. Facile quippe inimimico resistitur,si non ei, vel in multis lapsibus, vel in vnū diutius consentiatur. Sin verò eius suasionibus anima subesse consueuerit,quanto se ei crebrius subijcit,tanto eam sibi intollerabiliorem facit, vt ei reluctari non valeat,quia nimirum malignus aduersarius contra hanc ex praua consuetudine deuictā, quasi more gigantis pugnat.* Vnde

Psal.63.6.

Cassiod. hic

Iob 16.15.

Greg.lib.13 moral. c.6. vel 10.

aperte

aperte cognoscitur diabolum in principio peccati paruulum, paruulorum emittere sagittam, quæ posset faciliter, vel vinci, vel euelli: at per consuetudinem gigantem euadere, & quasi hasta Herculis pugnare, ita vt illi nemo possit opponi, dum contra animam ex praua consuetudine deuictam, more gigantis pugnat. Vnde seruandum tibi est sanum Diui Hieronymi consilium, *Dum paruulus est hostis, interfice: vt nequitia elidatur in semine.*

Hieronym.

13 Lugebat Ieremias peccatoris vicem, atque dicebat, *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me*: Labitur enim in lacum, qui peccatum committit: sed durus super eum lapis imponitur, dum per consuetudinem induratur. Non est mea, sed Gregorij interpretatio, sic enim fatur, *In lacum quippe vita labitur cùm labe iniquitatis inquinatur. Lapis verò superponitur, cùm etiam dura consuetudine mens in peccato detinetur, vt etsi velit exurgere, iam vtcumque non possit: quia moles desuper malæ consuetudinis premit.* Si autem peccatorē in tali sepultum lacu, & sub tam graui iacentem lapidis mole contingat eleuari, miraculo tribuatur, non quidem communi sed illi, quo Lazarus tali lacu, & tali mole oppressus eleuatus est. Hinc Amalarius post Augustinū demonstrat ea omnia, quæ Christus in Lazari resurrectione obseruare dignatus est, lineamēta fuisse, & resurrectionis cōsuetudinarij difficultatem adumbrasse. Sic enim ait, *Quare fremuit Iesus, & turbauit se ipsum, nisi quia fides hominis sibi immeritò displicentis fremere quodammodo debet in occasione malorū operum, vt violentiæ pænitendi, cedat consuetudo peccandi? Voce magna clamauit. Quàm difficile surgit, quē moles malæ consuetudinis premit? Sed tamen surgit occulta gratia intus viuificatus, surgit post vocem magnam.* Pendenda verba, *Surgit occulta gratia, & voce magna*: & recolenda Constantini lex, *Consuetudinis vsusque longæui, non vilis auctoritas est, verum non vsque adeo sui valitura momento, vt aut rationē vincat, aut legem.* Sic, sic longæua consuetudo peccandi, quæ vt moles magna peccatorem premit, magnæ auctoritatis est, ad resurrectioni restituendum. Non tamen tantæ, vt diuinum verbum, tamquam ratio & lex viua, non possit consuetudinem vincere, & inueteratum dierum malorum liberare.

Threu. 3. 53.

Greg. Papa moral. lib. 26. cap. 24. alias 30.

Amalarius Fortunatus Epis. Treu. de Eccles. Offic. c. 26.

L. consuetudinis C. quę sit longa cōsuetudo.



CAELI DAVIDICI VERSIO LXVII.

Ex Arabico.

Tamquam puluis, quem dispergit ventus.

CIRCVLVS I.

Ventus mortis dispergit impios, quasi puluerẽ à facie terræ.

Agellius In psal. 1.

1 IN Puluere hoc loco Agellius noster agnoscit, *Minutias ex trituratione paleas: non enim quod in Græco est χοῦς, siue χνοῦς, terrę puluis est modo, sed etiam triturata palea.* Gregorius autem in puluere vitam impij, in vento æstimat mortem figurari. Sic enim ait, explicans hæc verba, *Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ: aura etenim cinerem rapit, & stultorum memoria cineri comparatur, quia illic ponitur, vbi ab aura rapiatur. Quantumlibet enim quisque pro facienda gloria sui nominis elaboret, memoriam suam, quasi cinerem ponit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit.*

Gregorius lib. 11 mor. c. 14. vel. 17.

2 Lætur, ex Ambrosio, tria genera mortis, vna peccati, altera mystica, tertia verò media: huius tertiæ communis est exitus, licet terminus non sit communis, nam terminus iustorum est vita æterna, impiorũ mors secunda. Secũda mors est sãctorũ, qui peccato moriuntur, sed Deo viuunt Prior autem est peccatorũ, quia anima, quæ peccat, ipsa morietur. Audiamus Ambrosium hæc omnia sic explanantem, *Mortis tria sunt genera, Vna mors peccati est, de qua scriptum est, Anima quæ peccat, ipsa morietur. Alia mors mystica, quando quis peccato moritur, & Deo viuit, de qua ait idem Apostolus, Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Tertia mors, qua cursum vitæ huius, & munus explemus, id est, animæ corporisq. secessio. Aduertimus igitur, quod vna mors sit mala, si propter peccatum moriamur: alia mors bona sit, qua is qui fuerit mortuus, iustificatus est à peccato: tertia mors media sit, nam, & bona iustis videtur, & plerisque metuenda. Quæ cum absoluat omnes, paucos delectat.* Mutat ergo faciem mors, & cum impijs, qui per peccatum in vita moriuntur, efera &. pessima apparet in extremis. At cũ iustis, q peccatis mortui, Deo viuunt, dũ viuũt, pulchra amabilis, & pretiosa aduenit in termino vitæ. Cũ hoc duplici vultu illam depinxit canori Pictoris penicillus, modo flens, *Mors peccatorum pessima:* modo canens, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Vbi applicanda est auris nunc mæsta, nunc læta ad variam Bernardi armoniam, *Mors peccatorum pessima. Mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo, quē diligunt. Peior in dissolutione carnis, a qua euelluntur animæ à spiritibus malignis. Pessima in tormentis inferni, quando corpus et anima perpetuis simul addicãtur ignibus. E cõtrario bonorum mors optima, quoniã quidem fit ibi quies à labore, fit iucũditas de nouitate, fit securitas de æternitate.*

Ambros. li. de bono mortis c. 2.

Psal. 33. 22. psal. 115. 15.

Bern. ser. 41 ex paruis.

3 Vegetius cautos reddẽs a domesticis hostibus homines demõ-

Veget. lib. 3 de re milit.

strabat

ftrabat hoftem in domo formidabilem effe. Idque optimo iure, nã hoftis publicus,&qui cum vexillis & tubis inimicum inuadit, poteft & præcaueri, & fuperari: priuatus autem,& qui in propria verfatur domo,dum non timetur, nec ex confequenti cauetur, & dormientem necat, & nil cogitantem occidit. Mors hoftis quidem eft, fed numquam inuenit Sãctos imparatos, ipfi enim Hieronymum imitãtes,& femper tubam ad bellum prouocantem audientes,armis illi obuiant,fuperant,vincunt, ac fpolia referunt. Impij verò, qui in propria domo lutea formidabilẽ hoftem nutriunt, dumillum nec norunt, nec timent,nec fibi cauẽt ab infidijs eius, ex inopinato ab eo abfq. vlla miferatione perimũtur. Vis fcire quisnam fit hoftis hic infeftus,& occultus?Cæca mors eft, quæ, *Aedificauit ficut tinea domum fuam.* Vbi,etfi a Hieronymo, *In tinea, vel poena intelligantur æterna,quas propter ignis conscientiæ: vel suppliciorum materia, quæ ex proprijs peccatis nafcitur*: a Gregorio tamen mors tacita & proditrix manifeftatur defcripta, ficut enim tinea veftem tacitis morfibus rodendo, tuguriolum fibi ædificat, ibique abfcondita commoratur: ita & impij nullum ftrepitũ mortis,nullam interitus cogitationem admittendo,dum ftrepitum huius cogitationis abigunt,magno cum filentio pereunt, morte inftar tineæ,fic eos confumente, vt in eis impleatur Oraculum Iob, *Confumentur velut à tinea*: & pontificiũ decretum,quo perniciofum filentium declaratur,*Tinea de vefte nafcitur,& eamdem veftẽ, de qua oritur,corrodendo corrumpit. Vnde velut a tinea homo confumitur, cum de fe oritur,vnde conteratur. Tinea autem damnum dat,fed fonitum non edit:ita iniquorum mentes,quia dam na fua cõfiderare negligunt, integritatem quafi nefcientes perdunt: extrudunt namque ex animo innocentiam,ex ore veritatem, ex corde continentiam,& per acceffum temporis ex ætate vitam. Hæc fe indefinenter*

Iob.27.18. Hieron.li.5 comment in c.14. Ifaiæ.

Iob.4.19.

Greg. Papa lib 5.moral. cap.29.

amittere nequaquam confpiciunt,dũ toto defiderio curis temporalibus occupantur. Quafi ergo à tinea confumuntur,quia fine fonitu, culpæ morfum tolerant, dum quanta defideria vitæ,& innocentiæ patiantur, ignorant. Vermis autem,qui in mortali vita infenfibiliter rodebat, in vita immortali fenfibiliter fic mordebit,vt quod in prima morte incipit rodere cum exitiali dolore, in fecunda redeat cum æterno languore, Bernardo teftante, *Opera tenebrarum fequuntur animas, nec eft quo fe abfcondant ab illis, ne in tenebris quidem. Hic eft vermis, qui non moritur,memoria præteritorum. Semel iniectus, vel potius innatus per peccatum hæfit firmiter, nequaquam deinceps auellendus. Nec ceffat rodere confcientiam, eaque paftus,efca vtique inconfumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem,& mortem viuacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis,& vitæ morientis. Hæc eft fecunda mors,quæ numquam peroccidit, fed femper occidit.* Bern. lib.5. de confideratione.

4 Hinc Ioannes cum Ciuitate myftica Babilonis, cuius ciues impij funt,loquens,dicebat, *Væ, væ, quoniam vna hora venit iudicium tuum:& poma defiderij tui difcefferunt à te.* Sed quomodo, o Euangelifta,vna hora iudicium impiorum aduenifle fateris,cum longæua & diuturna illius feries fuerit? Certè,non vna hora tota iudicij feries,tota damnationis caufa fiet: fed verè vna hora iudicium impijs venit, adueniente infaufta mortis hora. Qui enim per totum mortalis vitæ curfum nec mortem, nec iudicium fenferunt, fed ab hac tinea tacitis morfibus funt confumpti: eadem hora mortis & morfus dolorem fentient, & irreparabili cafu peribunt, & poma defiderij difcedent ab eis. Si vero cum Græco legitur 'ὀπώρα, id eft, opportunitas temporis, & occafio falutis,clarè cognofcitur & in extremo vitæ etiam defperatos homines, & poft mortem etiam occafionem falutis defideraturos, fed poma hæc defiderij difcendent ab eis, & in mife-

Apoc.18.10

Græcus,

riam

riam illam incident, quam Naziãzenus deſcripſit, *Miſerum eſt ſerum conſilium ſapere, at tunc damni ſenſu affici, cum nulla iam ratione acceptum incommodum ſarciri poteſt, hoc eſt, poſtquam hinc exceſſerimus, acerbeque cõcluſa fuerint, quæ quiſque hac vita geſſit.* O extremã rerũ miſeriã, tunc roſam ſalutis quęrere, cum ſalutis præterijt roſa, cumque dicetur, *Roſam, quæ præterijt, ne quæras amplius.* Vnde Bernardus, *Priora tranſierunt, & non tranſierunt: tranſierunt a manu, ſed non a mente. Quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt, Proinde & ſi facere in tempore fuit, ſed feciſſe in ſempiternum manet.*

Greg. Naz. orat. in ſanctũ Baptiſma.

Adagium.

Bernard. li. 5. de cõſideratione.

5 In tam crudeli & exitiali ſpectaculo, & in tam horrido ſupplicio, quis non audit concinentes voces tum Gregorij Nazianzeni dicentis de impijs *Tunc damni ſenſu affici*: tum Gregorij Papæ ſubdẽtis, *Per totum vitæ curſum a tinea comeduntur, inſenſibili tamen morſu, dum de morte, quæ in domo corũ habitat cogitant nihil*: tum Aquilæ volantis, *Clamantis de pomis deſiderij, quæ diſceſſerunt*: & tum eiuſdẽ Theologi concludentis, *Cum nulla eam ratione incommodum ſarciri poteſt?* Vbi alludere videtur, ex his quæ Elias Cretenſis notat, ad notã Tantali fabulam, *Qui ex eo, quod Pelopem filium membratim diſcerptum, coctumque dijs comedendum appoſuiſſet, in tartarum detruſum fuiſſe fabulantur, ibique hac poena cruciari, vt aquis, et pomis capiti imminentibus, captionemque ipſius fugientibus, perpetua fame ac ſiti torqueatur.* De quo & Horatius cecinit,

Elias Cret. in commẽt. ſuper orat. 4 Nazianz. nu. 60.

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat Flumina.

Horatius.

Eodem quippe modo, qui modo occaſionem ſalutis non arripiunt, nec eam venientem ſuſcipiũt nec tenent: ſerum conſilium capient, cùm acceptum incommodũ nulla poterit ratione reſarciri, & elapſam occaſionem captare fruſtra geſtient. Immo hoc ſignatiſſimo ſupplicio plectẽtur, quod illam indeſinenter præ occulis habeant, eiuſque memoria torqueãtur, dante eis vexatione intellectũ quod non caſu, non fato, ſed ſua ipſorum culpa, ex eo quod præſentem occaſionem non apprehenderint, ęterno tempore infeliciſſimos eſſe futuros. Nulla enim ratione acceptum incommodum ſarciri poteſt, poſtquam hinc exceſſerimus.

6 Sed ſi non datur ibi poenitẽtiæ locus, cùm ex eodem Elia Cretenſi, *Quòd nobis mors eſt, hoc Angelis lapſus fuit, poſt lapſum enim nullus eſt ipſis poenitentiæ locus, quemadmodum nec hominibus poſt mortem*: quomodo Salomon introducit illos, *Dicentes intra ſe, poenitentiamque agentes?* Reſpondent communiter Theologi, hic non deſcribi veram poenitentiam & fructuoſam, ſed falſam ac ſterilem, quam dolor vehemens pænarum extrahit, non cum Dei amore, ſed cum diro in eum odio, eo quod peccata prohibuerit, & ea in illis tam acriter puniat. Sed certè ſi cũ Græco & Iãſenio ſic legas, μεταvοῦντες, id eſt, *Tandem, & poſt factum, nimis ſerò ſapientes*: bene de eis repeti poteſt antiquum Adagium, *Serò ſapiũt Phryges*: per hunc enim actum, non tam pænitẽs reſipiſcit, & ad ſanam redit mentem, quàm in malis moribus, & in inſania fixus, peſſimi conſilij dolore angitur, & torquetur. Vbi quadrat lamentatio Ieremiæ, *Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ & prævaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis.* Quod miro modo Hieronymus ad propoſitum, threnum explanat, ſic dicens, *Non ſolùm Ieruſalem illa terrena doluit ſe perdere iucunditatem ſuam & deliciarum affluentiam, inter hoſtes conſtituta: ſed etiam hæc myſtica maximo dolore torquetur, cùm in poenis conſtituta, iam ſerò dolet, ſe tunc negligentem fuiſſe, quando per bona opera, & rectam conuerſationem potuit ſibimetipſi ſubuenire. Non enim cum ſanctis Angelis exultat, ſed in inferno cum dæmonibus cruciata, infructuoſè præterita peccata deplorat, iuxta*

Elias Cret. in commẽt. ſuper orat. 2 Nazianzeni nu. 58.

Sap. 5. 3.

Ianſen. in c. 5. Sapiẽtiæ. Græcus.

Adagium.

Thren. 1. 7.

Hieron. hic.

illud

illud quod Scriptura ſacra teſte, impij in inferno dicturi ſunt. Ergo errauimus a via veritatis, &c.

CIRCVLVS II.

Ventus mortis proijcit impios ante conſpectum dęmonum, & aſpectũ peccatorum.

7 IMpii, qui male viuentes, poſuerunt dulce in amarũ, exiſtimantes peccatum mellifluum, cùm veneniferũ ſit, in hora mortis mutabant guſtum ac ſenſum: & ponent amarum verum præſens, in præterito dulci falſo, atque ex tam venenifera potione, & deformem vultum contrahent, & effera ſigna interni amaroris oſtendent, & obſcuræ perturbationis pignora pãdent. Ita Nilus, *Quomodo, qui amara guſtant medicamenta, propter amaritudinem, vultum contrahunt: Sic anima ad eam, quam ex viſis illic moleſtijs habuit affectionem oculis imprimente characterem, & ex figura eius quod apparet, ſuſi occultum aperitte dolorẽ.* Hinc ait Salomon, *Videntes turbabatur timore horribili.* Videbunt enim deformes dæmones, & turpiſſima peccata, quæ in vita egerunt, & hæc videndo, turbabuntur timore horribili, id eſt acerrimo, ſummo, grauiſſimo. Vnde idem Nilus, *Verè terribile eſt mortis myſterium, quando corli, qui animam repetunt, terribilis præſentia, eum continent horreſcentem ad exitum, terroreſque, & figura terribiles, quando etiam dæmones peccatum exprobrantes, ipſam quoque ad ſe trahunt in iniucunda & aſpectu triſtia loca: vt etiam ante tormentum, ſufficiat timor ad cruciatum, quando conſcientia conuerſa ad ſcelera, quæ ſunt adimſſa contremiſcit, expectãs dignum pro peccatis ſupplicium.* Vbi renouabitur horribile ſupplicium Aegyptiorum, de quibus ſic legitur, *Tranſitu animalium, & ſerpentium ſibilatione cõmoti, tremebundi peribant.* Sed quid niſi vmbra & ſerpentes erãt, & illa animalia, ſi cum peccatis & dæmonibus ante morientem impiũ, non tranſeuntibus, ſed ſtantibus in magna conſtantia aduerſus eũ comparentur? Heu miſeri, de quibus verificabitur, quod hæc vidẽtes tremebundi peribunt! Sic aſſerit Diadocus, *Si non vt oportet egerimus pœnitentiam, obſcurum quemdam timorem in tempore exceſſus noſtri in nobis inueniemus.* Quid autẽ ꝑ vmbrã obſcuri timoris, niſi mortem adumbrat, dæmones deſcribit, peccata depingit, nigrantes infernales ignes colorat, ac Iudicis furorem horroremque figurat?

Nilus ad Agathium, relatus ab Anaſtaſ. Niceno in quæſt. ſcrip. quæſt. 23.

Sap. 5. 2.

Nilus ibid.

Sap. 17. 9.

Didac. relatus ab Anaſtaſio Niceno in quæſt. ſcripturæ quæſt. 23.

8 Seneca Lucillum admonet, & re ſimul docet, *Illud imperitiſſimi cuiuſque verbum falſum eſſe, Bella res eſt mori, ſua morte.* Et verum æquidẽ, en nam etiam Pſeudopropheta Balaã non ſua morte mori optabat, ſed morte iuſtorũ, *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Vbi per ea, quæ obſeruat Bernardus, *Et ipſe iniquus, iuſtorũ mortem optabat, & nouiſſima ſua horum ſimilia fieri precabatur. Tantus eſt pietatis fructus, tanta iuſtitiæ merces, vt ne ab ipſis quidem non deſiderari queat impijs, & iniuſtis.* Bella ergo res eſt mori morte iuſtorum, quorum exequiæ celebrãtur ab Angelis, eaſque opera bona comitantur. Non bella mors, è contra, eſt, mori morte peccatorum, quorum exequiæ a dæmonibus celebrantur, & a malis operibus comitantur. Audiamus Nemeſij Epiſcopi ſtatutum, *Mors nulla eſt mala, niſi quæ accidit propter peccatum, vt patet in morte ſanctorum virorum, Pretioſa enim, inquit, eſt mors ſanctorum eius. Peccator autem, etſi in lecto, etſi repente ſine moleſtia vlla, vitam finierit, male mortuus eſt, vt qui malam ſibi ſepulturã aſciuerit, peccatum:* Vel, vt alij legunt, *Malas ſibi exequias inferunt, nempe, peccatum.* Notanda verba, *Sibi exequias inferat, nempe peccatum:* nam ſi etimologiam nominis

Senec. epiſt. 69.

Num. 23. 10

Bern. ſer. 7 in pſ. qui habitat.

Nemeſ. Ep. de animæ facultatibus c. 45.

Alij.

Græcus.

ex Græco hauriamus, idem significat, ἐπαγλσματα, ac funebre officiũ, quod in funere exequimur, ex eo dicta, quòd homines pompam post sequuntur. Iusti ergo bonas habẽt exequias, vnde cælum intonat, *Beati mortui, qui in Domino moriũtur, opera enim illorum sequuntur illos*: at peccator & impius malas habet exequias, quia opera illorũ mala persequuntur illos, vtpote, qui in diabolo moriuntur. Sic ergo diaboli exequias celebrant, peccata funus comitantur, scelera feretrum cingunt, hæc faces funereas habent nigro lumine incensas, illa responsorium damnatorũ canunt, & sic de fumo transferuntur ad flammam, vt impij conquerantur, & dicant, *Peccata nostra responderunt nobis, & scelera nostra nobiscum.*

Apoc. 14. 13

Isa. 59. 12.

9 Philosophi in mortis carceribus vltimam lineam rerum idcirco signabant, quia nescientes seuerum & verum iudicium, quod manet post mortem, mortem omnia soluere falsò putabant: Nos autem qui altiora distantissimaque lumine fidei cernimus, & nedum in hac mortali & visibili sphæra, sed in immortali, & inuisibili figimus Linceas oculos, non mortẽ, sed iudicium pro vltima linea recognoscimus, & pauemus, hanc enim nouit & Paulus, *Statutum est hominibus semel, mori: post hoc iudicium*: & hãc timendã proposuit Aeneas Gazęus. Is ergo propositæ quæstioni, cur scelestus feliciter, Iustus, cõtra, in vinculis atque tormentis moriatur? Ad iudicium recurrit, in quo & terminatur cursus mortis. Sic ergo statuit, *Etenim si mors omnium rerum finis vltimus esset, rectè in quæstionem vocares homines, quinam fieret, vt homo scelestus in imperio, atque in lauta fortuna vitam suam omnem finiret. Iam verò cùm immortalis sit anima, ac neque ad inferos demissa pęnam effugiat: sed ibi maximè anteactę vitæ vindictam sentiat, cùm in ima tartara reciderit, inde numquam est excitura. Quamobrem insperati lucri vice fuerit, hic ægrotare, egere, seruum esse, cùm is, qui illa præfert, in priuato vitæ genere, & parum deliquerit, ac deinceps membrorum suorum compage iam soluta, iamque eius fortuna sua caussa cognita, ac satis deplorata, à supplicijs inferorum liber et immunis euadat.*

Ad Hebr. 9. 27.

Aeneas Gazæus Dialogo, cuius titulus est Theophrastus, siue de animæ immortalitate, & corporis resurrectione.

10 Bella ergo res est, mori sua morte: & mala res est, mori sua morte: vnaquæque enim vita, suã habet mortem, sicut vnusquisque motus suum habet terminum. Et sicut motus ad nigredinem, nigredinem habet in termino: & motus ad albedinem, albedinem habet in termino: Ita & vita bona, bonam habet mortem: & vita mala, malã habet mortem. Audiamus Iulianũ Episcopum has bellas & bonas, à non bellis nec bonis mortes diuidentem, ait enim, *Non itaque multum curãdum eis, qui necessariò morituri sunt, quid accidat vt moriantur, sed moriendo, qua ire cogantur. Cùm igitur Christiani nouerint longè meliorem mortem Religiosi pauperis fuisse inter lingentium canum linguas, quã impij diuitis in purpura & bisso, horrenda illa genera mortium, quid mortuis obfuerint, qui benè vixerunt*. Notanda verba, *Qui benè vixerunt*: nam impij non bene viuunt, sed vitæ tantum motũ habent, & semiuiui potius, quàm viui sunt, & quilibet eorum phantasma est potius & spectrum apparens, quàm verè viuens. Sic Hugo Cardinalis interpretans verba Domini, *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto*: in homine peccatorem, in descensu casum à gratia, in latronibus dæmones, & in semiuiuo impium ita morti proximum recognoscit, vt non viuus, sed semiuiuus sit, quia dimidium vitæ iam perdidit. Sic ergo fatur, *Abierunt semiuiuo relicto, id est, vita naturæ tantum relicta, vitam gratiæ abstulerunt, & ita, cùm priùs viueret duplici vita, scilicet vita naturæ, & vita gratiæ, nunc vnica tantùm viuit, amissa similitudine, imaginem retinuit miserandam.*

Iulian. Epi. Tolet. lib. 1. de Origine mortis cap. 12.

Luc. 10. 34.

Hugo Car. in cap. 10. Lucæ.

11 Et quid per hanc vmbram, nempe, *Imaginem miserãdam Hugo adumbrat, nisi peccatorem spectrum esse, & phantasma, ac vt mortuum ambulantem, non autem viuentem*, sed omnino similem illi, de qua Psaltes canebat, *Verumtamen in imagine pertransit homo?* Vel ex Hieronymo, *Tantum in imagine ambulat homo*: Et clarius secũ dum Apollinarium. *Veruntamen homo perinde ac simulacrum graditur?* Vbi idipsum de peccatore dici potest, quod de operibus Dædali Plato retulit, *Quoniam illa ni reuincta fuerint: dilabuntur atque aufugiũt*. Aiunt enim Dædalum, insolito artificio, vbi veteres Plastæ formas inanimes animalium cæcas fingebant, & immobiles: ipse primus & oculos induxit, & neruis quibusdam additis effecit, vt huc atque illuc mouerentur, adeo scite, vt spectantibus viuere, & ingredi viderentur. Vnde ferunt quædam Dædali signa vinciri pedibus, ne aufugiant. Ex quo & ortum est Adagium. *Dædali opera*. Talis est & impius, qui perinde ac simulacrum specietenus viuẽs, graditur, sed verè vita gratiæ nou fungitur, & quãuis externè viuere videatur hominibus, non tamen Deo, qui intuetur cor eiq. improperat, *Noui opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es*. Nam ex Ambrosio, *Nomen habet, quòd viuat, id est, nomen Christianum: sed mortuus est, quia fidei opera, quæ est caritas, non habet*. Latius autem id explicat Arethas, quia ex vsu & phrasi scripturæ, vitæ nomen datur benè viuenti, mortis autem viuenti malè: sic enim ait, *Quemadmodum vitam appellare solet Scriptura probitatẽ, vitam, inquam, secundum Deum, iuxta id quod dictum est, eloquium tuum viuificauit me, hoc est, in semitis eius, quæ verè vita est collocauit: Ita & mortem appellat vitam vitiosam, veluti significat Diuus Paulus de his, qui ab incredulitate ad Christi fidem transierant, quùm ita scribit ad illos, Et quum mortui essetis Christo per delicta. Et in libro Pastoris dicitur, ita quosdam in aqua lauari*

Psalm. 38. 7 Hierony. Apollinarius.

Plato in Mennone.

Adagium.

Apoc. 3. 1.

Ambrosius hic.

Arethas super caput tertium Apocalypsis cap. 7.

descendisse, nempe mortuos, & ascendisse viuentes.

12 Sed quæres, quomodo mouentur, si mortui sunt? Simili modo dicam ego, ac statuæ illæ Dædali mouebantur, de quibus Aristoteles refert, *A Dædalo ligneam Venerem fabricatam fuisse, quæ moueretur, argento viuo infuso*. Ita ergo, & peccatores ligneæ statuæ figuram præsferunt: mouentur autem non argento viuo, sed morte in illos infusa. Aestimabis fortè paradoxum, quòd mors, quæ motu priuat, motum hic reddat? Sed fideiussor veritatis Rex Dauid accedat, qui ita vel cantat, vel plorat, *Veniat mors super illos: & descendãt in infernum viuentes*. Ambiges forte, & dices, hoc non est soluere, sed nouo nodo difficultatem colligare, si enim mors super illos venit, quomodo viuentes in infernũ descendunt? Et si viuentes in infernum descendunt, quomodo mors super illos venerat prius? Dicam, quòd eo modo, quo de Curtio Romano refert Valerius, *Cùm in media parte fori vasto ac repentino hiatu, terra subsideret, ipse militaribus insignibus ornatus, equũ conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit*: vnde equum cõscendere, viuumque in infernum descendere idem fuit. Idipsum de impijs affirmari potest. Si equum quæritis, *Ecce equus pallidus*. Si equitem, *Qui sedebat super eum, nomen illi mors*. Si calcaria, *Stimulus autem mortis peccatum est*, Si verò impium præcipitem à morte datum, en ita in momẽto ab inferno absorbetur, vt vix discernas an mortuus, vel viuens illuc descenderit, *Veniat mors super illos, & descendãt in infernum viuentes*. Vbi Hugo Cardinalis notabat verbum super illos, in quo significatur mortis dominium, & oppressio super malos, iuxta illud, *Calcet super eũ, quasi Rex, interritus*: vnde, & in momento in infernũ descendunt, Nec mirum, inquit ipse, *Quòd descendant in infernum viuentes, qui hic viuunt mundo & peccato, & qui*

Aristoteles lib. 1. de Anima.

Psal. 54. 16

Valerius Maximus lib. 5. cap. de pietate erga patriam.

Apoc. 6. 8.

1. Corinth. 15. 56.

Ps. 54. 16.

Iob. 18. 14.

Hugo Car. in Psal. 54.

descendunt in infernum, id est, in cupiditatem, viuentes in hac præsenti vita: dicitur enim cupiditas, sicut cor cupidi, infernus, quia non potest impleri. Sic, sic, & mors & infernus in peccatoris corpore equitantes, in infernum proiicietur inferiorem, Oraculumque implebitur, *Infernus & mors, demissi sunt in stagnum ignis. Hæc est secunda mors.* Nam, si Arethæ præstatur fides, *Mortem & infernum vocat eos, qui digna supplicio operati sunt, tamquam tubam secunda mortis explentes.* Hi enim à prima morte, & à primo inferno, vocantur ad secundum infernum mortemque secundam.

Apoc. 20. 14.

Arethas c. 64. in c. 20. Apocal.

13 Ponderanda sunt Cæsareæ Cappadociæ Antistitis verba, *Tamquam tubam secundæ mortis explentes*: & recolenda Vegetij militaria signa, qui inter vocales, tubæ sonitum locat, quo audito, si arma sonat, miles armatur: si ascensionem super equos, ascendit: si hostis inuasionem, inuadit: si spoliorum diuisionem, diuidit: & post hæc omnia, si receptui canit, se recipit. Eadem penè lege ligantur, qui tubæ secundæ mortis monita, immo signa obseruauerunt in vita. In vita, vbi mors ad arma vocabat, exhibebant propria membra arma iniquitatis peccato. Vbi ascensionem ambitiosam super equos, Super equos ascendemus, superbi respondebant: quærentes primas cathedras & gradus. Vbi inimicorũ inuasionem insonabat, persequebantur eos, nec conuertebantur donec deficerent. Et vbi spoliorũ diuisionem, spolia diuidebant. Iure ergo requiritur, vt dũ receptui canit, vocatque ad tacitas vmbras, Et chaos & Phlegeton loca nocte silentia latè, nempe ad mortem secundam, & ad profundum inferni, illò se recipiant, vbi est secunda mors, quæ recipit eos, qui vt in morte prima, & in inferno superiori, digna supplicio operati sunt tãquam tubam secundæ mortis explentes, in secũdam decidant mortẽ, & in inferiorem præcipitentur infernum. Vnde Arethas explicãs verba Apocalypsis, *Infernus & mors dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant*: ita concludit, *Mors & infernus, non sunt viua animalia, sicut à quibusdam describuntur, sed mors est separatio animæ à corpore: Infernus autem est locus obscurus, nobisque incognitus: neque enim locus ille sub sensum venit, qui excipit animas mortuas hinc emigrantes. Mortuæ autem illa dicuntur, quæ actiones mortiferas secum deferunt. At Iustorum animæ, vt Sapiens ait, in manu Dei sunt, & non tanget illas tormentum mortis.*

Vegetius lib. 3. de Re militari.

Apo. 20. 13.

Arethas se. 63. in c. 20. Apocal.



CAELI DAVIDICI VERSIO LXVIII.

Ex Græco.

Tamquam lanugo, vel tenuis palea, quam proijcit ventus.

CIRCVLVS I.

Non nominatur terminus proiectionis impiorum, quia infernus nomẽ non habet.

1 Mirabilis certe apparet Dauidis ars, dum impios, quasi paleam, & secũdum Genebrardi adnotationem, *Paleam minutissimam & leuissimam, quæ vento iræ Dei rapitur & dispergitur*, describit, non scribit terminum talis dispersionis & raptus. Forte id egit, quia cùm infernus terminus sit eorum proiectionis, verba non reperit ad illum adumbrandum, colores nõ inuenit ad depingendum. Aduocetur ad hoc Gregorij Nysseni cõparatio, contrariorum enim eadẽ est doctrina, & quod ipse de eximia pulchritudine & beatitate nõ cadente sub sensum eloquentissimè aggressus est docere, nobis de extrema turpitudine ac damnatione licebit dicere. Sic ipse fatur, *Quomodo enim illi quispiam bonũ exponeret, quod ab eius visu refugit? Qua ratione rem ob oculos poneret, quæ sub aspectum non cadit? Non propria verba, quæ illius pulchritudinis speciem significarent, nos didicimus: non vllum eius, de quo quaritur, extat exemplum: comparatione verò aliqua hoc ipsum illustrari difficile sanè est. Quis enim paruam scintillula, Solem compararet? aut paruam stillam cum immensa aquarum vorragine conferat? Nullam enim comparationem habet neque cum voragine gutta, neque cum Solis radijs minima scintilla. Eodem modo se habent omnia quæcumque homines tãquam pulchra admirantur, comparatione facta cum eo, quod omne pulchrum atque bonum excedit.*

Genebrar. in Psal. 1.

Greg. Nyss. in lib. de Virginitate cap. 10.

2 Idipsum verè accidit inferni immensa tormenta depingere aggredienti, cum enim sensibiles pœnæ illius loci tormentorum, duplici à Iob componantur elemento, nempe aqua & igne, *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*: ac duplici etiam elemento compingantur a Christo, nempe fletu & dentium stridore, ex quibus, vt Remigius ait, *Duplex pœna designatur, scilicet, magni frigoris & caloris, quia stridor dentium ex frigore prouenit: fletus autem ex fumo: & per hæc designantur omnia genera pœnarum, quæ sunt in inferno, scilicet ab extra.* Omnes, quæ in hac vita sub sensum cadũt afflictiones, nil aliud illis comparatæ æstimantur, quàm vel gutta aquæ comparata mari, vel fauilla ignis exæquata vel Babylonicæ fornaci, vel Soli. Hinc Dauid cũ seuero, sed vero iudice loquens, dicebat, *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare?* Expendit Basilius verbum potestatis iræ, & iurè existimat, quod ira Dei, quam in hoc sæculo exercet contra impios, videtur impotens, & quæ nullam habeat potestatem, si conferatur cum ira, qua

Iob, 24. 19.

Remigius apud Abulensẽ q. 506. sup. cap. 25. Matt.

Psal. 89. 11.

ardet contra damnatos. Et cùm Deus summam vbique potestatē habeat, supplicia tamen, quæ nunc immittit, sine potestate videntur. Idque ex Symmaco magis confirmatur, qui, *Robur:* & ex Hieronyqui, *Fortitudinē trāstulit* videtur ira Dei nūc imbecilla, debilis, sine robore, & infirma, si cū illa virtute ac robore plena comparetur. Audi Basilium, *Quis nouit potestatem iræ tuæ? Symmachus sic, Quis nouit robur furoris tui? Et secundum timorem tuum ira tua. Si moderata indignatio tantam nobis corruptionē intulit, quis considerare valebit, quāta sit pœna ab ira illata? Notat hic sermo sempiternam pœnam.*

Symmach.

Hieronym.

Basil. in Scholia super ps. 89.

3 Mirum non est, Basilium hāc inter poenas præsentes & futuras assignare diuersitatem: sed valde mirandum est etiam Plutarchum breui lumine naturæ præditum, eā inter has & illas agnoscere differentiam, quæ reperitur inter res veras, ac somnia, & inter vestium, vel corporum flagella. Sic ego fatur, *Sicut enim apud Persas, corū qui puniuntur, vestes atque tiaras conuellunt, ac flagellant, ipsis plorātibus, & vt desistatur capto obsecrantibus: ita supplicia, quæ à facultatibus, & corporibus exiguntur, vehementem non inferunt ictum, neque ipsam attingunt malitiam, sed pleraque externum penè perbibent. Qui verò hinc poena euitata, & expiatus eo peruenit, hunc excipiens Iustitia, conspicuum atque nudum plectitur per longum satis tempus, singula vitia ijs luens doloribus ac cruciatibus, qui magnitudine & vehementia tanto superant corporis dolores, quanto res vera est, quàm somnium, efficacior* Vbi aduocanda est illa differentia flagellorum, quam obseruauit Hugo Cardinalis in duplici expulsione reorū a templo: in prima enim fecit Christus quasi flagellum, in secunda flagelli mētio non fit, sed tantùm dicitur, *Eijciebat omnes vendentes, & ementes de Templo*. Putat enim ipse priora flagella figurare supplicia viuentium, posteriora verò damnatorum: illa enim explicantur, quia temporalia sunt & leuia: ista verò nec nominari possunt, quia omnem sensum excedunt, suntque æterna. Sic ergo fatur, *Potest dici, quod primò & secundò fecit flagellum, quod flagellum non exprimit in secūda eiectione ad significandum, quòd quosdam in præsenti percutit flagello disciplinæ, secundū illud, Flagellat omnem filium, quem recipit. In futuro autem non percutit ad correptionem, sed ad perpetuā damnationem. Vnde genus flagelli non exprimit, ad significandum, quòd non potest exprimi.*

Plutarchus in commēt. de ijs, qui serò a Numine plectuntur.

Matt. 24. 12.

Hugo Car. in c. 2. Ioan.

4 Exprimi quidem potest amaritudo fellis, absynthij, veneni, toxici & arsenici, vbi verò hæ omnes amaritudinum species congeruntur, coeunt in vnum, & per virtutem ignis distillantur, tunc nomen proprium non admittunt, sed vas in quod conduntur, vas amaritudinum meritò appellatur. Eodem modo vitæ præsentis tormēta & poenæ, proprio quidem nomine describuntur: at omnia simul tormenta in inferno collecta, & igne æterno simul distillata, ibique cautè seruata, non alio nomine, nisi loca tormentorum ab ijsdem damnatis vocitantur, sic enim Epulo infernum appellat locum tormentorum, & Hugo eius sententiam explicans, sic ait *Benè dicit locum tormentorum, vbi omnia genera tormentorum sunt cōgregata*. Rationem autem affert Diuus Thomas, dicens, *Quod secundum Basilium, in vltima mundi purgatione fiet separatio in elementis, vt quidquid est purum & nobile, remaneat superius ad gloriā Beatorum: quidquid verò est ignobile & fœtidum, in infernum projeciatur ad poenam damnatorum: vt sicut omnis creatura erit Beatis materia gaudij: ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescat, secundum illud, Pugnabit cum illo orbis terræ contra insensatos. Hoc etiam diuinæ iustitiæ competit, quod sicut ab vno recedentes per peccatū in rebus materialibus, quæ sunt multa & varia, finem suum constituerunt: ita etiam multipliciter &*

Hugo Car. in c. 16. Lucæ.

D. Tho. in additione tertiæ par. q. 97 ar. 1. in corp.

ex

in multis affligantur.

5 Maxima differentia est inter oleum,& vinum: olei enim summum est optimum, vini verò fundum est pessimum. Nam vt Plutarchus docet, *Quod in fũdo est, fæce vitiatur: id autẽ quod in medio continetur, optimum est: vis enim vini calor cùm sit, consentaneum est eum maximè in medium conduci, idque ibi optimum conseruari*. Ita calix tribulationum in hac vita, in qua homines dormiunt inter medias sortes, optimi vini speciem habet, quia vel peccatores purgat, vel iustos coronat: at in fundo, nempè in inferno, pessimæ qualitatis est, ibi enim remanent omnium tormẽtorum congregatæ fæces. Vnde quamuis omnia mala,quæ mortales in hac media sorte patiuntur, in vnum congeras,nihil omnino sunt, si cũ fæcibus tormentorũ, quæ in futuro sæculo impijs reseruantur, componas. Hinc Dauid, *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non est exinanita.* Vbi secundum Basilij interpretationem, grauiorem poenam fæcẽ vocauit. *Ego,inquit, quod liquidius erat,bibi, hoc est leuioribus malis subiectus fui: ipsam verò fæcem Babylonij bibent,id est,grauiora patientur mala.* Inde concludit Psaltes, *Bibent omnes peccatores terræ*: quod optimè ad rem nostram propositam expenditur ab Euthymio, *Sicut per fæcem calicis crassitudinem intelligit meri supplicij, hoc est,extremas omnium poenas,quæ iis reseruantur, qui aut maximè deliquerunt, aut à vitijs immutari noluerunt: ita per peccatores fæcem bibentes, eos intelligit, qui a peccatis numquam conuertuntur.*

Plutarchus lib. 7. Symposiacon q. 3.

Psalm 74. 9

Basilius in Scolia sup. psal. 74.

Euthymius hic.

6 Sed etsi tormenta illa neque describi, neque depingi possint, liceat mihi Phidiæ artem æmulari, qui ex vngue Leonis, Leonis nondum ab eo cogniti, integram statuam,tanta ac tali arte cælauit, vt vix cognosci posset, an ipse à natura,an vero natura ab ipso exempla sumpsisset:eadem arte Pacianus episcopus, Ex vngue præsentis poenæ, infernales depingebat poenas, dicens, *Ecce ignes si memus,& carnificum vngulas expauescimus: comparate ergo eum his æternas torquentium manus, apicesque flammarum nulla ætate morientium.* Quasi diceret, illa vngula est,hæc autem Leo. Quis autem neget in Leone figurari infernum cum Ecclesia petat pro animabus defunctorum, *Libera eas de ore Leonis?* Leonis vngula est vitæ huius tribulatio, quia numquam cõsurgit duplex, & vel vnum tantũ os, vel alterum confingere solet, dum vel diuitias deuorat, vel salutem aufert, vel gratiam Principis destruit: infernus autem talis est Leo,& adeo vorax, vt omnia cõminuat ossa,omnia congreget cõtra damnatos tormenta, deuoret omnia. Hinc Ezechias flebat, *Quasi Leo, sic contriuit omnia ossa mea*: id est, secundum Glosam interlinearem, *Quasi Leo omnipotens, omnia comminuens, non solum carnes, sed contriuit omnia ossa mea.* Ex vngue ergo præsentis tribulationis vel afflictionis, dum vel digitus flamma aduritur, vel modicum quid angustiæ sustinetur, colligi potest qualis sit Leo,qui & carnes & ossa in inferno consumit. Tali vsus est magisterio Dorotheus Abbas, dicens, *Possumus considerare ex his,quæ nunc hic sustinemus,futuras tribulationes. Cùm enim quis digitum adusserit,vel modicum hic, quantum est quod adurit? At quem ignem, quem flammã, quod incendium ista ea ligna factura sunt?*

Pacian. Barcillonensis Epis. in Parenesi ad pœnitentiam.

Ecclesia in offertorio pro defunctis.

Isa. 38. 13.

Glos. interlinearis hic.

Dorotheus Abbas Doctrina 12. de timore, & pœnis inferni.

7 Sed si tartareæ pænæ exteriores, quæ in ignem vt plurimum reducuntur & aquam, nullo possunt adumbrari colore, nulla queunt depingi arte: quis enarrabit angustias interiores? quis cæcam damni pænam,qua æterno orbantur lumine, qua perpetuò exterminantur à Cæli gloria, & qua sũmi Boni visione in ęuum priuantur, poterit figurare? Cedant, cedant omnes inferni sensibiles pœnæ,huic priuationis & dãni horri

bili

bili pœnæ, quia sicut infinito homine priuat bono, ira nullo finito verbo poterit definiri. Inde subdit Dorotheus, *Quis possit, fratres, horrenda illa loca narrare? At omnem horrorem superat, quod Chrysostomus ait, si non essent scilicet flumina, quæ istic ignem fluerent, non dæmones horridi: at solum ex iudicatis, hi gloria & triumpho Cæli donarentur: illi ingloriꝭ & inhonorati relinquerentur, ut viderent gloriã Domini: hanc pœnam, hanc ignominiam, hanc confusionem, omne tormenti genus, omnem gehennam superare. Accedit præterea casus sui dolor, cõscientiæ morsus, & memoria amarissima malefactorum, quæ omnia duriora sunt tormentis inenarrabilibus.* O inenarrabilia tormenta, siue ex malis, quæ patiuntur: siue ex bonis, quibus priuantur!

Dorotheus ibidem.

8 Seneca de Scæuola loquens, mira dicebat, *Mucius ignibus manũ impofuit. Acerbum est vri: quanto acerbius, si id, te faciente patiaris?* At ipse cuilibet damnatorum dicam, acerbissimum est vos vri, idque vobis facientibus, ita pati, vt vobis exprobretur, *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas accendistis.* Vbi Forerius illos vocat, *Accinctores laqueorum.* Damnati enim fuerunt accinctores, & accincti, accendentes & sic accẽsi, vt vbi acerbum est vri, acerbissimum est, quod id ipsis facientibus, patiantur: nam quasi furnis accendendis deputati, cogitationibus, verbis, & actionibus ignem sibi incenderunt, in quo vruntur. Et vbi distillãtem videntes hostes Mucij manum, ignem subduxerunt: ignes damnatorum, laquei sunt, qui semper innouantur, ne possint vllo tempore ex illis exolui.

Seneca in epist. 24.

Isa. 50. 11.

Foreri us hic.

CIRCVLVS II.

Conscientiæ morsus acerrimè torquet damnatos.

9 QVærit Diuus Thomas vtrum vermis, quo mordentur damnati, quo impij roduntur, corporalis sit, an vero spiritalis. Et respondet, *Quod post diem iudicij in mundo innouato, non remanebit aliquod animal, vel aliquod corpus mixtum, nisi corpus hominis tantùm: eo quod non habeat aliquem ordinem ad corruptionem, nec post illud tempus sit futura generatio & corruptio. Vnde vermis, qui in damnatis ponitur, non debet intelligi esse corporalis, sed spiritualis, qui est conscientiæ remorsus, qui dicitur vermis, inquantum oritur ex putredine peccati, & animã affligit: sicut corporalis vermis ex putredine ortus, affligit pungendo.* Ad quod explicandum, reuocandum erit Iuris decretum, quo filij, qui parentem interemerint, hac poena damnantur, vt intra saccũ consuti, ibi simul cum vipera, inter cetera animalia inclusi, in mare proijciantur. At peccatorũ poenam statuit Ecclesiasticus, vt cum verme proijciatur in mare ignis & sulphuris, sic enim sententiam profert, *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Vbi ex Haymone, per vermem & ignem, internus & externus figuratur dolor, is enim ait, *Per hanc sententiam coniungi & internam, & externam damnatorum poenam.*

D. Tho. in additione 3. par. q. 97. ar. 2. in cor.

L. si quis C. de his qui parẽtes vel liberos occiderunt.

Haym. hic.

10 Aduocat autem Agustinũ ad hoc probãdum, & Ecclesiastici sententiam, qua statuitur, *Vindicta carnis impij, ignis & vermis*: & ipse in ea est opinione, quod ideo carnis mentionem fecerit, nec absolutè, impij, dixerit, vt demonstraret carnis futuram dignam poenã, sicuti & carnis præcesserat indigna culpa: sic. n. subdit, *Vindicta carnis impij, ignis & vermis. Potuit breuius dici, vindicta impij, cur ergo dictum est, carnis impij: nisi quia vtrũque, id est, & ignis & vermis, poena erit carnis? Aut si vindictam carnis propterea dicere voluit, quia hoc in homine vindicabitur, quod secundũ carnem vixerit, propter hoc enim veniet & in mortem secundam, quã significauit Apostolus dicens, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini? Eligat quisque quod placet, aut ignẽm tribuere corpori, animo*

Eccli. 7. 19.

Auguft. lib. 21. de Ciu. Dei c. 9.

ver-

vermem: hoc propriè, illud tropicè, aut vtrumque propriè corpori.

11 Triunphatrix Roma memoriam facinorum quæ Cedro erant digna, & in titulis fingebat, & per laureas exprimebat, & in tabulis etiam depingebat: Epulo autem, quasi triumphator descendens in infernum, vidit occurrentes Principes, surgentes de solijs suis, eique dicentes, *Et tu vulneratus es sicut & nos, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Sed dices, vbi tituli? vbi laureæ? vbi pictæ tabulæ illic apparent? Heu! Dum Epulo Lazarum videt, hæc omnia videt: & dum petit ab Abraham, Mitte Lazarum in domum Patris mei: mala recolens, quæ in domo commisit, a vermibus mordetur, a quibus corroditur cor. Ita Chrysologus interpretans verba, Mitte Lazarum in domum patris mei, ad Epulonem conuersus, his verbis exprobrat illi præteritam memoriam feritatis, *In domum patris, ante quam benè iacuit Lazarus: ad illam ianuam, in qua fame sua inhumanitatis tua titulos fixit: vbi postes tuos vlceribus laureauit, vbi sanie sua pinxit micas tuas. Patere ergo stare vices, iam deponere dolos licet; quia tu Lazarum non potes videre. Scitur quia plus te felicitas Lazari, quam gehenna torquet incendium.* Sic, sic damnati bis miseri, & ex proprijs torquentur malis, & ex Beatorum cruciantur bonis, Dorotheo sic testante, *Vt enim Sancti capiunt loca lucida, Angelorumque delectationem bonitati eorum congruam: Sic peccatores habent loca obscura & tenebrosa, horrore & extasi plena.* Ergonè, extasim damnatus patitur? Patitur quidem, sed eam, quam definit D. Thomas, *Qua ponitur extra connaturalem apprehensionem rationis & sensus: vel qua ad inferiora deprimitur, puta, cùm aliquis in furiam vel amentiã cadit.* Vtraque extasi quilibet damnatus vexatur, nam & extra cõnaturalem apprehensionem appetitus & sensus ad Beatorum gloriam contemplandã inuidus eleuatur: & ad inferiora tormenta sustinenda ita deprimitur, vt in furiam & amentiam cadat, loca videns tenebrosa & obscura, horrore & extasi plena.

Isa. 14. 10.

Chrysolog. serm. 66. de diuite & Lazaro.

Doroth. ibi.

D. Tho. 2. 2. q. 28. in corpore.

12 Hac cruciante extasi torquetur Epulo, qui olim Talpa, nũc Argus: olim Lazarum non agnoscens, nunc dignoscens: olim pro nihilo illum habens, nunc inuidens: & quem olim aborrẽs contẽnebat, nunc admirans exaltat. Heu! toruis oculis videt & inuidet, videtque damnabiliter adimpletum, quod iam Quintus Euangelista indignanter reprobatis imprecabatur, *Domine, exaltetur manus tua, & non videant: videant, & confundantur.* Quomodo, o Isaias, opposita copulas, primùm vt non videant, postea verò, vt videant? Sic, sic, nam Talpa fuit in vita, Argus in morte. Hic non vidit Lazarum, vt eius misereretur: ibi eum videt, vt confundatur. Audiamus Gregorium hæc opposita, temporum diuersitate componentem, *Intellectum quippe reproborum nunc merita obscurant, sed tunc cogniti reatus illuminant: vt & modò sequenda excæcati non videant: & tunc ea, postquam amiserint, dolentes cernant.* Communẽ autem sentẽtiam Prophetæ, Chrysologus reflectens ad Epulonem, & interpretans ea verba, Cum esset in tormentis, eleuauit oculos suos, & vidit Lazarum, ita fatur, *Gratis respicit modo Lazarum sursum, qui ante deorsum Lazarum videre despexit. Modo pungit poena, quem non poenitudo compunxit: & vexant tormenta quem Lazari vulnera non mouerunt: nec gratis aculeos percipit poenarum, qui in purpura voluebatur ingratus.* Pendenda sunt verba, *Aculeos percipit poenarum, qui in purpura voluebatur ingratus.* Nam aculei illi vermiũque morsus, Diuiti adaucti sunt ex Abrahæ verbis, *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Vt enim adnotat Hugo, *Auget per ea afflictionem, hoc enim est, quod maximè cruciat damnatos, scilicet, præteritarum deliciarum recordatio, quibus mallet caruisse: vnde Boe-*

Isa. 26. 11.

Greg. lib. 7. mor. cap. 20

Chrysolog. ibid.

Luc. 16. 25

Hugo Car. in c. 16. Lucæ.

tius, *Infelicissimum genus infortunij eſt, fuiſſe felicem*, O infelicem fælicitatis recordationem.

13 Illud autem poenis omnibus ſupereminet, quod perijt ſpes omnis, omnis ſpes omnino deperdita, cùm certo certius ſciant in æternum tormenta illa ſe eſſe paſſuros. De Alexandro legitur, quod, *Poſteaquam in expeditionem profectus, regias opes penè omnes in milites ac Duces diſtribuiſſet, rogan-ti Perdicca, Quid tibi nunc Rex ſupereſt? Spes, reſpondit.* At Epulo poſteaquàm in expeditionem ex hoc in aliud ſæculum profectus eſt, regiaſque opes alijs vel diſtribuiſſet, vel reliquiſſet, ſi à Gigãtibus, qui ei in infernum deſcendenti occurrerunt, interrogaretur, quid tibi nunc Rex ſupereſt? Heu! non poſſet reſpondere, quòd ſpes ſuperfuit: ſed contra, vel dicere lugens, *Tamquam arbori auulſa abſtulit ſpem meam:* vel repetere dolens, *Nec tu ſpes quoque relicta.* Vbi enim ex vaſe Pandoræ, vnde omnia mala egreſſa aut finguntur, aut figurantur, Spes fundo hæſit: in inferno omnia mala conglomerantur, & ſpes nulla relinquitur. Audiamus Gregorium, *Solet namque moeſtum animum ſpes vel falſa refouere. Sed, vt poenam ſuam improbi grauius ſentiant, ſpem de venia amittunt. Vnde & in flammis vltricibus traditus, non ſibi, vt diximus, ſed opitulari fratribus concupiuit, quia ſe nunquam ignium carere tormentis adiuncto deſperationis ſupplicio ſenſit.* Et vbi hic periculoſa eſt deſperatio, inibi deſperatio ſic eſt damnoſa, vt omnia damna compleat, ſuperet omnia.

Ex lib. 4. Apophtegm. vbi de Alexandro n. 44

Iob 19. 10.

Emblema.

Greg. lib. 8. mor. c. 2.

14 Et verè infernum ſuppliciũ miſer tunc agnouit, vbi de miſericordia Dei ſpem omnem amiſit. Cùm enim de miſericordia diuina ſcriptum ſit, *Miſericordia Domini plena eſt terra: & Domine in cælo miſericordia tua:* fit vt exceptione in contrarium firmante regulam, in adamantinis portis inferorum inſculptum legatur, *Voca nomen eius abſque miſericordia.* Hinc Epuloni miſericordiam petenti, improperebat Chryſologus, *In inferno quis miſericordia locus? In tormentis quæ ſpes veniæ? Et in hora ſententiæ, tempus indulgentiæ quis requirit?* Sciunt, ſciunt miſeri, & non ignorant deſperati, corpora eorum ſic eſſe doloribus cõſecrata, vt quemadmodum conſecrationis character nulla poteſt vi tolli, nulla ſinitur arte deleri: ita nec mortua illorum ſpes viuificari. Sed forte ambiges, quænam communicatio & quæ conuentio inter damnationem & conſecrationem poteſt excogitari? Multa quidem, ex ſententia Emiſſeni, dicentis, *Damnatorum corpora vitæ gaudijs exuta, eſſe ſolis mortis doloribus conſecrata.* Cùm enim ex Angelica doctrina, *Conſecratio qualibet ſit indelebilis, manente ſubiecto:* Sicut qui Auctori vitæ conſecrantur, indelebili charactere notãtur: haud aliter, qui doloribus mortis conſecrati ſemel ſunt, & acceperunt characterem beſtiæ, indelebiliter cruciantur, ſubiectum enim ſemper manet, nam eodem Euſebio teſte, *Hinc ſolam debet damnato homini rationabilis ille ardor ac vindex flamma reuerẽtiam, vt traditos ſibi reos, vt poſſit punire, non poſſit extinguere, ſed deputata in pabulum ſuũ corpora, & conſumat, & nutriat.* O irreuerentem reuerentiam in damnatorum æternam ignominiam atque noxam commutatam! O vitalem mortem, o mortalem vitam, ex omnium tormentorum ſucco expreſſam!

Pſal. 1. 2. 5.

Ioſex. 1. 7.

Chryſolog. ſer. 16. de Diuite & Lazaro.

Euſeb. Emi. hom. 2. de Symbolo.

D. Tho. 2. 2. q. 39. ar. 3. in corp.

Euſeb. ibid.

CIRCVLVS III.

Poena inferni maxima, quia ex miraculo damnati torquetur.

15 SEntentia Chryſoſtomi eſt, ea quæ ex miraculo fiunt, lõgè ſuperare omnia, quæ naturaliter fiunt: ſic enim ait, loquens de aqua vinũ facta, & de vino, quod Architriclinus vt optimum ap-

pro-

Chryſoſt. apud Diuũ Tho. in Catena ſuper c. 2. Ioan.

probauit, *Talia ſunt Chriſti miracula, vt multo bis, quæ per naturã fiunt, ſpecioſiora & vtiliora fiant.* Semel tantum Deus miraculum, quod æterno tempore perduraret a iuſtitia vindicatiua prouocatus, produxit in lucem, dum ſtatuit in tenebroſo Chaos, cæcum ignem quamuis corporeum, ſpiritum torquere, & corpus ſic concremare, vt tamquam inſtrumẽtum iræ inuſitato modo eleuatum, nec ipſe extinguatur, nec corpus in ipſo commorans conſumatur. Hoc grande miraculum aſtruit Abulenſis, docetque, quod vbi Deus miracula pro iniuſtis non facit, ibi pro damnatis, ad damnum tamen ipſorum, æternum inſtituit. Sic enim ait, *Pro iniuſtis Deus non facit miracula, & maximè pro condemnatis, quia qui iniuſti ſunt nondum condemnati, poſſunt pertinere aliquando ad Ciuitatem Dei: qui autem cõdemnati ſunt, numquam pertinebunt ad Deum. Ideo non faciet pro eis miracula, niſi quæ ſint ad damnum ipſorum, ſicut in inferno Deus facit miraculum pro malis, ſcilicet, quod ſemper crementur igne intenſiſſimo, & tamen carnes eorum numquam conſumentur, & iſtud eſt, vt ſẽper grauius puniãtur.*

Abulenſis q. 30. in c. 13. libri 3. Regum.

16 Miraculum, & quidem, non parui ponderis æſtimari poſſet, ſi vſu non viluiſſet, nec nouitas illi deeſſet, dum leuis & paruus magnes, ferrum trahit natura graue, cogitque ima deſerere, ſuperna petere, è terra contra naturam eleuari, in aere ſuſpendi, ſuſpenſum retineri non a corpore ſuppoſito, ſed a lapide ſuprapoſito, cui firmiter hæret, cui immobilis adhæret, & a quo ſic mirabiliter retinetur, vt Plinius inter prodigia omnia hoc primum ſic aſtruat, *Quid enim mirabilius? Quid lapidis rigore pigrius? Ecce ſenſus manuſque tribuit illi. Quid ferri duritia pugnacius? Sed cedit & patitur mores: trahitur namque à magnete lapide, domitrixque illa rerum omnium materia ad inane neſcio quid, currit: atque vt propius venit, aſſiſtit, tenetur que & cõplexu hæret.* Eodẽ modo, ſi dicere fas eſt, magnes omnipotẽtis manus diuinæ eleuat ferrum, non rubigine aſperſum, ſed ignitum. Eleuat infernalem ignem, ſicuti & minatur, *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis.* Eleuat dum materiale inſtrumentum ad incorporeum ſpiritum deſtinat torquendum. Eleuat dum ignem corporeum ad corpora æterno tempore comburenda, & incombuſta prædefinit & præcipit ſeruanda. Eleuat ergo, cùm dicit, *Si acuero vt fulgur gladium meum*: Vel ex Oleaſtro. *Si reuoluero, vel iterauero gladium meũ, nam gladius reuoluendo acuitur.* Et eleuat, dum ſubdit, *Et arripuerit iudicium manus mea.* Arripere enim, ex Græco, τζοοαρταδιο, idem ſignicat ac, Ad me rapio, & attraho, vel apprehendo. Non aliter iudex iuſtus, de cuius gloria canitur, *Omnipotens eſt nomen eius*: iterauit aciem ignis, quia, vbi naturaliter non agit, niſi in corpora, ſupernaturaliter, & admirabili virtute, eũ ſic arripuit, & appræhendit, vt etiã vexaret atque torqueret ſpiritum: & vbi incendens corpora, corpora comburit, comburit & oſſa: miris, & veris modis, ita diſpoſuit, vt corpora ſic incombuſta combureret, vt ipſa ſimul eſſent combuſtio ignis & eſca: tormentum, & alimentum. afflictio, & nutritio, & impleretur oraculum Iſaiæ, *Omnis violenta prædatio erit in combuſtionẽ & cibus ignis.* Nam ex Gloſa interlineari, *Erit in combuſtionem gebenna, & erit cibus ignis æterni.*

Deut. 32. 41

Oleaſter in annotatione ad literã ſup. c. 32. Deuteron.

Græcus.

Exod. 15. 3.

Iſaiæ 9. 5.

Gloſa interlinearis hic.

17 Quæres, qua arte, quaue potentia, & qua virtute fiet, vt ignis materialis ad tam dira miracula eleuari vmquam poſſit? Dicam & ego illud, quod Secretarius naturæ de adamante dicebat, naturæ miraculum expendens, quæ etſi adamantem ita inuictum reddidit, vt vim duri ferri, ignisque contemnat, hircino tamen molli rumpatur ſanguine, ſic admirans quærit, *Cuius hoc ingenio inuentum? quoue caſu repertum? aut qua fuit coniectura experiendi rem immenſi*

Plin. lib. 36. cap. 16.

Plin. lib. 37 cap. 4.

secreti, & in foedissimo animalium? Numinum profectò muneris talis inuentio est. Nec quaerenda in vlla parte naturæ ratio, sed voluntas. Idipsum & ipse afferam, sed cum maiori foenore, de igne inferni, in tali operatione & miraculo tali, non esse quærendã rationem, sed Authoris naturæ voluntatem, & manus arripientis potestatem. Arripit enim Omnipotens, & per vim rapit, dum illo vtitur, tamquam instrumento, & sic eleuat ab infimo gradu naturali, vt & spiritum torqueat, & corpora incombusta comburat. Si modi quæruntur, quibus hæc mirabilia producũtur: demonstrat, Augustinus miros illos esse, sed veros, sic enim fatur, *Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiam Spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si Spiritus hominũ etiam si profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus mẽbris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo si eis nulla sunt corpora Spiritus dæmonum, immo Spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciãdi: nõ vt ignes ipsi, quibus adhærebũt, eorũ iunctura inspirentur & animalia fiant, quæ constent spiritu & corpore: sed, vt dixi, miris & ineffabilibus modis adhærẽdo, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitã: quia & iste alius modus, quo corporibus adhærent Spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.*

Aug. lib. 21 de Ciuitate Dei c. 10.



CAELI DAVIDICI
VERSIO LXIX.
In Psalmi Primi, Versus quarti, Partem secundam.
Ex Euthymio.

Quem proijcit ventus à supurficie terrę.

CIRCVLVS I.

Ventus vrens diabolus est, qui rapit impios, & proijcit in inferos.

1 CVm Logica doceat, Æquiuoca prius esse distinguenda, & posta definienda, antequam ventum hunc flantem, & impios afflantē definiamus, ratio postulat, ordo exigit, vt illum distinguamus. Ventus ergo Hebraicè, רוח, Ruach, & bonum significat Spiritum, & malum. Malum, vt ibi, *Ecce ventus turbinis veniebat ex Aquilone*: vbi Glosa ordinaria, malum agnouit Spiritum. Bonū, vt inibi, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: & *Emitte spiritum tuum, & creabuntur*: vbi omnes bonum spiritum recognoscunt. Eodem ergo verbo Hebraico vtrobique describente ventum vtrumque, non aliter distingui poterit, quando bonum significet, quando malum, nisi inspecto loco, ex quo exoritur & spirat. Si enim ab Austro venit, bonus dicitur: si verò ab Aquilone, malus noscitur. Ille enim a Deo prouenit, *Deus ab austro veniet*: & mercedem beneficiorum secum affert, *Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra*. Iste a diabolo venit, qui vanè gloriatur, *Sedebo in lateribus Aquilonis*: qui & mala ominatur, *Ab Aquilone pandetur malum*: quique furens, minatur, dum, *Irruit ventus a regione deserti*. Vbi Origenes, *De teipso hæc loqueris, infelix diabole, tu, videlicet, es Spiritus ab eremo veniens: tu quattuor angulos domus tetigisti, atque internicionem filiorum fecisti*. Hæc autē discrimina inter vētū & ventū, & eloquēter & latè Gregorij Magni penicillus expressit. Is ergo pendens diuinæ Sponsæ vel preces, vel iussiones, *Surge Aquilo, & veni Auster*: ita fatur, *Quid enim per Aquilonem, qui in frigore constringit, & torpentes facit, nisi immundos Spiritus designantur: qui reprobos omnes dum possidet, à bono opere torpere facit? Per Austrum verò, calidum scilicet ventum, Spiritus sanctus figuratur, qui dum mentes electorū tangit, ab omni torpore relaxat, & feruentes facit, vt bona, quæ desiderant, operentur*. Cùm ergo reprobis extremum & exitiale adueniet malum, veniet ventus, scilicet diabolus, ad faciendam vindictam in nationibus, eosque raptabit in tenebras exteriores, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, & vbi erit fletus & stridor dentium. Vnde Euthymius, *Quemadmodum irruentes venti facilè puluerem transferunt & dispergūt*:

Hebræus.
Ezechiel. 1. 4.
Glosa ordinaria hic.
Gen. 1. 4.
Ps. 103. 30.
Habac. 3. 3.
Isa. 14. 14.
Ierem. 1. 14
Iob. 1. 19.
Origen. lib. 1. in Iob.
Greg. Papa in c. 4. Cant.
Euthymius in ps. 1.

ita & aduersarij dæmones impios quosque facilè dissipabant. Per faciē verò terræ, eius superficiem intellige: quam terræ humeros etiam appellant, eo quod ferat ac sustineat corpora omnia, quæ in ea sunt; sicuti & terræ sinum eam partem dicunt, quę in ea est magis profunda.

CIRCVLVS II.

Electi ab Angelis eleuantur in cælum, reprobi a dæmonibus merguntur in infernum.

2 SIcut nimiū differūt vētus & vētus, spiritus & spiritus, ac aura suauis & impellens turbo, a quibus diuersæ hospitæ naues, actæ per æquoreas aquas, diuersos exitꝰ sortiuntur: dum hæc in spiritu vehementi conteritur, illa in spiritu bono in terram rectam ducitur. Non aliter piorum & impiorum naues, quæ per hoc mare magnum variè deducuntur, varium ducuntur ad terminum. Impij enim, quos malignorum spirituum pestiferi flatus propellunt, naufragium faciunt, & in infernum merguntur. At Pij, quos bonorum spirituum flatus ducunt, ducuntur in portum voluntatis eorum, ducuntur in Cælum, ducuntur ante iustum iudicem, ducuntur vt repositam accipiant Coronam iustitiæ, & ab Angelis Dei ducuntur, testante Bernardo, ***Tunc iusti in manibus portabuntur Angelorum, & super aspidem & basiliscum, id est, dæmones ambulabunt: & ad lapidem angularem, scilicet Christum, non offendent pedes suos, hoc est, sine offensione in conspectu Iudicis apparebunt, & stabunt.*** Sic Angelorū chorus lætabūdus & laudās animā Lazari in sinū Abrahæ asportarūt. Dices, nonne vnus Angelus ad animam vnā portandam sufficiens erat? Vt quid ergo chorus aduenit illorum? Respōdet Chrysostomus, *Sufficerat ad portandum pauperem vnus Angelus; sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant: portatus est autem in sinu Abrahæ, vt illum palparet, & refocillaret. Sinus autem Abrahæ paradisus est.*

Bern. ser. 7. in psal. Qui habitat.

Chrysost. relatus a D. Tho. in cat. sup. cap. 16. Lucæ.

3 Eadem amoris lege, qua amatrix mater paruulum filium multa passum, & amicorum manibus ex via, vel ex platea domum asportatum, pia recipit, tenera amplectitur, diligens osculatur, dulciter palpat, lacrymas abstergit ab oculis, verbis delinit, illecebris allicit, & blandè consolatur. Simili affectu Pater Abraham Lazarum in hac lacrymarum valle vlceribus plenum, fame consumptum, lacrymis pastum, pane doloris nutritum: hinc ab amicis Angelis in ipsius sinum importatum, & recipit, & fouet, & palpat, & refocillat, & lacrymas abstergit ab oculis, & ad cor loquitur, & dulciter consolatur. Vnde Chrysologus, ***Merito portabatur ab Angelis, qui iacebat, qui lugebat, Abraha consolabatur in gremio.***

Petr. Chrysolog. serm. 124. de Diuite & Lazaro

4 Non sic Epulo, non sic, sed post bona accepta in vita, post pōpales vestes, & splendidas epulas, & diuitijs mortuus, & pompis, atque delicijs, à diabolis asportatur in infernum, ibique æternaliter sepelitur, sic testante Chrysologo, *Miser accepit ante animæ, quàm corporis sepulturam: nec ante quieti corporis, quàm pœnali traditus est sepulchro: vt viuat pœna semper cùm sit semel mortuus vita.* ***Et sepultus est in inferno, & vidit Abraham de longe, & Lazarum in sinu eius.*** Sicut in carcere constitutorum causa discussa, & sententia diuersa, sed iuxta leges lata, vt alter neci tradatur, liberetur alter: hic ab amicis comitatus cum lætitia magna ad propria reducitur: ille satellitibus traditur, & morte afficitur: Ita Lazarus, & Epulo, pauper, & diues, ex hac mundi custodia educti, & a seuero Iudice, sed verè diuerso iudicio iudicati, vt alter reuertatur ad propria, alter verò æterna morte puniatur: ille ab

Chrysolog. ibid.

exultãtibus amicis, nempè ab Angelis ducitur in sinum Abrahæ: iste à tortoribus diabolis truditur in inferni sinum, *Nam iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum*. Si quæras, quinam sunt Tortores? Remigius putat tales esse dæmones, dicens, *Tortores autẽ dicuntur dæmones, quia semper ad hoc parati sunt, vt perditas animas suscipiant, & in pœna æterna dãnationis torqueant.* Idipsũ confirmat Theophylactus, qui nunc quærit, *Quibus autem tortoribus tradidit?* Nunc autem respondet, *Fortè potestatibus punitricibus, ita vt perpetuò puniretur?*

Matt. 18. 34.

Remig. relatus à D. Th. in Catena super c. 18. Matth.

Theophylactus in enar. sup. cap. 18. Matth.

5 Id autem, quod subdit iudex, quoadusque reddat vniuersum debitum, non paruam excitauit quæstionem: si enim debitum damnati ad infernales pœnas est insolubile, quomodo tortoribus traditur, quoadusque reddat illud? Theophylactus in ea est opinione, vt Verbum donec, perpetuitatem significet, dicens, *Hoc significat, quod tamdiu puniatur, donec reddat, numquam autem reddet quod debebat, videlicet pœnam, quam meruerat: semper ergo punietur.* Eumdem nodum Caietanus intorquet, & idem soluit, nunc dicens, *Occurrit quæstio quomodo verificatur, quòd sic faciet Pater cœlestis torquendo quoadusque reddat, quum torqueat post mortem in æternum sine termino aliquo?* Nunc nodum propositum ita soluens, *Solutio, quòd torquendus quousque reddat, si numquam reddit, numquam euadit tormẽta. Tales sũt damnati in inferno, qui ideò numquam desinunt torqueri, quia numquam reddunt, nũquam pœnitet eos offensa diuina, nũquam satisfaciunt, perseuerant enim in voluntate impœnitente offirmata obstinata in malo.* Hanc autem traditionem in tortorum manus, quã Iudex iratus & iustus expressit: regius Psaltes figuratè prædixit, *Tradentur in manus gladij: partes vulpium erunt.* Vbi Glosa, per gladiũ dæmones interpretaur, dicẽs, *Tradentur in manus gladij, id est, dæmonum:* hoc autem latius ab Agellio explicatur, dicente, *Tamquam vincti, & cõclusi gladio cædenti tradentur, vt neque ab eo fugere, neque se defendere possint.*

Theophylactus in enar. sup. cap. 18. Matth.

Caiet. in c. 18. Matth.

Psal. 62. 11.

Glos. interlinearis hic.

Angel. in psl. 62.

CIRCVLVS III.

Aquilo non tanget Pios, disperdet impios.

6 AQuilo alio, nomine ventus terræ, præualet quidem cum habitantibus in terra, non tamen valet cum commorantibus in Cælo, cum ergo iusti repetant Apostoli verba, *Nostra autem cõuersatio in Cælis est:* & cùm de eis statuat Augustinus, *Quòd quamuis in terra, corpore multa sustineant, corde tamen fixi sunt in Cælo:* à flãte Aquilone lædi non possunt. At impij, quibus Ioannes triplex minatur væ, væ, væ habitantibus in terra: à rapido hoc vento propellentur à superficie terræ. Hanc differentiam indicans Paulus, dicebat, *Nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemus cum illis in nubibus obuiam Christo in aera: & sic semper cum Domino erimus.* Vbi Diuus Thomas differentiam obseruat inter iustos & impios, ex loci diuersitate deducens illam, nam iusti à nubibus rapientur & in aerem eleuabuntur: impij vero in terra relinquentur, & à vento rapientur à facie terræ. Ait ergo, *Est autem hæc inter bonos, & malos differentia, quia mali remanebunt in terra, quam dilexerunt: boni rapientur à Christo; quem quæsierunt, & conformabuntur Christo, non solum quantùm ad gloriam corporis, sed etiam quantùm ad situm, quia Christus erit in nube, & Sancti à nubibus rapientur. Et sic semper cum Domino erunt. Vbi ostendit beatitudinem sanctorum, quia semper erunt cum Domino, eo fruentes.* Tunc oculis vestris, o reprobi, videbitis quid sit inter Iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non seruiẽtem ei, cùm vos catenis vinctos, illos videbitis gloria coronatos.

Ad Philip. 3. 20.

Augu lib. 1 de serm. Domini in mõte, c. 6.

Apoc. 8. 13.

1. Thess. 4. 16.

D. Th. lect. 2. in cap. 4. epist. 1. ad Thessal.

CIRCVLVS IV.

Iusti, vt graues, non mouentur a vẽto, impij mouẽtur, vt leues.

7 NOn mouẽtur iusti ab Aquilonari vento, morientes, quia ab illo non raptantur, viuentes : impij, qui male viuentes ab Aquilone rotantur, male moriẽtes à spiritibus immundis propellentur. Rationem autem huius discriminis hãc affert diuus Thomas, *Quia etsi terra sit iustus, sicut & impius, nihilominus, iustus terra agglutinata est: at impius, soluta: Agglutinatur autẽ terra iusti aquis gratiarum Dei, quibus cùm priuatus sit impius exiccatusque, facile à ventis rapitur, ac proijcitur*. Nolite vos timere, ò Iusti, qui agglutinati estis glutino caritatis, & in vnum ita collecti, vt cor vnum & animam habentes vnam, grauesatque immobiles sic estis effecti, vt de vobis dicatur Deo, *In populo graui laudabo te*: Vel ex Hieronymo, *In popolo forti*: Vel ex Aquila, *In populo robusto. Verbũ enim hebraicum* ex Rab. Dauid, *non tantum significat roborare, sed etiam augere in quantitate, & numero, & multiplicare*. Vbi Cassiodorus, differentiam statuit inter frumentũ, & paleas, quod hæ leues cũ sint, leui aura tentationis proijciũtur: illud autem graue cũ sit, immobile permanet, ait enim, *In populo graui, vtique fructuoso: quia nõ in leuibus paleis, sed in frumentalibus granis noscitur constitutus. Quem veniens aura tentationis de area Christi non abijcit: sed ventilationibus purgatur potius, quàm longè proijcitur. Quapropter in graui populo laudatur Dominus: a leuibus autem, & fide vacuis, vtique blasphematur.*

D. Tho. in psal. 1.

Psal. 34. 18.

Hieronym.

Aquila.

Cassiod. hic

6 Sed Cassiodorus comparans impios palejs, nobiliores illos demonstrat, quam Verbum pulueris in Hæbreo positum a Felice dignoscantur, vult enim, *Significari per ipsum leuissimum illud purgamentum, quod dum triticum ventilatur, in altum à vento eleuatur, & circumuoluitur*. Si autem Democritus atomos fingens in confuso illo Cahos existentes, & quidem insensibiles, hos impios figurasset, vera dixisset. Vere enim dixit Isaias, *Ecce insulæ, quasi puluis exiguus*. Refert autem Hieronymus, *Verbum Hebraicum significare quod decidit*. Et subiit, *Aiunt autem Hebrai hoc verbo significari tenuissimum puluerem, qui vento raptante, sæpe in oculos mittitur, & sentitur potius quàm videtur. Minutissima ergo frustra pulueris, & penè inuisibilia, hoc verbo appellãtur, quas forsitan Democritus cum Epicuro suos atomos vocat*.

Felix in ps. 2.

Isa. 40. 15.

Hieron. lib. 11. in c. 40. Isa.

CIRCVLVS V.

A superficie terræ raptãtur impij, quia in caritate non sunt radicati.

7 EVthymij translatio, *In superficie terra*, rationem assignat a priori, cur impij leui flatu a vento proijciantur, eaque est, quia in terra non sunt caritate radicati. Aristoteles definiens superficiẽ, & docens, *Superficiem esse quantitatem longitudinem & latitudinem habentem, absque profunditate*: latam aperit nobis viam ad cognoscendam facilem impiorum proiectionem a faciæ terræ, quia tamquam paleę, vel quisquiliæ iacent in superficie, neque vt iusti radicem habent in terra, dicente de illis Christo, *Hi radicem non habent*: & explicante Chrysostomo, *Quia fides eorum caret radice caritatis*: & statuente de his, Paulo, *In caritate radicati & fũdati*: & sic glosante Chrysostomo, *Neque ait simpliciter, caritatem: sed ita radicatam & fundatam, vt neque*

Aristot. in prædicam. cap. de quãtitate.

Luc. 8. 13.

Chrysost. hic.

Ad Ephes. 3. 17.

Chrysost. hic.

que

que venti illam quatiant, neque aliud quidquam deijciat.

8 Sed quomodo iustus radices habet in terra, si Apostolus præcipit,

Ad Coloss. 3. 1.

Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram? Vtique tunc radices in terra habet, cùm non quærit, quæ sunt super terram, sed quæ sursum sunt: ideo enim dicitur arbor inuersa, quia comæ, quas expandit, tamquam radices, in terra quidem figit, non tamen morientium, sed viuentium. Si scire cupis quales sint hę radices: en illas tibi demōstrat Hugo Cardinalis, intellectus, scilicet, & volūtatis, easque in Apostolo sic apparere docet,

Hugo Car. in c. 3. epist. ad Ephes.

Dicebat Apostolus Nihil me reputaui scire inter vos, nisi Christū, & hūc Crucifixū: ecce quēadmodū radices intellectus fixerat in Christo. Cū autē dicit, Quis separabit me a caritate Christi? ecce radix affectus qua radicatur, & sicut arbor, qua habens altas radices, non facilè auellitur.

9 Addubitabis, & iùre, Esto, iustus, tamquam arbor inuersa, radices agens in terra carnis Christi, quæ sursum est, possit suspensus pendere, & sustentari: at quomodo poterit, vt domus, sursum ponere fūdamentum, cùm ex Augustini sententia,

Aug. ser. 10 de Verb. Domini.

Qui fodit fundamentum, ad ima deprimitur? Respōdet D. Thomas, & distinguens inter fundamenta spiritualis, vel materialis ædificij, dubium sic soluit,

D. Tho. lect. 6. in c. 3. epi. ad Ephes.

Non est idem de fundamento in ædificio spirituali, ac de ædificio materiali: materiale namque ædificium fundamentum habet in terra, & ideo oportet vt principalius fundamentū sit magis infimum. Spirituale vero ædificiū fūdamētū habet in Cælo, & ideo oportet, quòd fūdamentū, quanto est principalius, tanto sit sublimius. Diuersitatem autem horum fundamētorum explicat Augustinus allata gemini ponderis diuersitate;

Augu. in 1. enarr. ps. 29.

Pondus enim cùm sit impetus quidam cuiusque rei velut conantis in locum suum: sunt aliqua, quæ sursum versus petunt locum, namque si aquam mittas super oleum, pondere suo in ima tendit. Contra, oleum funde super aquam, non patitur oleum subter se. Rebus ergo ad ima tēdentibus, in imo ponitur fundamentum: Ecclesia vero Dei in imo posita tendit in cælum, fundamentum enim nostrum ibi est positum, Dominus noster Iesus Christus sedens ad dexteram Patris. Hinc est, quod Christiani oleo vnguntur, & ab oleo nominantur, quia pondus recipiunt, velut conantis, ad cælum. Impij autem, & terra sunt, & in terram reuertuntur: & non modo ventus eos rapit, à superficie terrę, sed proprio etiam pondere descēdunt in profundum.

10 Heu! poterit quilibet impius lugens & ignorans repetere cum Cain,

Gen. 4. 14.

Ecce eijcis me hodie a facie terræ, & a facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Nōne his verbis, iure inscribas titulū pro ignorātijs? Si Dauid fatetur,

Ps. 138. 7.

Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si Hebræi dicunt, *Spiritum hunc significare assistentiam in omni loco diuinam:* si Poetæ putant Deū esse animam mundi, vnde totus est in toto mundo, & totus in qualibet mundi parte: et si immensa Bonitas asserit, *Cęlum & terram ego impleo: vbi se abscondet hic parricida a facie Dei?* Dicam tibi, o Cain, quod Encelado Poeta dixit, mutato nomine,

Ex Hieron. in c. 27. Isa.

Quo fugis Caine? quascumque accesseris oras,
Sub Ioue semper eris.

Eris, & es sub Deo etiam in inferno, vti & nunc, dante vexatione intellectum auditui, velis, nolis, cogeris confiteri,

Ps. 138. 8. Ex Titelm. hic.

Si descendero in infernum, ades. Ades secūdum potētiam & seueritatem tuæ iustitiæ, quasi iudex & vltor in loco carceris, ad perpetuam impiorum, qui hic vincti detinentur, vltionem. Et ades Iudex, & ades vltor malorum.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXX.

In Psalmi Primi, Versum Quintum.

Prima, Ex Vulgata, Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio Iustorum.

2 Ex Ambrosio, Quoniam non resurgunt impij in iudicio, nec peccatores resurgunt in consilio Iustorum.

3 Ex Hebræo, Non surgunt impij in iudicio: neque peccatores in coetu Iustorum.

4 Ex Pagnino, Ideo non stabunt impij in iudicio, neque impij in congregatione Iustorum.

5 Ex Chaldæo, Non consistent impij in die magna, vel in die iudicij magni in societate Iustorum.

6 Ex Isidoro Clario, Non erigent se se impij in iudicio, nec peccatores inuenientur in cœtu Iustorum.

7 Ex Caietano, Non permanebunt impij in iudicio.

8 Ex Aquila, In synagoga Iustorum.

9 Ex Symmacho, In conuentum: Ex Hieronymo, In congregatione Iustorum.

10 Ex Theodotione, In collectione Iustorum.

Prima huius versus pars ex Vulgata, Ideo non resurgent impij in iudicio.

CIRCVLVS I.

Æqualiter ſurgent in iudicio pij & impij, ſorte tamen inæquali.

1 
Vorundā oculis mutilata quodāmodo videtur in lucem egredi hæc quīti Verſiculi prima pars: vnde & putant eſſe illi vel addenda, vel mutuanda à parte ſecunda vel verba, vel mēbra, nempe, *In iudicio Iuſtorum:* in quo ſcilicet vel à ſummo Iudice iudicabuntur & Iuſti, vel à Iuſtis erunt impij iudicandi. Nos autem rem altius repetentes, & Ruperti Abbatis veſtigia ſectantes, duplicē hic reperimus deſcriptam diuersā ſobolem, & geminam nimiumque oppoſitam generationem. Prior ortum ex Abel, ſecunda ex Cain duxit: Iuſtorum prima, ſecunda impiorum: ſic teſtante Ruperto, *Cain & Abel duarum generationum fuere primordia, quorum altera reproborum, altera vero electorum generatio eſt.* Hanc de medio ablatam, ablato Abel, ſerpens gloriabatur: Seth autem nato, & ex eo Enoch progenito, atque Iuſtorum ſtipite de nouo exorto, verſa eſt ſerpentis cithara in luctum, chorus in lamētum, gloriatio in ignominiam, tripudium in planctum, triumphus in opprobrium, & victoria in captiuitatem.

Ruper. Abbas lib. 2. de Vict. Verbi Dei. c. 21.

2 Subdit ergo Rupertus, *Cum ſublatus eſſet iuſtus Abel, quaſi de victoria tumidus, ſerpens ſibi plaudebat, eo quod ſublato bonæ propagationis ſeminario, ſola in mūdo pullularet generatio ſua, generatio mala & adultera. Sed cognouit adhuc Adam vxorem ſuam, ait Scriptura, & peperit filium, vocauitque nomen illius Seth, dicens, Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos, iſte cœpit inuocare nomen Domini. Ab eo ergo ſemine mulieris altera generatio rectorum, quæ ſecundum carnem defecerat in Abel, reſuſcitata eſt. Vnde & congruum ſatis vocabulū poſuit illi pater, vt vocaret eum Seth: Seth namque Reſurrectio interpretatur.* Non ergo reſurgit generatio impiorum in iudicio cū generatione Iuſtorū, neque cum filijs Dei reſurgēt filij nationis prauæ, filij tenebrarum, filij ſerpentis, filij diaboli.

Ruper. Ab. ibid.

3 Addubitabis, & iure, quomodo fieri queat, vel qui dici poſſit, impios non reſurgere, vel non iudicari pios, ſi tum ex articulo fidei, generalem credimus reſurrectionem: tum ex Apoſtoli ſenſu, *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti:* & demum ex Anſelmi gloſa, *Omnes nos, cuiuſque ſexus, vel ætatis, aut conditionis: Oportet, id eſt, neceſſe eſt manifeſtari vniuſcuiuſque cogitationes, & verba, & opera: ea enim omnia noſtra patebunt ante tribunal, id eſt, ante iudiciariā ſedem Chriſti, quando coram Deo Iudice aſtabimus?* Fatui Rabbini teſtāte R. Dauid Kimhi, errore decepti, in ea fuere falſa opinione, vt aſſererent, *Reprobos non reſurrecturos, ſed eorum animas interire cum corporibus.* Id autem damnatur ex vero Salomonis decreto, *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum:* Vel ex Hieronymo, *De omni ignorato:* Vel ex Clemente Romano, *De omni abſcondito:* Vel ex Chaldæo, *Etenim omne factum Dominus adducet in die Iudicij magni, & futurum eſt, vt publicetur aduerſus omnem, quæ velata fuerint à filijs hominum.* Referente Plutarcho nouimus illud Ægyptij, *Qui interrogatus quidnam id eſſet, quod velatum gerebat: ideo, inquit, velatum eſt, vt ignoretur.* Hoc velum cum hominibus valet, non tamen cum Iudice Deo, nam ante ipſius oculos Sole lucidiores, publicabuntur omnia, quæ velata fuerint à filijs hominum, nam, *Omnes nos manifeſtari oportet:* Vel ſecundum Tertullianum, *Pellucidos eſſe oportet:* vt velata reuelentur, & abſcondita prodātur in lucem. Sic ergo omnium oc-

2. Cor. 5. 19.

Anſelm. hic

Rabbini relati a R. Dauid Kimhi.

Eccle. 12. 14

Hieron. hic

Clem. Roman. lib. 1. contt. Apoſ. c 8.

Plutarch. in cōment. de curioſitate.

2. Cor. 15. 10.

Tertullian.

culta reuelantur, omnium etiam manifesta patebunt: sic decernente Glosa interlineari, *Gesta, cogitata, bona, & mala, tunc aperta, & nota erunt omnibus.*

Glos. interl. in c. 5. epist. 2. ad Cor.

His autem veris stantibus de infidelibus, qua lege ea poterunt de Fidelibus verificari, cùm statutum sit, *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est?* Non iudicatur Fidelis de fide, sed de opere: Infidelis autem iam iudicatus est, nam ipsa incredulitas condemnatio est. Hanc dubij solutionem à Theophylacto hausi, dicente, *Propter ipsum credere Fidelis nō iudicatur, dabit autem pœnas graues malorum operum: propter incredulitatem autem, quam nō habet, non punietur, semel enim credidit: quoniam ipsa incredulitas condemnatio est. Omnis igitur incredulus condemnatus est, quòd hinc migrans, mox supplicio tradendus est, & non in iudicium producēdus, iuxta illud,* Non *resurgent impij in iudicio. Indigni enim habentur, vt rationem dent impij, sicut & diabolus. In iudicium ergo non resurgent, sed in condemnationem.* Addit autem Hieronymus iudicandos etiam Infideles, qui pro varietate delictorum, varijs tradētur supplicijs tormentorum, ait enim, *Infidelis iudicatus quidem est, in eo quod non credit: sed ipsi qui non credunt, inter se diuersis afficientur supplicijs. Iudicatur enim ipse cum omni carne, vt nullus iniudicatus abeat. Impios autem, hoc est, qui in Domino non credunt, tradit gladio sempiterno.*

Ioan. 3. 18.

Theophylactus in enar. sup. cap. 3. Ioan.

Hieronym. lib. 5. com. in Ierem. c. 25.

4 Hinc Ieremias Iudicem introducit, quasi rugientem Leonem, & dicit, *Rugiens rugiet, quia iudiciū Domino cum Gētibus, & impios tradidit gladio*. Vbi Iudicis terrorem Leonis rugientis comparat terrori. O efferum horrorem! De indignātis Leonis rugitu referunt Naturales, *Quod audita eius voce, feræ, & animantia, veluti vi quadam perculsa atque attonita consternantur, ac præ metu plerumque consternata, penè deficiunt.* Tali ergo, immò maiori terrore plena erit vox Leonis de tribu Iuda, ideo dupliciter Rugiens, rugiet. Et voci gladium addet, vt duplicet formidinem, nam de gladio, non tantùm Apostolus, sed etiam Valerianus docet, *Signū esse & timoris, & iudiciariæ potestatis.* Hæc autem potestas, cùm geminetur in ancipiti gladio Christi, qui est ex vtraque parte acutus, & corpus & animam punire simul potest: supra omnem alium gladiū est timenda. Si autem hunc gladiū exercet cum gentibus, quis neget etiam cum natione impiorum futurum esse iudicium?

Ierem. 25. 30.

Ex Valer. lib. 1. cap. de Leone.

Pierius Valerian. li. 42. cap. de Gladio.

CIRCVLVS II.

Impij resurgent, & non resurgent in Iudicio.

5 VAriæ quidem sunt Patrū sententiæ circa prædicta verba & sensum eorum, de resurrectione impiorū in iudicio. Ambrosius putat, eos quidem resurgere, sed in iudicio non resurgere, & vim facit in verbis, *Non enim dixit, Non resurgent: sed ait, Resurgent quidem, sed non in iudicio. Qui autem resurgit, est vtique, & manet: sed quia non credidit in Christum, iam iudicatus est: & ideo nō venit in iudiciū, quem peracti iā manet pœna iudicij.* In eamdem sententiam, immo seueriorem concurrit Lactantius, tantùm pios existimans iudicādos, *Nec tamen tunc vniuersi à Deo iudicabuntur, sed hi tantùm, qui sunt in Religione versati.* Excipit à iudicio Augustinus tres tantùm nationes, nempe Paganos, Hæreticos, & Iudæos, *Quia de illis scriptum est, Qui non credit iam iudicatus est*. Gregorius autem prolixius distinguēs Iustos ab impijs, & fideles ab infidelibus, in duos ordines illos redigit, ita dicens, *Duæ quippe sunt partes, electorum, atque reproborum. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alij namque iudicātur, & pereunt: alij non iudicantur, & pereunt. Alij iudicantur, & regnant. Alij non iudicantur, & regnant. Iudicantur & pereunt, quibus dominica voce in damnatione dicitur, Di-*

Ambros. in enarr. super psal. 1.

Lact. Firm. lib. 7. c. 20.

Aug. serm. 38. de Sanctis.

Greg. l. 26 mor. cap. 20 alias 24.

scedite

scedite à me maledicti. Alij verò in extremo iudicio non iudicantur & pereunt, de quibus Propheta ait, Non *resurgunt impij in iudicio. Resurgunt ergo etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad iudicium. Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum districti iam iudicis cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem verò fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur, vt pereant. Qui verò nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem Iudicis in extrema examinatione non audiunt, quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius, quem despexerant, inuectione redargui non merentur. Illi saltem Iudicis verba audiunt, quia eius fidei saltem verba tenuerunt. Isti in damnatione sua æterni Iudicis nec verba percipiunt, quia eius reuerentiam nec verbotenus seruare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccauerunt. Istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt.* Hæc autem discrimina Gregorius explicat exemplo Principis, qui aliter punit ciues, aliter exteros: hos enim armis debellat, illos verò legibus & clementia emendat. Idipsum asserit seruandum esse a summo Principe cum Iustis, tamquam cum ciuibus: & cum impijs, tamquam cum exteris, & inimicis: sic enim extremi iudicij distinguit vices, *Princeps namque terrenam rempublicam regens aliter punit ciuem* [Greg. ibid.] *interius delinquentem, atque aliter exterius hostem rebellantem. In illo iura sua consulit, eumque sub verbis dignæ inuectionis addicit: contra hostem verò bella mouet, instrumenta perditionis exercet, dignaque eius malitia tormenta retribuit, de malo verò eius quid lex habeat non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui lege numquam potuit teneri. Ita ergo in extremo iudicio, & legalis illum inuectio percutit, quia ab eo quod professione tenuit, actione declinauit: & iste sine iudicij inuectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum verò parte, alij iudicantur, & regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt, qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis Iudicis eleemosynarū superductione cooperiunt.*

6 Sed respōsio pendet ex Theologica doctrina, quæ sicuti distinguit iudicium discussionis, à iudicio condemnationis, vel remunerationis: ita in primis docet omnes homines reprobos, etiam infideles quocumque genere infidelitatis & ignorantiæ diuini cultus ac religionis, esse simpliciter iudicandos, saltem iudicio condemnationis. Itaque in omnes feretur illa sententia, *Ite maledicti in ignem æternum.* Secundò docent, infideles nō esse iudicandos iudicio discussionis, & de hoc iudicio loquuntur præmonstrati Patres, vt manifestè patet ex illis verbis Gregorij, *Non enim eorum tunc causa discutitur*: quibus verbis significat in ijs tàm esse manifestam & euidentem dānationis causam, vt non censeatur indigere Iudicis discussione, etiā quoad nos. Secus verò est de fidelibus, qui saltem fundamentum iustitiæ, & aliqua bona opera habuerunt, quorum causam necesse est discuti, quia eorum non est tā manifesta damnatio. Et verè, cùm damnatio infidelium euidentem habeat causam, quia nedum iustitiæ & meritis, sed etiam fundamento iustitiæ & meritorum penitus caruerunt, quod locum non habet in fidelibus & in Iustis: meritò Patres illo modo loquendi, & ea distinctione vti potuerunt.

[Ex lib. 4. sēt. dist. 47.] [Matt. 25. 41.] [Idem Greg.]

7 Resurgunt ergo impij in iudicio, sed ad damnationem, & ad mortem: resurgunt & pij, sed ad remunerationem, & ad vitam. Sicut & grana frumenti, & zizaniæ grana in sulcis sata, in terra etiam sepulta, ac in terra mortua, resurgunt quidem, nec nuda, vt sata fuere, sed elato culmine, & in spica vel in folijs clausa: & vtraque pariter colligun tur, non tamen vt pariter seruētur: zizania enim in fasciculos ligata,

in ignem proijciuntur: frumẽtum verò trituratur, ventilatur, & separatum à paleis, in horreo cõditur: Ita granis frumenti similes sunt Iusti, zizanijs iniusti assimilãtur: vtrique in terra seruntur, vtrique in sepulchro mortui iacent, vtrique tuba canente resurgent, vtrique de cæcis monumentis prodibunt in lucem, & vtrique ante tribunal Iudicis manifestabuntur: sed Iustorum resurrectio frumẽti resurrectionem imitabitur, & inde in celeste horreum introducentur: impiorum, ex opposito, resurrectio, zizaniæ similis erit, vnde colligati in fasciculos, proijcientur in ignem, & sic adimplebitur diuina prædictio, *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad cõburendum: triticum autem congregate in borreum meum*: vbi Hieronymus, *Quod autem dicit, zizaniorum fasciculos igni tradi, & triticum congregari in borrea, manifestum est bæreticos quosque, & hypocritas gehennæ ignibus concremandos. Sanctos verò, qui appellantur triticum, horreis, id est, cælestibus mansionibus recipi.*

Math. 13.

Hieronym. relatus à D. Tho. in cat. sup. cap. 13. Matth.

CIRCVLVS III.

Non resurgunt impij, & tamen resurgunt.

8 SIcut victore exercitu castrametato, & iam dormientibus tàm victoribus, quàm victis, vtrique surgunt sed hi victi & vincti, illi victores & liberi: Idem fortè, si dicere fas est, eueniet in iudicio, nam dormientibus tam impijs, quàm pijs, audita voce tùm Iudicis, tùm tubæ, resurgent omnes, sed impij à vitijs ligati, & a dæmonibus victi: pij verò victores & liberi, vnde his resurrectio erit ad vitam & gloriam: illis autem ad damnationem & catenam. Discrimen hoc sũma Veritas ita descripsit, *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionẽ iudicij*, Vbi diuersa toto Cælo, & duplex Resurrectio adumbratur, altera vitæ, vel ad vitam, & ad vitã non naturalem, vel corpoream, hæc enim communis est omni resurrectioni: altera verò ad condẽnationem, & ad mortem. Omnes ergo resurgent ad vitam, & non omnes ad vitam: ad vitam naturalem, omnes: ad vitam autem supernaturalem veram & perpetuam, non omnes: sed Iusti ad vitam resurgent æternam, atque beatam: impij vero ad vitam, adeo amarã, vt potius mors sit dicenda, quam vita: nam resurrectio damnatorũ, resurrectio erit ad secundam mortem, testante sic Augustino. *Vita gehennæ potius mors, quàm vita est dicenda, nulla quippe maior & peior est mors, quàm vbi non moritur mors.* At resurrectio iudicij, id est, condemnationis, de qua dixerat Christus, qui credit in me non venit ad iudicium, illa est, quã Chrysostomus definit, *Non quia iudicãdus non sit, sed quia non est iudicandus & damnandus propter peccata, quæ commisit, cùm per fidem vitam in Christum sint remissa.* Eodem ergo sensu dicuntur mali resurgere resurrectione iudicij, scilicet, vt in iudicio condemnentur.

Ioan. 5. 28.

August. lib. 6. de Ciuit. Dei c. 12.

Chrysost. hom. 38. in Ioan.

9 Hinc est, quòd mors describitur sub nomine somni, quia sicut dormiẽs talis excitatur, qualis dormire cæpit, solutus, si expeditus: ligatus, si vinctus: Rex, si Rex: seruus, si seruus: eadem etiam lege, tales excitantur mortui, quales morte præoccupati fuerunt, & Iusti, vt Sol fulgentes, orientur: & impij nigrantes, vt carbones, egrediẽtur, Hippolyto sic dicente, *Tunc sonabit tuba, & excitabit dormientes è profundissimis terræ, tam Iustos, quàm peccatores: omnisque natura, lingua, gens, & Tribus resurgẽt in ictu oculi, & astabunt super faciẽ terræ, expectantes iusti atque terribilis Iudicis aduentum in timore & tremore inenarrabili.* Cùm asserat excitari Iustos, & peccatores, linguas, gentes, ac Tribus: tales vtique demonstrat excitandos, quales in lecto sepulchri dormitionem acceperant,

Hippolytus Epi. & mar. in orat. de consummatione mũdi & Antichristo.

perant,

perant, Iusti, si Iusti: & peccatores, si peccatores: liberi, si liberi: & si ligati vinculis peccatorum, vinculis peccatorum & criniculis criminum obligati. Ad quod probandũ trahi potest Athenagoræ tale decretum, *Qua de causa existimo nonnullos somnium fratrem mortis appellitare, non quod genus vtriusque iudicare velint, quasi ex iisdem maioribus & parentibus sint nati: sed quod similia accidant sopitis & defunctis.* Inter illa autem, quæ illis accidunt, paria sunt è somno excitatorum, & à sepulchro resurgentium, & è lecto, vel è sepulchro egredientium, cum impij vincti, Iusti egrediantur, soluti, atque in his Oraculum impleatur, *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egrediemini & salietis, sicut vituli de armento. Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die quo ego facio, dicit Dominus exercituum.* Vbi Remigius, *Sol iustitia Christus est, cui Deus Pater dedit omne iudicium, hic orietur timentibus Deum, occidet autem & obscurabitur conuertentibus se ad blasphemias. Tunc egredientur qui in huius sæculi carcere clausi tenebantur, & salient quasi vituli de armento, placentes Deo, renouati, & nitidi, squalore mortalitatis abiecto. Hi tali iucunditate non contenti, calcabunt impios, quum fuerint cinis sub planta pedum eorum.* Sic, sic Iusti de impijs triumphabunt.

Athenagoras de resurrectione mortuorũ.

Malach. 4. 2

Remigius hic.

10 Est autem hęc de impiorum etiam resurrectione adeo vera sententia, vt non solum fide firmetur, sed etiam ratione probetur, vti eã clare probat, & apertè Athanagoras demonstrat, docens ex huius veritatis defectu, examen malorũ excitari posse, prouidentiam aboleri, iustitiamque eliminari ab orbe. Primo ergo describit mala, quę inundarent orbem iudicij freno ablato, dicens, *Extincta omnino hominum vita, nullus apparet hominis respectus aut cura, nempe vllum de benè aut malè factis iudicium destinatum videatur, ingruet autem denuo, & inundabit quidquid est ex legis vita, reliquaque absurditates, quas istiusmodi vita, quasi comitum examen secum trahit, & vnà cum ipsis impietas Dei negatrix, quæ princeps & caput est eius vitæ, in qua sine lege viuitur.* Secundò subdit, iniustè iudicari animam solã, si corpus, cum quo bona vel mala gessit, non premia recipiat vel pœnas. *Quòd si corrumpatur corpus, & ad cognata sua, vt quodque dissolutũ est, elementa recedãt, maneat autem per se anima, vt incorrupta: ne ita quidem locus erit iudicandæ animæ, quum non affutura sit iustitia. Nefas autem est suspicari, ex Deo, & à Deo iudicium fieri, cui non adest iustitia: non adest autem iustitia, quùm non incolumis manserit & capax iudicij, qui iusta, aut iniusta fecit. Qui enim singula in vita fecit, de quibus iudicandum est, homo fuit, non anima sola. Vt summatim dicam, istiusmodi ratio nulla in parte iustitiam tuebitur. In recipiendis enim rerum præclarè gestarum premijs iniuriam, haud dubiè patietur corpus, eo quod particeps fuerit laborum in bonis rebus gerendis: nunc autem exors sit bonorum, qui virtuti repræsentãtur: at quum venia sæpius anima condonetur in quibusdam delictis, respectu corporalis inopiæ & necessitatis, ipsum corpus excidat à commutatione premiorum, pro quibus vna in vita labores sustinuit, qui quæso nõ iniquum reputabitur? E diuerso dãnentur scelera, non iustè agetur cum anima, siquidem sola eorum culpa luet, quæ ad obturbationes corporis, & eius appetitus, & motus trahentis in vita deliquit.*

Athenagora Philoso. Christ. de resur. mort.

11 Omnes ergo homines tam boni, quàm impij in iudicio resurgent, & excepto diabolo, omnes examinabuntur. Quadrat ad hoc propositum proposita a Philone dubitatio, cur Adam & Eua de communi crimine interrogentur, non serpens, sed indefensus damnatur? Ad quod respondet, *Quòd sensus, nec inter bona nec inter mala censetur, cum sit medium quiddam sapienti stultoque commune, & in stulto fiat malus, sicut contra in sapiente bonus. Meritò igitur, quando-*

Philo Heb lib. 2. allegoriarũ legis.

quidem

quidem per se malum non habet, sed vtrique parti fauet, & ad bonum, & ad deterius propendet. Non prius *damnatur, quàm confessus se deteriora secutum. At serpens voluptas suapte natura mala est, & eam ob rem in bono, ne inuenitur quidem omnino, solus malus est eius particeps: itaque iure optimo non permissum respondere, execratur Deus*. Id autem patet manifestè in iudicio, vbi examinatur causa etiam reproborum, cum eis dicitur, *Discedite à me maledicti, quia exuriui, & non dedistis mihi manducare*. Et respondẽtibus illis, *Domine, quomodo te vidimus?* Infringitur eorum respõsio, Quod vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. At diabolus dãnatur iniudicatus, sed tantum dicitur, *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.*

Matt.25. 41

Ibidem 41.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXI.
Ex Ambrosio.

Non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in Consilio Iustorum.

CIRCVLVS I.

Impium, qui se ipsũ viuens iudicat, Deus nec moriẽtem iudicat, nec resurgentem.

1 QVid causæ est, si quæras, cur, quod nos legimus in futuro, *Nõ resurgẽt impij*, vertat Ambrosius in præsenti, *Non resurgunt impij in iudicio*? Forte indicatur, eos non resurrecturos in bonum in iudicio vniuersali, qui dum viuunt, non seipsos iudicant in particulari. Audiamus Doctoris Gentium statutum, *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*: & subaudiamus Glosam Archiepiscopi Cantuariensis, quæ eos qui se iudicant, liberat à Dei iudicio, asserens, *Si in diuersas partes actionũ, & cogitationum nostrarum oculos mentis circumduceremus, & de singulis, quæ nos male fecimus, aut cogitauimus, nos ipsos districtè puniendo iudicaremus: non vtique à Domino iudicaremur*. Et rationem legis tã iustæ reddẽs, subdit, punita non iterum puniri, puniri autẽ impunita, *Peccata enim siue parua, siue magna impunita esse non possunt, quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si correctio præcurrat humana.*

1. Cor. 11. 31.

Anselm. hic

2 Sicut qui à Vicario iudicatur, & absolutionis beneficio potitur, non potest, nec debet iterum ab Episcopo iudicari, Vicarius enim dicitur, quia vicem eius gerit, & ratum habetur, quod ab illo geritur. Ita Episcopus noster Dominus est, dicente Petro, *Conuersi estis nũc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum*: ipse enim tamquam vniuersalis Pastor, congregabit in iudicio oues & hædos, & tamquam Episcopus, qui ex etimologia Hugonis, idem est, ac, *Visitator, vel superintendens*: & visitabit super indutos veste peregri-

1. Pet. 2. 25.

Hug. Card. hic.

na,

na, & superintendet super indutos vestimento salutis, quos iam iudicauit & absoluit Vicarius illius. Cupisne, o homo, hunc Vicarium agnoscere? Non longe est a te, tu enim es Vicarius Dei. Si mihi non credis, vel Chrysologo credas sic te mouenti, *In terrenis dedit tibi vices suas, vt non fraudaretur Domini Vicario mundi tam larga possessio*. Prouide ergo tibi, & modo te iudica, vt Vicarius: vt postea à superintendente Iudice nõ dijudiceris, nam ex Hieronymo, *Qui puniti sunt, postea non punientur*. Sed noua forma & schema huius humani, & vera humanitate pleni iudicij, cum Archiepiscopo Cantuariẽsi est distinctè & enucleatè obseruanda. Vbi si quæris locum tribunalis, en tibi ostendit mentẽ, *Ascendat itaque homo aduersum se tribunal mentis suæ*. Si reum, en idem homo Vicarius est, atque reus, *Constituat se ante faciem suam*. Si accusatricem, en talis est cogitatio, *Adsit accusatrix cogitatio*. Si testem, en conscientiam, *Testis conscientia*. Si carnificem, en timorem, *Carnifex timor*. Si iudicij speciẽ, en sanguinis iudicium est, qui per lacrymas effunditur, *Inde quidam sanguis animæ confitentis profluat per lacrymas*. Et si vis audire sententiam, en ipsemet Anselmus indicat illam, tamquam à mente prolatam, *Postremo ab ipsa mente sententia talis proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini, si tales culpas in se reperit*. Qui ergo tale iudicium de se ipso, vt Dei Vicarius agit in præsenti, tutus viuat, & moriatur securus, quia non iudicabitur à Domino in iudicio futuro. In quo ignoro, an dignitatẽ nobiliorem, an vero vtiliorem potestatem poterat inuisibilis Deus inuisibili ipsius imagini conferre.

Chrysolog. ser. 148. de incarnat. sacramento.

Hieronym. in com. sup. c. 1. Nahũ.

Ans. in c. 11. 1. Corinth.

Idem Ans.

3 Vtilitatem huius viui tribunalis in paruo mundo erecti, quis calamus, quæue lingua poterit explicare, vt sicut clauus clauo ex tabula pellitur: ita vniuersalis iudicij terror introducat in animam particularis iudicij timorem? Ideo Anselmus admonens Fidelem quemque, dicebat, *Versetur ante oculos eius imago futuri iudicij: & quidquid in se viderit, quod a Iudice venturo reprehendi possit & puniri, ipse nunc in se ipso reprehendat & puniat*. O vtilem & salutarem præuentionem, in qua diuersam legem cælestis Iudex seruat à terrestri. Hic nititur præuenire, & reum, licet reluctantem, in proprium forum & instanter trahere, & violenter trudere, ex animo enim procedit contra eum. At ille qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, multo tempore expectat, dat locum poenitentiæ, vult vt homo seipsum iudicet, & optat, vt ex iustitia non cogatur illum iudicare, non teneatur damnare. Hinc Dauid, *Deus iudex iustus, fortis, & patiens. Numquid irascitur per singulos dies?* Vbi in tribus coloribus penicillum tingens, eximij ac singularis Iudicis depingit formam, nempe in albedine iustitiæ, in cælesti fortitudinis, & in adamantino patientiæ, Deus iudex iustus, fortis, & patiens: Vel ex Augustino, *Fortis, & longaminis*: Vel ex Hieronymo & Aquila, *Comminans tota die*: quia vt ait Hieronymus, *Propter patientiam, ita delicta non punit Deus, quasi iratus & comminans, diem vltionis expectet, vt metu corrigat delinquentem*. Ideò tendit, vt tibi det præuentionis locum ad hoc, vt vbi teipsum iudicas, ipse non cogatur contra propriam clementiam te in iudicium vocare.

Ansel. ibid.

Psal. 7. 11.

Augustin. Hieronym. Aquila.

4 Describebat Basilius iudices iustos simul atque clementes, eos miro artificio sic depingens, *Quando facinorosum aliquem mortis sunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & expertissimos quosque ad causæ tractationem aduocant, multumque temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes: multumque ingemiscentes, ac iudicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestum faciunt, quod non ex propria libidine, sed ex necessario legis mini-*

Basil. ep. 79

sterio

sterio condemnationis inferunt sententiam. Sed vnde exemplar talis picturæ desumpsit? Non æquidem aliunde, quàm ex Iudice diuino, & omnibus perfectionibus ornato. Ipse enim, quando facinorosum peccatorem morti erit adiudicaturus, cortinas cæli obducit, ait enim, *Solem nube tegam.*

Ezech. 32. 7.

Expertissimos quosque ad causæ tractationem aduocat,

Psal. 49. 9.

Aduocauit cælum desursum, & terram discernere populum suum: Congregate illi sanctos eius. Multum temporis insumit, vnde Paulus,

Ad Rom. 9. 22.

Sustinuit in multa patientia vasa iræ parata in interitum. Nunc rigorem legis intuetur, nunc naturæ communionem suspicit, & quasi dicit,

Ex Chrysologo ser. 45. in ps. 6.

Quid infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumuenit iudicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, iuuentus præcipitat, senectus frangit: huic ergo Deum irasci in ira, indignari in furore, non est, non est Creatoris pij, sed est seuerissimi cognitoris. Multumque ingemiscens, ac iudicandi necessitatem deplorans, nemini non manifestum facit, quòd non ex propria natura, sed ex necessario legis ministerio condemnationis infert sententiam,

Isa. 1. 24.

Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Israel, Heu, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.

Sanctius in c. 1. Isaiæ.

Ostendit autem, vox, Heu, non tam exultare Deum, & quasi triumphare in hominum exitio, sed potius animum ad ignoscendum & benemerendum pronum, qui dum cogitur in peccatores sæuire, id facit adeò inuitus, vt à suo ingenio, atque adeo a se ipso totus abeat.

5 Hinc eadem lege vtitur nũc, qua vsus est in principio mundi, quando vt Adam ad poenitentiã prouocaret, ac per terrorem induceret, vt præueniret diuinum iudicium & se ipsum dijudicaret, in paradiso deambulans, totam concutiebat & terram, & plantas, & paradisum. Ita asserebat Moses Barcepha,

Moses Barcepha p. 1. de parad. c. 1.

Ira tumens furensque, & suo incessu conutiens terram, atque adeo ipsas paradisi arbores pressis vestigijs tremefaciens, huiusmodi, inquam, habitu, hic nunc videatur ab illis, nimirum vt pauidi confiteantur sua delicta, atque illius misericordiam veniamque implorent. Eo enim spectat, quòd ambulantis vocem audire dicuntur. Audiamus ergo & nos Regis consilium, & sequentes vias illius, ei obsequamur, sic enim nos hortatur,

Psal. 94. 2. Septuag.

Præueniamus faciem eius in confessione. Idque exequamur, quod nos Chrysologus docet, ipse enim proposito circa hæc verba dubio,

Chrysolog. serm. 46. in ps. 94.

Et quis præuenit peccatorum cognitorem seruatorem cordium? cogitationum conscium? futurorum præscium? præsentem semper & vbique? Ita Respondet,

Idem ibid.

Sed præueniendus est, non sensuum vicinitate, sed ingenij sagacitate: non velocitate pedum, sed prouido confessionis obsequio: si quidem non dixit præueniamus eum tantũ: sed præueniamus faciem in confessione. Hoc est, cùm spes misericordiæ est, cùm tempus est veniæ, cum poenitentiæ locus est, confiteamur patri, ne Iudicem sentiamus: prodamus quæ fecimus pietati, ne seueritati cogamur exoluere quæ tacemus: dicamus intelligentiæ tempore delicta nostra, ne si tacemus, ad excipiendam sententiam defleamus. O salutarem præuentionem? O præclaram cõfessionem?

6 Iudicauit quidem se ipsum Cain, & mortis reum ita se damnauit, vt posset impunè a quolibet occurrente occidi, hoc ferens contra se vel crudele, vel fatuum decretum,

Gen. 4. 14.

Ero vagus & profugus in terra, Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Sententia tamen illius a superiori tribunali, non solum confirmari non meruit, sed his etiam verbis damnata fuit,

Gen. 4. 15.

Dixitque ei Dominus, nequaquam ita fiet. Et iure, nam cũ Cain a Deo esset constitutus sui iudex, & ipse fatuus, non se iudicauit, diuinæ præuentioni locum dedit, & a summo Iudice iudicatus est: nam, vt Damianus docet,

Petr. Dam. lib. epist. 4. epist. 15.

Qui semetipsũ perfectè dijudicat, iudicium non expectat: perfectè autem semetipsum

diudicare est, & reprehendenda non agere, & quæ reprehensibiliter acta sunt, timide retractare. Si retractare idem est, ac de nouo tractare, & corrigere: Cain obstinatus in malo, mala non retractauit, quæ reprehensibiliter egerat, nec correxit: immo magis reprehendenda desperando de Dei misericordia ita egit, vt de eo dici possit, Ecce fecisti mala, & post hæc addes.

7 Sicut qui Epistolam scribit, antequam illam complicet & cera obsignet, potest errores corigere, emendare & defectus: at complicata pagina, signaculo notata, & alicui ad Dominum, vel ad amicum data, non vltra potestas remanet defectus corrigendi in manu scriptoris, sed in manu eius, qui epistolam aperit, & scriptam reperit vel absque legibus, vel ex regulis grammaticis exaratam. Ita fidelibus dicebat Apostolus, *Epistola estis Christi, scripta in tabulis cordis carnalibus.* Per tabulas autem cordis, vt inquit Anselmus, *Mentes intelligit dilatatas caritatis latitudine, molles, & sentientes, & affectum dilectionis, vel benè agendi habentes.* In tali ergo epistola, in talibus tabulis cordis, si aliquid vel contra præcepta legis, vel contra statuta & vota vel contra consilia, vel contra Christianam religionem scripsisti, dele dum viuis, iudicans temetipsum, & scribe quæ decent fidelem hominem Christi imitatorem, quia rationem scripturæ vel bonæ, vel nō bonæ redditurus es in iudicio. Si enim id non egeris in vita, ex propria scriptura iudicaberis, verberaberis, & dānaberis post mortem in iudicio. Hoc videbatur innuere Basilius, ita dicens, *Vt enim manus, licèt notas figurare desistat, notarum tamen figuris tota anima vbique inscripta est, quam profectò exutam corpore si quis inspiciat, videbit hisce notulis totam prorsus insignitam, atque descriptam: ita & nos, cùm excesserimus corpore, omnis nostra cogitatio, veluti in pagina inscripta apparebit.* Inscripta apparebit tunc, sed indelebiliter, quæ modo deleri posset, & faciliter. Bis eamdem sēntentiam protulit Dominus contra seruum debentem decem millia talenta, diuerso tamen affectu, & effectu diuerso. Primam enim ad primam reuocauit vocem: secundā autem ad irreuocabilem transtulit mortem: quia primam placatus, secundam autem protulit iratus. Deus enim modo placatus delet peccata, debitaque dimittit pænitenti, qui iudiciū facit, & cōdemnat seipsum: at tunc iratus dānat, & indelebiliter scribit sententiam mortis æternæ. Hanc differentiam ex Chrysostomo hausi, acutè obseruante, *Non simpliciter dixit, Tradidit tortoribus, sed, iratus, quod non posuit, quando iussit eū vendi: non enim tunc erat iræ, sed magis amoris ad correctionem: nunc autem hæc sententia et supplicij & pœnæ.* Nam in illa iudicauit seipsum, ideò à Domino non est diiudicatus: in hac a Domino iudicatus est, qui noluit seipsum iudicare.

9 Sed si cor epistola Christi est, quid in tali epistola, & tali corde scribendū est, nisi quod ad Christū Crucifixum pertinet, cùm Paulus asserat ex hoc signo cognosci Epistolas directas ad Christum, *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs?* Requirit autem hæc crucifixio, vt cor stabile reddatur, nec moueatur à fide, nec nutet in caritate. Refert Valerianus, quòd, *Fortuna sub rotula, vel sphera insistentem pinxerunt Antiqui, nec alio modo illam firmari asserebant, nisi à fixo clauo:* Quid autem est cor nostrum, nisi volubilis rota? Hāc volubilem cordis qualitatem Philo vt demonstret, primò quærit, Vnde ortum duxit, vt cor nec consecrari, nec in Dei aram intuli antiqua vetuit lex? Demum quæsito respondet, *Quia principalis illa vis singulis temporis momentis, vel ad deterius mutabilis, non manet eodem loco.* Cùm ergo dicat Apostolus, *Optimum est gratia stabiliri cor:* quænam instrumenta aptiora ad illius instabilitatem stabiliendam inueniri poterunt, quàm Claui

[Margin notes: 2. Corinth. 3. 3. — Ansel. hic. — Basil. lib. de vera virgin. — Chrysost. relatus à Diu. Tho. in cat. sup. cap. 18. Matt. — Ad Galat. 5. 24. — Ex Pierio Valeriano lib. 39. cap. de circulo. — Philo Heb. in lib. de sacrificijs Abelis & Cain — Ad Heb. 13. 9.]

Crucifixi? Dicat ergo quilibet Christianus cum Psalmista, & petat à Crucifixo, *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Iudicia enim quæ exercet Deus vel in particulari Iudicio, vel in vniuersali; Claui sunt, qui carnes & cor sic confirmant, vt homines & in fide inueniantur stabiles, & in opere efficaces. Hinc Leo Papa dicebat; & quemlibet Christianũ sic monebat, *Vnde cum quispiam obseruantia christiana se limitem sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quod eum à recto itinere faciat declinare: recurrat ad Crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis affigat; ac voce propheticа ad Dominum clamet, & dicat, Confige clauis timoris tui carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Quid autem est, clauis timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderij, sub metu diuini continere iudicij; vt qui resistit peccato, & concupiscentias suas, ne quid morte dignũ operetur, interficit, audeat cum Apostolo dicere, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo?*

Ps. 118. 120.

Leo Papa ser. 19. de pass. Dom.

10 Et miro modo immediate subdit pænitens Psaltes, *Feci Iudicium, & iustitiam: ne tradas me calumniantibus me.* Sed quomodo, ò Dauid, & temetipsum, & proprio te laudas ore, asserens te & iudiciũ & iustitiam fecisse? Respondet Ambrosius, *Non quasi gloriosus insolens se ipse laudat, cùm vtique peritus legis, alterius magis quàm proprio ore vnumquemque laudandum non ignoraret. Non, inquam, prædicatoris iactantia est hic vlla virtutum, sed vitæ innocentis assertio verè præsumpta, ne dignus existimaretur qui propter grauia peccata à Domino relinqueretur, & nocentium potestati traderetur. Defensio igitur est, non arrogantia, quando non excellentia aliqua honoris assumitur, & formidabilis ærumna propulsatur.* Euthymius autem, & clariùs explicat vel hominis secundum cor Dei defensionem, vel diuinæ legis excellentiam, qua ita nobis indulgetur, vt si nosmetipsos diiudicemus, non vtique iudicèmur: quasi dicat, *Iustum iudicium feci: me igitur quod iustum est iudicantem, ne tradas, quæso, ijs qui iniustè mihi insidiantur.* Eiusque responsioni, de pœnitente se ipsum iudicante, Hugo Cardinalis his verbis adhæsit, *Pænitens Deo fideliter dicere valet, ne se calumniantibus dæmonibus tradat, eo quod fecerit iudicium, se ipsum discussa cōscientia, & apertis accusatisque in cōfessione peccatis damnando, & iustitiam faciendo, non iudicatur, id est, non condemnatur à Domino, neque consurgit duplex tribulatio, aut puniit his Deus in idipsum.*

Ps. 118. 121.

Ambrosius serm. 16. in ps. 118. ver. 1.

Euth. in ps. 118.

Hug. Card. in ps. 118.

11 Odorauit & Philosophus moralis huius legis cælestis dignitatem, huius noui iudicij pietatem, vbi absoluitur reus dum sui ipsius fit iudex, & semetipsum iudicat, ne ab alio iudicetur, vnde, & decreuit, *Initium est salutis notitia peccati: nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet antequàm emẽdes, ideo quantum potes, te ipsum argue; inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, nouissimè deprecatoris, aliquando te offende.* Forẽsia iudicia ex tribus elementis, quæ in vnum conuenire nequeunt, componuntur, nempe ex iudice, accusatore, & reo: at in hoc iudicio sui, idem ipse homo & iudex est, & accusator, & reus. Dum ergo se accusat, excusat: dũ se iudicat, iudicium fugit: dum sẽtentiam contra se profert, pro se illam fert: dum semetipsum iudicat & damnat, se ipsum liberat & absoluit: & dum dicit, Feci iudiciũ & iustitiam, misericordiam inuenit & indulgentiam. Ideo subdit Ambrosius, *Hanc iustitiam Propheta prætendit ad sui meriti commendationem, dicens, Feci iudicium, & iustitiam, ne tradas me nocentibus me. Vbi iustitia, ibi misericordia. Misericordia à peccato liberat. Quomodo ergo peccatoribus traditur? Simile illud in Canticis, Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquina-*

Senec. in epist. 28.

Ex l. inter litigantes ff. de iudicijs.

Ambr. ibid.

bo eos? Exui tunicam peccatoris velamenque terreni: cur quasi peccator atque terrenus adiudicor? Laui pedes meos, ne qua delicti fors possit adhaerere vestigio: cur das in me delinquentibus potestatem?

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXII.
Ex Hebræo.

Non surgunt impij in iudicio.

CIRCVLVS I.

In Congregatione Piorũ nec surgent,nec stabunt impij.

1 INter animam piam & impiam eam sibi videre visus est Ambrosius differentiã, quæ cerni solet inter hortum floridum & fructibus coronatum, ac inter terram sterilem & puluere opertam: sic enim fatur, *Anima plena pietatis hortum habet, vel ipsa hortus est, qui fructus ferat. Anima, quæ impietati paret, puluerem habet, qui est infæcundus ad fructum.* Sicut ergo flores in terra radicem habentes, & tempore hiemis in sepulchro latentes, surgunt surgente Austro, & redeunt vere, ac lilijs vel rosis pensiles hortos ornant, vnde & viri & mulieres aureolas connectunt, coronas formant, vt in festiuo die, & appareant & simul stent coronati: at puluis, vel non surgit, vel si vento valido eleuatur, non stat, sed dispergitur, & vanè dissipatur. Idem euenict Iustis & impijs, isti vt puluis à turbine iræ diuinæ in Iudicis conspectu eleuabuntur, sed non ibi stabunt, immo in profundum abyssi deijciẽtur. Quilibet autem Iustus, quasi hortus floribus atque fructibus fæcundus, & surget in iudicio lętus, & stabit firmus, & ante Iudicẽ tut⁹, vt Ambrosius subdit, *Quia ipse hortus est, qui fructus ferat, & qui resurgit, est vtique & manet. Impius autem, qui puluis est, & sterilis & infæcundus, si violenter surgit, surgens non manet.* Puluis est impietas, sicut puluis est impiorum potentia, caliginem infert, simul vt vehemens cæperit flare spiritus, spargit eam, atque dissoluit, aerem obumbrat, solum nudat, vt puluis projjcitur, deficit vt fumus, liquescit vt cera. Sic sic, nec surgent impij, nec stabunt, quia non dicitur venisse, qui non stetit.

Ambros. in enar. sup. ps. 1.

Ambros. ibid.

2 Scribuntur secretò libri sanã doctrinam continentes: & scribuntur, è contra, non secundum catholicam doctrinam: vbi vero Inquisitori traduntur, illi stant, & in Vaticano seruantur: isti non stant, igni traduntur, & in fauillas resoluuntur. Has librorum scripturas declarat Ambrosius, nunc explicans verba Danielis, *Libri aperti sunt:* & nunc verba Pauli, *Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei viui.* De primis autem sic ait, *Libri aperti sunt, non quidem atramento scripti, sed vestigijs delictorum, & flagitiorum inquinamento. Aperietur liber conscientia tua, aperietur liber cordis tui, culpa nostra recitabitur.* Et de alijs subdit, *Sunt & tabulæ cordis scri-*

Dan. 7. 10. 2. Cor. 3. 2.

Ambros.

pta Spiritu ſancto: iſta recitabuntur. Si bene egeris, manebit tabula. Nec poterat clarius differentiam inter impios & pios deſcribere, quàm de horum quolibet aſſerens, *Si bene egeris, manebit tabula*: tabula enim cordis hoc ſpiritu ſcripta, perpetuò ſtat, & æterna ſeruatur in Cælo.

3 Notanda ſententia, *Si bene egeris, manebit tabula.* Si enim male egeris, tabula animæ, quæ fuerat à Spiritu diuino conſcripta, & varijs virtutibus figurata, ac donis ornata, delebitur, & pœnas dabis debitas ob graue crimen. Refert Plutarchus, *Quod Dionyſius Philoxenum poetam in lapidicinas iniecit, eo quod ſcriptam à Tyranno tragædiam corrigere iuſsus, ab initio totam vſque ad coronidem deleuerat.* Deus autem in tabulam animæ tuæ contulit ſua dona, ſuā legem deſcripſit, virtutes inſcripſit ſuas: tibique tradidit, non vt eas corrigeres, ſed vt corrigereris per eas. Si ergo deles, non in ſubterraneas damnaberis lapidicinas, ſed in profundum inferni deijcieris. Hinc te Ambroſius deterrens monet, monenſque deterret, *Vide ne tollas Spiritus ſācti gratiam: vide ne deleas, ac ſcribas atramento flagitia tua: ne veniat dies iudicij, & dicat iudex, Recitentur libri, recitētur tabula geſtorum eius, & dicat tibi, Ego ſcripſi tabulas tuas, cur deleſti apices meos? Ego ſcripſi dona mea: quomodo deleſti munera mea, & ſcripſiſti opprobria tua? Non legiſti, quia ſcribo? Non tibi dixi per os Prophetæ mei, Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis?*

Plutar. orat. 2. de Fort. vel virtute Alexandri.

Ambroſius ibid.

4 Ex eodem carcere exierunt, Pincerna & Piſtor Pharaonis, non tamen eumdem exitum habuerūt: ſed iuxta variam prædictionem cæleſtis oraculi, ille reſtitutus eſt in gradum priſtinum: & iſtius caput abſtulit Pharao, ac ſuſpendit in cruce, & lacerauerunt volucres carnes illius. Sicut ergo in Pincerna, in ſomnio vitis cum triplici propagine, & in vino inde in calice expreſſo, figurantur iuſti & pænitentes per Chriſti ſanguinem liberati: & in Piſtore & in panibus, impij damnati: ita in Ioſeph deſcribitur concionator qui prophetales explicat viſiones, & quæ ventura ſunt annunciat auditoribus, interpretatio ſumpta eſt ex Lyrano, qui ſic illam intonat, *Aliqui pænitentes reuertuntur ad gratiam, & iſti ſignificantur per Pincernam, de quo dicitur in littera, quòd vidit vitem tres propagines habentem: & ſignificat ipſum Chriſtum dicentē, Ego ſum vitis vera. Tres verò propagines, tres ſubſtantias ſignificant in Chriſto exiſtentes, ſcilicet diuinitatem, animam, & corpus. Verè enim pœnitens iſta tria per fidem videt in Chriſto, quia credit verum Deum, & verum hominem ex anima rationali & corpore exiſtentem. Vuarum autem expreſſio Chriſti paſſionem ſignificat, ex cuius virtute pœnitens conſequitur remiſſionem: nam ſine ſanguinis effuſionē nō fit remiſſio: & hæc remiſsio plenaria fit per tres dies per quos ſignificatur contritio, confeſsio, & ſatisfactio. Aliqui vero peccatores in peccatis ſuis remanent obſtinati, & iſti per Piſtorem ſignificantur, qui deſcribitur oneratus tribus caniſtris, id eſt, preſſus grauibus peccatis: ſecundum quod dicitur, Impius cùm in profundum peccatorum venerit, cōtemnit. Et tali prædicitur ſua damnatio poſt tres dies, per quos deſignantur peccati præparatio, aſſuefactio, deſperatio. Prædicta verò denunciantur peccatoribus per prædicatorem ſignificatum per Ioſeph viſionum expoſitorem, nam prædicator eſt viſionum expoſitor propheticarum.*

Geneſ. 40.

Lyran. in c. 40. Geneſ.

5 De varia ergo reſurrectione piorum & impiorum, varium reddit cithara & vera & ſeuera, ſonū, in qua intonatur vox, *Varijs varia*: & quæ pro iuſtis eſt cantus, planctus eſt pro impijs, qui dum orant, condoleri poſſunt, *Verſus eſt in luctum chorus noſter, cecidit corona capitis noſtri, væ nobis, quia peccauimus.* Sicut enim ex eadem roſa apis mel, fel attrahit ſcarabæus: ita ex roſa reſurrectionis, iuſtus mel attingit & fauum: iniuſtus, verò, venenū attrahit aſpidum inſana.

Emblema.

Thren. 5. v. 5.

nabile, nam, Mors est malis, vita bonis: vide paris resurrectionis, quàm sit dispar exitus, cùm fit, vni salus, altari pernicies: vni vita, alteri mors. Adest Ambrosij diuersus penicillus has resurrectionis diuersas formas diuerso magisterio, diuersa Domini & Danielis verba concilians, nam Daniel prædixit, *Multi de his, qui dormierunt in terra puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobriũ, vt videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates:* Christus autem dixit, *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij:* Is ergo sententias vtriusque ita contexuit, *Multi ergo dormientium in tumulo terræ, surgent: qui bene egerunt, in resurrectionem vitæ: qui male egerunt, in resurrectionem iudicij. Quod Daniel, ait in vitam æternam: hoc Saluator in resurrectionem vitæ dixit. Item quod ait Daniel, in opprobrium & confusionem: saluator dixit, in resurrectionem iudicij.*

Daniel. 12. 2.

Ioan. 6. 29.

Ambros. in enarrat. super Ps. 1.

6 Sic sic, inter Scyllam & Charybdim positus homo, timens, ac tremens repetet dubia verba, Angustiæ mihi sunt vndique, & quid eligam ignoro: cum nec ad iudicium expediat non venire, nec vtile sit accedere: venire cum peccatorum onere, malum est: non accedere impossibile est. Quamob rem, o peccator, consilium meum placeat tibi, & peccata tua tuo iudicio redime, vt possis te ad primã resurrectionem poenitens præparare, ne in secunda cadens, nequeas cum concilio iustorum stare, Ambrosio ita docente, atque monente, *Non expedit nobis ad iudicium venire, & non expedit non venire: ne aut prædamnati videamur, aut in hac labe vitiorum subeamus tanti pondus iudicij. Propheta rogat, ne intret Dominus in iudicium cum seruo suo. Quanto magis nos iudicium Domini timere debemus? Pone quia misericors Dominus ignoscet. Quanta, prodentur, quæ latere credebam?* Prodete tu modo in lucem, & in tuo iudicio manifesta quæ latent, & latentia corripe: vt in Dei iudicio neque prodantur, neque corripiãtur.

Ambrosius in Enar. super. Ps. 1.

7 Audite nunc vtiliter, o peccatores, vocem tubæ, audite, & expergiscimini salutariter a somno vestro: audite, & vt firmiter stetis, contremiscite: audite, & vt lætemini, lamentum sumite, *Expergiscimini ebrij, & flete.* Ebrietatis ex dulci vino vitis ortæ, amara mala sic describebat aureus Chrysologi stylus, *Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra. Hanc qui habet, se non habet: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, inuitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria.* Ebrietatem autem ex mortis vite exortam, quis poterit ad viuum depingere, cùm illa corpus perdat, hæc animam inebriet, & corrumpat? Adumbret illam Isaias, & dicat, *Audi hoc paupercula, & ebria nõ à vino.* Sed si ebrietas diuitũ vitium est, quomodo hæc paupercula ebria est? Et si ebrietas effectus est vini, quomodo hæc ebria est, & non a vino? Respondet Glosa, *Paupercula est non habens spirituales diuitias, & inebriata est non vino, sed absynthio:* Hoc est dicere, pauperculam esse animam peccatricem, nam peccator & pauper idẽ est: vbi enim Bersabea Dauidi dixit, *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores:* Hebræa vox, pauperes significat & errones. Inebriata autem dicitur absynthio, id est, ex Beda, *Amaritudine peccati*, nam iuxta Pontificium Decretum, *Ebrius quod patitur nescit: & absynthio ebrius est, qui præ amore præsentis sæculi, a sensu rationis est alienus.* O culpæ ebrietas detestanda, tu es cædis mater, nam, *Os quod mentitur occidit animam suam.* Tu es parens litium, nam, *Homo peruersus suscitat lites.* Tu es furo

Ioel. 1. 5.

Chrysolog ser. 26. de fideli dispẽsatore.

Isa. 51. 21.

Glosa interlin. hic.

3. Reg 1. 21.

Hebræus.

Beda in c. 5 Prouer.

Greg. Papa lib 7. mor. c 8. alias 9.

Sap. 1. 11.

Prou. 16. 28

Prou. 11.23. ris genitrix, nam, *Præſtolatio impiorum furor*. Tu es petulantię magiſtra: nam, *Omnem malitiam docuit* Eccli. 33. 29 *otioſitas*. Et veriſſimum eſt, quod q te habet, ſe nō habet, & homo nō Ambro. ſer. 10. in pſ. 118 ver. 1. eſt, vt.n. Ambroſius colligit, *Scriptura eum hominē dicit, qui eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei: peccantem autem non hominem, ſed aut ſerpentem, aut equum hinnientem, aut vulpeculam, aut iumentum vocare conſueuit*. Et homo, ergo, peccator eſt, & non homo: homo natura, moribus non homo.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXIII.
Ex Pagnino.

Non ſtabunt impij in iudicio, neque impij in congregatione Iuſtorum.

CIRCVLVS I.

Impij non ſtabunt iu iudicio, Pij verò in magna conſtantia ibi ſtabunt.

1 Pierio Valeriano iam referente, nouimus, quòd olim, *Geminum Ianum vtraque facie barbatum* Pier. Valer. lib. 12. cap. de Bicipitio & lib 48. c. de Claui. *figurabant Antiqui in argenteo nūmo, & ab altera parte trophæum cum flagello, & ſceptro: ab altera Romam, quæ coronam ciuicam trophæo ſuperimponit*. Et ex eodem nouimus, *Ianum fuiſſe inuentorem clauium, eaſque depingi in manu eius*. Nec aptiori hieroglyphico, ni fallor, deſcribi poterat & iudicij vniuerſalis figura, & illus ſchema. Ibi pius Iudex & ferus duplicem geſtat vultum, hinc Agni, Leonis Apocalyp. 5 illinc. Leonis de quo dicitur, *Vicit leo de tribu Iuda*: & Agni habentis ſeptem cornua, & oculos ſeptem, ac librum aperiētis. Et iure, inquit Ambroſ. in expoſit. 3. viſionis ſup. c. 5. Apocal. Ambroſius, *Nam per Leonem Chriſtus intelligitur propter fortitudinem, quæ diabolum vicit & electos ſuos ab eius poteſtate eripuit. Per Agnum, qui tamquam occiſus viſus eſt, figuratur idem Chriſtus, qui mortem in tranſitu guſtauit, & paulo poſt reſurgens, iam non moritur. Per ſeptem cornua omnes electi deſignantur, qui ad regnum Dei vocantur: & per ſeptem oculos, ſeptem Spiritus miſſi in omnem terram*. Impij ergo, qui in hac vita Chriſtū, tamquam Agnum aſpicientes, nullo timore ducti, tradiderunt ſe impietatibus in auaritiam: extremo terrore perterriti videbunt in iudicio Agni vultum conuerſum in Leonis aſpectum, & clauem mortis geſtātem, vt infernum aperiat, & varia pro demeritis diſtribuat variarum loca poenarum. Pij vero, qui benè viuentes, & Chriſtum tamquam Leonem aſpicientes, in timore & tremore ſalutem quęrunt, conſtantes & impauidi Iudicem aſpicient, quaſi Agnum conniuentibus oculis ad regnum illos inuitantem: aſpicient habētē ſeptē cornua, & clauem vitæ geſtantem, vt Cęli portas apriat, & pro varijs meritis, varias eis diſtribuat menſiones, palmas varias, variaſque Coronas.

2 Hanc varietatem, varijs coloribus pacificus Rex depinxit, nunc pallidas vmbras fingens, &

Sap. 4. 20.

de impijs dicens, *Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum*. Nunc verò clariori stylo, & lętiori calamo, iustos describens, ita, *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores illorum*. Ponderate verba, & diuersas figuras cum Hugone notate. *Venient, id est, agnoscent quid fecerint, vel quid facere noluerint, conscientia sua accusante eos. Sicut pueri vocati a magistro ad emēdationem, incipient cogitare de versibus suis, quos non fecerūt vel quos male fecerunt: ita impij, qui modo dissimulant peccata sua, & nolunt cogitare de eis ad dolendum, ad confitendum, ad satisfaciendum: tunc velint, nolint, memores erunt omnium ad eorum confusionem, tunc enim dicetur eis, Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Et traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum: stantes quasi aduersarij ex aduerso accusantes eos, opera enim illorum sequuntur illos. Tunc e contra stabunt iusti in magna constantia, qui modo viles & abiecti iacent in magna miseria. Et tales stabunt aduersus eos, qui abstulerunt labores illorum, id est, auferre voluerunt; cogentes eos Idolis immolare.*

Sap. 5. 1.

Hug. Card. in c. 4. & 5. libri Sap.

3 Tunc ergo quid fiet? illud vtique quod Salomon subdit, *Videntes turbabuntur timore horribili.* Quid videbunt, vnde timore horribili sic turbabuntur? Videbunt Agnum versum in Leonem a sinistris: in Agnum a dextris. Videbunt in tropheo flagellum contra eos assumi, Coronam pro iustis præparari. Videbunt aperiri pro ipsis inferni seras cum ferrea claue mortis: & pro iustis attolli portas æternales cum aurea vitæ claue. Videbunt se post breuem & vanam gloriam, damnari ad æternam poenam: & iustos post momentaneum & leue præsentis tribulationis onus, æternæ gloriæ pondus obtinere in Cælis. Videbunt quàm horrendum sit incidere in manus Dei irati, & condemnātis: & quàm iucundum incidere in manus illius placati & remunerātis. Ita concludit idem Cardinalis; *Videntes se de gloria mundi ad poenam inferni deductos: & è contra, Sanctos de poena temporali ad coronam perpetuam sublimatos. Turbabuntur timore horribili, horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis. Et mirabuntur in subitatione insperata salutis, id est, quòd tam subitò sit salus insperatè sanctis.* O serum timorem? O inutilem terrorem?

Sap. 5. 2.

Hugo Car. in c. 5. lib. Sap.

4 Sic in iudicio mutātur Pædagogi, & iusti mutant timorem in constantiam, iniusti vero constantiam in timorem: qui enim in vita constantes fuerunt in malò, nil de iudicio timentes: in morte timidi erunt de poena, iudicium formidantes: qui autem in vita timorem iudicij habuere, vt pædagogū, in iudicio constantes stabunt ad uersus hostes. Plutarchus, vt sæpe diximus, *Parentibus præcipit, vt liberos pædagogo subdant inculpata vita, & peritia non vulgaris. Fons enim, & radix virtutis, atque honestatis vitæ, est institutio proba.* Hæc ergo erit inter piorum impiorumque educationem differētia, quòd hi absque timore iudicij malè educati, pænas luent: illi iudicij timorem habentes pro pædagogo, & piè viuentes, premia recipient. Huius pædagogiæ fructus declarans Basilius, aiebat, *Attenta cogitatio arcanorum, nobisque formidabilium, quæ in tremendo iudicio se offerunt, Pædagogus est ad exercendam pietatem.* Hunc summus Pater luminum filio, id est mundo vix nato, præfecit pædagogum, vnde legitur, *In principio creauit Deum cælum, & terram*: vel ex Pagnino, *Creauit elohim, id est, iudex, cælum & terram.*

Plutar. in comment. de liberis educandis.

Basilius in enarrat. sup. c. 1. Isa. visione 1.

Genes. 1. 1.

Pagninus.

5 Sed ambiges, quæ pars creationi, cum iudicio? quæ Creatori cum Iudice? & quæ Benefactori cum punitore? Multa per omnem modum, Creator enim cū sit mūdi pater, mundo nascenti iudicem se demonstrat, vt sub eius pædagogia optimis moribus instruatur,

Oleaſter in Adnotat. 1. ſuper cap. 1. Geneſ.

Caiet in c. 1. Geneſ.

mala declinet, ac tali timore correctus faciat bona. Audite huius Pædagogi ſanam doctrinam ex Oleaſtri ore fluentem *Ille res hac, quas videtis, in eſſe produxit, qui non ſolum omnium rerum Author eſt, ſed etiam omnium punitionum, qui poteſt mala geſta punire.* Additque Caietanus, id factum, vt homo cognoſceret, eumdem futurũ Iudicem, qui ſe prçſtitit Creatorẽ, vt poteſtas, ſcientia, incorruptio, & iuſtitia iudicantis timeretur, ſic enim fatur, *Voluit Deus, vt æſtimaretur ad ipſum iure creationis iudicium mundi pertinere, vt ipſe idem qui orbem condidit, eo ipſo quod condidit, eumdem iudicaturus crederetur.* Et crederetur ab homine, vt homo hoc credendo, quç homine ſunt digna operaretur.

Seneca lib. 1. de ira c. 5.

Prou. 22. 2.

Aug. ſer. 25. de verb. Domini.

6 Cauſſam ſi quæras, ad quid creatus ſit homo, Seneca illam his verbis tibi demonſtrat, *Homo in adiutorium mutuum generatus eſt.* Et ideo Creator omnium diuites creauit & pauperes, vt alter in alterius adiutorium eſſe poſſet, vnde Salomon aſſerit, *Diues & pauper obuiauerunt ſibi: vtriuſque operator eſt Dominus.* Vt enim docet Auguſtinus, *Diues propter pauperem factus eſt, & pauper propter diuitem factus eſt.* Nempe vt diues ſuſtentet pauperem in vita, & pauper ſit diuitis fulcimentum in Iudicio, qui enim ibi innititur pauperi, non fruſtra nititur, ſed ſtat in iudicio: fruſtra autem nititur qui in eo nõ innititur, quaſi vno pede fidei ſtãs, altero autem caritatis claudicans. Deſcribat Ambroſius hoc Piorũ ac impiorum diſcrimen. Is, iudicij forma depicta, Iudice in ſede maieſtatis ſuæ locato, ouibus ab hædis ſeparatis, illis à dextris, his à ſiniſtris poſitis, ita ſubnectit, *Laudatis dextris de operibus caritatis, nihil aliud ſiniſtris obijcitur, quàm miſericordia beneuolentiaque neglectus. Acceperant ergo etiam iſti fidem, ſed non ſectati fuerant dilectionem: nec de non ſeruato, ſed de non aucto munere damnabuntur. Quamuis enim omnia bona, dona ſint Dei, a Deo tamen quadam etiam non petita tribuuntur, vt per ipſa, quæ accepta ſunt, ea quæ nondum ſunt donata quærantur. Semen quippe quod iacitur in terram, non ob hoc ſeritur, vt ipſum ſolum maneat, ſed vt fructum afferendo, multiplex atque numeroſum ſit. Cui quidem profectus ab illo eſt, qui dat incrementum. Sed terra viuens, & de gratia iam imbre fœcunda, habet quod ipſa expectetur ad id quod accepit, augendum. O ſex augmentum centeſimũ proferens fructũ!*

Ambroſ. li. 2. de vocat. Gen. cap. 2.



CAELI DAVIDICI VERSIO LXXIIII.

Ex Chaldæo:

Non consistent impij in die Iudicij magni in societate Iustorum.

CIRCVLVS I.

Discernit iustus Iudex agnos ab hædis, & pios ab impijs.

1 Creator potens, & iustus omnium Iudex, eamdem legem, quam olim iam obseruauit in orbe condendo, seruabit etiam olim in iudicando, & in hoc nouo Chaos denuo disponendo: nihil enim magis prouocat oculos eius, quam ordinata inordinare, disiuncta confundere, ac discreta miscere. Hinc, vt Oleaster notat, *Prohibuit agrum diuerso semine seminari, animalia diuersarum specierum vniri, vestem diuersis licijs textam gestare, ne aliquis auderet confundere, quæ ipse tanta solicitudine curauerat discriminare.* Sicut ergo in mundi creatione, lucem a tenebris, diem a nocte, & aquas separauit ab aquis: ita & in eius consummatione, iustos, qui lux, aquæ celestes, & dies sunt, ab impijs, qui nox, aquæ terrestres, & tenebræ sunt, sic segregabit, vt iure dicatur, *Non consistent impij in die iudicij magni in societati iustorum,* Nam referente Genebrardo, *Metaphora sumitur a foro, in quo, qui causam amittunt, causa cadere dicuntur.*

Oleaster in 2. Annotat. sup. cap. 1. Genes.

Genebr. in Psal. 1.

2 Hanc segregationem etiam nascente mundo fecerat Deus in cælo, cum diuisit lucem à tenebris, si enim Ruperto fides præstatur, sub lucis figura bonorum Angelorum adumbratur forma, quos iustus Iudex à malis angelis & à tetris dæmonibus ita distinxit, sicuti lux diuiditur à tenebris, sic enim fatur, *Diuisio ista lucis, & tenebrarum terribile Dei iudicium super diabolum esse factum insinuat. De quo Psalmista, Tu terribilis es, inquit, & quis resistet tibi? Ex tunc ira tua: tamquam diceret, Quis tibi resistere potest, cùm, ex quo tibi quis resistet, ex tunc terribilis exardescat ira tua? Nam ex quo diabolus restitit, id est, resistere voluit tibi, tu iratus es, & resistere non potuit. Cecidit enim Angelus, & factus est diabolus. Hoc terribile iudicium per diuisionem insinuatur lucis & tenebrarum. Quæ enim sunt istæ tenebræ, nisi omnes angeli Sathanæ cũ eodem suo principe? Has vtique tenebras Deus lucemque diuisit, quia malos angelos à bonis separauit, diuisit, inquam, separatione immutabili, ita vt nec isti qui ceciderunt, resurgere, nec illi qui cùm peccare possent, peccando cadere noluerunt, vlterius vmquam habeant vel possint peccando cadere. Cum ergo, quod in Angelis est casus, in hominibus sit mors: sicut Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit, & sic in baratrum ceciderunt, vt vltra nõ adijciant, vt resurgant, & stent in congregatione sanctorum Angelorum: ita & impij qui tam in stagnum sul-*

Ruper. Abbas lib. 1. in Genes. c. 13.

phuris ita sunt semel damnati, vt secunda mors depascat eos, non vltra consistent in societate iustorum.

3 Nouit Dominus qui sunt eius, & nouit quam contagiosa res sit malorum societas, & ideo nec temporis momento passus est lucē cum tenebris, Angelos cum dæmonibus, & iustos cum impijs cōmorari: sed in lucem producta luce, lucem instanter a tenebris diuisit. Fortè dices, Acta perageret prouidentia Dei si lucem materia lē a tenebris segregaret, nam suapte natura ita lux a tenebris est distincta, vt pro summæ diuisionis argumento ab Ecclesiaste sumatur, dum asserit, *Et vidi quod tantum praecederet sapientia stultitiam, quantum distat lux a tenebris.* Si enim vera est Nysseni doctrina, *Sicut lux, nisi quid obstet, longè se porrigit, tenebra mera priuatio sunt: ita his rebus, boni malique natura declaratur*: vt quid inter res tanto interuallo a natura diuisas, & ab Authore naturæ separatas, noua additur separatio, noua diuisio? Occurrat Augustinus, doceatque in luce Angelos, in tenebris dæmones adumbrari, & hinc demōstret optimo consilio illos ab his separari, ne a societate tenebricosa malorum angelorum talis obscuritas emanaret, vt ne ipsi quidem boni Angeli atque beati viderentur claritate conspicui. Ait enim, *Solus ille ista discernere potuit, qui etiā priusquam caderēt praesciret casuros, & lumine priuatos veritatis, in tenebrosa superbia permansuros.*

Eccle.2. 13.

Greg. Nyss. hic.

August. 11. de Ciu. Dei cap.7.& 17.

4 Immo talis ac tanta est bonorum cum malis perniciosa societas, vt sicut ab oculis fluxum humorum patientibus, immaculatū speculum maculatur: ita & ipsemet Christus, qui dicitur & est, *Speculum sine macula, & candor lucis aeternae, a viro sanguinum Iuda proditore in congregatione fidelium Apostolorum commorante, quasi formidane, ne aliquam obscuritatem & ipse inde contraheret, tunc se fassus est, quod ipse claruit, eum pestilentem de medio sublatum vidit.* Hinc, co abscedente, dixit, *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Non est meum commentum, sed Augustini inuentum, *Exit Iudas, & clarificatus est Iesus: exit filius perditionis, & clarificatus est Filius hominis: & exeunte immundo, omnes mundi remanserunt.*

Sap.7.27.

Ioan.13.31.

Aug.tract. 63. in Ioan.

5 *Quid lucidius Sole?* dicebat Salomon: & tamen Sol ipse adeo lucidus, ex ascendente fumo sic tenebrescit, vt volantis Aquilæ oculus id videns, ita deflecuerit, *Ascendit fumus de puteo, & obscuratus est Sol.* Et ipse dicam, quid lucidius societate iustorum, quorum gloria his viuis coloribus, clarisque luminibus a Paulo describitur, *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mūdo*: Vel ex Primasio, *Sic lucet Dei gens in genere humano, sicut Sol, & luna in mundo*: Vel ex Ambrosio, *Vt tam clari appareant vita, conuersatione, moribus, quemadmodum Sol & Luna inter stellas splendore sublimes sunt?* Attamen hi Soles tā lucidi, & hæc luminaria tam magna, a fumo societatis malorū obscurari possunt, ni longe ab eis diuidantur, secernantur, separentur, segregenturque. Luceat inter has tenebras Ticonij explanatio, qui explicans verba Ioannis, iam prædicta, *Ascendit fumus de puteo, & obscuratus est Sol*: asserebat, *Obscuratum dicit Solem, peccata enim malorum & superborum obscurant Solem, id est, Ecclesiam, & Sanctis ac iustis faciunt obscuritatē.* O mirum! O nouum! Solem obscurari fumo, Sanctos malorum societate obtenebrari!

Eccli.17.31.

Apoc.9. 2.

Ad Philip. 2. 15. Primasius in c.2. epist. ad Philip. Ambros. in c.2. epist.ad Philip.

Ticonius in cap.9. Apocalypsis.

6 Dixit nescio quis, *Homo homini lupus*: & verum, sed parum dixit, vnde ipse addam, Homo homini peior lupo. Nec sine fideiussore, eoque fidelissimo, id trado, nam incarnata Veritas hoc prædixit Apostolis, sic eos docens ac monens, *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, Cauete autem ab hominibus.* O Domine, si homines lupos appellaueras, cur non dicis, cauete a lupis, vnde plus timoris ingereres, & calcaria acutiora ad fugiendum adderes? Minimè gentium, nam peior est hominum

Adagium.

Matt. 10.17.

so-

societas, quàm luporum, quia hi corpus perimunt, illi animam perdunt: lupi temporalem auferũt vitam, impij in æternam præcipiãt mortem. Hanc ergo cautionem expendens Paschasius, ita dicebat, *Hoc est cauere ab hominibus, non vt tradamur, quod veritas futurũ pronunciat, sed vt non decipiamur vllis insidiarum fraudibus.* Lupus est diabolus, qui Iob aggrediens, dum omnia tela in illo adamante vidit contusa, fortiori illum telo infringere conatus est, nec alio, quàm illo, quod ex vxoris vibratus est ore, *Benedic Deo, & morere.* Vbi admirabundus exclamat Gaudentius Brixiensis, *Heu venenata diri Serpentis astutia! Mortem blasphemanti debitam, pro remedio ærũnarum suggerit acquirendam callidus, iterum per mulierem, serpens, vt palmam patientiæ auferat fortissimo bellatori, & interitum congerat victo. At ille Beatissimus intelligẽs callido antiqua artis argumento diabolum rursus per mulierem venenum mortis ingerere, sic respondit, Velut vna ex insipientibus mulieribus locuta es: pulsans videlicet vnam, de qua omnis.* Iure ergo Dominus monet, non a lupis, sed ab hominibus esse cauendum, Et vera dignoscitur Boetij sententia, *Nulla pestis est perniciosior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Diuidatur ergo lux a tenebris, nec consistant impij in societate iustorum.

Paschasius li. 6. in Mat.

Iob. 2. 9.

Gaudent. Brix. Episc. in præfat. ad Beniuolum

Boet. lib. 3. de consolat.

CIRCVLVS II.

Cur Deus omniũ præscius, & angelos, & homines creauit, quos impios futuros prænouit?

7 SEd ambiges, quo consilio, quaue prouidentia supre ma prouidentia, & magni consilij Angelus, & Angelos & homines creauit, quos malos iam futuros clarè prænouit? Et quidem, quod casuros nouerit, ipsemet Dominus apertè demonstrans. dixit, *Videbam satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Notate verbum, *Videbam*: & cum Ruperto eius vim ponderate, & cum illo sic habetote, *Verbum imperfecti temporis, quamuis præteriti, plus continere, & maiorem sensum importare auri benè audienti: ipse enim solus, non solummodo tunc vidit cadentem, dum caderet: sed etiam videbat cadentem, antequàm caderet, sed antequam idem formaretur, aut fieret.* Si ergo casurum vidit, cur creauit? Idem Abbas, idem dubium a nobis iam propositum ita præposuit, *Dicet aliquis, si iam tum videbat cadentem, quare illum tam magnificè formabat? Quare foramina eius tam diligenter præparabat?* Respondet autem, Deum creasse Angelum, creasse & Pharaonem bonum: sed a seipsis vtrosque euasisse malos, illorumque malitiam summum Bonum ordinasse ad bonum. Sic ergo Omnipotentem introducit cum Pharaone & cum Satana loquentem, *In hoc ipsum posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, vt annunciatur nomen meum in vniuersa terra. Hoc enim audiens fidelis animus, qui de Domini bonitate sentit, non suspicatur, quod eumdem Pharaonem malum esse voluerit: sed ita intelligit, ac si diceret, Regem feci, vel esse volui te. Longe enim aliud est hominem fecisse malum, & aliud hominem, qui malus erat, excitasse, & sublimasse in regnum. Quod enim malus est homo, a semetipso fit: quòd autẽ, cùm sit malus, in regnum ascendit, Dei ordinatione fit, aliquando propter peccata populi, aliquando propter probationem electorum, & aliquando propter manifestandam gloriã suam, vt prosit auditoribus cognouisse omnipotentiam Dei.* Eodem modo pactum feriit cum Satana, vt & illi seruus in æternũ sit, dum, *Secreto dispensationis ordine, vnde sæuire permittitur iniquitas diaboli, inde piè proficitur benignitas Dei.*

8 Si moralis Philosophus diuinæ prouidentiæ indagator, vbi mi-

Luc. 10. 18.

Rup. Abb. li. 1. de vict. ver. Dei c. 13.

Idem ibid. cap. 14

Idem ibid.

Ex Gregor. Papa lib. 33 mor. cap. 12. vel 19.

Senec. in li. quare bonis viris mala accidant.

ra atte dixit, *Prabendi fortuna sumus, vt contra ipsam, ab ipsa duremur:* mutatet Fortunę nomē in Dei nomen, quasi idem ab illo esset adumbratum, quod in Mose claret cerrimus figuratum dum Deū depinxit Pharaonem indurantē, vt cōtra Omnipotentē roboretur, & contra ipsum insurgat, nunc dicēs, *Indurabo cor Pharaonis*: & nunc cum Pharaone sic loquens, *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Notanda est à nobis, & distinctè obseruanda cum D. Thoma, & Dei actio & modus, & finis. Dei actio exprimitur per verba, *In hoc excitaui te.* Ex quodam enim instinctu interiori mouentur homines a Deo ad bonum, & ad malum: ad bonum pro sua misericordia, ad malum pro meritis ipsorum: ad bonum directè, ad malum occasionaliter, quia scilicet Deus mouet ad bonū, puta regem ad defendendum iura regni sui, vel ad puniendum rebelles: sed hoc instinctu bono, malus homo abutitur ex malitia cordis sui, vt Pharao eo abusus est ad crudelitatē exercendam. Modus autem est, quod vbi ad bonum inclinat Deus voluntates directè, & per se, tamquam Author bonorum: ad malum dicitur suscitare vel inclinare homines occasionaliter, inquantum Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quòd quantum est de se, est inductiuum ad bonum, sed homo propter suam malitiam peruersè vtitur ad malum. Sic enim Pharao & patientia Dei, & signis, atque potentis, quibus ad pœnitentiam expectabatur, secundum duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizabat sibi iram. Finis autē est, quo Deus partim hoc facit, partim permittit, quia cùm operetur in creaturis ad suam manifestationem, hæc excitatio eò dirigitur, vt quantum ad præsentes, ostenderet in Pharaone virtutem suam: & quantum ad absentes, vt annuncietur nomen eius in vniuersa terra. Vtitur ergo Deus creatura sua secundum eius merita ad gloriam suam.

Exod. 4. 21.
Exod. 9. 16.

Ex D. Tho. lect. 3. in c. 9 epistol. ad Rom.

9 Si verò legamus cum eodem Angelico Doctore, *Ad hoc posui te*: idem est, ac si diceret, Ego ordinaui malitiam tuam ad gloriam meam. Deus enim malitiam ordinat, sed non causat. Cum autem, verbum ordinandi ad militiam specter, spectatores estote, auditores, & vsque ad stuporem aspicite, hinc Satanam & Pharaonem cum dæmonibus & Ægyptijs: inde Regem Dominum exercituum cum Angelis suis ad bella paratos, & exercitium militare. Et certè, si verum est Senecæ illustre effatum, *Quod pro omnibus est, optimum quisque militare, & edere operas*: quis inficiabitur ad hoc creatos Luciferos & Pharaones, vt & Deus Optimus Maximus: Optimus ex misericordia, confirmando Angelos bonos, bonosque homines: & Maximus ex iustitia, permittendo obstinatam rebellionem peruersæ voluntatis dæmonum & hominū, & Angelos inducere militantes in cælo, & ipse sic militans appareret in terra, vt triumphalis hymnus ad gloriam sui nominis concinatur, *Dominus, quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius, currus Pharaonis, & exercitum eius deiecit in mare?*

Idem Diu. Tho. ibid.

Seneca in lib. quare Bonis viris mala accidunt.

Exod. 15. 3.

10 Immò, per verbum illud, *Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in vniuersa terra*: idipsū, si dicere fas est, describitur, quod sæpè in hastiludio a nobis cernitur. Pretio conducitur vilis homo, sed virilis, armis ornatur, impenetrabili thorace induitur, galca operitur, tegitur scuto, fixus aptatur in certaminis loco, eoque sic immobili permanente, certatim cursores illo vtuntur pro signo, in quod lanceas dirigunt, arma confringūt, præliandi specimen ostendunt, ostentant fortitudinem, & brachij robur, manusque patefaciunt virtutem. Sic Deus exercituum, & Luciferum & Pharaonem armis bonorum ornauit eximijs, eosque & eorum milites,

Exod. 9. 16.

pro

pro signo posuit, in quo & ipsius; & Michaelis fortitudo panderetur, dum & ipse acuit diram iram in lanceam, & Michael hasta armatus venit in prælium.

12 Addatur meo obscuro cogitaui Ruperti lumen, qui pro hoc hastiludio nunc Satanam introducit in cælo, nunc in terra introducit Pharaonem, dicens, *Nam Satanæ typus etiam Pharao fuit.* Nunc illos armis ornat, *Et vt in illo ostenderet suam fortitudinem, magnum, sapientem, speciosum fecit eum, & tanta præ ceteris Angelis illi contulit, qui malus sponte futurus erat, dona, quanta nec Pharao, qui similis illi dicitur, præ ceteris hominibus habere potuit, qui priusquàm in regem exsitaretur, malus erat.* Nũc decem hastas per decem signa in durissimo thoraci pectoris Pharaonis Rex exercituum fregit, & miram fortitudinem in eo deijciendo in profundum maris ostendens, verum fuisse monstrauit, quod ei prædixit, *Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in vniuersa terra. Et nunc, Michael princeps militiæ Dei, hoc honore vel principatu donatus est, ex quo contra diabolum dicentem, Deus ego sum, restitit, vt diceret, Quis sicut Deus? Et vincendo illum probauit, quia nullus est alius sicut Deus. Et iste tunc in cælo victor effulsit.* Sed quia Rupertus receptui canit, & nos eum sequamur, concludentes cum eo, *Verumtamen quia loquitur Dominus, Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra? Nos super quæstione hac temperantes, cum Apostolo dicamus, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*

Ruper. Ab. li. 1. de vict. ver. Dei. c. 24.

Idem ibid. cap. 18.

Ruper. ibidem c. 24.

CIRCVLVS III.

Cur dies Iudicij a Chaldæo dicatur Magnus.

12 CONtraria visus est Salomõ de Iudicij die decreuisse; postquàm enim dixit, *Tempus iudicij cognoscit cor sapiens*: paulo post intulit, *Quo enim pacto futurum sit, quis renunciabit?* Si cognoscit, quomodo non renunciat? Et si renunciare non valet, quomodo cognoscit? Respondet Olympiodorus, quòd nouit sapiens, & non nouit: nouit affuturum, nescit modum, sic enim fatur, *Sapiens nouit affuturum vniuersalis iudicij tempus, in quo Deus iudex iustus iustitias iudicabit vnicuique pro dignitate, sed multa est scientia & immensa de rationibus & sermonibus iudicij, neque est qui homini certas vmquam iudicij rationes renunciauerit, hoc est, quo tempore, aut vbi locorum iudicium sit futurum, vel quo pacto Deus vniuscuiusque vitã moresque disquiret: aut quomodo, qui hora vndecima in vineam venerunt, precium primæ retributionis accipiant: aut quo Dei iudicio approbantur boni, quos ipsi fortasse malos esse malè censuimus: contra verò damnabiles Deo sunt, qui nobis esse probi videbantur. Itaque, propter omnia noli esse sollicitus, ac sapere plus quàm oporteat, ne obstupescas.*

Eccle. 8. 5. ex Olymp.

Ibid. ver. 7.

Olympiod. in enar. sup. Ecclesiasten Salomonis.

13 Chaldæus autem in præmissa versione, breuiato verbo, *In die iudicij magni*: multa & magna restrinxit, quæ in præmisso foro dilatantur. Mortales nomen magni vsurpantes in modico, non habent in re, quod vsurpãt in nomine: at dies ille super omnes timendus, & re & nomine erit magnus. Si dicebat Plutarchus, *Quòd inepti opifices dum magnas bases paruis donarijs supponunt, eorum paruitatem hoc ipso arguunt*: quis non videt ineptos artifices esse adulatores, qui statuis hominum ex natura paruorum, supponunt bases magnas, magni cognomine illos cõpellantes? Detur autem diei iudicij titulus Magni, magna enim basis illa est, in qua magnus Iudex apparebit in maiestate, hinc iustos, inde impios iudicans, & omnes replẽs pallido pauore. Hinc Theodorus Studita nos hortatur, *Magnũ & illustrem Domini aduentus diem*

Chaldæus.

Plutarchus orat. 2. de fort. vel virtute Alex.

B. Theodorus Studita in ser. 50.

cogitemus, quo Iudex ouibus dextra, hædis sinistra collocatis, illas hac optatissima voce compellabit, Venite benedicti: his diram ac tristissimam sententiam intimabit, Discedite à me maledicti. Hæc enim horrore sunt, ac cõsternatione plena. Sed Anastasius, non solùm huic magnæ basi magnum imponit eleuatq. Iudicem, sed circumcirca varias & pauendas cælat figuras, subsellia, libros, flumina, & sortes iudicandorum magis distantes, inter se, quam distet cęlum à terra. Audiamus ipsũ, *Debemus commemorare Iudicium extremum, subsellia apposita, præsidentem iudicio Antiquum dierum, libros apertos, fluuium ignis: deinde eos qui ad dextram erunt, commendatos bonis operibus processuros in resurrectionem iudicij.*

Anastasius Patriar. Cõstantinop. in epistola 5.

14 Descripsit huius diei magnitudinem Sophonias cum tot nigris coloribus, pallidis luminibus, terrificis vmbris, & magisterio tali, vt iure vel de exordio dicere potuerit Rupertus Abbas, *Quid opportunius obseruare potuit de officio boni Oratoris iuxta considerationem rei, quàm hoc vt attentior fieret auditor in exordio sermonis, immo declarationis?* Aspice, & vide primum colorem, quo depingitur vicinus velox & magnus, *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis.* Res quamuis magnæ, a longe prospectę, paruas per longiora spatia sic emittũt imagines, vt etiam stellæ, quæ centies excedunt magnitudinem terræ, vix ob distantiam, æquentur aureo malo: & dies Iudicij magnus, a cæcutientibus mortalibus, non magnus iudicatur, quia dicere audent, Adhuc visio in longum: at qui oculos habet ad videndum, vti Rupertus habebat, videt illum propè nimis. Sic enim fatur, *Quo autem verbo, & quali dicto, attentionem speculator melius excitaret, quàm dicendo, Iuxta est? Contemplatus est diligenter multo, & claro intuitu vidit, quia iuxta est id, quod lippis & cæcutientibus longe esse videtur, & dicunt, in tempora longa fiet istud. Nec semel contentus dixisse, iuxta est dies Domini, repetinit iuxta est & velox nimis. Et verè secundùm magnitudinem periculi, iuxta ac velox nimis, & hoc non vanè videtur homini habenti quippiam de sensu Dei, cuius ante oculos mille anni sic sunt, tamquam dies hesterna, quæ præterijt: aut certè, quod breuius est, tamquam custodia in nocte, id est, vna de quattuor vigilijs vnius noctis. Immo quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt, id est, inter ea reputabuntur. Ille dies erit magnus, quantus, ex quo dies esse cœperunt, non fuit, nec erit amplius.*

Ruper. Ab. lib. 1. in c. 1. Sophon.

Sophon. c. 1. 14.

Ruper. ibi.

15 Addit nigrum colorem fellex amaritudinis, addit & armata labia tribulantis, *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.* Nescio an Salomon minetur an moneat, vel prędicens stulto, vel dicẽs, *Stultus labijs verberabitur.* Et si cũ Veranio petas, *Quomodo potest homo stultus labijs verberari? Etsi addas illud. Cessabunt verba, cùm ventum fuerit ad verbera, ita vt scias verbera à verbis distingui: qui fiet, vt verba labiorum, verbera sint stultorum?* Respondet Salonius, *Verberatio in hoc loco damnationem significat,* Cui si cum Ruperto addatur, *Quam aliam putamus vocem, nisi illam, Ite maledicti? Verè amara erit vox, quia ibi, id est, in illa voce tribulabitur fortis. Et quis fortis, nisi superbus? Fortis diabolus, fortes Angeli eius, fortes homines sequaces eius ibi tribulabuntur, in illa voce tribulabuntur. Ergone veraciter fortis, qui in voce tribulabitur? Immo falsò fortis, verè inualidus. Fortis enim dicitur, non quòd ita sit, sed quòd ita sibi videatur. Tunc autem non ita sibi videbitur, sed non negare poterit, quòd sit inualidus, quando vna voce fortis ille fortium rex, videntibus cunctis præcipitabitur.* O verberantia labia! O verba operatoria, quæ fortem regem confringunt, præcipitanque!

Prou 10. 10 Veranius apud Solonium.

Salonius in explicat. mystica cap. 10 parabolar. Salomon. Ruper. Ab. ibid.

16 Vocem audiuit Psaltes, immo varias voces, quas varijs enunciauit vocibus, ita hoc repetito sono vocis intonans, atque tonans, *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini inter-*

Psal. 28. 4.

cidentis

cidentis flammam ignis. Vbi, cum Cassiodoro, dicam & ego, *Miranda breuitas: tria verba quàm grauem expleuere sententiam. Vox Domini in virtute, quę repugnantia cuncta prosternit. Vox Domini in magnificentia, qua praestat, vt de impio perficiatur pius, de captiuo liber, de seruo filius, qua confringit superbos, humiles erigens. Vox Domini intercidentis flammam ignis, qui omnem calorem contrarium intercidendo, id est, diiudicando dijudicat*. Sed hæc omnia quasi vmbræ sunt, si cum coloribus atris, cum pallentibus luminibus, & cum terrificis vmbris à Sophonia depictis comparentur, sic enim magnū illū diem describēs, amarā emittit vocē. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tuba & clāgoris.* O dies, o tenebræ, o pallentia lumina, o terrificæ vmbræ. Dies, en pallētia lumina: iræ, o terrificas vmbras. Dies, o pallentia lumina: tribulationis & angustiæ, o terrificas vmbras! Dies, o pallentia lumina: calamitatis & miseriæ, o terrificas vmbras! Dies, o pallentia lumina: tenebrarum & caliginis, o terrificas vmbras! Dies, o pallentia lumina: nebulæ & turbinis, o terrificas vmbras! Dies, o pallentia lumina: nebulæ & caliginis, o terrificas vmbras! Dies enim erit pro Iustis, vmbra pro impijs. Sed vmbris à me depictis lumina addat Rupertus, *Quanto impetu, quàm magno spiritu illius diei magnitudinem describere gestiens, dies, inquit, iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* Sed cur eamdem diem, sex, & non septem vicibus Propheta repetit? Quia de Sabbato & requie nulla posthac erit mentio. Sic idem Abbas & dubium proponit, & soluit, dicens, *Diem vnam eamdemque sex vicibus cum adiectionibus terrificis declamauit, & septimam vicem non addidit. Cur hoc? Existimo nimirum, quia de septima die nihil ibi erit, nihil de Sabbato Domini, sed sine requie, sine vlla requietionis spe, tribulabitur ibi fortis. Nam hoc totum, quod tantis nominibus declarauit, erit super ciuitates munitas, & super angulos excelsos, id est, super homines impios, & super angulos superbos. Nam ciuitates cùm dicit munitas, subaudiendum est, citra Dominum: & angulos cùm dicit excelsos, intelligenda est celsitudo principum, contra verum & solum mete Ipsum Dominum se extollentium*. Dominus exercituum varijs armis ornatus peccatores puniet. varios, gladio enim inuadit vltores, arcu auaros, lancea lasciuos, superbos fulminibus impetit. Sicut enim fulgura summa petunt, sic Dei ira contra superbos ruit. Hinc Dauid, *Vox Domini confringentes cedros, & confringet Dominus cedros Libani.* Hoc totum ex Basilio hausi, ita enim colorat, quæ ipse adumbraui, *Sicut cedri, eùm per se alta sint, per hoc quoque, quòd in sublimi quopiam monte prognata sint, ob montana altitudinis accessionem, tanto efficiuntur splendidiores, & eminùs spectanda: sic, qui istis rebus mundi pænè deciduis & corruptiuis nituntur, cedri quidem sunt per mentis elationem, ac fastum. Et hos temere inflatos superbia, tumidosque ob ea, quæ in hac vita sublimia aestimantur, confringere Deus dicitur*.

Sopho. 1. 15. — Ruper. Ab. lib. 1. in c. 1. Sophon. — Idem ibid. — Psal. 28. 5. — Basil. in homil. 1. super psal. 28.

17 Heu! Sex dies ibi complentur iræ, tribulationis, miseriæ, tenebrarum, nebulæ, & tubæ, quæ receptui canunt, Iustos in regnum congregādo, & impios in infernum detrudēdo: septimi autem diei, pro his non fit mentio, quia nihil de Sabbato Domini, quia sine requie, sine vlla intermissionis spe tribulabitur superbus & fortis. Sic, sic, ventilatis in area spicis, Iusti, vt granum in horreo, congregantur: impij, vt paleæ, igni tradūtur, & Oraculum Præcursoris adimpletur, *Permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sed forte dices, metaphora tritici cōgregati in cæli horreum, apta est,

Matt. 3. 12.

est, quia ibi æterno tempore Iusti seruantur, vbi locus à corruptione liber eos conseruat. Metaphora autem paleæ non aptatur impijs, quia sicut paleæ facile quidē immissas flammas concipiunt, ita eadem facilitate conceptas flammas finiunt, dimittunt, amittunt, excutiunt, & extingunt. Occurrit tamē Remigius demonstrans in palea peccatorē, & in igne pænam, quam concipit in momento: sed vtriusq. dissimilem ostēdit flammam, quia in palea incensa, sic perpetua perseuerat, vt comburātur igne inextinguibili: & quamuis conflagrent vt palea: attamen vt sulphureus lapis vim ignis numquam amittunt, excutiunt numquam. Audiamus Remigium hæc omnia breuiter quidem, sed acutè nimis definientem, dum ait, *Ignis autē inextinguibilis dicitur pęna dānationis, quia quos semel suscepit, numquam extinguit.* Notate verba, & damnationis pænam signare. Pæna impiorum ignis inextinguibilis dicitur. Inter præcipua miracula montium ardentium, illud refertur à Plinio, *Flagrat in Phaselide mons chimera, & quidem immortali diebus ac noctibus flamma. Ignem eius accendi aqua, extingui vero terra, aut fæno.* Chimæram autem hanc semper ardentem, Poetæ more fabulantes, monstrum esse dixerunt, quod flammas euomat, caput & pectus Leonis habens, ventrem autem capræ, & caudam draconis, vnde Virgilius, *Flammisque armata Chimæra.* Tale monstrum immane, non quidem in monte Phaselide, sed in valle Gehēnæ viuit æternò, ignem inextinguibilem diebus ac noctibus in damnatorū perpetuam pęnam exhalans, nam ignis inextinguibilis dicitur pæna damnationis. Est autem partim similis, partim vero dissimilis à Phaselide igne, accenditur nāquè aqua ex damnatorū oculis semper fluēte: non tamen extinguitur fæno, immo damnati, cùm fænum sint, perpetuum pabulum igni præbēt, quia quos semel suscepit, numquā extinguit. Quod miro modo firmatur ex sentētia Tertulliani, qui de infernali igne arcano lōge alio à nostro, hæc habet, *Non enim absumit, quod exurit: sed dum erogat, reparat.* Erogare enim idem est, ac in rogum dare, & ex consequenti absumere. Tartareus autem ignis ita cruciat damnatum, vt breui absumeret: ob arcanam tamen ignis violentiam, absumptione reparatur, & morte sic viuit, vt mors immortalis sit, defectus indeficiens, & ita infinitus finis, vt palea comburatur igne inextinguibili.

Remig. relatus a D. Th. in caten. super cap. 3. Matth.

Plin. lib. 2. c. 106.

Virgil. Æneid. 6.

Tertull. in Apologetico. c. 48.



CAELI DAVIDICI VERSIO LXXV.

Ex Isidoro Claro.

Non erigent se se impij in Iudicio, nec peccatores inuenientur in cætu Iustorum.

CIRCVLVS I.

Impij demisso capite, Iusti autem erecto stabunt in Iudicio.

1 EXplanat idem Isidorus, & clarius explicat propositam translationem, existimans idem esse nō erigere se se, ac depressos iacere. Et iure, *Qui enim perpetuæ morti sunt addicti, resurgere non valent, sed iacebunt pressi onere peccatorum suorum. Idque declarat altero emistichio, quando dicit, peccatores non inuenire in cętu Iustorū. Alius vertit, Non stabunt, vt stare in iudicio sit pro vincere in iudicio, & causam probare.* Vnde & Terentius, *Vix steti*: inquit, pro, vix fabulam approbaui: huic contrarium, pro, cedere causę. Cedēt ergo causæ, dum peccatorum onere pręgrauati, demisso stabunt capite, nec caput leuabunt, & sero, ac diuerso euentu & effectu quilibet eorū repetet vel verba Manassæ, *Incuruatus sum multo vinculo ferreo, vt non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi*: vel Dauidica lamēta, *Iniquitates meę supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Vbi Genebrardus, sic ait, *Iniquitates supergressę sunt, transcendunt, transeunt. Quod duobus potest modis concipi. Primùm per metaphoram à demersis, quorum caput aqua transcendit: deinde per Metonymiam, vt caput significat capitis pilos, quasi dicat, Numerosiores sunt iniquitates meæ capillis capitis mei. Quoniam multitudine peccatorū obrutus sum, & eius tamquam graui & ponderoso onere oppressus. Vsque adeo excreuerunt illa siue numero, siue magnitudine, vt iam caput & opprimant.* Per Prosopopeiam autem tribuit pondus & grauitatē peccatis, quam explicans Nicetas ex Naziãzeno de Baptismo, *Caput principem animi partem exponit, cuius mentem & rationem & conscientiam, peccatum premit, atque onerat.*

Isidor. Clar. in ps. 1.

Terentius.

In oratione Manassæ regis Iuda.

Psal. 37. 5.

Genebr. in Psal. 37.

Nicetas in notis Naz. sup. Orat. de Baptismo

2 Et eadem differentia cernetur in Iudicio inter impios atque pios, q̄ notatur a Drogone inter Aquilam & Absalonem. Illa decaluata perspicuo Sole fruitur: hic cæsarie grauatus perimitur. Hinc est, inquit Episcopus Hostiensis, quod tibi, o Iuste, præcipitur, *Dilata caluitium tuum, sicut aquila. Aquila decaluata perspicuo Sole fruitur: sic animę caluities, quantò dilatatur, tātò se purius in eam vera lux infundit. Qui autem sibi comam nutriunt cæcitatis & grauitatis, sibi dānationem acquirunt. Propterea lucis huius beata visionem perdidit Absalon, quia grauabat eum cæsaries, & nonnisi semel in anno tondebatur, & crines suos ponderabat ducentis Siclis pondere publico: vnde eodē crine suspensus ad arborem interijt. Oppositum fit de Aquilis.*

Drogo Epis. Hostiens. in lib. de sacramen. Dom. Passionis.

3 Aquilas hasce solabatur Iudex, dum de magni diei terroribus loquens, dixit eis, *His autem fieri incipientibus, respicite, & leua-* Luc. 21. 28.

te capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et bellè, nam de eis prædixerat, *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ;* & per ea, quæ docet Ambrosius, *Nonne tibi videntur Aquilæ circa corpus, quando veniet in nubibus, & videbit eũ omnis oculus?* His ergo Aquilis dicitur, *Leuate capita vestra;* vt Solem iustitiæ intueamini, ad quem intuendum impij, tamquam noctuæ, non erigent se se, nec capita, vel capillorũ onere grauata, vel oculis orbata in altum leuabunt. Vnde Lyranus & lætum & mæstum pro varietate eorum reddẽs sonum, sic intonat, *Respicite, & leuate capita vestra, quia dies iudicij, licet reprobis sit terribilis, tamen electis debet esse iucunda, quia tunc transferentur ad gloriam.* O locupletem paupertatis caluitiem! O mendicam diuitiarũ cæsariem! O rerum lamentandam mutationem, cùm elatio pauperũ totam diuitum pompam transcendet & gloriam, & euntibus his in ignem perpetuum, illi ascendent ad vitam æternam!

Luc. 21. 27.

Ambros. relatus a Diu. Thoma in catena sup. c. 17. Lucæ.

Nicolaus de Lyra in c. 21. Lucæ.

4 Mirã protulit pacificus Rex sententiam, quæ prima fronte posset paradoxica iudicari, dixit enim, *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas Iustorum.* Vnde Vranius iure inquirebat à Salonio, *Quare hoc dicit, cùm in hac vita magis boni soleant iacere ante malos, & Iusti ante portas iniquorum?* Idque poterat exemplo Lazari iacentis ante ianuam diuitis confirmare, & illius diuitis, à Chrysologo descripti, *Qui tantum pompa immobile sepulchrum, in quo pietatis totus vtique & visus defecerat & auditus, nõ iam personam, non pauperem, sed ipsam misericordiam despicit, ad ianuã suam Lazaro sic iacente.* Sed respondet Episcopus Viennensis hoc in magno Iudicij die, & non in paruo die hominis verificandum, quãdo pro impijs lamẽtanda mutatio fiet rerum, & iacebunt, sed à longe, ante portas Iustorum, qui eorum tormenta videntes, ex eis & gaudiorũ materiam, & gratiarum actionem, & laudum themata & argumenta semper assument. Illius verba hæc sunt. *In nouissimo Iudicio coronatis Iustis, impij condemnabuntur, qui eos in præsenti affligebant, & idcircò dicit, Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas Iustorum. Attamen quod dicit, Ante bonos, & ante portas Iustorum, non ad vicinitatem loci pertinet, quoniam mali & boni non sibi erunt tunc vicini: sed pertinet ad visionem bonorum, quoniam boni semper videbunt tormenta malorum: quare Deo liberatori suo maiores sine fine agent gratias.* Cũ n. opposita iuxta se posita elucescant magis, magis beatitas fulget ante pænas.

Prouer. 14. 19.

Vranius apud Salon.

Petr. Chrysolog. serm. 121. de Diuite & Lazaro,

Salonius in mystica explicat. c. 14. Parab. Salomon.

5 Id autem clarescet magis ex lumine addito, vel ab Hebræo, *Incuruati sunt mali ante bonos, & impij ante portas Iustorũ:* Vel à Chaldæo, *Corruunt iniusti ante bonos, & impij obstupescunt in portis Iustiorum:* Vel ex Septuaginta, *Labentur mali coram bonis, & impii colent portas Iustorum.* Notate verba, Incuruati, corruunt, labentur, & eorum mysteria singillatim signate. De Tamurlano legitur, quòd victo Bayazeto Saracenorũ Imperatore, eo vtebatur incuruo, scabelli vice, cùm equum conscendebat. Iusti victores impiorum, & mundi triũphatores, in die Iudicij simul cùm Rege regum ascendent in cælum, canentibus Angelis, *Qui ascendit super cælum cæli:* Vel cum Genebrardo, *Qui equitat in cælis cælorũ,* id est, *Qui ascendit, vehitur, inequitat in cælum supremum, & in sedem beatorum cum triumphali pompa.* In tali ergo triumphali ascensu, impios ante eorum pedes incuruos calcabunt, & implebitur Oraculũ Isaiæ, *Incuruabitur altitudo virorum.* Et incuruabitur, vt obseruat Forerius, *A pauore illius Excelsi & decori Dei, qui solus habet celsitudinem, imperium, & gloriam.* Et incuruabitur à celsitudine Iustorũ, quos equitare facit in cælos cælorum.

Hebræus.

Chaldæus.

Septuag.

Psal. 67. 37.

Genebr. hic

Isa. 2. 11.

Forer. hic.

6 Nec incuruantur tantùm, sed corruentes obstupescunt, & obstupescentes corruunt ante bonos. Si Auicennæ, vt in hoc par est, præstetur fides, *Stupor est morbus offi-*

Auicenn. 3

cialis

canon. Fen. s. cap. 13.

cialis, faciens euenire in sensu tactuali nocumentum cum tremore: & causa stuporis est ex parte virtutis, quoniam debilitatur, sicut in eo, qui passurus est syncopim statim, & apud propinquitatem mortis: Quid mirū erit, quòd impij obstupescant, & incuruentur atque contremiscant ex nocumento in tactu oculorum & aurium, dum inuidentes vident, & obstupescentes audiunt Iustorū gloriam, eo tempore, quo virtus eorum, immo superbia eorum debilitatur ob syncopim, & ob mortem secundam iam iam aduenturam? Tales illos describit sapiens Rex, *Tunc impij turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis*: Vel cum Græco. ἐκστήσονται, *stupescent, de statu mentis dejicientur, extasim patientur*. Id autem eueniet, vt Lyranus putat, ex debilitate oculorū, quos corrumpet excellens sensibile, & lumen gloriæ Beatorum, quam repente, ex improuiso, & insperato, illos iam assecutos esse cernent, Sic ergo fatur Nicolaus de Lyra, *Videntes turbabuntur, & mirabuntur, quia videbunt Iustos gloriosos in corpore & in anima, quòd nullo modo crediderunt futurum*.

Sapien. 5. 2.

Græcus.

Nic. de Lyra in c. 5. lib. Sapientiæ.

7 Sed qui mihi exciderat Septuaginta Interpretum translatio? *Labentur mali coram bonis, & impij colent portas Iustorum*. Olim in more fuit, vt Potentissimarū ædiū limina pauperes & ignobiles non tererēt, sed transilirent, & nōnumquā honoris gratia deoscularētur: qui mos à templis ad Principum ædes & Basilicas translatus est, vt ex Iustino obseruat Petrus Crinitus. Ergo fortasse is sensus est, & impij colent portas Iustorum, id est, *Tantumdem illis deferent, vt eorum limina eo cultu prosequantur, quo maximorum Principum Basilica & Palatia vulgus ignobile prosequi consueuit*. Quid autem aliud erit Iudicij locus, nisi porta illa, de qua & Psaltes canebat, & in qua titulus sculptus erat, *Hæc porta Domini, Iusti intrabunt in eam*: vbi Iudex iustus Iustis dicet, *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum*? Per

Petr. Crinitus de honesta disciplina lib. 3.

Ps. 117. 20.

Matt. 25. 34.

hāc ergo portam, quę Domini est, immo, secundum Cassiodori placitum, *Ierusalem est, qua portam habet Dominum Saluatorē*: per hāc, inquam, Iusti tantum homines introibunt. Heu! huius portę limen impij non terent, non transilient, non osculabuntur, non colent: sed aperto inferni ostio labetur in ictu oculi coram bonis, & in puncto miseri & damnati, ad inferna descendent.

Cassiod. hic

8 Plinio referente iam nouimus, quod *Ipsa se condens terra deuorauit Cybotum altissimum montē cum oppido Curite, Sipylum in Magnesia: & prius in eodem loco clarissimam vrbem, quæ Tātalis vocabatur*: at illas non refert in puncto, vel in momento fuisse absorptas. De Babylonia autem ac de Babylonicis, talis enim est diaboli & impiorum Ciuitas, nouus describitur motus, cùm auditu audimus, *In puncto ad inferna descendunt*. Sed quis non ducat impossibile, *Ex terra superficie, quæ nouies millia passum distat à centro*, ad centrū in puncto descendere, cùm descensus motus, motus continuus sit, qui natura clamante fieri nequit, nisi in tempore fiat? Si tamen verum est, vti, & est, quòd Philosophia docet, motus maiorem vel minorem velocitatem pendere à mobilis minori vel maiori grauitate: quid mirū si peccatores infinito onusti pōdere, descendunt in puncto, cū naturali motu naturę Auctore sic dispēsāte, vt innaturalē mōstrum imitetur, in quo nec principium est reperire nec finem? Sic, sic, quia vbi datur spatium inter naturalem motum & quietem, hic innaturalis motus, tam prodigioso modo quietem vnit & motum, vt peccatores in puncto ad inferna descendant.

Plin. lib. 2. cap. 91

Iob 21. 13.

Ex Eugub. in enar. sup. ps. 138.

9 Ad lancem reuocandum est Hebraicum verbum, רגע Ragagh, à quo nomen puncti deducitur, & in quo contrariæ significationes vniuntur: significat enim vel subitam conturbationem, vel quietū otium: vel quietū momentum, vel subito, repente: vel quietem, otiū, tranquillitatem. Inde Vulgata ver-

Hebræa vox.

tit, In puncto, vel in momento, vel subito, vel repente ad inferna descendunt: Pagninus autem, Thargum, R. Moysen, R. Abraham, & Septuaginta, *In requie inferni dormierunt.* Vniuntur ergo iu tali descensu quies & turbatio, status & casus, terminus & motus, tranquillitas & præcipitatio, otium & præcipitium, requies & ruina, hæc omnia prodigia operante infinita peccati grauitate, *Grauabit enim eum iniquitas sua, & corruet, & non adijciet vt resurgat.* Et cui mirum si peccati onus homini colligatum, sic in momento & quiete hominem à superficie terræ ad centrum præcipitet, cùm eadem culpæ grauitas spiritibus alligata præcipites, & in puncto eos à cælis ad inferna detruserit, deturbauerit, & pessum duxerit? Et eodem lapide molari magno ad collũ impiorũ alligato, sic eos pessum trahet, & detrahet, proijcietque in mare, vt sententia seuera quidẽ, sed vera impleatur, *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur?* Vbi Andreas notat, & bene, quod *Quemadmodum molaris lapis magno impetu ad maris fundum fertur: Ita Babylonis huius interitus vsque adeò subitus, impetuosus, & absolutus erit, vt ne vestigiũ quidem post se reliquum faciat.*

Pagninus. Thargum. R Moyses. R. Abrahã. Septuag.

Isa.24. 20.

Apoc.18.21

Andreas Archiep. Cæsareæ in ser 19 sup. cap.18. Apoc. c.54.

CIRCVLVS II.

Iusti in hac vita, impij in Iudicio positi sunt, vt signum.

10 REpetam nunc, pro hac themate cum Chrysologo, *En fratres, quàm rerum lamentanda mutatio, pauperem portant Angeli, diuitem deglutit infernus!* & hypothesim conuertens ad thesim, modo ipse dicã, En fratres, quàm rerum pro impijs lamentanda mutatio, vt qui in hac vita Iustos habuerunt pro signo, signum Iustorũ euadant in iudicio! Posuit Deus luminaria in cælo, dixitque, *Fiant luminaria, & sint in signa.* Quid autem in luminaribus figurabat, nisi Iustos, quibus Paulus dicebat, *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo:* nam vt Nilus demonstrat, *Lucernæ erant in tenebris fulgentes, stellæ minime errãtes, quæ vitæ splẽdore noctem illustrabant?* Hæc ergo luminaria in cęlo militantis Ecclesiæ nunc posita sunt in signa & tẽpora, per quæ ipsi ab impijs noctiferis diuiduntur, dum enim innoxij ponuntur in signum ad sagittas persecutionum noxiorum in terræ pyraterio, signant ignitas sagittas, quibus ipsi noxij reponentur in acre, & in die Iudicij magni. Aduocetur pro hac mea cogitatione Stephani Cantuariensis obseruatio, sic enim fatur. *Ecclesia est firmamentum, luminaria viri iusti, qui bonos, & peccatores diuidunt, & sunt in signa & tempora, id est, in signa temporum, id est, temporalis miseria. Omnis enim qui pie volunt viuere, persecutionem patiuntur. Item duo tempora sunt, vnum amatorum Dei, aliud amatorum mundi. In signum horum temporum sunt, vt vnũ expectemus, aliud caueamus. Præterea in signum sunt pęna reproborum: quia si illi in vita præsenti sic puniũtur, signum est, quòd reprobi in futura plurimum punientur.*

Chrysolog. serm.121.

Gen.1. 14.

Ad Philip. 2. 15.

Nilus in ascetico.

Stephanus Cant. in algor. Tilm. super Gen.

11 Inquisitio autẽ à Deo olim facta de sanguine Abel iusti, & iniustè effusi, cum requisiuit à Cain, *Vbi est Abel frater tuus?* fiet de nouo ab eodem Iudice, dum quæret à Tyrannis, vbi sunt Martyres? Dũ quæret à persecutoribus, Vbi sunt, quos vsque ad sanguinem estis persecuti? Eosque ad dexteram positos ac gloriosos ostendens, ostendet, quòd si ad horam passus est illos pati, id totum prouidens egit, qa in paucis vexatis in multis bene sunt dispositi, nã Deus tẽtauit eos, & inuenit eos dignos se. Hoc totũ obseruans Ferus, ita philosophatur, *Quòd Deus tam diligenter de Abele inquirit, signum est, quòd pro Sanctis suis curat, nedum in vita, sed etiam post mortem, immo per hoc ostendit se suorum & custodem esse & vindicem.* Custos fuit in vita, cu-

Genes.4. 9.

Ferus in c.4 Genesis.

ftos in morte: vindex poſt mortem, vindex in Iudicio. Vnde prædixerat Cyprianus, *Graſſatur & ſæuit inimicus, ſed & ſtatim ſequitur Dominus, paſſiones noſtras & vulnera vindicaturus*. Et Iuſti gloriantur, *Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti*. O terque quaterque beati Domini ſerui, qui verè gloriari poteſtis cum Anſelmo, *Siue viuimus, Domino, id eſt, ad honorem Domini viuimus, cui ſeruimus: ſiue morimur, id eſt, præſentem vitam diſſolutione corporis terminamus, Domino morimur, id eſt, ad gloriam eius, & ſecundum voluntatem eius, quia non noſtram, ſed eius gloriam & viuendo & moriẽdo quærimus, Omnes enim ſtabimus iudicãdi ante tribunal Chriſti, vt bonis laudem tribuat, & mali pœnam, quã merentur accipiant*. Sic, ſic ſigna mutantur, & boni in ſignum gloriæ, & mali in ſignum ignominiæ commutabuntur.

Cyprian. in epiſt. 63.
Ad Rom. 14. 8.
Anſel. hic.

12 Sed Iuſti, ò Domine, qui pro te preſſuras, ignominias, tribulationes, martyria patiũtur & mortem, iudicium nõ expectãt, in quo premium conſequentur: ſed martyria ipſa, tribulationes, ignominias, atque preſſuras exiſtimant glorias, & ouantes dicunt, *Gloriamur in tribulationibus*. O nouum, & mirabile gloriæ genus, ſed non inuſitatum, neque inauditum. Audiui lætus, & exultans legi Senecam afferentem, *Gaudent magni viri aliquando rebus aduerſis, non aliter, quàm milites bellis. Ego Mirmillonẽ ſub C. Cæſare de raritate munerum audiui querentem, quàm bella ætas, inquit, periit! Auida eſt periculi virtus, & quò tendat, non quid paſſura ſit, cogitat: quoniam & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori caſu ſanguinem oſtentant. Idem licèt fecerint, qui integri reuertuntur ex acie, magis ſpectatur qui ſaucius redit. Ipſis inquam Deus cõſulit, quos eſſe quàm honeſtiſſimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animosè fortiterque faciendi*. Hæc ille de Paganis, quid ergo go Petrus, quid Paulus, quid Cyprianus aſſeret de Martyribus de Chriſtianis?

Ad Rom. 5. 3.
Seneca in lib. quare Bonis viris mala accidãt, cùm ſit Prouidẽtia. cap. 4.

13 Si ille de gaudio infidelium docet, *Gaudent magni viri aliquãdo rebus aduerſis, non aliter, quàm milites bellis*: Petrus fidelibus dicit, *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione eius gaudeatis exultantes*. Ex duplici enim fonte gaudij fluctus purpureos hauriunt, tum ex præſenti, cùm ſanguinis riuos effundunt: tum ex futuro, dum premia cruoris effuſi, læti percipiunt, vnde Lyranus, *Communicantes Chriſti paſſionibus per tolerantiam martyrij, gaudete Spiritu. Vt in reuelatione gloria eius, id eſt, in aperta viſione ipſius, ad quam per martyrium peruenitur, gaudeatis æternaliter cũ Angelis*. Inde ſolatur nos Cyprianus, *Gaudere nos & exultare in perſecutionibus voluit Dominus, quia quando perſecutiones fiunt, tunc dantur Coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent Cæli*. Si Moralis Philoſophus introducit Mirmillonẽ, qui de raritate munerum ſic mæſtus querebatur, *Quàm bella ætas periit, dum præliãdi materia erat ablata!* Introducamus & nos, Paulum, qui ad maiora cõſequenda munera, ſic vos hortabatur, *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum*. Nam ex Hugone, *Paſſiones contra eos certabant, vt patientiam & fidem extorquerent. Tribulationes enim ſunt quaſi exercitus Domini, quem immittit Dominus contra nos, vt nos acquirat ſibi, vnde dicitur Dominus exercituum, quia diuerſas ſpecies tribulationis immittit*. Nunc autem conqueri poſſumus, quàm bella ætas exercitus martyrum perijt, & ecce in pace amaritudo noſtra amariſsima.

Senec. ibid
1. Pet. 4. 13
Nic. de Lyr. hic.
Cyprian. in epiſt. 63. Plebi Thibari conſiſtenti.
Senec. ibid.
Ad Hebr. 10. 32.
Hugo Car. hic.

14 Si L. Annæus ſubdit, *Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori caſu ſanguinem oſtentant*: Cyprianus adiungit, *Inter omnium gloriam pulchrior ſanguinis titulus & integrior Corona ſignatur, ſic quoties de hoſte triumpha-*

Senec. ibid.
Cypr. ibid

phalibus spolijs onustus miles ingreditur, vulneribus suis gaudet. Et Vas electionis addit, *Stamus, & gloriamur in spe: non solum autem, sed gloriamur in tribulationibus*: nam secundum Theophylacti explanationem, *Reputamus ea esse insignia Dei dona & beneficia; quibus nos ipse donat*: & secūdū D. Tho. exhortationē, *Nō solū gloriamur in spe futuræ gloriæ, sed etiam de malis, quæ pro ipsa patimur: unde si aliquis gloriatur de spe, consequens est, vt de ipsis tribulationibus glorietur: tribulatio enim viam parat ad spem.* Si Seneca subtexuit, *Idem licet fecerint qui integri reuertuntur ex acie, magis spectatur qui saucius redit*: Adijciam & ipse, quòd etsi idem fecerint Confessores, fecerint & Virgines sine sāguine ad dexteram Dei sedentes, magis tamen spectantur Martyres, qui gloriantur, *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Vnde ex gloria, quam homines computant, spectāte populo, & Imperatore, & certare, & coronari: inuitat nos Cyprianus ad fortiter dimicandum spectante Deo, & Angelorum Choro, sic enim fatur, *Ad agonem secularem & exercentur homines & parantur, & magnam gloriam computant honoris sui, si illis, spectāte populo, & Imperatore præsente, cōtigerit Coronari. Ecce agon sublimis & magnus, & Corona cælestis, gloriosus vt spectet nos certantes Deus, & super eos, quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens, certaminis nostri spectaculo perfruatur. Prælantes nos, & fidei congressione pugnantes, spectat Deus, spectant Angeli eius, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præside Deo congredi, & Christo iudice Coronari!* Illi enim marcescibilem percipiunt Coronam, nos autem amarantynam & incorruptam. Illi de manu mortalis Imperatoris mortalem, nos autem de manu immortalis Regis regum immortalem.

15 Coronidem his addamus cum Annæo Seneca, & certantiū vel laudes, vel premia, vel Coronas, vel dona celebrātes, dicamus, *Ipsis Deus contulit, quot esse quàm honestissimos cupit, quoties illis materiam prabet aliquid animosè fortiterque faciendi.* Nec enim à Paulo discordat, qui fidei propugnatoribus, atque viriliter pro Christo patientibus, thesaurum aperit, occultas mercedes pandit, & pretiosa dona, sub tribulationis velo occultata, reuelat, dicens, *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Breuem cum Archiepiscopo Cantuariēsi his addamus glosam, *Vobis donatū est, quasi premiū.* Ergo tolerātia passionum, quæ via ad premium est, premiū erit, & erit laborum cursus terminus laborum? Nonne ab eodem Doctore Gentium statutum legimus, *Non coronatur, nisi qui legitimè certauerit?* Nonne à D. Bernardo definitum scimus, *Præposterus ordo est, ante meritum exigere premiū, & ante laborem sumere cibum?* Quomodo ergo tribulatio datur vt premium, si per tribulationis cursum premium obtinetur ac brauium? Sed verè, qui pro Christo patitur, geminatum recipit bonum, recipit & premium duplex, vnum in Cælo post mortem & passionem, alterum in ipsomet motu & passione. Anceps autem adhuc pēderē, vt verum fatear, neque hucusque discernerem quodnam eorum alterum excedat, vel quod eorum alteri in dignitate cedat, nisi in Hilarium incidissem sic litem in capite pro membris definientē, *Ipse virtutum cælestium Domino ad incrementum gloriæ, & maxillas palmis, & flagris scapulas offerēte.* Incrementum gloriæ tunc fit, sic est, cùm vel Rex ad Imperatoris thronum eleuatur, vel Cardinalis ad Pontificiam sedem erigitur: si ergo virtutum cælestium Dominus ad incrementum gloriæ, modo nostro, passionibus sublevatur, quis non videt premium patiendi, etiam gloriæ superare Coronā?

16 Id autem clarius patebit in Rege gloriæ, si ponderes & cernas, quæ ad incremētum gloriæ illius,

splen-

Ad Rom. 5.

Theophylactus hic.

D. Th. lect. 1. in c. 5. epi. ad Rom.

Idem Seneca ibid.

1. Cor. 4. 9.

Cyprianus ibidem.

Seneca in lib. Quare bonis viris mala accidant, cùm sit Prouidētia c. 4.

Anselm. hic

2. Timoth. 2. 5.

Bern. serm. 46. in Cant. Cāticorum.

Hilarius in Matt.

splendore addito radiare, Bernardus & ponderat, & cernit, & cernendum ac ponderandum offert, de Christo, dicens, *Cùm per naturã diuinitatis non haberet quo cresceret vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est: per descensum quomodo cresceret, inuenit*. Si vero terminum quæris, ad quem pro tali incremẽto descendit, Methodius illuc te ducet, asserendo, per martyrij gloriam ad hoc plus vltra, si dici fas est, peruenisse, ita enim fatur, *Adeo admirabile, & tanto studio expetendum est martyrium, quod ipse Dominus Iesus Christus, filius Dei se id honorare testatus sit, non rapinam arbitratus se esse æqualem Deo, vt etiam hoc dono hominem, ad quem descendit, Coronaret*. Cedat ergo. Martyrij gloriæ quælibet gloria, concedat passionis coronæ quælibet Laurea, quælibet Corona, cùm Rex qui Coronas distribuit, & Rex est gloriæ, pro incremento Coronarum & gloriæ, martyrij & passionis subijt gloriam, Lauream obtinuit, promeruitquè Coronã.

Bernardus ibid.

Methodius ser. de martyribus.

17 Vbi, videre mihi videor, nec fallor, Martyrem cũ Tyranno sic ludere, vt victus vincẽtem vincat, illudatque Victori, & cum Apostolo repetat, *Cùm infirmor, tunc potens sum*. Onouam vincendi legem, ab Ambrosio, vel sic latam, vel ita expensam, *Quia tunc vincit Christianus, cùm perdere putatur: & tunc perdit perfidia, cùm se vici se gratulatur*. Si autem ludi huius diuersa ratio exquiritur, apud Primasium reperitur, *Quia maxima potentia est infirmari pro Christo*. Infirmari pro [illegible] cadentis debili qualitate, infirmitas est: att infirmari pro Auctoris naturæ & pro Christi testanda maiestate, maxima potentia, & virtus omnipotens est. Vnde, qui sic infirmatur, potens est. Inde insensati, qui modo Iustos æstimãt inglorios, & infirmos, palenodiam recantantes, dicent, *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorũ sine honore, Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei!*

2. Cor. 12. 10.

Ambr. hic.

Primasius hic.

Sap. 5. 4.

18 Nec in iudicio de illis ferendo, vt olim iam errauerunt, nunc errabant, nam verè Iusti, & Dei filij sunt, & sunt dono gratiæ dij, dij, tormentis medijs consecrati, Cypriano testante, *Loquitur Scriptura diuina de tormentis, quæ martyres Dei consecrant*. Quæres an hæc tormenta deos illos faciant, an diuinos? Respondet Nazianzenus, *Dij sũt Trinitatis adoratę beneficio*. Antiquitas decepta putabat, vt D. Thomas docet, *Homines magnos, Principes, atque Heroas, vbi è vita excessissent, inter astra referri, aut inter cælestes Deos numerari, quomodo Hercules, Castor & Pollux, infixi cælo, atque ibi splendentes*: vnde de Babylonico rege, ironieè dicebat Isaias, *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Quod autem ab ipsis fingitur, in Iustis impletur, hi enim in Iudicio tamquam radiantes Stellæ fulgebunt, apparebunt vt dij, eruntq. in signum contradictionis positi, dum enim ipsi florent, impij ardẽt, Cypriano sic concludente, *Cælo Martyres gaudent, veritatis inimicos ignis absumit. Paradisus Dei testibus floret, negatores Gehenna complexa æternus ignis inardescit*. Sic, sic, cõcludam & ego cum Augustino, *Ipsas Stellas numerat Deus omnes secũ regnaturos, omnes secum aggregandos corpori Vnigeniti sui: qui indignus est, nec numeratur, quia numerat illum Stellarum, & omnibus eis nomina vocat*. At impij non erigent se se in iudicio, nec peccatores inuenientur in cætu Iustorum.

Cyprian. in epist. 81.

Nazianzen. orat. 25.

D. Th. in c. 14. Isaiæ.

Isa. 14. 12.

Cyprianus epi. 69. de laude martyrij.

August. in enar. sup. ps. 93.

*

*

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXVI.
Ex Caietano.

Non permanebunt impij in Iudicio.

CIRCVLVS I.

Impij cum Pijs nunc mixti manent, sed non permanent in Iudicio.

1 ALtè quidē philosophās Philo Hebræus, stultitiam negantium prouidentiam conuincebat, & cæcum errorem eorum dānabat, *Qui mundum magis admirati, quàm eius Conditorem, mundum non factum æternumque asseuerant, Deum vero in alto otio degere mentiuntur, est enim absurda opinio atq. inutilis, mundum tamquam rempublicam sine magistratu inducere, cui non Præfectus non Præses, non Iudex præsit, quem omnia dispensare gubernareque deceat.* Fontem turbidum, ex quo deriuatur tetrum hoc flumen, clarè, ni fallor, ostendit Ecclesiastes, cum dixit, *Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub Sole fiunt, quia eadem cunctis eueniūt. Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & contēptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* Hebręus legit, *Hoc est Rangh,* רע id est, malum malum, nā etsi nomē sit adiectiuum, vim tamen induit substātiui, & ad personam, & ad rem pertinet, & significat malum culpę, & malum pœnæ: atque, ex Hieronymi sententia, *Pro superlatiuo positū est, ob repetitionem* Et certè, si Olympiodoro præstatur fides, hoc malū omnia mala longe superat, dum corruptum iudicium filiorum hominum, qui vt vulgares & gregarij, ponunt cor suum, vt cogitent tantum de præsenti, non autem de futuro, ex eo quòd cuncta vident æquè accidere bonis & malis in præsenti vita, nihil cogitant de futura vita. Aurea Olympiodori percipite verba, *Cor filiorum hominis, hoc est, gregarij ac vulgares, videntes communi quadam sorte Iustos iniustosque vexari, impletur iniquitate atque malitia, & ipsorum mens in flagitiosis laboribus circumfertur, donec prauis operibus mortui, mereantur inter vita iam functos adnumerari, quùm nullam habeant societatem cum ijs, qui vixerunt secūdum virtutem, qui viuere propriè ac verè dicendi sunt, propterea quod ad repositam sibi æternam vitam peruenerunt.* Hæc ille, cuius auro tale encaustum additur à Chaldæo, *Hoc malum est in toto mundo, omni quod constitutum est sub Sole, quod euentus est omnibus vnus, omnibus, inquam, habitatoribus terræ, & etiam cor filiorum hominum repletur malitia propter hoc.* Vbi acutè obseruat Hugo Cardinalis, *Optime hoc totum tribui cordi fili[illegible] hominū, qui t[illegible] sapiunt: non autem filiorum Dei, qui diuinum decretum, quo diuinus Parens mundum gubernat semper verentur.* Et quidem bellè, nam si terra cognoscitur terra, & cælo cælum: quid mirum ꝙ terrigenæ & filij hominum terrena tātum sapiant, non cælestia: cælicolę autem, & filij Dei, cælestia meditātes, & contemnāt terrestria, & Patrē luminum honorent, & omnia à diuina prouidentia pendere noscant & credant?

2 Sed ad libram reuocanda sūt

Philo Heb. in li. de mūdi opificio.

Eccle. 9. 3.

Hebræus.

Hieron. hic

Olympiod. in enar. sup. c. 9. Ecclesiasten.

Chaldæus.

Hugo Car. in c. 9. Ecclesiasten.

Caietan. in c. 9. Eccle.

Salomonis verba, *Implentur malitia & contemptu*. Et quidem, hæbrea vox, Rangh, & malitiam, ex Caietano, significat, quæ ad volūtatem spectat: & malum culpæ describit, vnde etiam, Campensis legit, *Et corda hominum interim implentur malis ad insaniam vsque*. Vox autem contemptus, quæ in Hebræo legitur, Vehololath, radix est vnde multi pullulant surculi, vnde varij nascuntur flores, vnde & à varijs variè leguntur, nam Chaldæus, Pagninus, Montanus, Cāpensis, & Vatablus, legunt, *Et insania in corde eorum*: Septuaginta transferunt, *Et circulatio in corde eorum*: Aquila vertit, *Error in corde eorum*: Hieronymus explanat, *Et errores in corde eorū* & Symmachus transfert, *Cor eorū impletur malitia & procacitate*. At vulgata dum translatat, *Et contemptu in vita sua*: Omnes sparsim diffusos, colligit in hoc vnico stipite, & inserit surculos, nā qui ex contemptu peccant, & varijs cogitationibus prauis circumuoluuntur, & errant passim, & desperantes, *In toto tempore vitæ suæ replentur malitia, & contemptu, tergiuersationibus, machinationibus atque insanijs*: nā secundū Chaldaicā Paraphrasim, *Insania in corde eorū erūt in omnibus diebus vitæ eorum*. O lamentabilem rerum mutationem! En cor paratum pro sapientiæ diuinæ habitaculo, in insaniarum veritur habitaculum, nec vno tantum die, sed omnibus diebus vitæ eorum.

Campensis.

Hebræa vox.

Chaldæus. Pagninus. Montanus. Campensis. Vatablus. Septuag. Aquila. Hieronym. Symmach.

Campensis.

Paraph. Chaldæa.

3 Ea lege, qua datur duplex scientia, altera speculatiua, affectiua altera: hæc docetur a voluntate, amore doctore: illa ab intellectu, scientia magistra: Ita datur & duplex schola, altera, in qua fides pura sapientiam edocet & veritatem: altera, in qua voluptas praua, insaniam docet & falsitatem. Hi ergo in gymnasio voluptatis eruditi, fatui cuadunt & errant, æstimantes ludum esse vitam nostrā, & opertere etiam ex malo acquirere, quia putant post hanc vitam nec premia dari pijs, nec poenas seruari pro impijs. Sic, quia, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis*. Vide gymnasiū in corde stulti erectum, audi doctrinā ibi introductā & a vitio edoctam. Et prudenter, quidem vt expenditur ab Hilario, *Stultus in corde suo dicit, Non est Deus: quis si velit verbis oris hoc eloqui, stultus esse, sicuti est, publici assensus iudicio arguetur, Quis enim mundum contuens, Deum esse non sentiat? Sed sit frequenter, vt nos cùm veri necessitas ad Dei confessionem cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum nobis non esse persuadeat, & quod contra fidem credimus, id tamen de consilio impij cordis eloquamur*. Nec clarius colorari poterat, quod ipse adumbraui, nam in scola cordis, oblectatio docet & dicit, quod fides dedocet, ac veritati contradicit. Inde corrupti sunt in studijs suis: id est, vt explicat D. Thomas, *In studiosa voluntate peccandi, vnde corrumpuntur, & abominati sunt studiū sapiētia & disciplina*. Quod magis elucescit ex Augustino, qui legit, *In affectionibus suis*: & ex Ambrosiano, & Romano, *In voluntatibus suis*: studia enim eorum ad illud tendunt, vt ea tantum discant, quæ demonstrat affectus, & quæ docet ac monet corrupta voluntas.

Psal. 13. 1. & 52. 1.

Hilar. in en. sup. ps. 52.

D. Th. in ps. 13.

Augustinus

Psalterium Ambrosian. & Roman.

4 Hanc autem æqualitatem confirmant magis, ne dum ex ijs, quæ paria in iustis atque iniustis in vita discernunt, sed etiam ex vltima linea rerum, vbi pariter vtrorumque cursus ad eumdem terminum pergunt, vnde & concluditur, *Et post hæc ad inferos*. Vel cum Pagnino, *Et post hoc ad mortuos*: Vel cum Vatablo, *Et postea descendunt ad mortuos*: Vel ex Chaldæo, *Et post dies hominis, serua tur ei, vt corripiatur cum mortuis*. Vbi idipsum de Pijs ac impijs asseritur, quod de Alexandro scribitur, *Et congregauit virtutem, & exercitum fortem nimis, & obtinuit regiones gentium, & tyrannos. Et post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur*. Idem siue de

Eccle. 9. 3. Pagninus. Vatablus. Chaldæus.

1. Machab. c. 4.

iustis siue de iniustis fatentur iniuste, ꝙ in hac militia, quamuis diuersis cum armis, victorijsque, ac spolijs diuersis præliantur in terra: Post hæc, post communes euentus, post exantlatos diuersos labores, post varia discrimina rerum: tandem simili morte corporali omnes moriuntur, omnesque in littore sepulchri confringunt tumentes fluctus suos. Quæ omnia Hieronymus sic expresit, *Quoniã communes angustiæ & iustos & iniustos premunt, ideirco ad peccata homines prouocantur: & tamen post omnes conatus, quibus frustra nisi sunt, dum ignorant, ad inferna descendunt.* Et verè frustra in vita nituntur, qui in morte ad inferna descendunt, Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimẽtum patiatur?

Hieronym. in commẽt. sup. cap. 9. Eccle.

5 Si tamen cum Isidoro Claro, & vertamus, & interpretemur, *Et post eos ad mortuos: id est, Postrema ac nouissima eorum, videlicet tam bonorum, quàm malorum supremusque finis, quo tendunt, est ad mortuos, vt & ipsi moriantur, atque ad mortuos proficiscantur:* hinc potest iure deduci inter impios & pios differentia. O si quilibet mortalis salutare institutum Senecę sequẽs, prudenter assereret, *Ego certè, velut appropinquat experimentum, & ille laturus sententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me obseruo:* Vltima enim die, die mortis sententia definitiua proferetur, quæ de omnibus annis, de omnibus etiam diebus prӕteritis iam, & de futuro vel premio vel poena, omni remota appellatione iudicabit, Scriptura testante, *Dominus iudicabit fines terræ.* Dantur sententiæ in processu caussæ, quæ interlocutoriæ dicitur, vel quæ a tribunali inferiori feruntur, a quib[us] datur appellatio: datur & diffinitiua a Rege, a qua fas non est appellare. Eodem modo in vitæ tribunali sententiæ dantur secundum præsentem iustitiam, quæ & mutantur, dum hominis vita mutatur, dicebat enim Augustinus, *Noui Dominus mutare sententiam, si tu noueris & vitam mutare.* At in morte sedet diuinus Iudex pro tribunali, a cuius sententia appellatio non datur. Hinc idem Augustinus explicans allata verba, dicebat, *Dominus iudicabit extrema terræ, id est, extrema hominis, quoniam non iudicabuntur quæ in melius, vel in deterius medio tempore committuntur, sed in quibus extremis inuentus fuerit qui iudicatur.*

Isidorus Clar. hic.

Seneca in epistola 25.

1. Reg. 2. 10.

Augustinus

Aug. lib. 17. de Ciu. Dei cap. 4.



CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXVII.
Ex Theodotione.

Non ſtabunt peccatores in collectione Iuſtorum.

CIRCVLVS I.

In terra, impij cum Pijs mixti manent, at in aere cum illis non permanent.

1 INter belligeros varioſque temporum Choros, & inter contrarias phalanges & ordinatas, & à pacifico Rege diſpoſitas acies, ille inter omnes micant, quæ ordinatè ſibi inuicem ſuccedunt. Viuētes mortales tunc claſsicum ſonant, cùm eſt, *Tempus pacis*. Et vitæ immortalis Auctor tunc receptui canit, cùm eſt, *Tempus tacendi*. At in morte mutantur tempora, commutantur arma, variantur & vices, ac prô mortalibus exurgit, *Tempus belli*: & pro Domino exercituum, *Tempus loquendi*. O tempora diuerſa! o euentus diuerſos! In die hac, o homo, quæ ab ortus initio vſque ad terminum vitæ decurrit, omnia ſunt diſpoſita ad pacem tibi, quia miſericordiæ tempus eſt, & per ea, quæ Chryſologus demonſtrat, *Hac eſt Chriſti magna, larga, ſola miſericordia, qua iudicium omne in diem ſeruauit vnum, & homini totum tempus ad poenitentiam deputauit inducias, vt quod de vitijs infantia ſuſcipit, rapit adoleſcentia, inuadit iuuentus, corrigat vel ſenectus: & de peccato vel tunc poenitteat, quando ſentit iam ſe non poſſe peccare, & tunc ſaltem reatum deſerat, quando illum reliquerit iam reatus: & faciat de neceſsitate virtutem, ac moriatur innocens, qui totus vixit in crimine.* Hoc autem a miſericordia totum pendet, quæ Iudicem ſic reddit tacitum, & non videntem, vt ipſemet aſſerat, *Ego tacens, & quaſi non videns*. Et quia motus ac terminus idē realiter sūt, qui in tēpore pacis miſericordiā theſaurizat, & pacis & miſericordiæ in termino vitæ theſauros inueniet. Qui autem in tempore pacis theſaurizat bella, iram incendit, & accumulat mala: in die mortis & mala, & bella, & iram, & vindictā inueniet, tūc.n. pro Iudice tempus loquēdi erit, cū tuba Dauidica illū excitabit, *Tempus faciendi, Domine, diſſipauerunt legem tuam*: cumque Euthymius repetet, *Tempus eſt tibi Domino faciendi vltionem, cùm iniqui legem tuam ſpreuerint & deſtruxerint.*

Eccle. 3. 8. — Ibid. ver. 7. — Ibid. ver. 8. — Chryſolog. ſer. 42. de Ieiunio & eleemoſyna — Iſa. 57. 11. — Pſ. 118. 126 — Euth. hic.

2 Si ambiges, quomodo tempus pacis eſt tempus præſens, ſi Dominus aſſerit, *Non veni pacem mittere, ſed gladium*? Dicam tempus belli iuſtorum cum vitijs & cum aereis poteſtatibus, eſſe tēpus pacis cum Deo pacis: tempus autem pacis impiorum cum dæmonibus & cum proprijs concupiſcentijs, bellum eſſe cum Domino exercituum: & vbi iſti poſt pacem præſentem, bellum æternum inuenient: illi poſt præſens bellum, immarceſcibilem pacis Coronam recipient. Has temporum vices; has meritas, vel pacis vel belli vel premia vel pænas, hac arte, hoc or-

Matth. 10. 34.

Salon. in mystica explic. Eccles. Salomonis.

dinc Salonius temperabat, *Verè nobis semper est tempus belli & pugna quãdiu in præsētivita sumus, quoniã tēpus necesse est nobis pugnare aduersus insidias hostis antiqui, & aereas, id est, malignorum Spirituũ debellare potestates. Pacis verò tēpus erit, cùm de præsenti sæculo migrauerimus, quoniã si bene pugnauerimus in hoc sæculo, in futuro coronabimur, & in cælesti Ierusalem in æterna pace requiescemus.* O peregrinum bellum generans pacem! O nouã pacem belli genitricem! O terque quaterque felicem iustũ, qui modo in dulci bello est, vt in perpetua pace sit. O millies infelicem impium, qui modo in amarissima pace est, vt in bello sit, & æterno tempore amaro in bello &. viuat moriens, & moriatur viuens.

3 Hoc inter Pios, & impios, nũc latens, nunc potens discrimen ostendit Dominus Hermæ Pauli discipulo in arboribus hieme aridis, Vere floridis, & in æstate fructibus Coronatis: in hieme sæculum hoc designans, in arboribus aridis tam iustos quàm iniustos in hac vita ignotos, in æstate vero sæculum futurum, in quo fœcundæ plantæ fructibus coronantur, infructiferæ in escam igni dantur. Sic enim audiuit, è cælo sibi loquentem, *Hoc sæculum iustis hiems est, qui nõ agnoscuntur cum peccatoribus habitantes. Sicut in hieme omnes arbores abiectis folijs aridis, similes sunt, nec potest cognosci quæ sunt arida, aut quæ virides. Sic in hoc sæculo nec iusti nec iniusti cognoscuntur, sed similes sunt omnes. Nam cæteræ gentes, peccatores, scilicet, sicut arbores, quas vidisti aridas, tales inuenientur aridi, & sine fructu in illo sæculo: & sicut arida ligna comburentur, & palam fient, quoniam malè fecerunt in omni tempore vita sua & comburentur ideò, quia peccauerunt, & peccatorum suorum non egerunt pænitentiam.*

Hermas Discipulus S. Pauli lib. 3. similitudine 3. & 4.

4 Locupletissimus Deus, vt Philo philosophatur, duas zelotipè clausas thesaurorum maximas arcas habet, & in altera seruat bonorum opera, malorum in altera, *Sunt enim, inquit, vt bonorum, ita etiam malorum thesauri apud Deum.* Differunt autem hæ dites arcæ nimium, tum quia iustorum vnicus est thesaurus, pauci enim sunt numero: iniustorum multi, quia stultorum infinitus est numerus: tum etiam, quia illorum arca aperta patet, ac reserata, horum autem clausa latet ac obscrata, sic enim concludit, *Bonorum quidem vnicus, quoniam enim Deus vnus, etiam thesaurus bonorum vnus: multi vero malorũ, quia & peccatores immenso numero. Est enim Dei proprium bona offerre & præuenire nos liberalitate: mala vero non facile immittere. Moses vero exaggerans etiam Dei liberalitatem & gratificandi studium, non solum reliquo tempore habet thesauros malorum obsignatos, sed & cùm anima lapsa fuerit in via rectæ rationis, quando merito poena digna videri poterat, ait enim, in die vltionis obsignatos malorum thesauros: docente diuino eloquio, quod ne in peccantes quidem confestim Deus animaduertit, sed indulget tempus ad poenitentiam, & errati curationẽ.* Hac ergo lege thesauri latent toto hoc tempore sæculi, postulante vero Mose, *Aperi Domine thesaurum tuum:* aperiet illum Deus in iudicio, & illinc manifestabit iustos, qui sunt vasa misericordiæ, & tamquam Thesauros absconditos arenarum illos proferet, quia portauerunt pondus diei & æstus: hinc autem manifestabit iniustos, qui sunt vasa iræ, & tunc oraculũ adimplebitur, *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ.* Vbi Origenes explicat diuersitatem vasorum, & tempora distinguit, & decernit thesaurum clausum nunc, tunc esse aperiendum, & demonstrat electos a reproborum consortio separandos, sic enim ait, *Vasa iræ Apostolus nouit in perditionem facta, vt manifestet diuitias gloriæ eius in vasa misericordiæ, omnes .n. homines in hæc duo diuisit vasa, hæc quidem iræ, illa verò misericordiæ: illa qualis Pharao, & Aegyptij, hæc qualis Paulus, &*

Philo Hebr. lib. 2. legis allegoriarũ.

Idem ibid.

Num. 10. 6.

Deut. 33. 19

Ierem. 50. 25.

Orig. hom. 3 in Ierem.

& qui fidem susceperunt. Sed quisnam est Domini thesaurus, in quo vasa iræ sunt? Fortasse Ecclesia, in qua sæpe huiusmodi latent, est verò tempus, cùm aperit Ecclesiam, nunc enim clausa est, vasaque iræ cum vasis misericordiæ pascũtur, paleaq. vnà cũ grano sunt, & in vna sagena reiectitij, electiq. pisces. Aperiet verò thesaurũ suũ Dominus tẽpore iudicij, quãdo vasis iræ proiectis, qui misericordiæ vas est, cõgruenter dixerit, exierũt ex nobis, qa nõ erãt ex nobis.

5 Quis vestrum, o Scripturales, absque admiratione legit variam, ac inauditam panis commixtionẽ Ezechieli impositam hisce verbis,

Ezech. 4. 9.

Sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam & lentem, & millium, & viciam, & mittes eas in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum quibus dormies? Et si vos cum Petro Cellense quæretis,

Petr. Cell. li. de panib. c.18. de pane multarũ specierum ex Ezech.

Quid ergo ex tam dissimili specierum genere, iubente Domino commixtio facta innuit? Dicite & cum illo, quòd, *Intelligitur sacramentum baptismatis per vas vnum, in quo Filius hominis indifferenter cõgregat bonos & malos, tamquam fruges diuersorum ordinum. In vno enim vase regenerantis Baptismi, diuina consecratio, insertum quodcumque hominum genus, quasi frugum & leguminum diuersas species misericorditer reponit. Satis enim corporaliter, tam morum, quàm studiorum dissimilitudine hominum, alij frumento, alij hordeo, alij faba, alij lenticula, alij millio, alij vicia conferuntur: dum alij grano frumenti, id est, Verbo incarnato, quod misit Dominus in Iacob, & occidit in Israel, per caritatis imitationem conformantur. Alij hordeo legis Mosaycæ, per assiduam meditationem diuinæ seueritatis pascuntur. Alij faba qui vana gloria mundana sapientiæ inflantur. Alij lenticulæ sophisticarum argumentationum, præsumendo de ingenij sui viribus, excæcantur. Alij millio exquisitarum ratiocinationũ, vsque ad exinanitionem veritatis, euanescendo, extenuantur. Alij belluinæ fœditatis tam vita, quàm sensu, vltima quasi viciarum vel auenæ vilitate, oculos ad terram deprimendo, confunduntur.* Hinc Augustinus postquam distinxit duas Ciuitates, alteram Iustorum, iniquorum alteram: subtexuit has duas Ciuitates in præsenti sęculo esse commixtas, donec summus Iudex ciues vnius à ciuibus separet alterius, sic.n. ait,

August. lib. 11. de Gen. ad litteram cap. 15.

Distinxerunt in genere humano Ciuitates duas, alteram Iustorum, alteram iniquorum. Quarum etiã quadam temporali commixtione peragitur sæculum, donec vltimo iudicio separentur: & altera coniuncta Angelis bonis, in Rege suo vitam consequatur æternam: altera coniuncta angelis malis, in ignem cum rege suo mittatur æternum.

6 Talis ergo ac tanta, nescio an hominum, an iumentorum varietas, qui cùm in honore essent, non intellexerũt, & comparati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis quorum cibo vescuntur, in amplo linteo, vel in magna Ecclesiæ Arca confusa nunc mistione congregatur, in qua & Pij & impij modo manent, sed in die Iudicij non permanebunt. Non recedamus ab eodem Cellensi, is enim subdit,

Idem Cell. ibid.

Curatrix itaque omnium contritionum, & omnium morborum medicina reparatrix pietas, Ecclesia vas constituit amplum, vt capere non vtilia solùm, sed inutilia, vsque ad emundationem areæ, non munda tantum, sed & immunda sufficiat. In hoc vase, bene credendo intrant homines, bestiæ & pecora carnaliter conuersando congregantur. Semina, id est, mandata Euangelica, prædicando inferuntur: & victualia, ad omnem animam, quæ per fidem, Ecclesiam ingreditur, promissiones, scilicet, vitę, quæ nunc est, & futuræ, secundum diuersitatem meritorum satis ordinatè prouidentur. In hoc Vrsus est & Agnus, Leo *& Vitulus,* Columba *&* Coruus, *Fidelis & reprobus donec transeat diluuij iniquitas, continentur.* Notanda verba, *Donec transeat diluuii iniquitas:* nam ad diluuium aquarum alludit, quod per quadraginta dies terram inundauit: at iniquitatis diluuium toto vitæ spatio, immo si-

mul cum tempore cæpit, & tunc terminabitur, quando vltra non erit tempus, Euthymius enim putat tunc transituram, quando resoluto corpore, à Deo quis in cælo coronabitur. Hugo vero æstimat nonnisi cadente mundo cedere locum, vnde & Dauid dixit, *Donec transeat iniquitas, id est, vsq. in finem mundi, quia semper quamdiu erit mundus, durabit iniquitas.*

Euthymius psal. 2.

Hugo Card. ibid.

7 Interim in eodem vase Ecclesiæ diuersa femina sunt, & plures panes in vno vase, vnus enim est spiritus, & multiplex: vnus per essentiam, multiplex per dona, nam diuisiones gratiarum sunt, vnus autem spiritus, qui operatur omnia in omnibus, vt non glorietur omnis caro. *Quid igitur?* Ita requirit idem Cellensis, & ita repetit, *Non superbiat frumentum de nobilitate generis, non desperet bordeum de grossitudine ignobilitatis, non infletur faba vento elationis, non eleuet oculos, vt palpet in meridie, lenticula terrenæ hibetationis, non eleuetur super te millium ingeniosa præsumptionis, non computrescat in corpore suo auena vltima extremitatis. Si de stirpe Patriarcharum, frumentum es, noli extolli. Quod si extolleris, non tu radicem vnitatis & gratia portas, sed radix te. Si comparatus iumentis insipientibus, hordeum es, non deijciaris, quia benignus est spiritus sapientiæ, & nouit ferrum tollere de terra, & in argentum commutare, & humilem de stercore erigere, & cum principibus collocare. Si fama & nobilitate carnis inflatus, detumesce, & præscipit, se a Crucis Iesu recordare. Si lenticula es, propter quam Esau perdidit primogenita sua: visum fidei propter inanem philosophiam amittens, clama ad Iesum dicens, Iesu præceptor miserere mei, quia lumen oculorum meorum non est mecum. Si millium es, nimia ingenii tui præsumptione plusquam iustum sit subtiliatus, incuruare & adora summitatem Virga Ioseph, adorans non discutiens Sacramentum incarnationis eius, quia factus est pro te, qui fecit te, vt reficeret te. Si vicia vel auena, seu spelta es, niger videlicet, sicut facies ollæ cõbustæ, leuis super faciem aquæ, asper sicut spina de sepe: apprehende bonitatem, & disciplinam, & scientiã de lege Dei, & habebis locum in vase siue in Area, siue in Ecclesia. Ecce tẽpus & locus non separationis, sed commixtionis: non euentilationis, sed flagellationis: non repositionis in horreo, sed excussionis in area.*

8 Sed vbi mysterium prætericram latens in eo, quod Ezechieli præcipitur, vt his panibus vescatur donec dormierit super latus sinistrum? Explicatur & hoc ab eodẽ Abbate, qui in latere sinistro hãc vitam, in dextero futuram recognoscens, optime decernit, ibi nos pane mundo esse cibandos, hic autem etiam inter immundos viuere oportere. Sic enim fatur, *Non est in præsenti latus dextrum, in quo quiescentes, pane mundo & nudo, facie ad faciem, sed gloriam Dei contemplando satiabimur: non in mensura & pondere, sicut nunc accipientes breuem & modicam retributionem, sed sine mensura totum videntes, & totum bibentes quod est gloria, quod est gratia, quod est pax, & quod est iubilationis. Interim super sinistrum quiescentes, quibus non possumus consolemur, donec à latere sinistro in dextrum conuertamur. A præsenti namque tribulatione & dolore liberari, est, à sinistro latere in dextrum conuerti: futuris gaudijs & benedictione recipi, est in dextro latere dormire. Supponitur laua Spõsi interim sub capite nostro, ne deficiamus in via: panes apponuntur, & si non quales erunt in patria exultantium, saltem quales meretur inopia exulantium esurientium. Anima enim esurienti, etiam amara dulcia sunt: nam hoc appetit esuries, quod satur fastidit.* Felices, qui dormiũt inter has medias sortes. Beati, quorum caput sub læua sponsi modo requiescit, vt à dextera illius postea sic amplexetur, vt à sinistro latere transeat ad dexterum.

Cell. ibid.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXVIII.
Ex Aquila.

Non consurgent impij in Iudicio, neque stabunt in Synagoga Iustorum.

CIRCVLVS I.

In iudicio vniuersali non consurgent impij à sinistra ad dexteram, nisi modo in particulari iudicio trãseant à sinistra.

1 DOcent Mathematici, & benè docent, dari inter lineas intersecãtes talẽ tãtamque mirabilem commutationem, vt cùm in puncto se dissecant, quæ erat dextera, euadat sinistra: & quæ sinistra erat, in dexteram conuertatur. Vade & tu, o peccator, & fac similiter. Ecce, secundum præsentem iustitiam, in sinistra Iudicis collocandus esses: præueni ergo faciem eius in cõfessione, & in hoc puncto, ex quo pendet æternitas, interseca lineam præteritæ cõuersationis, scinde cor, arripe secundã tabulam, pænitentiam amplectere, & confide, quia nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare vitam: faciet enim, vt ex sinistra transeas ad dexteram, si modo à vitio transis ad Virtutem, à culpa ad pænitentiam, ab auaritia ad eleemosynam. Hanc commutationem docet Augustinus explicãs verba Dauidis, *Cadet à latere tuo mille, & decemmillia à dextris tuis*: sic enim ait, *Erant aliqui qui non promittebant sibi sedes iudicantium, sed per eleemosynas promittebant sibi, quia ad dexteram futuri erant*: Sed per quam eleemosynam? Per corporalem quidem; qua homo hominis miseretur; & super indigentis miseria miserum habet cor: sed primò per spiritualẽ, qua peccatori præcipitur, *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Vbi Augustinus, *Modo pro ineffabili pietate sua non solum nos admonet Deus, sed etiam rogat, vt nos à peccatis mortiferis reuocemus: Audiamus illum, dum rogat, ne nos postea non audiat ille, dum iudicat. Audiamus eum per Prophetam dicentem, Fili, miserere animæ tuæ placens Deo*. Pondera verba, *Etiã rogat, vt à peccatis mortiferis reuocemus*: quasi volens, vt lineas interseces, & vitam pænitẽdo mutes: & expectans, vt tu te ipsum iudices, vt ab ipso audiaris, dũ iudicat. Immo non vt te ipsum iudices, sed vt miserearis animæ tuæ, & transeas nunc à sinistra ad dexteram, ne tunc in sinistra positus, à dextera irreparabiliter cadas.

Psal. 90. 7.

Augustin. in exposit. 1. p. psalm. 90.

Eccli. 30. 24

Augu. ibid

2 Ibi suspendendus es in Iudicis statera, vbi duo aderunt pondera, vnum meriti, peccati alterum: & si illud inuentum erit minus habens, dabitur regnum tuum Medis & Persis. Si ergo non vis in statera Iudicis damnari, fac tibi de corpore tuo stateram, & si in sinistra reperis peccata & mala, & in dextera pauca merita & nulla bona, minue mala sinistræ, auge dexteræ bona: destrue peccata sinistræ, collige merita dexteræ, & certus esto, quod si te ipsum iudicas, non iudicaberis, & quod a sinistra

im-

impiorum, ad dexteram transibis in Synagoga iustorum. Ad hoc te inuitat Laurentius Episcopus his verbis dulcibus, his moniris salutaribus.

Laur. Epis. in homil. de eleemosyna.

Habet iudex in manu sua stateram, in qua perpendit inter duo pondera: vnum meriti: & vnū peccati. Præuide te homo, senti pōdus tuum, antequam veniens ille in sua statera te suspendat. Considera statum tuum, & esto tibi ipsi statera. Fac tibi de corpore tuo staterā. Duæ manus tuæ, duo sunt calculi hinc atque inde in statera pendentes. Vides quomodò ipse tibi es statera? Perpende cor tuum & conscientiā. Perpende animam tuam membraque ipsa in statera, priusquàm diuinum examen incurras: sit animus tuus arbiter factorum tuorum, ponderumque inspector tuorum, &c.

3 Nouum bellandi genus, in quo manus hominis contra eiusdem hominis manum contendit, & dextera contra sinistram arma sumit. Et vbi summi Imperatoris tuba iam intonabat, *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*: in hoc domestico certamine & duro conflictu, opposita vox auditur, Sciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: & quando illa, crimina multiplicat vitiorum: hæc, arma sumat, & illa conterens victricem manum ostendat, & erigat monimenta virtutum, vt triumphali gloria coronetur. Sic idem Episcopus Nouariensis te monet, & armat,

Matt. 6.3.

Idem ibid.

Si tamen illum times, & futurum eius iudicium reformidas, in hoc loco, in isto certamine non ignoret sinistra, sed sciat magis, quid faciat dextera tua. Sciat quod ignorat, aduerte diligenter quando strepit sinistra in malis, id est, quando multiplicat caro partes aduersas contra virtutem animę & exaggerat crimina. Stet dextera tua obnoxia contra partes pestilentia, contra arma hostilia, contra effeminata vitia, contra peccata & crimina, stet dextera tua armata, id est, fide robusta, spe stabilita, amore copulata. Obducat scutum fidei, induat loricā spei, obiiciat iustitiæ hastam, intendat orationis arcum, erigat eleemosynæ trophæum, & confestim non solum cedet pars aduersa, sed etiam cadit elisa; Iacet in vulnere, & succumbit victoria.

4 Nec sufficit Nouariensi Antistiti arma tibi ministrasse in communi, addit & doctrinam pugnādi, modumque oppugnandi in particulari, vt sinistræ & carni, quæ dexteram & Spiritum vicit, & traxit ad mala: tu inferas bellū, & sic destruas omne cumulatum a beis malum, vt per dexteram tollas, ad quæ te addixit sinistra: & minuatur culpa carnis per Spiritus correctionem. Audi monentem vt arma sumas, & capias sinistram, quæ te cæperat: & subdas carnem, quæ te supplantauerat: sic enim subdit,

Idem ibid.

Hostiliter te stimulauit caro? strinxit conditio, vt delinqueres? peccasti? crebrò offendisti? pressa est mens horrore? tristis est anima vsque ad mortem? Superfluit mensura criminum in sinistra, claudicat in scientia, nutat statera tua, & dextera tua lance suspensa totum pondus diuergit in sinistrum. Cùm videris, dic ad animam tuam, Anima vbi es? quid actura es, inter hæc, quare non clamitas? malum vides imminere, & taces? cur non vigilas? mortem cernis incumbere, & tu non aspicis? vbi resides pigra? Vbi iaces resupinata? dextera tua dormitat, & non illam excitas? pateris vt te vincat sinistra, & portionem tuā iungat cum perituris? Quid factura es superata a carne, cùm cœperis cū ipsa experiri supplicia? sinistra satagit, & debet dormire dextera? Ibi plena est mensura, & hic debet existere vacua? Sinistra valet in vitijs, cur non magis dextera in virtutibus viget? Cur non magis minuitur ibi peccatum: & hic additur meritum? Quare non liquescit nequitia, & augescit iustitia? iudicium Dei vides imminere, & stupes? thronus tremendi iudicii in flammeis ardet rotis, vt Daniel ait, & non trepidas? fluuius currit flammeus, qui globos flammarum voluit, & tu soluta iaces? an nescis quod fluuius iste peccatoribus permeat, & non in pœnitentibus murmurat?

5 Arma miniſtrauit Laurentius Epiſcopus, modum pugnandi oſtendit, verba oppugnandi docuit, & terrorem iudicij iam deſcripſit: reliquum erat, vt artē aperiret, qua poſſent peccatores a ſiniſtra tranſire in dexteram, vt non perirent. En illam deſcribit vnico penicilli tractu, cum pallido poenitentiæ colore, hoc enim ipſe & quidem tener de tua ſalute, te monet affectu, *Plange tua ſcelera, corige te confeſſim, & transfer te de ſiniſtra ad dexteram. Non eſt ambiguum, apertè ſonuit, quia Deus peccatores exterminat. Peccatores, dixit: tu ſi poenitentiam egeris, iam non te perdit, ſed proteget. Si compunctus fueris a peccatis, iam non te damnat.*

Idem Laur. Epiſc. ibid.

6 Inter certamina ſingularia ab Eccleſiaſtico in theatro propoſita, vbi pugnatores pares deducit in pugnam: Duo & duo, vnum contra vnum: hæc duo paria certatorum noua ibi comparent in ſtadio, vbi non duo, ſed vnus eſt pugnator, & vnius dextera contendit cum ſiniſtra, vbi ſiniſtra contenderat cum dextera. Quærit dextera exonerare ſiniſtrā, peccata ab illa tollere, necare, deſtruere, vnde gladio accingitur, vincit, ſpolia diripit, proſperè procedit a ſiniſtra ad dexteram: & vbi deformis erat peccator, pænitens formoſus euadit: vbi ſeruus peccati iam erat, liber egreditur: & vbi de numero damnatorum erat in ſiniſtra locandus, ad numerum tranſit beatorum in dextera regnaturus. Quod ipſe breui ſcripto vix adumbraui, eloquenti ſtylo ab eodem Nouarienſi Antiſtite deſcriptum inueni, Nam ab eo quærente, *Quomodo poſſum exonerare ſiniſtram, & cumulare dexteram?* ita reſpondetur, *Hoc quod interrogas, non eſt incognitum. Nūquid latet aſpectum tuum, aut ars eſt, quam neſcis? Vbi videris quia dominatur tibi lex peccati, imperat vitia, crebreſcunt crimina, omnis ſarcina declinat in latus ſiniſtrum: noli cedere, aut quieſcere, ſed incita temetipſum: recurre ad arma contraria, & praecinge te in dextera tua, implens illud quòd cecinit Dauid Pſalmiſta, Accingere, gladio tuo. Quem vicit ſiniſtra, quem ſuperauit ſegnitia, quem ſtrauit nequitia: accingere gladio tuo circa femur, potentiſſime. Qualem gladiū? Specie tua & pulchritudine tua. Tibi hoc dicit, qui criminibus cedis: ad te loquitur, qui criminibus vinceris: te commonet & compungit, peccator. Vicit te pars ſiniſtra, perſpicit te in factum tuum. Plora compunctus, vt poſſis recipere ſpeciem cordis tui, & pulchritudinem corporis. Quid vult eſſe? errasti in lumbis? offendiſti in femore? Manifeſtum eſt, quia vbi lumbus, ibi libido: & vbi femur, ibi fornicatio. Quid ergo? foedaſti femur tuum carnali libidine? reforma illud pulchritudine ſpiritali. Stupraſti lumbos tuos in fornicatione? noli diffidere, ſed extrue bellum contra ſiniſtram & contra corporeum peccatum, contra ſtuprum, vel adulterium. Femur te foedauit? femur te reformet atque recuperet. Accingere, inquit, gladio circa femur, potentiſſime. Te corripit ſermo propheticus, quia peccaſti. Fuiſti profuſus in libidine: eſto potentiſſimus in virtute. Laxaſti membra tua in luxuria, reſtringe viuacitate armorum. Arma lumbos cordis tui, orna femur animæ tuæ: vt corporei femoris eximas foeditatem, euellaſque de viſceribus tuis plagas. Accingere gladio tuo circa femur tuum potentiſſime. Quis eſt iſte gladius? ipſe dicit, Specie tua & pulchritudine tua. Et quæ eſt iſta ſpecies, quàm virtus animi, & in ea plena poenitudo? quaue eſt pulchritudo, quam lacryma oculorum, & largitas eleemoſynæ? Et quid deinde? intende, inquit, proſperè procede, & regna. Aperta ſententia eſt, intende peccator, quia peccaſti: proſperè, quia poenituiſti: procede & regna, quia triumphaſti. Procede confidenter, quid ploraſti pro peccato: vicisti reatum, vt peruenires ad regnum, procede & regna. Plange hic, vt plaudas alibi. Procede, inquit, & regna. Propter quid? Propter veritatem, manſuetudinem, & iuſtitiam.*

Idem ibid.

Idem ibid.

Quando sinistra infert, & ingerit tibi candentes stimulos auaritia, luxuria, arrogantia, vel libidinis: sta cõtra sinistram tuam, succinctus veritate, armatus mansuetudine, ornatus iustitia: & cum viceris sinistram, tunc educet te mirabiliter dextera tua. Tunc vincit dextera, & silet sinistra, cùm fugit impietas, & floret rediuiua pietas, cadunt crimina, & crescunt merita. Quidquid malum minuit in sinistra, meritum augescit in dextera. Sic te agente, deducet te mirabiliter dextera tua, iuxta verbum Dauidicum subduc pondus ex aduerso latere, remoue plagas de sinistra, vt in die iudicij deducat te mirabiliter dextera tua. Imple mẽsuram iustitia. Quomodo? orando, vigilando, lacrymando, erogando, & iunando: quin etiam parsimonijs pulsando, negligendo delicias, & nutriendo disciplinam: fugiendo festiuas dapes, & frugalitatem ferendo: deponendo pinguedinem, & diligendo pallorem. Quando statutam exerces virtutem, exultat dextera tua, & latet sinistra: deficiente enim nequitia sarcina in sinistra, sanctificatio dextera tua praponderat, & ipsa te deducet mirabiliter in salutem.

7 Conquerebatur olim Iob, & ita inter suspiria & lacrymas, dicebat, *Non est qui vtrumque valeat arguire, & ponere manum suam in ambobus.* (Iob 9.33.) Nunc autem ego consolatoria verba proferam, cùm enim contentio sit inter dexteram & sinistram eiusdem hominis, potest idem homo inter ambas manus componere lites, & loco dexteræ, his verbis loqui sinistræ, eamque ad meliorem frugem reuocare, ostendens ei hinc communia pericula, communia damna, quæ oriuntur a sinistræ sequela: & inde fructus & premia, quæ in dextera Iudicis inueniuntur, ex recta via, quæ panditur a sinistris. Audiamus eumdem Episcopum cum sinistra loquentem, (Idem Laurt ibidem.) *O sinistra? dolores facis prolixos, nisi fueris repressa, dulce tuum fit amarum, fauus tuus in fel conuertitur.* An non audisti sententiam Salomonis, qui dixit, *Vias, qua a dexteris sunt, nouit Dominus, peruersa autem sunt, qua a sinistris sunt?* (Prouer. 4. 27.) *Nescis tu quia angusta via est, qua ducit ad vitam? Cur me frangis, & flectis ad latam? Cur me ducis ad spatiosam viam, qua mihi aperit fauces inferni, in quibus picea flamma ardet, & poenalis caligo exastuat? Sinistra pars tua planctum ingeminat, prouisio tua tartareas habet tenebras. Cellarium tuum corruptas habet species: thesauri tui liquidis ardoribus pleni sunt. Aspice est in opere tuo, antiquissimus ille serpens hydra, multorumque spirans venenorum, Vt spargit pestem auctor scelerum, nequitia armiger? Sinistra in parte tua, scandala quibus dictũ est, Discedite a me maledicti in ignẽ aternum, quem praparauit Pater meus diabolo, & angelis eius. Ignis ardebit in parte tua, diabole, aspis antique auctor nequitia, tibi praparatus est ignis & angelis tuis? quid hoc ad homines pertinet? Sinistra tua nihil valet. Nihil valet pars sinistra, corrigunt se homines a peccatis, & viuunt.*

8 Sed quia Sinistræ adiutor Diabolus est, & idem sanctus Pater Satanam insultans, ita contra illum insurgit, sic arguit illum, (Idem ibid.) *Remansisti solus cum Angelis tuis, Diabole, quid regis sinistram partẽ: ad te corrigo, verbum tibi imputo, te castigo: quid gloriaris de parte sinistra? flamma illa gehennę, tibi, non hominibus flagrat: camini tartarei, tibi sunt praparati & angelis tuis. Quare? quia aduersarius Dei es, semper erras, & numquam emendas, semper impius & seductor, semper prodigus & prophanus: atrox in malis, & inimicus in bonis, & quia numquam te poenitet, ideo periturus. Quid hoc ad hominem poenitentem, suaque peccata confitentem? plus est poenitentia, quàm tua pestilentia. Plus sunt lacryma hominum, quã tui insidiosissimi laquei. Amplius est eleemosyna quam tua inquinamenta. Solicitudo soluit peccata, vigilantia vincit nequitiam, compunctio eradicat crimina. Inimicè diabole, fallax, quid fingis terrorem? parum est quod vereor, donec conuer-*

tur ad Christum, qui me saluauit.

9 Timet tamen, & iure, ne peccatori hæc Satanæ obijcienti, id à Satana obijci possit, quòd, *Megarensi cuidam, multa inaniliter de sua Ciuitate aduersus Agesilaum iactanti Agesilaus obiecit, dicens, Adolescens, tui sermones opus habēt, magnis viribus.* Sed quid? Fortè arma & vires non suppetunt poenitenti? Suppetunt quidem, & dicit, Omnia possum in eo, qui me cōfortat. O felix poenitens, ne timeas, nam etsi ignem peccati accensum vides in tuo corde, inueniens Christum, inuenies & indulgentiæ viuum fontem, in quo extinguitur pallens culpæ flamma. Et si murum & turrim culpæ aspicias, quæ diuidit inter te & Deum tuum, acies tamen poenitentiæ destruet murum, demolietur & turrim. Et si peccatorum sarcina prægrauaris, ignis ante faciem Christi exardescens, vertet illam in fornacem, & quasi lanugo combusta deperiet. Non sunt mea, sed eiusdem Episcopi inuenta, ipsum audite, *Stant ante me facinora mea quasi turris ferrea ac murus areus, donec meipsum videam, & donec sitiens, amplectar Christum indulgentia fontem, teneamque pedes eius, qui dixit, Nolo mortem peccatoris, quantùm conuertat se à via sua mala, & viuat. Si hoc fecero murus areus momento collabitur, turris ferrea fulminata dispergitur: Aries enim poenitentia subuertit peccata, & subruit crimina. Cadent ante fletum penitentis, quasi caduca folia à vento concussa, aut quasi pluma volitantes vento impulsa. Adest Dominus oranti, præsto est excubanti, erogantique Christus protector excelsus, munificus atque liberalis indultor, & tota illa peccatorum sarcina, quam verebaris, vt cera liquescit, vt fumus fugatur, vt vapor exinanitur, aut quasi lanugo combusta deperit.*

10 Sed si nomine dexteræ locutus es ad sinistram, nunc nomine sinistræ loquere ad dexteram: vt sicut sinistra euacuata est à vitijs, ita impleatur dextera eleemosynis. Dic ergo, vel eiusdem Episcopi verba repete, *Dextera mea Deo sacrata, saluatrix animę mea, firmatrix cordis, munimentum corporis, tu noli dormire, sed vigila. Opus tuum dulce est, actio tua melliflua, vigilantia tua viuificat. Expande te ad preces pariter cum sinistra: erige te ad superna subsidia. Commoue venas tuas, & conquire remedia, confunde inimicum, & contere peccati ministrum. Quomodo eum confundis, aut quo itinere conteris, nisi in opere Dei, in obseruatione Euangelica, in ordinatione disciplina, in ordinatione largitatis? Dextera, fac opus iustitia: respice famelicos, vesti nudos, visita agrotos, suscipe peregrinos, solue compeditos, foue captiuos, consolare compunctos: si sic feceris, eruisti me de marore, liberasti de muscipula. O dextera, non vides? sauit sinistra, supplicia congerit sinistra, te vincit, & dormis? Serpens te mordet, & duras non vides partes aduersas turbatas, & insurgentes turbines? Venti spirant aduersi, mare insurgit super te, peccati pelagus vrget animā tuam, stridens in membris tuis iniquitatum procella: & non excitaris, sed negligis? non stimularis, sed torpes? Dextera gubernatrix sta in puppe, & dirige proram: extende vela, arma nauem. Ecce pericula imminent, ecce scopuli ante te, ecce horrendi cautes, naufragia in latebris instant, & non vigilas? esto peruigil, esto amator bonorum operum, esto bellatrix pænitentia, te enim triumphante, viuo ego in virtute Dei, & euado noxias partes. Extende ad iustitiam, imple pugillum tuum calesti semine, iacta semen pænitentia, & collige fructus indulgentia. Noli dormire dextera, sed fac opera, qua à te Christus expectat. Emenda errorem meum, dele dolorem meū, collige meritum quod dispersi, repara quod amisi, sed redintegra quod minoraui. Flammat fornax criminum, & tu siccas operis tui fontem? Peccata præualent, & tu subtrahis pietatis præsidia? Da rorem tuum, & refrigera in me, quod*

Ex lib. 1. Apo pht. vbi de Agesilao nu. 53.

Idem ibid.

Idem ibid.

æstuat in calore. Timeo namque ne dormientem, sinistra superet, & rapiat me, rapiendo ad funera. Sic te excitantem dexteram, & obiurgantem sinistram, suscipit Christus & amplectitur. Disrumpit vincula tua, & deducit tamquam lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum meridiano splendore illustrat: vt dextera eius visitatus, gratiaque donatus, & munere accumulatus: non tristis abscedas, aut inutilis, sed gaudeas cum iustis ad dexteram venientibus in æterna requie permansuris. Hæc ille, & quidem prolixè, sed bellè.



CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXIX.
In Psalmi Primi, Versiculum Vltimum.

Versio prima. Ex Vulgata, Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit.

2 Ex Pagnino, Hebræo, Græco, & Hilario, Quoniam scit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit.

3 Ex Chaldæo, Apud Eugubinum, Quoniam clara est Deo via Iustorum.

4 Etiã Chaldæi, Quoniã manifesta est ante Dominum via Iustorum, & via peccatorũ perdetur.

5 Caietani, Quoniã noscens Dominus viã Iustorũ.

Circa Versionem Vulgatam.

CIRCVLVS I.

De dignitate numeri Senarij, qui hunc primum, & principem Psalmum componit.

1 COnsiderãs Philo Hebræus omnipotentiã Conditoris, per quã non iussu solũ, sed etiã cogitatu operari creditur, quærebat, & iure, cur Moses, non dictò citius, sed spatio sex dierum fabricatum describit Vniuersum? Respondetque, *Quoniam opus erat res creari quodam ordine; ordini autem numerus est proprius: inter numeros vero lege naturæ aptissimus generationi est senarius, nã post vnitatem primus, occurrit perfectus, partibus constans partibus, è quibus conficitur: è ternione, scilicet, sui dimidio, è binario parte tertia, & ex vnione parte sexta: qui, vt ita loquar, mascula simul ac feminæ natura præditus est, & compositus ex vtriusque viribus: masculis enim in rebus censetur impar numerus, sicut par feminis. Imparium autem principium ternio, parium binarius. Ex amborum verò viribus constat senio, oportet enim mundum, cùm sit creaturarum omnium absolutissimus, iuxta perfectum numerum compingi, nempe senarium, & qui in seipso complexurus erat generationes, è binaria copula formare ad numerum mixtum, cum qui primus pariter impar est, vt in se contineret tum pro*

Philo Heb. in lib. de mundi opificio.

ſeminatis maſculi, tum fœmina genituram ſuſcepturæ ſpeciem. Eamdem formam ac normam ſecutus Dauid, quaſi myſticum cælum condens, hunc primum Pſalmum componens, ſenario numero & tono intonuit harmoniam. Oportebat enim Hymnum omnium abſolutiſſimum, iuxta perfectum numerum compingi, nempe ſenarium, qui in ſeipſo complexurus erat generationes è binaria copula. Si in mundi creatione binaria cernitur copula, dum primo facta eſt lux, deinde a tenebris eſt diuiſa: in hoc Dauidico Cęlo, primo lux apparet, nam ex Caſsiodoro, *In prima parte vitam ſanctæ incarnationis exponit: ſecunda vero peccatorum nequitias in futuro iudicio debitas recipere commemorat vltiones.*

Caſsiodor. in Diuiſione pſal. 1.

2 Si in orbis creatione tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, quæ, vt Philo philoſophatur, *Poſteaquam effulſit lux illa intelligibilis Sole antiquior, extiterunt aduerſa tenebræ, diſpeſcente Deo dirimenteque, cui perſpicua ſunt contrarietates rerũ, & natiua quædam certamina. Ne igitur perpetuis laborarent ſeditionibus, neue bellum, pulſa pace, præualeret confuſo in mundo ordine, non ſolum ſeparauit lucem a tenebris, verum & terminos in medijs ſpatijs poſuit, quibus vtrumque arceatur ab extremitatibus alterius. Alioqui propter vicinitatem induſtura erant confuſionem contentionibus de principatu mutuis pertinaci ambitione luctam appetentia, niſi præfixi in medio termini, ad pugnã geſtientia dirimerent, hi ſunt veſper & mane, quorum alterum prænunciat lætum aduentum Solis orituri, ſenſim tenebras ſubmouens. Veſper autem occidẽtem Solem ſubſequitur, ingruentes tenebras leniter excipiens.* Eodem modo, lucem Chriſtum, tenebras Adam, mane viri beatitudinem, veſperam impiorũ damnationem, & commemorat Pſaltes, & Caſsiodorus obſeruat, ita dicens, *Ideo in principijs, beatitudo Domini Saluatoris edicitur, vt humano generi vitalia exempla præſtent, quatenus ſicut nobis homo terrenus contulit mortem: ita cœleſtis veniens, daret ſalutem. In principijs enim fuit duriſſima conditio decepto: ſed poſt aduentũ Domini glorioſa redemptio. Primo illata eſt ignominioſa captiuitas: deinde ſecuta eſt votiua libertas. Expulſus homo de Paradiſo, ſed receptus eſt in Cœlum: perdidit in terra beatitudinem, ſed Angelos merebitur habere cõſortes: Luctus ex diabolo, gaudiũ prouenit ex Chriſto.*

Philo ibid

Caſsiod. ibi.

CIRCVLVS II.

Sic Beatus vir ab impijs diſtinguitur, quomodo in Creatione res cõtrariæ fuerunt diſtinctæ.

1 IN principio, quaſi in Pſalmorum omnium principe & capite, Coronam beatitudinis Rex proponit, nam ſecundum Caſsiodorum, *In ipſo capite Pſalmi huius, definitio beati viri, tamquam pulcherrimum nobis glorioſi regis Diadema reſplendet, Beatus vir.* Si in prima die diuiſa eſt lux a tenebris, in hoc primo verſu beatitudinis lux, a peccatorum tenebris ſeparatur: nam Beatus vir, qui lux eſt, non abit, non ſtat, non ſedet in conſilio, in via in cathedra impiorum. Sed non ſic tenebræ, impij non ſic, ipſi enim ſedent, ſtant, ambulant, in cathedra, in conſilio, & in via peccatorum.

Caſsiod. ibi.

4 Si in ſecunda die, facto firmamento, diuiſæ ſunt aquæ ab aquis: nam, vt docet Ambroſius, *Ideo firmamentum inter aquam & aquã Deus eſſe præcipit, vt a virtutibus peccata diſcerneret, & ſuperior aqua, quæ laudat Dominum, vacua erit erroris: inferior peccato erit obnoxia:* ecce in ſecundo verſu Beatus diſcernitur ab impijs, nam ille aquam legis e cælo recipit, & cum illa regitur, ſed in lege Domini voluntas eius: hi autem

Ambroſ. in enarr. ſuper pſ. 38.

ab

ab infernali Spiritu & a vento propriæ voluntatis, tamquam puluis proiiciuntur a facie terræ.

5 Si in tertia die congregatæ sunt aquæ, factum est mare, apparuit terra floribus coronata, rosis ornata, & proferens lignum faciens fructum suum: in tertio versu hinc apparet Beatus & iustus floribus donorum ditatus, rosis virtutum pulchrescens, & fructũ operum dans in tempore suo: inde impius quasi mare feruens, vt sterilis puluis, vt lanugo vana, vt spuma inutilis, & spinis peccatorũ vndique septus, nam secundum diui Ambrosij decretum, *Spinæ sepsit gratiam floris, tamquam humana speculum præferens vita, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim elegãtia vita nostra, & quibusdã solicitudinibus obsepta, vt tristitia adiuncta sit gratia. Vnde cũ vnusquisque aut suauitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratuletur, meminisse culpæ eum conuenit, per quã nobis in paradisi amenitate florentibus, spinæ mẽtis, animique sentes, iure condemnationis adscripti sunt.* Sic tamquã li... n inter spinas viuens ac virens gi...tus, virere, & viuere debet circumspectus & cautus, sic cum monente cælo, *Cum scorpionibus habitas*, & *Habitatio tua in medio doli.*

Ambr. lib. 3 Hexæmer. cap. 11.

Ezech. 2. 6. Ierem. 6. 13.

6 Si quarto die facta sunt luminaria in firmamento Cæli, orbes depicti sunt varijs astris, in sphæris illuxerunt Sol Luna & Stellæ & Lumina, quæ in signum posita sunt: in quarto versu iustus atque Beatus relucet, quasi Cælum, in quo certatim splendent fidei luna, amoris Sol, gratiarum stellæ, scientiæ lumina, operum motus, quia folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Sed & ponuntur in signum ...eret, qu... contradicitur ab impijs, q... fcinati mo... argunt in iudicio: & a ...atio pende...s, qui non stant in con... ro; pr...cum, nam ex Stephano Ca...ariensi, *Ecclesia est firmamentum, luminaria viri iusti, qui bonos & peccatores diuidunt, & sunt in signa & tempora, id est, in signa temporum, id est, temporalis miseriæ? Omnes enim, qui pie volunt viuere, persecutionem patiuntur. Istĕ, duo tempora sunt, vnum amatorũ Dei, aliud amatorum mundi. In signum horum temporum sunt, vt vnum expectemus, aliud caueamus. Præterea in signum sunt pœna reproborum, quia si illi in vita præsenti sic puniuntur, signum est quòd reprobi in futuro plurimum punientur.*

Steph. Cãt. in alleg. Tilman. in Gẽ.

7 Si in quinta die Deus creauit Cete grandia, reptilia, & omnia quæ mouentur in aquis, & etiam volatilia super terram sub firmamento Cæli: in quinto versu Dauid exponit impiorum malitiam deprimentem, & iustorum gratiam subleuantem: illos reptantes, vt serpentis veternosi genimina super terram: hos vero, vt aquilæ filios, alta petentes, in Cælum volantes, æternumque Solem speculantes. Hoc discrimen describit Victorinus, *Sicut pisces & aues idem principium habuerant, nempè aquam, sed diuersa loca sortiti sunt: Sic de eadem massa corruptibilis natura, vniuersi generis humani propago trahitur, sed alijs deorsum, in ea qua nati sunt corruptione, iustè derelictis: alijs sursum dono gratiæ ad sortem cælestis patriæ eleuatis, iudicij seruatur æquitas.* Et Origens prædixerat, *Si videmus mulierem ad concupiscendam eam, illud est nobis reptile venenatum, de corde namque nostro, velut de aquis procedunt cogitationes bonæ, & malæ. Si verò sit in nobis sobrietas & misericordia, ista sunt aues.*

Hugo Vict. lib. de sacr. c. 27.

Orig. hom. 1. in Genes. c. 1.

8 Si sexta die creauit Dominus hominem ad imaginem & similitudinem suam, & masculum & feminam creauit eos: in sexto versu Psaltes nunc lætus canit illam, quam Conditor habet iustorum notitiam: nunc deflet pereuntium reproborum damnationem. Nam, vt quærit Origenes, *Qua est alia imago Dei ad cuius*

ig. ibid.

ima-

imaginem factus est homo, nisi Saluator noster? Quicumque veniunt ad eum, & rationabilis imaginis participes effici student per profectum suum secundum interiorem hominem, renouantur quotidie ad imaginem eius, qui fecit eos. Interpretandus autem, est Origenes de Imaginis reformatione, quæ fit in Prædestinatis, dum conformes fiunt imaginis Filij Dei: nam in prima formatione homo creatus est ad imaginem totius, Trinitatis. Iusti ergo, qui secundum interiorem hominem renouantur quotidie ad imaginem eius, qui fecit eos, qui fecit eos, reficit, noscit, approbat, felicitat viam illorum. Iniustorum autem iter, qui ab itinere recto abierũt in exterminiũ, & mutauerunt imaginem incorruptibilis Dei, in imaginem volucrum, & serpentium, in æternum peribit. Vnde concluditur sexti diei mysterium hac addita Coronide, *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit.*

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXX.
Ex Pagnino, Græco, Hebræo, & Hilario,

Quoniam scit Dominus viam Iustorum, & via impiorum peribit.

CIRCVLVS I.

An idem sit iter, & via, an via Iustorum ab itinere impiorum distinguatur.

1 Miraberis, forte, Auditor, quod vbi Versio Vulgata distinxit iter a via, Pagninus & Græcus vtrobique seruauerint viæ nomen? Sed scito, in via genericum ab his agnitum esse nomen: in itinere autem speciale impiorum descriptum fuisse ab illa pronomen. Sic prudenter & vtiliter notat Ambrosius, *Separauit Latinus, vt iter decerет, & tamquam discreuit iter a via. Gratus autem in vtroque viam dixit.* Non otiosè tamen Latinus: *quia & Dominus, Ego sum via, dixit: non, ego sum iter.* Et verè, si nomen Hebræum דרך Derech & Græcum, ὁδὸς attendatur, idem est vtrobique, & vtrobique idẽ nomen seruat Hilarius, *Quia cognoscit Dominus viã iustorũ: & via impiorũ peribit.* Ambiguum ergo est viæ & itineris nomen, & modo in bonum, modo vsurpatur in malum, & non nisi ex adiũctis, vt Cassiodorus docet, sunt discernenda, *Via enim dicitur, quod per eam vnusquisque transeuntium viatur. Iter quasi iter actus, quod agendo iteratur. Quod tamen vtrũque pro locorum qualitatibus reperie esse variatum.* N…cundo …m peccatorum superius di… ab… impi… in bono positum est …s e cælo re… alio Psalmo, & illic ite… sed ir… o ostendam illi salutare Dei… item Isaias Propheta dicit, Principium Sion da-

Ambrosius in Enar super Ps. 1.

Hebræus, Græcus,

Hilarius in Enarrat. sup. Psal. 1.

Cassiodorus in Ps. 1.

bo, & Ierusalem consolabor in itinere.

2 Effectus varios, quos varia specilla. vel ex pura Chrystallo, vel ex aliquo colore infecta, nunc vera obiecta, nunc falsa repræsentando, producunt, producunt & affectus tam in cognitione viarũ, quàm in sequela earum. Pius affectus vias Domini sequitur, immo sequitur ducẽ Dominum, dicentem, *Ego sum via, veritas, & vita.* Nam secundùm Salomonem; *Via vita est custodienti disciplinam:* secundum Nazianzenum, *Regia est ad cælum via:* & secundum Nazianzeni Scholiasten, *Via vita est, & custodit innocentes.* Custodit innocentes, qui puris oculis viam aspiciunt, qualem veritas offert, vt dirigantur in cælum, & inueniant vitam. Oppositum euenit impijs, qui viarum iudicium, oculis a passione corruptis, & fascinatis cordibus ferunt, de quibus Salomõ subdit, *Est via, quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt eum ad mortem:* Vel ex Hebræo, *Est via recta ad facies viri, & nouissimum eius via mortis:* Vel ex Chaldæo, *Est via, quam putant filij hominis esse rectam, & finis eius via mortis:* Vel secundum Septuaginta, *Est via, quæ videtur apud homines recta esse, nouissima autem eius vadunt ad fundum inferni.* Nouũ specillorũ genus, quo via, & viuẽdi ratio, alioqui obliqua, tortuosa, distorta, ad mortẽ ducens, & ad infernum tendens: propensio, fascinatio affectus praui, & passio corrupta, rectam, iustam, atque vitalem esse, decipiendo cõmõstrat. Nam, ex Augustini doctrina, *Voluntatis propensio authoritatem vitijs quærit, & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet.* Et ex Ambrosio, *Non census, sed affectus in crimine est.* Si census dicebatur æstimatio rerum & bonorum facta, secundum quam tributa pendebantur: quis tributa enumerer, quæ reddent in morte fascinati mortales? Sed vnde æstimatio pendet, qua pro argento & auro, pro purpura & bysso, pro splendidis epulis, pro momentaneis ac beluinis delectationibus: tributum soluitur perpetuum in tormentis, in fame & siti, in frigore & nuditate, in nimio calore & aquis niuium, & in perpetuo cruciatu & luctu? Heu! non census, sed affectus est in crimine, hic enim authoritatem vitijs quærit, & quod malum est, bonum esse suadet: & pro malo, quod bonum putat, tributum reddet grauissimũ intolerabile.

3 Nonne, qui post aurum vadit, qui Venerem sequitur, qui obsequitur Baccho, quique honores quærit, si veris vteretur specillis, videret vbique paratum sibi væ, mortem, infernum, audiretque vocem post tergum clamantis. *Væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram, væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Væ cùm benedixerint vobis homines?* Nonne vetum est, tum Ambrosij decretum, *Pecuniarijs copijs multa sunt incentiua delictorum:* tum Augustini cautio, *Nihil magis ex arce deijcit animum, quàm blandimenta feminea:* tum Basilij documentum, *Replere ventrem, ipsum quoque corpus inutile facit erga proprias operationes somnolentum, & ad nocumenta dispositum:* tum etiam Bernardi vel exclamatio, vel damnatio, *O impatiens & effrenis turpis quæstus cupiditas, o ardor imperans, o cæca & impudenda ambitio!* Attamen voluntatis propensio sic oculos deprauat, vt via hæc obliqua, videatur homini recta, nam vt Lodulphus detegit deceptionẽ, *Dum feliciter ac prospere agit in hac vita, putat se tenere rectam atque minimè deerrantem viam, quia ex felicitate, qua gaudet, sua via ac vitæ rectitudinem colligit,* & quasi dicit, *Diues effectus sum, inueni idolum mihi:* Vel cum Septuaginta, *Inueni requiem mihi.* Quid autẽ requies est, nisi felicitas? Sed infelicem inuenit felicitatem.

4 At finis vitæ & viæ, fascinum malitiæ auferens, & terminum

[Margin notes, left:] Ioan. 14. 6. — Prou. 10. 17 — Nazianz. in orat. de plaga grandinis. — Scholiastes. — Prou. 14. 12 — Hebræus. — Chaldæs. — Septuag. — Aug. ser. 12. de tempore. — Ambros. relatus à Diu. Tho. in cat. sup. c. 6. Lucæ.

[Margin notes, right:] Luc. 6. 24. — Ambrosius ibid. — August. lib. 1. Soliloq. cap. 10 — Basil. relatus à D. Th. in cat. super cap. 6. Lucæ — Bernar. in epist. 26. — Lodulphus in cap. 14. Prouerb. — Hos. 12. 8. — Septuag.

Salon. in mystica explic. Eccles. Salomonis.

dine Salonius temperabat, *Verè nobis semper est tempus belli & pugnæ quãdiu in præsẽti vita sumus, quoniã sẽper necesse est nobis pugnare aduersus insidias hostis antiqui, & aereas, id est, malignorum Spirituũ debellare potestates. Pacis verò tẽpus erit, cùm de præsenti sæculo migrauerimus, quoniã si bene pugnauerimus in hoc sæculo, in futuro coronabimur, & in cælesti Ierusalem in æterna pace requiescemus*. O peregrinum bellum generans pacem! O nouã pacem belli genitricem! O terque quaterque felicem iustũ, qui modo in dulci bello est, vt in perpetua pace sit. O millies infelicem impium, qui modo in amarissima pace est, vt in bello sit, & æterno tempore amaro in bello & viuat moriens, & moriatur viuens.

3 Hoc inter Pios, & impios, nũc latens, nunc potens discrimen ostendit Dominus Hermæ Pauli discipulo in arboribus hieme aridis, Vere floridis, & in æstate fructibus Coronatis: in hieme sæculum hoc designans, in arboribus aridis tam iustos quàm iniustos in hac vita ignotos, in æstate vero sæculum futurum, in quo fæcundæ plantæ fructibus coronantur, infructiferæ in escam igni dantur. Sic enim audiuit, è cælo sibi loquentem, *Hoc sæculum iustis hiems est, qui nõ agnoscuntur cum peccatoribus habitantes. Sicut in hieme omnes arbores abiectis folijs aridis, similes sunt, nec potest cognosci quæ sunt arida, aut quæ virides. Sic in hoc sæculo nec iusti nec iniusti cognoscuntur, sed similes sunt omnes. Nam cæteræ gentes, peccatores, scilicet, sicut arbores, quas vidisti aridas, tales inuenientur aridi, & sine fructu in illo sæculo: & sicut arida ligna comburentur, & palam fient, quoniam malè fecerunt in omni tempore vitæ suæ & comburentur ideò, quia peccauerunt, & peccatorum suorum non egerunt pænitentiam.*

Hermas Discipulus S. Pauli lib. 3. similitudine 3. & 4.

4 Locupletissimus Deus, vt Philo philosophatur, duas zelotipè clausas thesaurorum maximas arcas habet, & in altera seruat bonorum opera, malorum in altera, *Sunt enim, inquit, vt bonorum, ita etiam malorum thesauri apud Deum*. Differunt autem hæ dites arcæ nimium, tum quia iustorum vnicus est thesaurus, pauci enim sunt numero: iniustorum multi, quia stultorum infinitus est numerus: tum etiam, quia illorum arca aperta patet, ac reserata, horum autem clausa latet ac obserata, sic enim concludit, *Bonorum quidem vnicus, quoniam enim Deus vnus, etiam thesaurus bonorum vnus: multi vero malorũ, quia & peccatores immenso numero. Est enim Dei proprium bona offerre & præuenire nos liberalitate: mala vero non facile immittere. Moses vero exaggerans etiam Dei liberalitatem & gratificandi studium, non solum reliquo tempore habet thesauros malorum obsignatos, sed & cùm anima lapsa fuerit in via recta rationis, quando merito pœna digna videri poterat, ait enim, in die vltionis obsignatos malorum thesauros: docente diuino eloquio, quod ne in peccantes quidem confestim Deus animaduertit, sed indulget tempus ad pœnitentiam, & errati curationẽ.* Hac ergo lege thesauri latent toto hoc tempore sæculi, postulante vero Mose, *Aperi Domine thesaurum tuum*: aperiet illum Deus in iudicio, & illinc manifestabit iustos, qui sunt vasa misericordiæ, & tamquam Thesauros absconditos arenarum illos proferet, quia portauerunt pondus diei & æstus: hinc autem manifestabit iniustos, qui sunt vasa iræ, & tunc oraculũ adimplebitur, *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ.* Vbi Origenes explicat diuersitatem vasorum, & tempora distinguit, & decernit thesaurum clausum nunc, tunc esse aperiendum, & demonstrat electos a reproborum consortio separandos, sic enim ait, *Vasa iræ Apostolus nouit in perditionem facta, vt manifestet diuitias gloriæ eius in vasa misericordiæ, omnes n. homines in hæc duo diuisit vasa, hæc quidem iræ, illa verò misericordiæ: illa qualis Pharao, & Aegyptij, hæc qualis Paulus,*

Philo Hebr. lib. 2. legis allegoriarũ.

Idem ibid.

Num. 10. 6.

Deut. 33. 19

Ierem. 50. 25.

Orig. hom. 3 in Ierem.

& qui fidem susceperunt. Sed quisnam est Domini thesaurus, in quo vasa iræ sunt? Fortasse Ecclesia, in qua sæpe huiusmodi latent, est verò tempus, cùm aperit Ecclesiam, nunc enim clausa est, vasaque iræ cum vasis misericordiæ pascitur, paleæq. vnà cũ grano sunt, & in vna sagena reiectitij, electiq. pisces. Aperiet verò thesaurũ suũ Dominus tẽpore iudicij, quãdo vasis iræ proiectis, qui misericordiæ vas est cõgruenter dixerit, exierũt ex nobis, qa nõ erãt ex nobis.

5 Quis vestrum, o Scripturales, absque admiratione legit variam, ac inauditam panis commixtionẽ Ezechieli impositam hisce verbis, *Sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam & lentem, & millium, & viciam, & mittes eas in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum quibus dormies?* Et si vos cum Petro Cellense quæretis, *Quid ergo ex tam dissimili specierum genere, iubente Domino commixtio facta innuit?* Dicite & cum illo, quòd, *Intelligitur sacramentum baptismatis per vas vnum, in quo Filius hominis indifferenter cõgregat bonos & malos, tamquam fruges diuersorum ordinum. In vno enim vase regenerantis Baptismi, diuina consecratio, insertum quodcumque hominum genus, quasi frugum & leguminum diuersas species misericorditer reponit. Satis enim corporaliter, tam morum, quàm studiorum dissimilitudine hominum, alij frumento, alij hordeo, alij faba, alij lenticula, alij millio, alij vicia conferuntur: dum alij grano frumenti, id est, Verbo incarnato, quod misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel, per caritatis imitationem conformantur. Alij hordeo legis Mosaycæ, per assiduam meditationem diuinæ seueritatis pascuntur. Alij faba qui vana gloria mundana sapientiæ inflantur. Alij lenticula sophisticarum argumentationum, præsumendo de ingenij sui viribus, excæcantur. Alij millio exquisitarum ratiocinationũ, vsque ad exinanitionem veritatis, euanescendo, extenuantur. Alij belluinæ fœditatis tam vita, quàm sensu, vltima quasi viciarum vel auenæ vilitate, oculos ad terram deprimendo, confunduntur.* Hinc Augustinus postquam distinxit duas Ciuitates, alteram Iustorum, iniquorum alteram: subtexuit has duas Ciuitates in præsenti sęculo esse commixtas, donec summus Iudex ciues vnius à ciuibus separet alterius, sic. n. ait, *Distinxerunt in genere humano Ciuitates duas, alteram Iustorum, alteram iniquorum. Quarum etiã quadam temporali commixtione peragitur sæculum, donec vltimo iudicio separentur: & altera coniuncta Angelis bonis, in Rege suo vitam consequatur æternam: altera coniuncta angelis malis, in ignem cum rege suo mittatur æternum.*

Ezech. 4. 9.

Petr. Cell. li. de panib. c. 18. de pane multarũ specierum ex Ezech.

August. lib 11. de Gen ad litteram cap. 15.

6 Talis ergo ac tanta, nescio an hominum, an iumentorum varietas, qui cùm in honore essent, non intellexerũt, & comparati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis quorum cibo vescuntur, in amplo linteo, vel in magna Ecclesiæ Arca confusa nunc mistione congregatur, in qua & Pij & impij modo manent, sed in die Iudicij non permanebunt. Non recedamus ab eodem Cellensi, is enim subdit, *Curatrix itaque omnium contritionum, & omnium morborum medicina reparatrix pietas, Ecclesiæ vas constituit amplum, vt capere non vtilia solùm, sed inutilia, vsque ad emundationem area, non munda tantum, sed & immunda sufficiat. In hoc vase, bene credendo intrant homines, bestiæ & pecora carnaliter conuersando congregantur. Semina, id est, mandata Euangelica, prædicando inferuntur: & victualia, ad omnem animam, quæ per fidem, Ecclesiam ingreditur, promissiones, scilicet, vitę, quæ nunc est, & futuræ, secundum diuersitatem meritorum satis ordinatè prouidentur. In hoc Vrsus est & Agnus, Leo & Vitulus, Columba & Coruus, Fidelis & reprobus donec transeat diluuij iniquitas, continentur.* Notanda verba, *Donec transeat diluuij iniquitas:* nam ad diluuium aquarum alludit, quod per quadraginta dies terram inundauit: at iniquitatis diluuium toto vitæ spatio, immo si-

Idem Cell ibid.

mul

mul cum tempore cæpit, & tunc terminabitur, quando vltra non erit tempus, Euthymius enim putat tunc transituram, quando resoluto corpore, à Deo quis in cælo coronabitur. Hugo vero æstimat nonnisi cadente mundo cedere locum, vnde & Dauid dixit, *Donec transeat iniquitas, id est, vsq. in finem mundi, quia semper quamdiu erit mundus, durabit iniquitas.*

Euthymius psal. 2.

Hugo Card. ibid.

7 Interim in eodem vase Ecclesiæ diuersa semina sunt, & plures panes in vno vase, vnus enim est spiritus, & multiplex: vnus per essentiam, multiplex per dona. nam diuisiones gratiarum sunt, vnus autem spiritus, qui operatur omnia in omnibus, vt non glorietur omnis caro. *Quid igitur?* Ita requirit idem Cellensis, & ita repetit, *Non superbiat frumentum de nobilitate generis, non desperet hordeum de grossitudine ignobilitatis, non infletur faba vento elationis, non eleuet oculos, vt palpet in meridie, lenticula terrenæ hebetationis, non eleuetur super se millium ingeniosa præsumptionis, non computrescat in corpore suo auena vltimæ extremitatis. Si de stirpe Patriarcharum, frumentum es, noli extolli. Quòd si extolleris, non tu radicem vnitatis & gratiæ portas, sed radix te. Si comparatus iumentis insipientibus, hordeum es, non desperaris, quia benignus est spiritus sapientiæ, & nouit ferrum tollere de terra, & in argentum commutare, & humilem de stercore erigere, & cum principibus collocare. Si fama & nobilitate carnis inflatus, detumesce, & præsepii, seu Crucis Iesu recordare. Si lenticula es, propter quam Esau perdidit primogenita sua: visum fidei propter inanem philosophiam amittens, clama ad Iesum dicens, Iesu præceptor miserere mei, quia lumen oculorum meorum non est mecum. Si millium es, nimia ingenii tui præsumptione plusquam iustum sit subtilitatus, incuruare & adora summitatem Virgæ Ioseph, adorans non discutiens Sacramentum incarnationis eius, quia factus est pro te, qui fecit te, vt reficeret te. Si vicia vel auena, seu spelta es, niger videlicet, sicut facies ollæ cöbusta, leuis super faciem aquæ, asper sicut spina de sepe: apprehende bonitatem, & disciplinam, & scientiã de lege Dei, & habebis locum in vase siue in Arca, siue in Ecclesia. Ecce tẽpus & locus non separationis, sed commixtionis: non euentilationis, sed flagellationis: non repositionis in horreo, sed excussionis in area.*

8 Sed vbi mysterium prætericram latens in eo, quod Ezechieli præcipitur, vt his panibus vescatur donec dormierit super latus sinistrum? Explicatur & hoc ab eodẽ Abbate, qui in latere sinistro hãc vitam, in dextero futuram recognoscens, optime decernit, ibi nos pane mundo esse cibandos, hic autem etiam inter immundos viuere oportere. Sic enim fatur, *Non est in præsenti latus dextrum, in quo quiescentes, pane mundo & nudo, facie ad faciem, sed gloriam Dei contemplando satiabimur: non in mensura & pondere, sicut nunc accipientes breuem & modicam retributionem, sed sine mensura totum videntes, & totum bibentes quod est gloria, quod est gratia, quod est pacis, & quod est iubilationis. Interim super sinistrum quiescentes, quibus non possumus consolemur, donec à latere sinistro in dextrum conuertamur. A præsenti namque tribulatione & dolore liberari, est, à sinistro latere in dextrum conuerti: futuris gaudijs & benedictione recipi, est in dextro latere dormire. Supponitur læua Spõsi interim sub capite nostro, ne deficiamus in via: panes apponuntur, & si non quales erunt in patria exultantium, saltem quales meretur inopia exulantium esurientium. Anima enim esurienti, etiam amara dulcia sunt: nam hoc appetit esuries, quod satur fastidit.* Felices, qui dormiũt inter has medias sortes. Beati, quorum caput sub læua sponsi modo requiescit, vt à dextera illius postea sic amplexetur, vt à sinistro latere transeat ad dexterum.

Cell. ibid.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXVIII.
Ex Aquila.

Non consurgent impij in Iudicio, neque stabunt in Synagoga Iustorum.

CIRCVLVS I.

In iudicio vniuersali non consurgent impij à sinistra ad dexteram, nisi modo in particulari iudicio trāseant à sinistra.

1 Docent Mathematici, & benè docent, dari inter lineas interſecātes talē tātamque mirabilem commutationem, vt cùm in puncto se dissecant, quæ erat dextera, euadat sinistra: & quæ sinistra erat, in dexteram conuertatur. Vade & tu, o peccator, & fac similiter. Ecce, secundum præsentem iustitiam, in sinistra Iudicis collocandus esses: præueni ergo faciem eius in cōfessione, & in hoc puncto, ex quo pendet æternitas, interseca lineam præteritæ cōuersationis, scinde cor, arripe secundā tabulam, pænitentiam amplectere, & confide, quia nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare vitam: faciet enim, vt ex sinistra transeas ad dexteram, si modo à vitio transis ad virtutem, à culpa ad pænitentiam, ab auaritia ad eleemosynam. Hanc commutationem docet Augustinus explicās verba Dauidis, *Cadēt à latere tuo mille, & decemmillia à dextris tuis*: sic enim ait, *Erant aliqui qui non promittebant sibi sedes iudicantium, sed per eleemosynas promittebant sibi, quia ad dexteram futuri erant*: Sed per quam eleemosynam? Per corporalem quidem; qua homo hominis miseretur; & super indigentis miseria miserum habet cor: sed primò per spiritualē, qua peccatori præcipitur, *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Vbi Augustinus, *Modo pro ineffabili pietate sua non solum nos admonet Deus, sed etiam rogat, vt nos à peccatis mortiferis renocemus: Audiamus illum, dum rogat, ne nos postea non audiat ille, dum iudicat. Audiamus eum per Prophetam dicentem, Fili, miserere animæ tuæ placens Deo*. Pondera verba, *Etiā rogat, vt à peccatis mortiferis reuocemus*: quasi volens, vt lineas interseces, & vitam pænitēdo mutes: & expectans, vt tu te ipsum iudices, vt ab ipso audiaris, dū iudicat. Immo non vt te ipsum iudices, sed vt miserearis animæ tuæ, & transeas nunc à sinistra ad dexteram, ne tunc in sinistra positus, à dextera irreparabiliter cadas.

Psal. 90. 7.

Augustin. in exposit. 1. p. psalm. 90.

Eccli. 30. 24

Augu. ibid

2 Ibi suspendendus es in Iudicis statera, vbi duo aderunt pondera, vnum meriti, peccati alterum: & si illud inuentum erit minus habens, dabitur regnum tuum Medis & Persis. Si ergo non vis in statera Iudicis damnari, fac tibi de corpore tuo stateram, & si in sinistra reperis peccata & mala, & in dextera pauca merita & nulla bona, minue mala sinistræ, auge dexteræ bona: destrue peccata sinistræ, collige merita dexteræ, & certus esto, quod si te ipsum iudicas, non iudicaberis, & quod a sinistra im-

impiorum, ad dexteram tranſibis in Synagoga iuſtorum. Ad hoc te inuitat Laurentius Epiſcopus his verbis dulcibus, his monitis

Laur. Epiſ. in homil. de eleemoſyna. ſalutaribus. *Habet iudex in manu ſua ſtateram, in qua perpendit inter duo pondera: vnum meriti: & vnũ peccati. Praeuide te homo, ſenti põdus tuum, antequam veniens ille in ſua ſtatera te ſuſpendat. Conſidera ſtatum tuum, & eſto tibi ipſi ſtatera. Est tibi de corpore tuo ſtaterã: Duæ manus tuæ, duo ſunt calculi hinc atque inde in ſtatera pendentes. Vides quomodò ipſe tibi es ſtatera? Perpende cor tuum & conſcientiã. Perpende animam tuam membraque ipſa in ſtatera, priuſquàm diuinum examen incurras: ſit animus tuus arbiter factorum tuorum, ponderumque inſpector tuorum, &c.*

3 Nouum bellandi genus, in quo manus hominis contra eiuſdem hominis manum contendit, & dextera contra ſiniſtram arma

Matt. 6.3. ſumit. Et vbi ſummi Imperatoris tuba iam intonabat, *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*: in hoc domeſtico certamine & duro conflictu, oppoſita vox auditur, Sciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: & quando illa, crimina multiplicat vitiorum: hæc, arma ſumat, & illa conterens victricem manum oſtendat, & erigat monimenta virtutum, vt triumphali gloria coronetur. Sic idem Epiſco-

Idem ibid. pus Nouarienſis te monet, & armat, *Si tamen illum times, & futurum eius iudicium reformidas, in hoc loco, in iſto certamine non ignoret ſiniſtra, ſed ſciat magis, quid faciat dextera tua. Sciat quod ignorat, aduerte diligenter quando ſtrepit ſiniſtra in malis, id eſt, quando multiplicat caro partes aduerſas contra virtutem animę & exaggerat crimina. Stet dextera tua obnoxia contra partes peſtilentiæ, contra arma hoſtilia, contra effeminata vitia, contra peccata & crimina, ſtet dextera tua armata, id eſt, fide robuſta, ſpe ſtabilita, amore copulata. Obducat ſcutum fidei, induat loricã ſpei, obiiciat iuſtitiæ haſtam, intendat orationis arcum, erigat eleemoſynæ trophæum, & confeſtim non ſolum cedit pars aduerſa, ſed etiam cadit eliſa. Iacet in vulnere, & ſuccumbit victoria.*

4 Nec ſufficit Nouarienſi Antiſtiti arma tibi miniſtraſſe in communi, addit & doctrinam pugnãdi, modumque oppugnandi in particulari, vt ſiniſtræ & carni, quæ dexteram & Spiritum vicit, & traxit ad mala: tu inferas bellũ, & ſic deſtruas omne cumulatum ab eis malum, vt per dexteram tollas, ad quæ te addixit ſiniſtra: & minuatur culpa carnis per Spiritus correctionem. Audi monentem vt arma ſumas, & capias ſiniſtram, quæ te cæperat: & ſubdas carnem, quæ te ſupplantauerat: ſic enim ſubdit, *Hoſtiliter te ſtimulauit caro? ſtrinxit conditio, vt delinqueres? peccaſti? crebrò offendiſti? preſſa eſt mens horrore? triſtis eſt anima vſque ad mortem? Superfluit menſura criminum in ſiniſtra, claudicat in ſcientia, nutat ſtatera tua, & dextera tua lance ſuſpenſa totum pondus diuergit in ſiniſtrum. Cùm videris, dic ad animam tuam, Anima vbi es? quid actura es, inter hæc, quare non clamitas? malum vides imminere, & taces? cur non vigilas? mortem cernis incumbere, & tu non aſpicis? vbi reſides pigra? Vbi iaces reſupinata? dextera tua dormitat, & non illam excitas? pateris vt te vincat ſiniſtra, & portionem tuã iungat cum perituris? Quid factura es ſuperata a carne, cùm cæperis eiũ ipſa experiri ſupplicia? ſiniſtra ſatagit, & debet dormire dextera? Ibi plena eſt menſura, & hic debet exiſtere vacua? Siniſtra vales in vitiis, cur non magis dextera in virtutibus viget? Cur non magis minuitur ibi peccatum: & hic additur meritum? Quare non liqueſcit nequitia, & augeſcit iuſtitia? iudicium Dei vides imminere, & ſtupes? thronus tremendi iudicis in flammeis ardet rotis, vt Daniel ait, & non trepidas? fluuius currit flammeus, qui globos flammarum voluit, & tu ſoluta iaces? an neſcis quod fluuius iſte peccatoribus permeat, & non in poenitentibus murmurat?*

Idem ibid.

5 Ar-

5 Arma ministrauit Laurentius Episcopus, modum pugnandi ostendit, verba oppugnandi docuit, & terrorem iudicij iam descripsit: reliquum erat, vt artē aperiret, qua possent peccatores a sinistra transire in dexteram, vt non perirent. En illam describit vnico penicilli tractu, cum pallido poenitentiæ colore, hoc enim ipse & quidem tener de tua salute, te monet affectu, *Plange tua scelera, corrige te confestim, & transfer te de sinistra ad dexteram. Non est ambiguum, apertè sonuit, quia Deus peccatores exterminat. Peccatores, dixit, tu si poenitentiam egeris, iam non te perdet, sed proteget. Si compunctus fueris a peccatis, iam non te damnat.*

Idem Laur. Episc. ibid.

6 Inter certamina singularia ab Ecclesiastico in theatro proposita, vbi pugnatores pares deducit in pugnam: Duo & duo, vnum contra vnum: hæc duo paria certatorum noua ibi comparent in stadio, vbi non duo, sed vnus est pugnator, & vnius dextera contendit cum sinistra, vbi sinistra contenderat cum dextera. Quærit dextera exonerare sinistrā, peccata ab illa tollere, necare, destruere, vnde gladio accingitur, vincit, spolia diripit, prosperè procedit a sinistra ad dexteram: & vbi deformis erat peccator, pænitens formosus euadit: vbi seruus peccati iam erat, liber egreditur: & vbi de numero damnatorum erat in sinistra locandus, ad numerum transit beatorum in dextera regnaturus. Quod ipse breui scripto vix adumbraui, eloquenti stylo ab eodem Nouariensi Antistite descriptum inueni, Nam ab eo quærente, *Quomodo possum exonerare sinistram, & cumulare dexteram?* ita respondetur, *Hoc quod interrogas, non est incognitum. Nūquid latet aspectum tuum, aut ars est, quam nescis? Vbi videris quia dominatur tibi lex peccati, imperat vitia, crebrescunt crimina, omnis sarcina declinat in latus sinistrum: noli cedere, aut quiescere, sed incita temetipsum: recurre ad arma contraria, & praecinge te in dextera tua, implens illud quod cecinit Dauid Psalmista, Accingere, gladio tuo. Quem vicit sinistra, quem superauit segnitia, quem strauit nequitia: accingere gladio tuo circa femur, potentissime, Qualem gladiū? Specie tua & pulchritudine tua. Tibi hoc dicit, qui criminibus cedis: ad te loquitur, qui criminibus vinceris: te commonet & compungit, peccator. Vicit te pars sinistra, perespiet te in factum tuum. Plora compunctus, vt possis recipere speciem cordis tui, & pulchritudinem corporis. Quid vult esse? errasti in lumbis? offendisti in femore? Manifestum est, quia vbi lumbus, ibi libido: & vbi femur, ibi fornicatio. Quid ergo? foedasti femur tuum carnali libidine? reforma illud pulchritudine spiritali. Stuprasti lumbos tuos in fornicatione? noli diffidere, sed extrue bellum contra sinistram & contra corporeum peccatum, contra stuprum, vel adulterium. Femur te foedauit? femur te reformet atque recuperet. Accingere, inquit, gladio circa femur, potentissime. Te corripit sermo propheticus, quia peccasti. Fuisti profusus in libidine: esto potentissimus in virtute. Laxasti membra tua in luxuria, restringe viuacitate armorum. Arma lumbos cordis tui, orna femur anima tua: vt corpores femoris eximas foeditatem, euellasque de visceribus tuis plagas. Accingere gladio tuo circa femur tuum potentissime. Quis est iste gladius? ipse dicit, Specie tua & pulchritudine tua. Et qua est ista species, quàm virtus animi, & in ea plenapoenitudo? quaue est pulchritudo, quàm lacryma oculorum, & largitas eleemosynæ? Et quid deinde? intende, inquit, prosperè procede, & regna. Aperta sententia est, intende peccator, quia peccasti: prosperè, quia poenituisti: procede & regna, quia triumphasti. Procede confidenter, quid plorasti pro peccato: vicisti reatum, vt peruenires ad regnum, procede & regna. Plange hic, vt plaudas alibi. Procede, inquit, & regna. Propter quid? Propter veritatem, mansuetudinem, & iustitiam.*

Idem ibid.

Idem ibid.

Quando sinistra infert, & ingerit tibi candentes stimulos auaritia, luxuria, arrogantia, vel libidinis: sta contra sinistram tuam, succinctus veritate, armatus mansuetudine, ornatus iustitia: & cum viceris sinistram, tunc educet te mirabiliter dextera tua. Tunc vincit dextera, & silet sinistra, cùm fugit impietas, & floret rediuiua pietas, cadunt crimina, & crescunt merita. Quidquid malum minuit in sinistra, meritum augescit in dextera. Sic te agente, deducet te mirabiliter dextera tua, iuxta verbum Dauidicum subduc pondus ex aduerso latere, remoue plagas de sinistra, vt in die iudicij deducat te mirabiliter dextera tua. Imple mensuram iustitia. Quomodo? orando, vigilando, lacrymando, erogando, & iunando: quin etiam parsimonijs pulsando, negligendo delicias, & nutriendo disciplinam: fugiendo festiuas dapes, & frugalitatem fereudo: deponendo pinguedinem, & diligendo pallorem. Quando statutam exerces virtutem, exultat dextera tua, & latet sinistra: deficiente enim nequitia sarcina in sinistra, sanctificatio dextera tua praeponderat, & ipsa te deducet mirabiliter in salutem.

Iob 9.33.

7 Conquerebatur olim Iob, & ita inter suspiria & lacrymas, dicebat, *Non est qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.* Nunc autem ego consolatoria verba proferam, cùm enim contentio sit inter dexteram & sinistram eiusdem hominis, potest idem homo inter ambas manus componere lites, & loco dexteræ, his verbis loqui sinistræ, eamque ad meliorem frugem reuocare, ostendens ei hinc communia pericula, communia damna, quæ oriuntur a sinistræ sequela: & inde fructus & premia, quæ in dextera Iudicis inueniuntur, ex recta via, quæ panditur a sinistris. Audiamus eumdem Episcopum cum sinistra loquentem, *O sinistra! dolores facis prolixos, nisi fueris repressa, dulce tuum fit amarum, fauus tuus in fel conuertitur.* An non audisti sententiam Salomonis, qui dixit,

Idem Laur. ibidem.

Prouer. 4. 27.

Vias, qua a dexteris sunt, nouis Dominus, peruersa autem sunt, quae a sinistris sunt? Nescis tu quia angusta via est, qua ducit ad vitam? Cur me frangis, & flectis ad latam? Cur me ducis ad spatiosam viam, qua mihi aperit fauces inferni, in quibus picea flamma ardet, & poenalis caligo exaestuat? Sinistra pars tua planctum ingeminat, prouisio tua tartareas habet tenebras. Cellarium tuum corruptas habet species: thesauri tui liquidis ardoribus pleni sunt. Aspis est in opere tuo, antiquissimus ille serpens hydra, multorumque spirans venenorum, Vt spargit pestem auctor scelerum, nequitia armiger? Sinistra in parte tua, scandala quibus dictū est, Discedite a me maledicti in ignē aeternum, quem praeparauit Pater meus diabolo, & angelis eius. Ignis ardebit in parte tua, diabole, aspis antique auctor nequitia, tibi praeparatus est ignis & angelis suis? quid hoc ad homines pertinet? Sinistra tua nihil valet. Nihil valet pars sinistra, corrigunt se homines a peccatis, & viuunt.

Idem ibid.

8 Sed quia Sinistræ adiutor Diabolus est, & idem sanctus Pater Satanam insultans, ita contra illum insurgit, sic arguit illum, *Remansisti solus cum Angelis tuis, Diabole, quid regis signistram partē: ad te corrigo, verbum tibi imputo, te castigo: quid gloriaris de parte sinistra? flamma illa gehennę, tibi, non hominibus flagrat: caminus tartarei, tibi sunt praeparati & angelis tuis. Quare? quia aduersarius Dei es, semper erras, & numquam emendas, semper impius & seductor, semper prodigus & prophanus: atrox in malis, & inimicus in bonis, & quia numquam te poenites, ideo periturus. Quid hoc ad hominem poenitentem, suaque peccata confitentem? plus est poenitentia, quàm tua pestilentia. Plus sunt lacryma hominum, quā tui insidiosissimi laquei. Amplius est eleemosyna quam tua inquinamenta. Solicitudo soluit peccata, vigilantia vincit nequitiam, compunctio eradicat crimina. Inimice diabole, fallax, quid fingis terrorem? parum est quod vereor, donec conuer-*

tur

tar ad Christum, qui me saluauit.

9 Timet tamen, & iure, ne peccatori hæc Satanæ obijcienti, id à Satana obijci possit, quod, *Megarensi cuidam, multa iuueniliter de sua Ciuitate aduersus Agesilaum iactanti Agesilaus obiecit, dicens, Adolescens, tui sermones opus habēt, magnis viribus.* Sed quid? Fortè arma & vires non suppetunt poenitenti? Suppetunt quidem, & dicit, Omnia possum in eo, qui me cõfortat. O felix poenitens, ne timeas, nam etsi ignem peccati accensum vides in tuo corde, inueniens Christum, inuenies & indulgentiæ viuum fontem, in quo extinguitur pallens culpæ flamma. Et si murum & turrim culpæ aspicias, quæ diuidit inter te & Deum tuum, acies tamen poenitentiæ destruet murum, demolietur & turrim. Et si peccatorum sarcina prægrauaris, ignis ante faciem Christi exardescens, vertet illam in fornacem, & quasi lanugo combusta deperiet. Non sunt mea, sed eiusdem Episcopi inuenta, ipsum audite, *Stant ante me facinora mea quasi turris ferrea ac murus arcus, donec meipsum videam, & donec sitiens, amplectar Christum indulgentia fontem, teneamque pedes eius, qui dixit, Nolo mortem peccatoris, quantum conuertat se a via sua mala, & viuat. Si hoc fecero murus arcus momento collabitur, turris ferrea fulminata dispergitur: Aries enim poenitentia subuertit peccata, & subruit crimina. Cadent ante fletum penitentis, quasi caduca folia à vento concussa, aut quasi pluma volitantes vento impulsa. Adest Dominus oranti, præsto est excubanti, erogantique Christus protector excelsus, munificus atque liberalis indultor, & tota illa peccatorum sarcina, quam verebaris, vt cera liquescit, vt fumus fugatur, vt vapor exinanitur, aut quasi lanugo combusta deperit.*

Ex lib. 1. Apo pht. vbi de Agesilao nu. 53.

Idem ibid.

10 Sed si nomine dexteræ locutus es ad sinistram, nunc nomine sinistræ loquere ad dexteram: vt sicut sinistra euacuata est à vitijs, ita impleatur dextera eleemosynis. Dic ergo, vel eiusdem Episcopi verba repete, *Dextera mea Deo sacrata, saluatrix animæ mea, firmatrix cordis, munimentum corporis, tu noli dormire, sed vigila. Opus tuum dulce est, actio tua mellislua, vigilantia tua viuificat. Expande te ad preces pariter cum sinistra: erige te ad superna subsidia. Commoue venas tuas, & conquire remedia, confunde inimicum, & contere peccati ministrum. Quomodo eum confundis, aut quo itinere conteris, nisi in opere Dei, in obseruatione Euangelica, in ordinatione disciplina, in ordinatione largitatis? Dextera, fac opus iustitia: respice famelicos, vesti nudos, visita agrotos, suscipe peregrinos, solue compeditos, foue captiuos, consolare compunctos: si sic feceris, eruisti me de marore, liberasti de muscipula. O dextera, non vides? sauit sinistra, supplicia congerit: sinistra te vincit, & dormis? Serpens te mordet, & duras non vides partes aduersas turbatas, & insurgentes turbines? Ventis spirant aduersi, mare insurgit super te, peccati pelagus vrget animā tuam, stridens in membris tuis iniquitatum procella: & non excitaris, sed negligis? non stimularis, sed torpes? Dextera gubernatrix sta in puppe, & dirige proram: extende vela, arma nauem. Ecce pericula imminent, ecce scopuli ante te, ecce horrendi cautes, naufragia in latebris instant, & non vigilas? esto peruigil, esto amator bonorum operum, esto bellatrix panitentia, te enim triumphante, viuo ego in virtute Dei, & euado noxias partes. Extende ad iustitiam, imple pugillum tuum calesti semine, iacta semen panitentia, & collige fructus indulgentia. Noli dormire dextera, sed fac opera, qua a te Christus expectat. Emenda errorem meum, dele dolorem meū, collige meritum quod dispersi, repara quod amisi, sed redintegra quod minoraui. Flammat fornax criminum, & tu siccas operis tui fontem? Peccata praualent, & tu subtrahis pietatis præsidia? Da rorem tuum, & refrigera in me, quòd*

Idem ibid.

æstuat in calore. Timeo namque ne dormientem, sinistra superet, & rapiat me, rapiendo ad funera. Sic te excitantem dexteram, & obiurgantem sinistram, suscipit Christus & amplectitur. Disrumpit vincula tua, & deducit tamquam lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum meridiano splendore illustrat: vt dextera eius visitatus, gratiaque donatus, & munere accumulatus; non tristis abscedas, aut inutilis, sed gaudeas cum Iustis ad dexteram venientibus in æterna requie permansuris. Hæc ille, & quidem prolixè, sed bellè.



CAELI DAVIDICI VERSIO LXXIX.

In Psalmi Primi, Versiculum Vltimum.

Versio prima. Ex Vulgata, Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit.

2 Ex Pagnino, Hebræo, Græco, & Hilario, Quoniam scit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit.

3 Ex Chaldæo, Apud Eugubinum, Quoniam clara est Deo via Iustorum.

4 Etiã Chaldæi, Quoniã manifesta est ante Dominum via Iustorum, & via peccatorũ perdetur.

5 Caietani, Quoniã noscens Dominus viã Iustorũ.

Circa Versionem Vulgatam.

CIRCVLVS I.

De dignitate numeri Senarij, qui hunc primum, & principem Psalmum componit.

1 Onsiderãs Philo Hebræ⁹. omnipotentiã Cõditoris, per quã non iussu solũ, sed etiã cogitatu operari creditur, quærebat, & iure, cur Moses, non dictò citius, sed spatio sex dierum fabricatum describit Vniuersum? Respondetque, *Quoniam opus erat res creari quodam ordine; ordini autem numerus est proprius: inter numeros vero lege naturæ aptissimus generationi est senarius, nã post vnitatem primus, occurrit perfectus, partibus constans partibus, è quibus conficitur: è ternione, scilicet, sui dimidio, è binario parte tertia, & ex vnione parte sexta: qui, vt ita loquar, mascula simul ac feminæ natura præditus est, & compositus ex vtriusque viribus: masculis enim in rebus censetur impar numerus, sicut par feminis. Imparium autem principium ternio, parium binarius. Ex amborum verò viribus constat senio, oportet enim mundum, cùm sit creaturarum omnium absolutissimus, iuxta perfectum numerum componi, nempe senarium, & qui in seipso complexurus erat generationes, è binaria copula formare ad numerum mixtum, eum qui primus pariter impar est, vt in se contineret tum pro*

Philo Heb. in lib. de mundi opificio.

ſeminatis maſculi, tum fœminæ geniturum ſuſcepturæ ſpeciem. Eamdem formam ac normam ſecutus Dauid, quaſi myſticum cælum condens, hunc primum Pſalmum componens, ſenario numero & tono intonuit harmoniam. Oportebat enim Hymnum omnium abſolutiſſimum, iuxta perfectum numerum compingi, nempe ſenarium, qui in ſeipſo complexurus erat generationes è binaria copula. Si in mundi creatione binaria cernitur copula, dum primo facta eſt lux, deinde a tenebris eſt diuiſa: in hoc Dauidico Cęlo, primo lux apparet, nam ex Caſsiodoro, *In prima parte vitam ſanctæ incarnationis exponit: ſecunda vero peccatorum nequitias in futuro iudicio debitas recipere commemorat vltiones.*

Caſſiodor. in Diuiſione pſal. 1.

2 Si in orbis creatione tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, quæ, vt Philo philoſophatur, *Poſteaquam effulſit lux illa intelligibilis Sole antiquior, efferunt aduerſæ tenebræ, diſpeſcente Deo dirimenteque, cui perſpicua ſunt contrarietates rerũ, & natiua quædam certamina. Ne igitur perpetuis laborarent ſeditionibus, neue bellum, pulſa pace, preualeret confuſo in mundo ordine, non ſolum ſeparauit lucem a tenebris, verum & terminos in medijs ſpatijs poſuit, quibus vtrumque arceatur ab extremitatibus alterius. Alioqui propter vicinitatem inductura erant confuſionem contentionibus de principatu mutuis pertinaci ambitione luctam appetentia, niſi præfixi in medio termini, ad pugnã geſtientia dirimerent, hi ſunt veſper & mane, quorum alterum prænunciat latum aduentum Solis orituri, ſenſim tenebras ſubmouens. Veſper autem occidẽtem Solem ſubſequitur, ingruentes tenebras leniter excipiens.* Eodem modo, lucem Chriſtum, tenebras Adam, mane viri beatitudinem, veſperam impiorũ damnationem, & commemorat Pſaltes, & Caſsiodorus obſeruat, ita dicens, *Ideo in principijs, beatitudo Domini Saluatoris edicitur, vt humano generi vitalia exempla præſtent, quatenus ſicut nobis homo terrenus contulit mortem: ita cæleſtis veniens, daret ſalutem. In principijs enim fuit duriſſima conditio decepto: ſed poſt aduentũ homini glorioſa redemptio. Primo illata eſt ignominioſa captiuitas: deinde ſecuta eſt votiua libertas. Expulſus homo de Paradiſo, ſed receptus eſt in Cælum: perdidit in terra beatitudinem, ſed Angelos merebitur habere cõſortes: Luctus ex diabolo, gaudiũ prouenit ex Chriſto.*

Philo ibid

Caſſiod. ibi.

CIRCVLVS II.

Sic Beatus vir ab impijs diſtinguitur, quomodo in Creatione res cõtrariæ fuerunt diſtinctæ.

1 IN principio, quaſi in Pſalmorum omnium principe & capite, Coronam beatitudinis Rex proponit, nam ſecundum Caſsiodorum, *In ipſo capite Pſalmi huius, definitio beati viri, tamquam pulcherrimum nobis glorioſi regis Diadema reſplendet, Beatus vir.* Si in prima die diuiſa eſt lux a tenebris, in hoc primo verſu beatitudinis lux, a peccatorum tenebris ſeparatur: nam Beatus vir, qui lux eſt, non abit, non ſtat, non ſedet in conſilio, in via in cathedra impiorum. Sed non ſic tenebræ, impij non ſic, ipſi enim ſedent, ſtant, ambulant, in cathedra, in conſilio, & in via peccatorum.

Caſſiod. ibi.

4 Si in ſecunda die, facto firmamento, diuiſæ ſunt aquæ ab aquis: nam, vt docet Ambroſius, *Ideo firmamentum inter aquam & aquã Deus eſſe præcipit, vt a virtutibus peccata diſcerneret, & ſuperior aqua, quæ laudat Dominum, vacua erit erroris: inferior peccato erit obnoxia:* ecce in ſecundo verſu Beatus diſcernitur ab impijs, nam ille aquam legis e cælo recipit, & cum illa regitur, ſed in lege Domini voluntas eius: hi autem

Ambroſ. in enarr. ſuper pſ. 38.

ab

ab infernali Spiritu & a vento propriæ voluntatis, tamquam puluis proiiciuntur a facie terræ.

5 Si in tertia die congregatæ sunt aquæ, factum est mare, apparuit terra floribus coronata, rosis ornata, & proferens lignum faciens fructum suum: in tertio versu hinc apparet Beatus & iustus floribus donorum ditatus, rosis virtutum pulchrescens, & fructũ operum dans in tempore suo: inde impius quasi mare feruens, vt sterilis puluis, vt lanugo vana, vt spuma inutilis, & spinis peccatorũ vndique septus, nam secundum diui Ambrosij decretnm, *Spinæ sepsit gratiam floris, tamquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim elegãtia vitæ nostra, & quibusdã solicitudinibus obsepta, vt tristitia adiuncta sit gratia. Vnde est vnusq uisque aut suauitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratuletur, meminisse culpæ eum conuenit, per quã nobis in paradisi amenitate florentibus, spinæ mẽtis, animique sentes, iure condemnationis adscripti sunt.* Sic tamquã lilium inter spinas viuens ac virens ...lus, virere, & viuere debet circumspectus & cautus, sic cum monente cælo, *Cum scorpionibus habitas, & Habitatio tua in medio doli.*

Ambr. lib. 3 Hexæmer. cap. 11.

Ezech. 2. 6. Ierem. 6. 13.

6 Si quarto die facta sunt luminaria in firmamento Cæli, orbes depicti sunt varijs astris, in sphæris illuxerunt Sol Luna & Stellæ & Lumina, quæ in signum posita sunt: in quarto versu iustus atque Beatus relucet, quasi Cælum, in quo certatim splendent fidei luna, amotis Sol, gratiarum stellæ, scientiæ lumina, operum motus, quia folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Sed & ponuntur in signum, ... contradicitur ab impijs, ... surgunt in iudicio: & a... ...s, qui non stant in con... ...um, nam ex Stephano Ca... ...ariensi, *Ecclesia est firmamentum, luminaria viri iusti, qui bonos & peccatores diuidunt, & sunt in signa & tempora, id est, in signa temporum, id est, temporalis miseriæ; Omnes enim, qui pie volunt viuere, persecutionem patiuntur. Ist, duo tempora sunt, vnum amatorũ Dei, aliud amatorum mundi. In signum horum temporum sunt, vt vnum expectemus, aliud caueamus. Præterea in signum sunt pœnæ reproborum, quia si illi in vita præsenti sic puniuntur, signum est quòd reprobi in futuro plurimum punientur.*

Steph. Cãt. in alleg. Tilman. in Gẽ.

7 Si in quinta die Deus creauit Cete grandia, reptilia, & omnia quæ mouentur in aquis, & etiam volatilia super terram sub firmamento Cæli: in quinto versu Dauid exponit impiorum malitiam deprimentem, & iustorum gratiam subleuantem: illos reptantes, vt serpentis veternosi genimina super terram: hos vero, vt aquilæ filios, alta petentes, in Cælum volantes, æternumque Solem speculantes. Hoc discrimen describit Victorinus, *Sicut pisces & aues idem principium habuerant, nempè aquam, sed diuersa loca sortiti sunt: Sic de eadem massa corruptibilis natura, vniuersi generis humani propago trahitur, sed alijs deorsum, in ea qua nati sunt corruptione, iustè derelictis: alijs sursum dono gratiæ ad sortem cælestis patriæ eleuatis, iudicij seruatur æquitas.* Et Origens prædixerat, *Si videmus mulierem ad concupiscendam eam, illud est nobis reptile venenatum, de corde namque nostro, velut de aquis procedunt cogitationes bonæ, & malæ. Si verò sit in nobis sobrietas & misericordia, istæ sunt aues.*

Hugo Vict. lib. de sacr. c. 27.

Orig. hom. 1. in Genes. c. 1.

8 Si sexta die creauit Dominus hominem ad imaginem & similitudinem suam, & masculum & feminam creauit eos: in sexto versu Psaltes nunc lætus canit illam, quam Conditor habet iustorum notitiam: nunc destet peccuntium reproborum damnationem. Nam, vt quærit Origenes, *Quæ est alia imago Dei ad cuius*

ig. ibid.

imaginem factus est homo, nisi Saluator noster? Quicumque veniunt ad eum, & rationabilis imaginis participes effici student per profectum suum secundum interiorem hominem, renouantur quotidie ad imaginem eius, qui fecit eos. Interpretandus autem, est Origenes de Imaginis reformatione, quæ fit in Prædestinatis, dum conformes fiunt imaginis Filij Dei: nam in prima formatione homo creatus est ad imaginem totius, Trinitatis. Iusti ergo, qui secundum interiorem hominem renouantur quotidie ad imaginem eius, qui fecit eos, qui fecit eos, reficit, noscit, approbat, felicitat viam illorum. Iniustorum autem iter, qui ab itinere recto abierũt in exterminiũ, & mutauerunt imaginem incorruptibilis Dei, in imaginem volucrum, & serpentium, in æternum peribit. Vnde concluditur sexti diei mysterium hac addita Coronide, *Quoniam nouit Dominus viam Iustorum, & iter impiorum peribit.*

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXX.
Ex Pagnino, Græco, Hebræo, & Hilario,

Quoniam scit Dominus viam Iustorum, & via impiorum peribit.

CIRCVLVS I.

An idem sit iter, & via, an via Iustorum ab itinere impiorum distinguatur.

1 Miraberis, forte, Auditor, quòd vbi Versio Vulgata distinxit iter a via, Pagninus & Græcus vtrobique seruauerint viæ nomen? Sed scito, in via genericum ab his agnitum esse nomen: in itinere autem speciale impiorum descriptum fuisse ab illa pronomen. Sic prudenter & vtiliter notat Ambrosius, *Separauit Latinus, vt iter diceret, & tamquam discreuit iter a via. Græcus autem in vtroque viam dixit. Non otiosè tamen Latinus: quia & Dominus, Ego sum via, dixit: non, ego sum iter.* Et verè, si nomen Hebræum דרך Derech & Græcum, ὁδὸς attendatur, idem est vtrobique, & vtrobique idẽ nomen seruat Hilarius, *Quia cognoscit Dominus viã iustorũ: & via impiorũ peribit.* Ambiguum ergo est viæ & itineris nomen, & modo in bonum, modo vsurpatur in malum, & non nisi ex adiũctis, vt Cassiodorus docet, sunt discernenda, *Via enim dicitur, quod per eam vnusquisque transeuntium viatur. Iter quasi iter actus, quod agendo iteratur. Quod tamen vtrũque pro locorum qualitatibus reperis esse variatum. N[illegible]m peccatorum superius d[illegible] in bono positum est [illegible] alio Psalmo, & illic ite[illegible]o ostẽdam illi salutare Dei. [illegible]tem Isaias Propheta dicit, Principium Sion dabo,*

Ambrosius in Enar super Ps. 1.

Hebræus; Græcus.

Hilarius in Enarrat. sup. Psal. 1.

Cassiodorus in Ps. 1.

bo, & Ierusalem consolabor in itinere.

2 Effectus varios, quos varia specilla. vel ex pura Chrystallo, vel ex aliquo colore infecta, nunc vera obiecta, nunc falsa representando, producunt, producunt & affectus tam in cognitione viarũ, quàm in sequela earum. Pius affectus vias Domini sequitur, immo sequitur ducẽ Dominum, dicentem, *Ego sum via, veritas, & vita*? Nam secundùm Salomonem,

Ioan. 14. 6.

Via vitæ est custodienti disciplinam: secundum Nazianzenum, *Regia est ad cælum via*: & secundum Nazianzeni Scholiasten, *Via vitæ est, & custodit innocentes*. Custodit innocentes, qui puris oculis viam aspiciunt, qualem veritas offert, vt dirigantur in cælum, & inueniant vitam. Oppositum euenit impijs, qui viarum iudicium, oculis a passione corruptis, & fascinatis cordibus ferunt, de quibus Salomõ subdit, *Est via, quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt eum ad mortem*: Vel ex Hebræo, *Est via recta ad facies viri, & nouissimum eius via mortis*: Vel ex Chaldæo, *Est via, quam putant filij hominis esse rectam, & finis eius via mortis*: Vel secundum Septuaginta, *Est via, quæ videtur apud homines recta esse, nouissima autem eius vadunt ad fundum inferni*.

Prou. 10. 17. Nazianz in orat. de plaga grandinis. Scholiastes.

Prou. 14. 12. Hebræus. Chaldæus. Septuag.

Nouũ specillorũ genus, quo via, & viuẽdi ratio, alioqui obliqua, tortuosa, distorta, ad mortẽ ducens, & ad infernum tendens: propensio, fascinatio affectus prauus, & passio corrupta, rectam, iustam, atque vitalem esse, decipiendo commõstret. Nam, ex Augustini doctrina, *Voluntatis propensio authoritatem vitijs quærit, & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet*. Et ex Ambrosio, *Non census, sed affectus in crimine est*. Si census dicebatur æstimatio rerum & bonorum facta, secundum quam tributa pendebantur: quis tributa enumeret, quæ reddent in morte fascinati mortales? Sed vnde æstimatio pendet, qua pro argento & auro, pro purpura & bysso, pro splendidis epulis, pro momentaneis ac beluinis delectationibus: tributum soluitur perpetuum in tormentis, in fame & siti, in frigore & nuditate, in nimio calore & aquis niuium, & in perpetuo cruciatu & luctu? Heu! non census, sed affectus est in crimine, hic enim authoritatem vitijs quærit, & quod malum est, bonum esse suadet: & pro malo, quod bonum putat, tributum reddet grauissimũ intolerabile.

Aug. ser. 12. de tempore.

Ambros. relatus à Diu. Tho. in cat. sup. c. 6. Lucæ.

3 Nonne, qui post aurum vadit, qui Venerem sequitur, qui obsequitur Baccho, quique honores quærit, si veris vteretur specillis, videret vbique paratum sibi væ, mortem, infernum, audiretque vocem post tergum clamantis: *Væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram. væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Væ cùm benedixerint vobis homines*? Nonne verum est, tum Ambrosij decretum, *Pecuniarijs copijs multa sunt incentiua delictorum*: tum Augustini cautio, *Nihil magis ex arce deijcit animum, quàm blandimenta feminea*: tum Basilij documentum, *Replere ventrem, ipsum quoque corpus inutile facit erga proprias operationes somnolentum, & ad nocumenta dispositum*: tum etiam Bernardi vel exclamatio, vel damnatio, *O impatiens & effrenis turpis quæstus cupiditas, o ardor imperans, o cæca & impudenda ambitio*! Attamen voluntatis propensio sic oculos deprauat, vt via hæc obliqua, videatur homini recta, nam vt Lodulphus detegit deceptionẽ, *Dum feliciter ac prospere agit in hac vita, putat se tenere rectam atque minimè deerrantem viam, quia ex felicitate, qua gaudet, sua viæ ac vitæ rectitudinem colligit*, & quasi dicit, *Diues effectus sum, inueni idolum mihi*: Vel cum Septuaginta, *Inueni requiem mihi*. Quid autẽ requies est, nisi felicitas? Sed infelicem inuenit felicitatem.

Luc. 6. 24.

Ambrosius ibid.

August. lib. 1. Soliloq. cap. 10

Basil. relatus á D. Th. in cat. super cap. 6. Lucæ

Bernar. in epist. 26.

Lodulphus in cap. 14. Prouerb.

Hos. 12. 8.

Septuag.

4 At finis vitæ & viæ, fascinum malitiæ auferens, & terminum

infelicissimum pandens, clarè ostender, quia, *Nouissima eius deducunt ad mortem, & in fundum inferni.* Vnde Emissenus, *In hoc mundo prævalente malitia, iniquitate dominante, pauper affligitur, diues multiplicatur: an tu hunc potentem vocas, qui in mortem suam fortis est, cui præsentium fallax umbra prouentuum, æternorum congregat causas malorum? Quis beatam dixerit validam in iugulum suum dexteram? Quis probabiliter laudat velocem ad ardua præcipitia festinantem? Quis eius miretur ascensum, quem de summo prospicit esse casurum? Perinde est si aliquo mireris impia & iniqua per opes & diuitias operantem, ac si quempiam videas inaurato atque gemmato sibi poculo venena miscentem, an tu illum felicem vocas, qui infidelis obscænus cupidus, & cruentus, pro eo quòd vias Domini aspernatur, per suas ire permittitur, dextera angustijs offensus, & sinistra latitudine delectatus, flagitijs inuoluitur, sceleribus inficitur, spolijs contaminatur, & inter hæc se beatissimum putat: ex hoc quoque infelicior, quòd se non intelligit infelicem.*

Prou. 16. 25

Euseb. Emi. in homil. de sanctis mar. Ephipodio, & Alexandro.

5 Apprehendite, ò Fideles disciplinam, & non à motu, sed à termino motus viarum iudicium date. Via Iustorum in motus initio ac medio, laboriosa quidem est, & crux onerosa: at si illam aggressus, illam tenes, te hortatur Ecclesiasticus, quasi viæ Dux, vt perseueranter sustineas, aspiciens premiũ, sic dicens, *In nouissimis inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.* O quàm diuersæ sũt Iustorum viæ à vijs impiorum. Via impiorum in principio videtur plana, florida, pulchra, *Nouissima autem eius deducunt ad mortem, & ad fundum inferni.* At iustorum via initia habet aspera, arida, horrida, sed qui per eã incedit, *In nouissimo inueniet requiem in ea.* Nec mirum, nam si priuatio præcedens formã, secundum doctrinam Philosophorum, introducit in subiecto dispositiones ad formam, licet sit contraria formæ: cùm præsens felicitas contraria sit æternæ beatitudini, & præsens tribulatio sit dispositio ad illam: inde via impiorum, quæ incipit a felicitate, in infelicitatem terminatur: vbi Piorum via, quæ ab infelicitatitibus initiatur, in perpetuas felicitates terminatur. Audite Emissenum ita vos docentem pariter, & monentem, *Cauete ne in arena mundi, in quã ad subeundos agones missi sumus, aliquã felicitatem expectandam putetis. Beatitudo parari hic potest, non potest acquiri. Non hic quæras, quod hic nullus Sanctorum consummatus, vel consummato labore nullus Confessor obtinuit. Non hic quæras, quod hic nec Christus inuenit. Si mundus pacem haberet, gloriam Martyres non deberent.*

Eccli. 6. 29.

Ibidem.

Euseb. Emi. ibid.

6 Aduocentur pro hac veritate practicè comprobanda, quæ Salomon, hinc de bono incessu Leonis, Galli, & Arietis: & inde de felici itinere stulti decernit, *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum incedit feliciter; Leo, Gallus, & Aries, nec est rex qui resistat ei.* Vbi si cum Salonio, in Leone Christum, in gallo concionatores, in ariete confessores, & in Rege impiorũ caput nempe Antichristum cognoscimus, quis nõ miretur hunc feliciter, & illos bene tantum incedere? Sed certe verum est, quod omne quod feliciter incedit, non semper bene incedit: neque omne quod incedit bene, semper feliciter. Iusti enim benè incedunt, & patiuntur mala: iniusti male incedunt, & recipiunt bona. Audiamus Salonium ita fantem. *Illa bene incedunt, quæ ambulant sanctè, & iustè: illa incedunt feliciter, quæ in hac vita habent prosperitatem suã. Leo, Gallus, & Aries benè gradiuntur, sed non feliciter, quia & Christus Dei Patris voluntatem in omnibus compleuit, sed multa aduersa, & mortem sustinuit: similiter sancti Prædicatores & Confessores diuinã student adimplere voluntatem, sed multa in hac vita sustinent persecutiones. Antichristus verò non benè incedet, quia superbus contra Dei voluntatem omnia faciet: sed incedet*

Prou. 30. 29

Salon. in mystica explan. cap. 30 parab. Salomonis.

det feliciter, quia quamuis ad breue tempus, in magna erit gloria & prosperitate.

CIRCVLVS II.

Nedum in fine, sed in via Iusti solantur: at iniusti ne dum in morte, sed in vita torquentur.

7 IVsti felices non expectant vel vitæ, vel viæ terminum ad formam beatitudinis obtinendam, sed etiam ambulantes in medio tribulationis, & vmbræ mortis, Beatitudinis habent Authorē, qui viam illorum practicè nouit, dux itineris adest, socium laborū se exhibet, & Spiritu paraclito illos replet. Impij autem, quos non practicè agnoscit, & in manu iniquitatis allidit, etiam in felicitatibus sunt infelices, inter flores pungunGtur a prunis, & Corona rosarum efflorescens, vertitur in tribulos, & in spinas. Audite variū pro varijs pacifici Regis statutum, *Non contristabit Iustum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.* Fallor si verbum, *Acciderit*, non aliquid logicum assumit. Sicut Porphyrius docet, & optime dicit, *Accidens est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem:* Sic Iustus subiectum est iustitia armatum, fortuita autē accidentia sunt quæ vel adsint, vel absint, Iustū non corrūpunt. Ex Hugone hausi doctrinam, & appropiationem propinaui, sic enim & ipse philosophatur, *Sicut accidens est, authore Philosopho, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem: ita præsens tribulatio & aerumna adest, & abest, præter iusti contristationem & conturbationem.* At impij replebūtur malo: cùm enim inermes ingrediantur in bellum, a quolibet, etiam leui ictu sauciantur, & vt Chrysostomus asserit, *Perinde accidit eis, vt illi, qui imbecillibus armis instructus, vel leuissimo ictu grauiter sauciatur.*

Prou. 12. 28

Porphyr. in anteprædic. c. de Accid.

Hugo Car. hic.

Chrysost. hom. 16. in epi. ad Heb.

8 Sed ad libram reuocanda est hebræa lectio, Vbi enim nos legimus, *Non contristabit iustum:* verbū אבה Abah idem significat, ac, *Nō tāget:* vnde alij vertunt, *Non tanget Iustum quidquid acciderit ei.* Id illustrari potest, ex his quæ tribus Pueris acciderunt dum in fornacē ardentem iniecti sunt, de quibus dicitur, *Angelus Domini descendit in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit:* Vel ex Græco, *Fecit medium fornacis, quasi aerem roscidum leuiter sibilantem.* O miram mutationem, qua flamma in ventum, ignis in sibilum, ardor in rorem, fauilla in flatum, & calor vertitur in refrigerium. Vnde Zeno, *Qui vbi iactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos deuote cupidus ignis excepit, lambunt roscidos flamma blādientes. Mira res, opacitas intus, incendium foris: intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur. O magna potentia Dei. Incensores incendio concremati sunt, & qui incensi sunt, incendio suo superstites triumphantes de camino procedunt.* Bene lambunt roscidos, hoc est rore, quem hauserant; & interiùs imbiberant, exteriùs etiam perfusi, superabundantes gaudio. Benè opacitas intus, incendium foris: dum enim insipientium oculis, mori, affligi, vstulari, peruri que videntur: illi interius sunt in pace, & tam superplena consolatione reficiuntur, vt externas calamitates respuant, aduersa eliminēt, tristitiamque in gaudium conuertant.

Hebræa vox.

Daniel. 3. 50

Græcus.

Zeno Epis. Ver. ser. 5. de Daniele & Trib. pueris.

9 Et quid mirum eos foris nō tangi, nec cōtristari ab igne, si, *Intus existens probibet & obstruit?* Enquilibet eorum præuenire poterat Apostoli verba, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione:* Vel cum Græco, *Superexubero*, nam ex Theophylacto, *Hæc gaudij exuberātia omnem afflictionum sensum, non secus ac magna*

Arist. lib. 3 de Anima.

1. Cor 7. 4.

Græcus.

Theophyl. hic.

copia aquarū modicum ignem extinguit. At è cōtra, *Impij replebuntur malo.* Ignis enim tribulationis, qui in Pios ius nullū habet: in impios ita grassatur, vt exteriora concremet, interiora comburat, & incendat quos reperit iuxta fornacem, & intrà fornacem iacentes nec tāgat: illos, quasi paleas consumit: hos, quasi aurum purgat; Ita Sellus philosophatur, & optimè, *Sicut sub eodem igne aurum rutilat, palea fumat: Ita eadem vis tribulationis bonos purgat & viuificat, malos dānat & deuastat.*

Sellus in allegor. Gotf. Tilm.

11 Quæres quid intus cum tribus pueris existebat, quo flammis obstrueretur via, ignibus prohiberetur incessus? Dicam cum Zenone, vel Fidei fuisse virtutem, quæ potens est elementorum mutare naturam, *Tanta est fidei virtus, tāntaque potestas, vt cultoribus suis etiā ipsa elementa contra suam naturam famulari compellat:* vel id factum esse, quia tres Pueri Trinitatem referebant, *Et sacramento Trinitatis tam potentis elementi sublata natura est.* Sicut enim in sacramento mutatur panis in carnem, in sanguinem vinum: Ita in fornace sacramentum effectum est, mutatis flammis in flatum roscidum, ignibus in sibilum suauem, ardore in rorem. Et ea lege, qua in Eucharistia, panis videtur foris, intus est caro: eadem, suo modo, & ibi. Hinc subdit Zeno, *Mira res! opacitas intus, incendium foris est: intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur. Et tres pueri sibi pares Trinitatis sacramento præmuniti vnitatis, vna fide solidi, æqualitate pares, passionis victoria gloriosi. O verè spectaculum Deo dignum!*

Zeno Episc. Veron. ser. 3. de tribus pueris.

Ibid. ibid. ser. 4.

Idem ibid. ser. 5.

10 Etsi Fidei efficaciā ad summū culmen euexerit Doctor Gentium, dum eam transferre montes posse faxus est: cedat tamen horum fidei miræ virtuti, cuius tanta est vis, tantaque potestas, vt Angelum de cælo transferat in fornacē, immò & Regem Angelorum ibidem trahat, vnde concludit Zeno, *Illò præcipitātur insontes, ibidemque propter quem præcipitātur inueniūt.*

Idem ibid. ser. 7.

Quid mirum si excipiuntur non flāma, sed rore Dei: dignitate, non pœna? Quid enim dignius? iucūdius? quid? quam simul cum Dei filio in fornace manere: & quasi in cælo Empyreo gaudere? Sint inimici iudices, sint & testes, sic enim Rex obstupescens vera testatur, *Ecce ego video quattuor viros solutos, & ambulātes in medio ignis, & species quarti similis filio Dei.* Exclamemus & nos cum Aureo ore, *O quibus te incorrupta fides triumphis extendis! Adest tibi amica Maiestas, vt innocentia liberetur. Patitur se Deus cū pueris in supplicio numerari, & potest Dominum videre sacrilegus, sed non permittitur nosse, vt crescat gloria puerorum.* Notanda verba, & mysteria signanda.

Daniel. 3. 92

Chrysost. in hom. de Tribus pueris tom. 1.

12 In eodem curru triumphātis, seruus, isque publicus, vt Iuuenalis cecinit, & Alexander memoriæ prodidit, portabatur, qui coronam ex Lauro, quod fulmine afflari numquam compertum sit, supra illius verticem teneret. At in triumphali curru fornacis, qui dici potest currus igneus, vbi fides inuicta triumphat, non publicus seruus, sed omnium Dominus de cælo descendens, sic fidei Coronā dat, Coronam tenet, vt iure dicatur, *O quibus te incorrupta fides triumphis ostendis! Adest tibi amica Maiestas, vt innocentes liberentur.* Et Lauro coronaris, dum à fulminante igne pueros tueris, *Nam sacramento muniti tres numero, sed vna virtute, anhelantibus flammis, camino rugiente, non læduntur, barbarum Regem fidei tenacitate confundunt.* Vnde inuicti tres pueri, vel prædicere poterant, vel præcinere, Hæc, hæc est illa victoria, quæ vincit mundum, fides nostra: & simul ita repetere huius victoriæ triumphos, O quibus te incorrupta fides triumphis extendis!

Iuuenal. satyra 10. Alexan. lib 6. Dierum Genial. cap. 6.

Zeno ibid. ser. 6.

13 Si Appiano, Iulio Capitolino, & Alexandro ab Alexandro præstatur fides, quòd *In equis triumphantium ingenui pueri proxima cognatione iuncti insidebant:* Quis non mirabitur in hoc fidei igne curru, quattuor equos igneos, in quibus

Appian. in Lybico Iulius Capitolin. in vita Marci An-

Tres

conini. Alexander ab Alex. ibi

Tres pueri, insidēt, & quattus simi lis filio Dei? O miram Puerorum dignitatem, dum ipsi cum Dei filio numerantur, sic testante Zenone, *Patitur enim se Deus cum pueris in supplicio numerari?* Verbum numerare, proprie vsurpatur in rebus eiusdem speciei, vnde nunc à Virgilio canitur,

Virg. ech. 3.

Bisque die numerant ambo pecus alter & hedos: nunc à Psalmographo præcinitur,

Ps. 146. 4.

Numerat multitudinem stellarum; & nūc in Samuele legitur,

2. Reg. 10. 15.

Instaurauit numerum militum. Dominus ergo exercituum, cùm esset Dux, voluit in numero militum recenseri, & ipse dignatus est pati cum patientibus, pugnare cum pugnantibus, vincere cum inuictis, Coronari cū triumphantibus, & cum Coronatis triumphare.

14 Summis extollitur vsque ad sidera laudibus Pōpeius magnus, quia,

Ex lib. 4. Apoph. vbi de Pompeio num. 7.

Quùm esset Consul, ipse equum ad Censores Gallium, & Lentulum deduxit. Quibus ex more percontantibus, an omnia militaria munia obiisset: Omnia, inquit, sub me ipso Imperatore: significans se sic gessisse Ducem, vt nihilo secius omnes militis partes grauiter præstaret. Idem & Imperator bonus, & miles strenuus, qua laude nulla Principi potest maior contingere. Quæ autem lingua, quis calamus poterit celebrare Filij Dei gloriam, qui cùm esset Dux, & Rex exercituum, Imperator bonus, & miles strenuus, in numero militum redactus, cum tribus Pueris numerari, cū tribus Pueris dedignatus nō est militare? Innouetur canticum,

Exod. 15. 3.

Dominus, quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius, Flammas excussit de fornace, & patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari. O terq, quaterque beati pueri, & nominibus & mysterio felices, qui Ducē habetis militantem vobiscum, militem habetis pugnantem pro vobis, & Omnipotentem habetis omnia mala à vobis auertentem. Audiamus Rupertum in eorum triūpho ita canentem, & eorum nomina, immo oracula sic interpretantem.

Ruper. Ab.

Sidrac, decorus meus: Misach, qui risus: Abdenago, seruiens tacco, interpretatur: Item Anania, gratia Domini: Azarias, adiutorium Domini: Misael, quæ salus Dei, interpretatur. Tres isti tam numero, quam nominibus: tàm causa, quam passionibus, vniuersos significant milites atque bellatores regni Dei, confessores Trinitatis decoros, ridentes, & seruiendo tacentes, id est, vita innocuos, spe gaudētes, in tribulatione patientes, in quibus gratia Domini, cum quibus in ipsis passionibus adiutorium Domini, quorum est salus Domini ipse Christus, pro quo & passi sunt, de quo iste mirando intellectu, & species, inquit, quarti similis filio Dei. Ipse namque & in alio Propheta dicit martyrum suorum vnice caritati, Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu, Cùm pertransieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, nō comburreris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, Saluator tuus.

lib. 2. in Daniel. cap.

15 De Antigono secundo, Demetrij filio, legitur in Plutarcho,

Plut. in Apoph. Reg & Impera vbi de Antigono.

quod, *Nauali prælio cum Ptolomæi legatis congressurus, dicente Gubernatore multo plures numero esse hostium naues: respōdit, me vero ipsum præsentem, quàm multis comparas?* At Dominus exercituū, Dei filius cū trib⁹ pueris patitur in supplicio numerari, militis gerēs personam, qui Dux est bellorum. En vbi hyronicè dixit Trinitas de homine, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*: quia vt obseruat Augustinus, *Propter Trinitatem numerus pluralis accipitur*: nunc absque hyronia, & asseueranter trinitas Puerorum dicere potest, *Ecce Deus, quasi vnus ex nobis factus est*.

16 Concludamus & nos cum Chrysostomo,

Chrysost. ibid.

Potest Dominum videre sacrilegus, Ecce enim Dominus non in auro lucet, sed in flamma ostenditur. Sed quomodo videt? Quomodo à flamma lumen cognitionis aufert, vt Deum, ac Dei filium Rex agnoscat, dicatque, Et speciem quatti similem filio Dei? Proposuit Glosa cum Hierony-

Glos.interl. in c.3. Dan.

mo, dubium, *Quamuis quæratur, quomodo Rex impius videre Dei filium potuerit*: sed dubium nec ipsa, nec Hieronymus soluit, immo implicat, dicens, *Nescio quomodo Rex impius filium Dei videre mereatur*. Lyranus autem solutionẽ innuit, *Quia propter irradiationem vultus in corpore assumpto, bene apparebat, quod Angelus non erat filius hominis, sed magis aliquid supra hominem, & quid diuinum*. Vnde autem hoc nouerit, vnde talis deitatis haurire potuerit fidem, non aperit. Sed fortè id accidit, quia vidit illum in adiutorium descendisse Puerorum, quasi pro comperto tunc haberet quod post sæcula multa Plinius docuit, *Deus est mortali adiuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via*. Canant ergo Pueri triumphalem hymnũ, & in Diuini adiutoris gloriam cõcinant vno ore, *Deus noster, refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerũt nos nimis*. Tamquam ex effectu caussam venantes, aduerbium, *Nimis*, & Adiutori nimio, & nimijs tribulationibus distribuentes, intonant læti; Nimis inuenti à tribulationibus, nimis adiuti in tribulationibus, nã, *Bene nimis ad vtrumque respondit, vt in tribulationibus, quæ nos nimis inuenerunt, & adiutor nimis possit intelligi. Nam fit, vt grauioribus certaminibus Coronemur, quia orationibus frequentioribus, opem nobis diuinitatis adsciscimus*. Et iure hic intelligitur Deus noster, quia, vbi dicitur, N*imium natura inimicum*: in nimijs tribulationibus, nemo posset nimium ferre adiutorium, nisi Author naturæ militum suorum amicus, & naturæ legibus nequaquam subditus.

Lyran. hic.

Plin. lib. 2. cap. 7.

Psal. 45. 2.

Ambros. in enarr. super ps. 45.

17 Ex tali auxilio, tamquam ex fumo ignem, Deum puerorum agnouit Nabuchobdonosor, & benedixit, *Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos*. Sed quærit Rupertus, quare nunc Rex Angelum vocat, quem Dei filium paulo ante vocabat? Et dubium sic proponit, nodum sic exsoluit, *Ergone priorem sententiam infirmat, aut destruit, Angelum vocando illum, de quo prædixerat, Et species quarti similis filio Dei? Non vtique, nã idem qui natura est filius Dei, officio factus est Angelus Domini, Angelus magni consilij*. Idem & Imperator bonus ex natura, & miles strenuus ex officio, qua laude nulla maior Principi regum terræ potest contingere.

Daniel. 3. 95.

Ruper. Ab.

lib. 1. de Daniele. c. 7

18 Sed si cum Symmacho vertimus, *Species quarti similitudo filiorum Dei*: O quàm aperta clarescet gloria puerorum, qui ex tolerantia passionum transeuntes per ignem, in numero filiorum Dei descripti sunt! Id lucidè patet ex aureis Chrysostomi iam præmonstratis verbis, *Patitur se Deus cum Pueris in supplicio numerari*: id est, numerum facere cum illis, & quaternarium illud complere, quod in ijs vsurpatur, quæ & æqualitatis seruãt proportionem, & eamdem habent rationem: vnde si quartus est similis filio Dei, & tres similitudinem habent filiorum Dei. Nam & ipsi per fidem Trinitatis, & per sufferentiam ignis, in deos sacrantur, & *Tali incendio beata consecrata sunt viscera, non condemnata*: nam ex Nazianzeno fuerunt, *Victima viua, holocausta ratione prædita, sacrificia perfecta, dij denique Trinitatis adorata beneficio*. Immutatio quanta rerum! Iam in igne cremabantur, qui auream falsi Dei statuam non adorabant: nunc in igne consecrantur, & pro dijs tres Pueri habẽtur, qui statuam non honorant, Trinitatis adoratæ beneficio.

Symmach.

Chrysosto. ibid.

Greg. Naz. orat. 25.

19 Sigillis vtebatur antiquitas, in quibus Numinum imagines insculptæ colebantur, vnde Ennodius, *Vbi sunt sigilla Numinum, votis imaginata facientium*: Quæ autem ex illis signabantur, Numina referebant. At filius Dei carnem humanam sumens, & in ea Dei imaginem & naturam vniẽs, de se asserit, *Hunc Pater signauit Deus*. Vt enim Hilarius docet, *Vnigenitus Deus, & per sacramentum salutis nostræ hominis filius, volens proprietatis nobis paternæ in*

Ennodius Dict. 21. in Dedic. Basilicæ Apostolorum.

Ioan. 6. 27.

Hilar. lib. 8. de Trinit.

fe

se signare speciem, signatum se à Deo ait, vt per hoc potestas in eo dandi ad æternitatem intelligi possit, quia omnem in se paterna forma plenitudinem signantis se Dei contineret. Sicut ergo de Imperatore Constantinopolitano obseruat Godinus, quòd varijs vtebatur sigillis, & per ceram non vsurpat nisi ad matrē, ad vxorem, & ad filium: ad alios vero plumbea bulla: ita diuinum sigillum cum Dei imagine in cera cordis & carnis igne & laboribus emollita imprimitur: Dei filios reddens eos, qui tribulationum igne probati sunt. Coloret Diadocus, quæ ipse adumbraui, *Sicut in cera nisi multum tepefacta, & mollitia fit, non potest sigillum imprimi: sic nec in homine sigillum virtutis Dei imprimi potest, nisi laboribus & infirmitatibus probetur.* O tres pueri felices, igne probati, & sigillo virtutis Dei, Dei imagine & similitudine insigniti, & species quanti similitudo filiorum Dei!

Gaudin. de officijs & officialib. in Ecclesia Cōstantinopolitana cap. 5 num. 27.

Diadochus de perfect. spirituali c. 94.

20 Figuram ergo diuinam nouit, & noscit Dominus in Iustis, & tribulationibus vexatis: at in impijs, qui assumunt characterem bestiæ, formam auersatur; quia iter impiorum peribit, *Et mittentur in stagnum ignis, qui non sunt conscripti in libro vitæ.* Dices, cum Archiepiscopo Toletano, *Patiturne Deus oblivionem, vt absque libri huius reuolutione nesciat cognoscere?* Respōdet cū illo, *Non aquidē, sed liber iste significat prædestinationem eorum, quibus æterna vita donabitur. Neque enim nescit Deus eos, & in libro legit vt sciat: sed eius præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est vitæ: in quo sunt scripti, id est, ante præcogniti.*

Apoc. 20.

Iulian. Archiep. Tol. li. 3. Progn. sticon. c. 39.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXXI.
Ex Chaldæo.

Quoniam clara est Deo via Iustorum, & via peccatorum perdetur.

CIRCVLVS I.

Deo, cui nota sunt omnia, quomodò tantum via Iustorum dicitur esse clara.

1 Mira quidem forma, & admirabili norma hic coarctatur Omniscientis scientia, docente Psalte notam ac manifestam illi esse solam viam Iustorū. Cur hoc, si & Anna cecinit, illum omnes nosse & omnium cogitationes numeratas habere, *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur, numerantur cogitationes:* Si & Salomon adijcit, *Omnia opera illorum, velut Sol, in conspectu Dei, & oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorum:* Vel cum Iansenio. *Omnia opera illorum manifesta, velut Sol, in conspectu Dei:* Et si eo modo, quo intuentium oculis latere non potest: Ita opera hominum, & viæ mortalium, quāuis occultæ, quamuis tenebris nocturnis inuolutæ, vt Sol patent, vt dies illuminantur, & oculi eius

1. Reg. 23.

Eccl. 17. 16.

Iansen. hic.

Hugo Car. hic.

Bern. in tr. de Grat. & lib. arbit.

assidue super vias hominum, *siue bonas, siue malas: vt mala puniat, & bona remuneret* ? Immo, si cum Bernardo, *Comprehendentes & nos in Deo longitudinem æternitatis, latitudinem caritatis, sublimè potentia, & profundum sapientia*: addemus in sublimi figurari Iustos, & in profundo impios, qui cum in profundum venerint malorum contemnunt: qua ratione, qua veritate negare possumus etiam impios Deo esse notos?

2 Etsi verum sit diuersas esse ciuitates Ierusalem & Babylonis, diuersos in illis incolas commorari, diuersas seruari leges, & à diuersis extrui fabris, nam faber Ierusalem, Dei amor est: & conditor Babylonis, amor sui est: attamen quis sanæ mentis vmquam negabit vtrasque ciuitates Dei dominio reddi subiectas, & vtrorumque ciues Deo scientiarum esse notos? Has diuersitates incolarum Augustinus memorat, & has ciuitates & ciues subijci diuinæ prouidentiæ, & subdi Dei notitiæ ita decernit, *Constat in genere humano ciuitates duas sub admirabili & ineffabili prouidentia Dei, cũcta quæ creata sunt administrantis & ordinantis, alteram iustorum, alteram iniquorum.* Cùm ergo secũdum Angelicam doctrinam, *Nihil aliud sit prouidentia, quàm ratio ordinis rerum in finem, necesse est omnia, in quantum participant esse, in tantũ subdi diuinæ prouidentiæ: cumque Deus omnia cognoscat tam vniuersalia, quàm particularia, & cognitio eius comparetur ad res, sicut cognitio artis ad artificiata: necesse est, quod omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis.* Quod si verum est, vti & est: quomodo dici potest notas tantum illi esse, ac manifestas vias Iustorum, non autem iniquorum?

Aug. lib. 11 de Gen. ad litt. c. 5.

D.Thom. 1. 1. q. 22. ar. 2. in corp.

Iob 26.6.

D.Tho. hic.

3 Præterea si Iob testatur de omni scientia Dei, *Nudus est infernus coram illo*: & ex Angelica doctrina idẽ est ac si diceret, *Ea quæ in inferno aguntur, conspicua sunt coram oculis eius, & secundum eius iudicium aguntur*: quomodo verũ erit, quod idem Deus damnatis Virginibus dicat, *Nescio vos*? Si nescit in inferno cruciatos, quomodo nudus est infernus coram illo? Heu! nescit misericordia, quod iustitia noscit, vnde & noscit, & nescit: & secundum decretum Emisseni, *Detrudentur illuc, vale dicentes rerum natura, vltra nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt*. Sed notanda verba Eusebij, *Vltra nescientur*: & Hoseæ aptanda verbis, quæ in portis, vel in columnis adamantinis insculpta sunt, *Non addam vltra misereri, sed obliuione obliuiscar eorũ.* Misericordia ergo eos nescit, sed iustitia noscit & non ignoscit, & vt dicebat D.Th. quę in inferno aguntur, secundũ eius iudicium fiunt. Adeo tamen horribilia sunt damnatorum tormenta, vt dubitari possit an Deo consulto illa exerceantur, an ex furore & crudelitate vindictæ proueniant. Ideo Iob clarè demonstrat nudũ esse infernum corã illo, & ab illius iudicio statutas esse pœnas, etsi acerbissimæ sint, & penè intollerabiles. Dicitur autem Deus illas nescire, vt suæ blandiatur misericordiæ, adeo enim sunt duræ & acerbæ, vt illorum misericordia oblita videatur.

Matt. 25.12.

Eusebius.

Emissen. homil. 3. de Epiphania.

Hoseæ 1. 6.

CIRCVLVS II.

Manifesta est ante Dominum viam Iustorum, quia Dux est, & comes eorum.

4 EX Labyrintho obscuro tot ostijs, quot verbis a regio Propheta inflexo, dum ait, *Clara est Domino via Iustorum, & via peccatorum perdetur*: vt pateat exitus, non Dedalus reget cæca vestigia filo, sed Anglicus Dux aderit, qui sua nos dirigat luce. Sic enim fatur, *Et sciendum quod Christus dicitur noscere viam iustorum, non solum quia causam approbat, sed etiam quia tam sæpe ambulat, iuxta*

Anglicus in ps. 1. ver. 7.

illud, noui omnia itinera eius, & frequenter ambulaui, Est enim via ista via ad domum Patris sui, sicut ipse dicit, Nemo venit ad patrem nisi per me. Ideò ipse est dux omnium volentium ad Patrem suum ire. Viæ autem impiorum dux Diabolus est, vnde Chrysostomus, duæ viæ sunt nobis propositæ ante oculos, vna vitæ altera mortis: vna salutis, altera perditionis. Via vitæ & salutis Christus est: via verò perditionis & mortis dux Diabolus est. Ille ad vitam vos vocat, hic ad mortem trahit: ille ad salutem, hic ad perditionem. Hæc ille viarum notionem à ducibus discernens, quia nouit Christus & approbat eius vestigia sequentes: nescit & reprobat diaboli præcipitia sectantes.

5 Regis officia, atque Pastoris munera, etsi imparia prima fronte appareant, tam pari demum lege, & arte æquantur, vt secundum D. Thomam, *Pastores sint reges, regesque pastores: atque pastores regnent, regesque pascant.* Vnde & Psaltes vtriusq. muneris gnarus, ita canebat, *Dominus regit me:* Vel cum Hieronymo, *Dominus pastor meus:* Vel cum Augustino, *Dominus pascit me.* Sicut ergo regnant & boni & mali reges: Ita & pascunt boni, & mali pastores. Iustorum ergo ouile felicissimum est, quia Pastorem & Regem habentes & vitæ & beatitatis Authorem; per viam vitæ ad domum beatam incedunt, & lætantes canunt, *Vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierũ.* At impij, quorum pastor diabolus est, qui & ipse mors est, & ouile ipsius ouile mortis est: eo modo quo pascuntur ab eo, tamquam à morte, eodem ducuntur ab eo ad mortis ouile, vt Dauidicum oraculum impleatur in eis, *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Et iure, vt inquit Ambrosius, *Qui noluerunt, vt pasceret eos Christus, depascet eos mors. Cognosce, ô homo, quia Christus verus est pastor, qui suos pascit ad vitam: mors subintrauit, quæ ad interitum ducit alienos, & deuorat eos, quibus potest propter eorum flagitia præualere.*

D. Th. opu. 20. de regimin. Princ. lib. 1. c. 1.

Psalm. 22. 1 Hieronym. August.

Ibid. ver. 6.

Psal. 48. 15.

Ambros. in enarr. super psal. 48.

Manifesta est ergo ante Dominum via iustorum: quos pascit tamquã Rex, quos regit vt Pastor, & quos ducit ad vitam vt Dux. Impiorum autem iter sic tendit ad mortem, sicut ab authore mortis dirigitur, regiturque à morte.

6 A pascuis diuersis appræhendite, quæso, Pastorum diuersitates. Audite læti in quibus se pascuis à Deo Pastore Psaltes sit collocatus, *Dominus pastor meus, in loco pascuæ: ibi me collocauit:* Vel cum Hieronymo, *In loco viridi accubauit me:* Vel cum Symmacho, *In venustate herbę collocauit me.* Et cũ Elia Cretensi recognoscite, in loco graminoso, Ecclesiam, in gramine, & fideles semper florentes, & fidem quæ semper virescit: in Pastore, Ducem vitæ ducentem ad caulam illam supernam, qui malos Genios hominesque propugnat, qui errantes conuertit, qui amissos reducit, qui correptos corroborat, quique valentes custodit. Quos autẽ Diabolus, *Quasi mors depascit*: nam, vt Cassiodorus philosophatur depascuntur vt oues, impij à morte, quæ vel lanam tondens, pellem vitamque non tollit: vel herbam vorans, radices viresque non vellit, vt semper pascat, ac tondeat, semperque seruet tondẽdas, atque pascendas. Sic ergo fatur, *Peccatores in inferno mors depascit, & sicut oues lana sua amissione iugiter perseuerãt: sic in illis semper sine immutatione substãtia, inuenit, quod pœna discruciet. Depascet, enim, à iumentis tractum, quæ herbas non radicitus euellunt, sed abscindunt ipsas potius summitates.* Sic, sic semper pascuntur, & pullulant semper: semper moriuntur, & viuunt semper: semper corrumpuntur, & generantur semper. Vnde Bernardus, *Nõne hoc est perpetuò tundi, perpetuoque confundi? Duplici cotritione dixit ille, contere eos Domine Deus noster.*

7 Athanasius autẽ nomine mortis, nõ mortẽ, sed infernũ interp̃tatus pascua varia enumerat, atq. dira, nẽpe ignem æternum, fletum,

Psal. 22. 1.

Hieronym. Symmach.

Elias Cret. in Scholio sup. orat. 2. Naz. de Filio.

Cassiod. in ps. 48.

Bernard. in lib. 5. de cõsideratione.

Athanasius hic.

ſtridorem dentinm, tenebras exteriores, & aliud alijs ex his aſſignat. Et vere quidem, ſed diminute nimis, nam vermem reliquit, qui ſicut numquam deficit; ita plus mordet, auidius rodit, moritur numquam, & nuſquam miſeris parcit. Sed Bernardus adiecit, quod ipſe reliquit, ſic enim fatur,

Bernard. li. 5. de conſideratione.

Opera tenebrarum ſequuntur illos, nec eſt quo ſe abſcondant ab illis, ne in tenebris quidem. Hic eſt vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel iniectus, vel potius innatus per peccatum, haſit firmiter, nequaquam deinceps euellendus, nec ceſſat rodere conſcientiam, eaque paſtus, eſca vtique inconſumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem viuacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc eſt ſecunda mors, quæ numquam occidit, ſed ſemper occidit. Quis det illis ſemel mori, vt non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus cadite ſuper nos, & collibus operite nos: quid niſi mortẽ mortis beneficio aut finire, aut euadere volũt? Deniq. inuocabũt mortẽ, ait, & nõ veniet. Intuere id clarius. Conſtat immortalem animam eſſe, nec aliquando abſque ſua memoria viuere, ne, non animam aliquando, eſſe contingat. Itaque durante anima, durat & memoria. ſed qualis? Fœda flagitijs, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hiſpida & neglecta. Quæ priora tranſierunt, & non tranſierunt. Tranſierunt à manu, ſed non à mente. Quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt. Proinde etſi facere in tempore fuit, ſed feciſſe in ſempiternum manet. Non tranſibit cum tempore, quod tempora tranſit. In æternum ergo neceſſe eſt cruciet, quod perperam te egiſſe in æternum memineris.

8 Deſcribit pacificus Rex bellantes in anguſtis caſtris, vel pigri, vel impij voluntates, & contrarijs induit armis, oppoſitiſque coloribus ſic eas depingit, *Vult, & non vult piger*: Vel ex Hebræo, *Concupiſcens, & non concupiſcens anima ipſius pigri*: Vel ex Chaldæo, *Deſiderat anima pigri aliquid, & non obuenit ei.* Sed ambiges, ſi vult, quomodo non vult? Et ſi non vult, quomodo vult? Non ſum neſcius a Gloſa ordinaria & a Hieronymo ſic copulari contraria, *Vult regnare cum Domino, & non pati pro eo: delectant præmia, cum pollicentur: terrent certamina, cùm iubentur.* Scio Lyranum hoc tono contrarias fides temperare, *Quia bene vult obtinere bonum vtile, vel honorabile, ſed non vult obtinere, & ſic non vult efficaciter: ideo ſimilis eſt cato, qui vult piſces comedere, refugit tamen pedes in aqua ponere.* Nec ignoro Viennenſem Epiſcopum hac arte diſcordantes voluntates conciliare, *Vult regnare piger cum Deo, & non vult laborare pro Deo: vult peruenire ad beatitudinem, & tamen non vult præcepta Chriſti adimplere, vt beatitudinem mereatur obtinere.* Bernardus autem putat per hos oppoſitos voluntatis actus, & per hos contrarios concertantes affectus talem deſcribi pigri & impij pænam, qualem, & nauis patitur, ſi in bellico & effero turbati maris ſtadio ab oppoſitis ac efferis & fluctibus eſt agitata, & commota ventis.

Prou. 13. 4.
Hebræus.
Chaldæus.

Gloſa ordinaria hic.
Hieron. lib. 2. commen. in cap. 13. Prouer.
Lyran. hic.

Salon Epiſ. Viennen. in myſtica expoſit. Parabolarum Salomonis.

9 Sicut nauis poſita inter Charybdim & Scyllam, ſi nunc ab Aquilone illuc deijcitur, nũc ab Auſtro hic proijcitur: nunc hinc illuc reuertitur, & illinc huc, nec ſtatim mergitur, ludus fit miſeria, diræ & continuæ mortis: ita & anima damnati dum hinc a vento nolitionis trahitur, & inde a turbine volitionis retrahitur, nunc truditur, nunc extruditur: traditur nunc, nunc extrahitur: ſemperque turbatur, & numquam moritur: perimitur, & non perit: & tali pæna torquetur, quæ numquam & nullo fine, infelix, atque miſera, terminatur. Audiamus Bernardũ hæc deſcribentem. *Quid iniquis voluntatibus tam contrarium & aduerſum, quam ſemper conari, impingere ſemper, & fruſtra? Væ oppoſitis voluntatibus, ſolam ſuæ profectò auerſionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale, quàm ſemper velle,*

Bernard. li. 5. de conſid. ante mediũ.

quod

quod numquam erit: & semper nolle, quod numquam non erit? Quid tā damnatum, quam voluntas addicta huic necessitati volendi, nolendique, vt ad vtrumlibet iam sicut nonnisi peruersè: ita nonnisi miserè moueatur? In aeternum non obtinebit, quod vult: & quod non vult, in aeternum nihilominus sustinebit. Dignè omnino, vt qui ad nihil afficitur, vmquam quod deceat, ad nil vmquam quod libeat, suadat.

CAELI DAVIDICI
VERSIO LXXXII.
Ex Chaldæo.

Quoniam manifesta est ante Deum via Iustorum, & via peccatorum perdetur.

CIRCVLVS I.

Manifesti sunt Domino imaginem portantes operum Domini, non autem operarij iniquitatis.

1 PRoposita ab initio difficultas alio modo soluitur ab Ambrosio, æstimat enim cognosci a scientiarum & virtutum Domino eos, qui virtutis per opera imaginem portant, non autem eos qui vitiorum retinent figuram; sic enim ait, *Illos agnoscit Dominus, qui sunt ipsius, qui operantur opera eius. Qui autem operantur iniquitatem, his dicet Dominus, Discedite a me omnes operarij iniquitatis, non noui vos. Non per ignorantiam, sed quia indigni sunt scientia Dei, nesciuntur.* Nesciuntur æquidem, quia non sunt. Sed dices, quomodo damnati non sunt, si torquentur? & quomodo peccatores non sunt, si male operantur, & continua circulatione ambulant, & mouentur? Respondet Ambrosius ideo scitè Psaltem, *Perire iter impiorum dixit, non impios, seruat enim eorum substantiam. Pereunt autem ita impij, quomodo dicitur, Anima quæ peccat, ipsa morietur: vt peccati aculeo, non omni substantiæ suæ dissolutione moriantur.*

Ambros. in enarr. super Psal. 1.

Ambros. ibid.

2 Similes autem impij fiunt & impiorum duci, & socijs eius, de quibus lata est communis sententia, *Habitent in tabernaculo illius socij eius, qui non est.* Quæres forte, quomodo fieri potest, vt qui subsistit, non sit: et qui in tabernaculo habitat, esse non habeat, vera existente regula Logicorum, quod propositioni de secundo adiacente supponitur & de primo? Dicam subsistere naturæ, Deo non existere. Nec absque fideiussore hoc asseram, cùm a Philippo id prius fuerit dictum, *Primogenita mors, interitus, & qui non est, diaboli nominibus conueniunt, qui cùm sit natura sua proprietate subsistens, Deo non est, quia prauaricatione factus est alienus.* Idque confirmatur ex eo, quod æquipollentes propositiones sunt, Non esse Deo, & Non esse, vt patet ex Hosea, cui dicitur, *Voca nomen eius, Non populus meus*: & ex Petro eamdem sententiam sic proferente, *Non po-*

Iob 18.15

Philip. Presbyt. in c. Iob.

Hose. 1.

1. Pet. 2.

pulus: & ex Pontificio Decreto, *Qui Dei non est, nec censetur esse, nec est. Quid idcirco iam non est, quia a summa essentia recessit, & quasi ad non esse tendit, ex quo semel ab eo, qui verè est, cecidit, quia bene esse perdidit.*

Greg. Papa lib. 4. mor. cap. 11.

3 Et verum dicit, si verum Philosophus docet, quod idem sit hominem, & verum hominem esse. Cùm enim res tamdiu sint, quamdiu suæ illarum ideæ, quæ in Deo sunt, verissime conformantur: si homo ab idea hominis, quæ in mente Diuina est, discedit, a suo verissimo exemplari discedit: propterea que nec homo est, neque est. Discedit autem a suo exẽplari, qui a Deo recedit, nam scriptum est, Creauit Deus hominem ad imaginem suam. Huiusmodi sanè verum hominem, qui respondeat imagini suæ, ad quam creatus est, docet Hilarius dici a Solomone, Virum fidelem, cùm in Prouerbijs ait. *Virum fidelem quis inueniet? Quid enim, inquit, tam difficile, quàm inuenire, qui meminerit secundum imaginem & similitudinem Dei se esse factum? Atque ob id magnum quiddam est homo: hoc enim nomen, vbi in vitia decederit, amittit. Indignus scilicet iam iudicatus homo nuncupari.* Et eadem ferè ratiocinandi forma Nyssenus de Christianismo philosophatur ad Harmonium scribens, *Christianismus est imitatio Diuinæ naturæ.* Probat autem sic, *Prima hominis fabricatio ad imitationem Dei similitudinis erat. Christianismi professio est, vt homo inducatur ad pristinam & antiquam felicitatem: igitur si antiquus homo Dei similitudo erat, Christianismus Diuinæ naturæ imitatio est: is itaque nomen ementitur, qui Christi iustitiæ veritatis & puritatis communionem & societatem in se se non ostindat.*

Prou. 20. 6. Hilarius in enarr. super ps. 118. in litt. Ioth.

Greg. Nyss. in epist. ad Harmoniũ.

4 Lege cauetur, *Ne quis imaginem Imperatoris in inuidiam alterius portet, & qui contra fecerit, in vinculo mittatur.* Qua pœna, ex Ioanne Rebardo ille multatur, *Qui inuidia noui cuiusdam Imperatoris, imaginem Imperatoris defuncti, etiam post eius memoriam damnatum, portare non veretur.* Et idem refert veterem morem gestandi in vestibus Imperatorum ac Principum imagines, reuerentiæ atque imitationis signo, vt subditi ad imaginem, id est, ad mores principum compositi viderentur. Christiani ergo, qui cum Paulo dicunt, *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & cælestis:* Vel ex Syriaco, *Sicut induimus imaginem illius, qui e terra est: sic induamus, imaginem illius, qui è cælo est*: & a Tertulliano monẽtur, *Si in carne sic portatur imago Adæ, sed non carnem monemur ponere, sed conuersationem, vt proinde cælestis imaginem gestemus in nobis, secundum lineamenta Christi incedentes in sanctitate, in iustitia, & veritate.* Qui ergo hanc imaginem induit in baptismo, vbi dãnato Principi tenebrarum nunciũ dedit: si processu temporis Tyranni iam damnati resumit imaginem, imitatur exemplar, vestigia sequitur, iure in publica conijcitur inferni vincula, & in tenebras mittitur exteriores. Ita sancitum est per os Ioannis, *Qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius, viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure*: id est, vt Andreas interpretatur, *Ingehenna ignem, quæ quidem gehenna illis & mors & interemptio erit, diuino Christi mandato perfecta.* Mors enim temporalis imperfecta mors est, nam morte finitur: mors autẽ æterna perfecta erit, semper enim vitam seruat, ac semper interimit.

L. Senatusc. ff. de iniur. & famos. libellis.

Ioa. Rebar. l. 2. cõiect. 3.

1. Cor. 15. 10. Syriacus.

Tertull. in lib. de Ref. car. c. 49.

Apoc. 19. 16

Andr. Archiep. Cæs. Cappad. ser. 20. in c. 19. Apocal. cap. 58.

5 Ad veterem morem, & ad præfatam legem arcũ intellectus dixerit Ambrosius, sic te monens ac terrens, *Vide, ne eo deferas imaginem terrestris, vbi lux cælestium est. Hic enim si quis tyranni imagines habeat, qui iam victus interijt, iure damnatur: quomodo tu hostis, & aduersarij imaginem in Ciuitatem veri Imperatoris induels. nisi tu ipse*

Ambros. in enarrat. sup. psal. 38.

te damnes? Et si volueris imaginem terrestris inferre, contradicet tibi princeps istius mundi, & dicet, Mea est auaritia, mea est ambitio, mea diuitia, quarum imaginem in te recognosco. Ipse est enim aduersarius & defensor. Est quidem defensor iuris sui, vnde reperiens in te aliquid ex suo, tradet te Iudici, & debita persolues. Subdit autem Ambrosius, *Quod si fueris qualis Iacob, dicet Laban, qui se transfigurat in Angelum lucis,* Recognosce *si quid tuorum in me inuenis. Tunc ille requiret, & non inueniens confutatus abscedet: quia abscondisti, atque obliterasti omnia simulacra vitiorum. Beatus qui potest dicere, Veniet huius mūdi princeps, & in me suum inueniet nihil.* Tali beatitate donatus Martinus, non confusus loquebatur inimicis suis in porta, dicens dæmonum Principi, *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funestum inuenies.*

Idem ibid.

Seuer. Sulp. li. 3. de vita S. Martini Turon. Epi.

6 Egredientis animæ per portā mortis, stricto examine discutitur imago quam gerit, & si quidem cælestem retinet, in cælum ab Angelis defertur: si vero terrestrē defert & infernalem, in terræ centrum deijcitur, in infernum detruditur. Quis enim ignorat de quolibet mortali verificari Dauidis Oraculum, *Verumtamen in imagine pertransit homo?* En ex Platonis sententia, *Difficilis possessio homo est:* & ex Iob statuto, *Homo numquā in eodem statu permanet.* Sicut enim magnum speculum in via publica, vel in magna platea collocatum, nunc homines, nunc belluas representat: sic vertibilis homo, modo virtutum pulchrā imaginē defert, modò vitiorum monstriferam formam refert. Vnde Hieronymus sic legens, *Verumtamen in imagine perambulat homo:* sic addit, *Quod scilicet nullus hominum sit, qui aliquam imaginem non habeat, siue sanctitatis, siue peccati.*

Psal. 48. 7.

Plato de legibus.

Iob 14. 2.

Hieronym. li. 3. com. in c. 8. Ezech.

7 Sed dicet aliquis, si imago Dei in tabula animæ indelebiliter est vel insculpta vel depicta a cælesti vel sculptore vel pictore, qui fieri potest, vt deleatur, in aliamque mutetur? Respondet Origenes, quòd etiā si depicta ab Authore naturæ in tabula animæ humanæ imago diuina, indelebilis sit, permaneatque æterna: verumtamen in imagine pertransit homo, dum in eadem tabula, fatuus, & cæcus, imaginem peccati superinducit, terris vmbris offuscat, & terrenis coloribus obscurat. Sic enim ait, *Fecit Deus hominem ad imaginem suam, huius imaginis pictor est Dei Verbum. Et quia tantus pictor est, imago eius per malitiam obscurari potest, sed deleri non potest. Manet semper in te Dei imago, licet tu tibi ipsi superinducas imaginem peccati. Istam picturam tuipse tibi depingis. Cùm enim te libido fuscauerit, induxisti colorem vnum terreum. Si verò auaritia fludit, induxisti alium. Si te ira sanguineum facit, addis tertium colorem. Si superbis, addis alium. Et sic per singulas malitiæ species, velut quibusdam coloribus congregatis, imaginem terrenam tu tibi ipsi depingis. Ipse ergo deprecandus est, qui dicit per Prophetam, Ego deleo iniquitates tuas. Et cum deleuerit in te istos malitiæ colores, resplendet in te imago illa, quæ a Deo est creata.* Vnde de quolibet peccatore diligente peccatum, dicere posses, *Diligit mortuæ imaginis effigiem:* nam & peccatum mortis imago est, quia animas ad mortem inducit, *Peccatum enim, cùm consummatum fuerit generat mortem.* O peccatum immane! o insolens monstrum! Vbi enim ex naturali lege generatio est viuētis à viuente: ipsum, quod cōtra omnē naturę oritur legem, contra omnem etiam naturæ parit legem, mortuam enim gerens imaginem, dum generat, non viuentem generat, sed generat mortem. Audi pariurientem peccatorem, *Circumdederunt me dolores mortis:* Vel ex Chaldaica Paraphrasi, *Circumdederunt me angustiæ, tamquā mulierem, quæ sedet in sella parturietis.* Vide cur cōturbetur, quidue pariat, *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me:* Vel sequentes Vatablū, *Exanimauerūt*

Orig. ho. 13 in Genesim.

Sapien. 15. 5.

Iacob. 1. 15.

Psal. 17. 5.

Chaldaica paraphrasis.

Psal. 17. 5.

Vatablus.

me.

me. O mirum! o nouum! Exanimatus parens, exanimatum generat & partum, nam mortuus peccator peccatum parit, generatque mortem: nam ex Chrysostomi sententia, *Ipsa mors a peccatis habet radicem*. Sed vbi Plinius asserit, *Radices breues & angusta malo:* Mali radix tam alta est, vt perueniat in infernum: tam lata est, vt impleat mundum: & fructus tam malos parit, vt pariant mortem.

Chrysost. hom. 28. in Matthæum Plin. lib. 16. cap. 31.

8 Figuræ ergo variæ in animabus hominum depictæ, & carnis velo ita celatæ sunt, vt nondum appareat quid erimus: exutę vero corporibus animæ, exquirentur, & quæ Dei habent imaginem, Deo reddentur; quæ vero Diaboli charactere sunt deturpatæ, cum diabolo damnabuntur, & pars illorũ erunt. Si vero frustra tentaueris imaginem terrestris inferre Cælis, & contradicet tibi mundi tenebrarum princeps, & secundum Ambrosium, audebit, & dicet, *Mea est imago hæc*. Cognoscit ergo diabolus imagines peccatorum. Et nouit Dominus viam, vitam, & imaginem Iustorum, & his, non illis premia vitæ reddit. Sed dies, si impios non nouit, quomodo seruata iustitia damnat illos? Agnouit Incognitus hanc difficultatem, eãque theologicè sic dissoluit, *Scire vel nosse Dei est duplex, scilicet simplicis & vera cognitionis: & scire complacentiæ & approbationis. Primo modo Deus scit omnia tam bona quàm mala. Cùm enim omnium, tam malorum, quàm bonorum sit iustus Iudex, punitor. scilicet malorum, & remunerator bonorum: quomodo malos iustè iudicare posset, si illorum bona vel mala ignoraret, cùm secundum Aristotelem, Vnusquisque benè iudicat de ijs, quæ nouit, & horum solus est rectus iudex? Propter hoc Deo dicitur, Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum, ista enim notitia omnia nuda sũt & aperta oculis eius. Secundo modo solùm nouit illa, quæ approbat. Et quia malos in suis malitijs non approbat, ideo illos & eorum mala non nouit. Sic enim fatuis Virginibus ait, Amen dico vobis, nescio vos.*

Ambros. ibid.

Incognitus in expos. Ps. 1. ver. 7. 8.

9 Noscit ergo Dominus viam Iustorum, qui vnicuique ius suum tribuũt, dispẽsatores se agnoscunt, & fideliter dispensant, quæ acceperunt. Sicut mare aquarum copias, quas accepit, fontibus & fluminibus distribuit: Ita quilibet homo in potestate constitutus, mare est, & quæ accepit abundè, debet alijs dispensare. Hinc munerum Largitor dicebat, *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Mare est Prælatus, qui vt philosophatur Chrysologus, *De cælestibus conatis, de horreis diuinis rationem reddet: Præstabit causas Ecclesiæ prorogator, & quanto maius suscipit creditum, tantò maius se debitum non dubitat redditurum, dicente Domino, Cui plus est creditũ, plus exigetur ab eo.*

Luc. 12. 42.

Chrysolog. ser. 26. de fideli dispẽsatore.



CÆLI

CAELI DAVIDICI VERSIO LXXXIII.

Ex Caietano.

Quoniam noſcens Dominus viam Iuſtorum, & iter impiorum peribit.

CIRCVLVS I.

Quomodo Deus ſcientiarum Iuſtos noſcat, non cognoſcat iniuſtos.

1 HVcuſque diſtulimus orationis nauiculam, ne in altitudinem maris aſcenderet, & vela panderet, neſcio an per elatos mõtes, vel per profundas valles, inueſtigando modum, quo Deus ſcientiarum viam Iuſtorum ſit noſcẽs, non autem noſcens viam impiorum, At vbi forte incidimus in Caietani translationem, *Quoniam noſcens Dominus viam Iuſtorum: & iter impiorum peribit*: Simul incidimus in eius expoſitionem, quæ omnem, ni fallimur, ſoluit quæſtionem, occulta pãdit, & omnem nodum diſſoluit. Sic ergo fatur, *Vide prudentiam Prophetæ, redit ad principium Pſalmi, reddens ſimul rationem ſeparationis Iuſtorum ab impijs*. Si autem cupis hanc rationem cognoſcere, & hanc formam ſeparationis penetrare, en ipſe totũ refert ad Dei notitiam, non quidẽ ſimplicem, ſed ſalutarem, ac beatificantem: ſubdẽs enim rationem ſeparationis, ita ſubnectit, *Quoniam noſcens Dominus viam Iuſtorum, & iter impiorum peribit. Hæc autem non de notitia ſimplici intelligitur, ſed de ſalutari, immo de beatrice eſt ſermo, qua Dominus inſipientibus dicet cum fatuis Virginibus, Neſcio vos, Et de Iuſtis dicitur, Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Cognouit Dominus qui ſunt eius. Ex eo namque, quod Deus prædeſtinauit viam Iuſtorum, & via impiorum ex ſe peribit, fiet quòd impij nec in iudicio diſcuſſionis meritorum, nec in congregatione Iuſtorum ad cæleſtem patriã permanebunt.*

Caietan. in pſal. 1.

Idem ibid.

Idem Caie. ibidem.

CIRCVLVS II.

Deus Iuſtos ex nomine noſcit, impiorum nomina neſcit.

2 FAcilius forſan poſſemus nodum diſſoluere, aſſerentes quòd Deus eſt noſcens viam Iuſtorum, quia cuilibet eorum repetit verba iam Moyſi ex ſingulari beneuolentia dicta, *Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam in oculis meis*: Quaſi diceret, ſi Oleaſtro præſtatur fides, *Non ſolum te noui ex facie, ſed etiam ex nomine: multos enim ex facie nouimus, quorum nomina ignoramus: miniſtros vero frequentius nobis miniſtrantes, nouimus ex nomine, & quilibet Iuſtus dicitur gratiam inuenire, quia gratiam quaſi theſaurum caſu inuenit, non ſua induſtria, aut labore, ſed gratia Dei miſerentis*. De impijs autem idem Deus aſſerit, *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: id eſt, vt Genebrardus interpretatur, *Non dignos exiſtimabo eos mea*

Exod. 33. 1

Oleaſter in Adnot. ad litteram ſu per cap. 33 Exod.

Pſal. 15. 4.

Genebr. hi

com-

commemoratione & memoria, neque tollam nomina eorum ſuper labia mea, ſed abſtinebo ab eorum nominibus penitus vſurpandis. Quod ſi altius rem indagare contendimus, inueniemus nec in labijs Dei nomina impiorum accipi, nec in libro vitę notari: Vbi è contra Iuſtorum nomina & noſcit, & labijs profert, & in cælo deſcribit, & ſcribit in libro vitæ. Hoc totum ex Angelico Doctore deſumptū eſt, ſic enim profundè nimis philoſophatur, & fatur, *Liber vitæ in Deo dicitur metaphoricè, ſecundum ſimilitudinem à rebus humanis acceptā. Eſt enim conſuetum apud homines, quòd illi, qui ad aliquid eliguntur, quòd ſcribuntur in libro, vtpotè milites, vel conſiliarij, qui olim dicebantur Patres conſcripti. Patet autem, quòd omnes prædeſtinati eliguntur à Deo ad habendam vitam æternam. Ipſa ergo prædeſtinatorum conſcriptio, dicitur liber vitæ.* Non eſt autē *conſuetum conſcribi eos, qui repudiantur, ſed eos, qui eliguntur. Vnde reprobationi non reſpondet liber mortis, ſicut prædeſtinationi liber vitę.*

D. Tho. 1. p. q. 24. art. 1. in corp. & in reſp. ad 3.

CIRCVLVS II.

Prædeſtinati aſsimilantur Stellis, præſciti quiſquilijs.

3 ANgelicam doctrinam poſſumus & nos vel dilucidare, vel confirmare ex his, quæ vtiliter ſubtiliterque notat Rupertus Abbas. Is ergo circa variam vel promiſſionem, vel prædictionem Abrahæ factā de futuro eius ſemine toto Cælo diuerſo, dum ſimile prædicitur & Stellis cæli, & item pulueri terræ: quia multi etiam ab illo deſcendentes, pulueri terræ erant comparandi, vbi nomina vel non ſcribuntur, vel vento flante delentur: multi vero Stellis erant exęquandi, tales enim futuri ſunt Iuſti in Cælo fixi, in Cælo numerati, in Cælo ſcripti: diſtinxit primò ſecundam promiſſionem à prima, nam in hac dictū eſt, *Faciam ſemen tuum ſicut puluerem terræ*: In illa vero, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cæli.* His poſitis, hiſque diſtinctis, ita philoſophatur, *Superius non dixit, Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ Cæli, ſed faciam ſemen tuum ſicut puluerem terræ, quia videlicet non omnis qui terram illam poſſeſſuri erant propter Abraham, ſtellis comparandi erāt, ſed multiplicandi erant ſuper numerum pulueris, terramque amaturi potius, quàm cælum. Hic autem vbi eduxit illum foras, ſuſpice ait, Cælum, & numera ſtellas, ſi potes: & quia non poterat, Sic erit, inquit, ſemen tuum. Erunt enim omnes ſicut ſtellæ cæli, id eſt, multi quidem, ſed certa multitudine numerati, vel certa numeroſitate multiplicati. Omneſque nominibus ſuis vocati, & noti.*

Gen. 13.16.
Gen. 26. 4.

Rup. Abb. lib. 5. de operibus Trin. in Geneſ. cap. 18

4 Et optime quidem conueniunt & in nomine, & in vſu ſcribendi. Stellæ sūt Iuſti, cū ſint milites Domini exercituum. Si de Stellis dicitur, *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Syſaram pugnauerunt:* en pro quolibet Iuſto claſſicum ſonat Chryſologus, & inuitans illum ad arma, ſic intonat, *Sumat cum Chriſto arma ieiunij, criminum propellat impetus, proſternat caſtra vitiorum, & de ipſo authore mali ſumat Chriſto dimicante victoriam.* Hinc eſt quod verba Dauidis canentis in laudem Domini exercituum, *Qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: & ad Stellas materiales, & ſimul ad ſpiritales ab Auguſtini calamo ſic reuocantur, *Quid magnū eſt aliquid Deo ſtellas numerare, cui capilli capitum numerati ſunt. Sunt autem ſtellæ quædam lumina in Eccleſia conſolantia noctem noſtram omnes, quibus dicit Apoſtolus, In quibus apparetis tanquam luminaria in mūdo: illas Stellas numerat Deus, omnes ſecum regnaturos, omnes aggregandos corpori Vnigeniti ſui numeratos habet, & numerat eos.*

Iudicum 5. 10.

Chryſolog. ſerm. 11. de ieiu. & tentationibus Chriſti.

Pſ. 146. 4.

Auguſt. in in enar. ſup. pſ. 146.

5 Vtinam daretur, & mihi, di-

ſtin-

ſtincte cognoſcere, diſtincte numerare, diſtincteque nomina omnium recenſere Stellarum, & Cæleſtium & Prædeſtinatorum, quorum illæ figuram gerunt, merita ſignant, dignitateſque varias demonſtrant. Sed quod mihi negatur legi iam Sinaitæ conceſſum, & breuibus verbis, atque ſermone anguſto auguſtas coronas reperi quas ipſe ſic narrat. *Sunt autem duæ tabulæ Cælorum, quæ intrinſecus quidem ferunt rationis perditas Stellas, & Angelicorum myſteriorum ac rationum: extrinſecus autem Stellas, quæ cadunt ſub aſpectum, & earum deſcribentes ænigmata per eas, quæ ſunt in ipſis figuras, locaque, & curſus differentias, & tempora, & loca, & mores, & curſus, & apparitiones Sanctorũ, qui illuxerunt in firmamento fidei, qui ex alto nos illuminarunt. Propterea aliæ quidem ex Stellis, nocte adhuc creſcente, errore, inquam, exoriuntur: cuiuſmodi fuerunt Abel, & Enoc, & Noe, & Abraham. Aliæ autem rurſus in medio lucis & tenebrarum, quales nouimus eos, qui fuerunt in lege. Aliæ autem rurſus procedente nocte, & die appropinquante, qui ſunt beati Prophetæ, & maxime qui erant propinqui ſplendori ortus Domini.*

Anaſt. Sinaita lib 5. Anagogicarũ contemplat. in Hexameron.

6 Si vis videre Luciferum matutinum, aſpice Ioannem Solis iuſtitiæ præcurſorem, Solis inquam, iuſtitiæ, qui cùm eſſet egreſſus ex aquis Iordani, diluculo oſtendit duodecim domos Diſcipulorum, qui ſunt Stellę, quæ continent, & dominantur omnibus Stellis firmamenti, nempe Eccleſiæ. Si vis videre Virginis ſignum, aſpice Virginem matrem, aſpice eos, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cęlorum, & aſpice quinque illas Virgines, quæ media nocte, tamquam Stellæ lumen lampadũ accenderunt. Si vis conſpicere Geminos, en Thomam, qui Geminus dicitur. Si Leonem, vide Lucam. Si Bouem, reſpice Marcum. Si Arietem, en afferunt Domino filios Arietum. Si ſagittarium, ecce, *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.* Si Piſces, quis enarrabit quot piſces piſcatus eſt Petrus? Si Lyram, en Paulum. Si Cancrum, en Principẽ Apoſtolorum, in quo duplici greſſu ambulauit Sol, nam & Iudæos & Gentiles traxit. Si Crucis figuram petis, en Andream in Cruce exaltatum. Si Perſeum, en Magi ex Perſide, duce Stella, veniunt ad Solem. Si Heſperum, en eos, qui circa horam vndecimam exorti ſunt. Si ſeptem Stellas Plæiades, en Diaconos ſeptẽ. Si Stellas vis hiemales, en Martyres, qui illuxerunt in media hieme idolatriæ. Si vis videre Stellas triſtes, Beati qui lugent. Si lætas, & alacres, aſpicè in voce exultationis & confeſsionis diem feſtum cælebrantes. Si ſolitarias, Sedebit ſolitarius & tacebat. Si choreas ducentes, atque coronas, audi dicentes, Ecce quàm bonum, & quã iucundum habitare fratres in vnũ. Si vis geminas & coniugatas, en animam & corpus iugum Chriſti trahentes. Si vis diſcernere inter iuſtos differentiam illam, quæ eſt inter Stellas, en illam tibi Paulus demonſtrat, dicens, Stella enim a Stella differt, ita & Sancti in gloria: & de his Stellis varijs canit Pſaltes, Qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat, hoc eſt, vt concludit Sinaita, Ex ijs, alios quidem vocat ſeruos, alios autem mercenarios, alios vero operarios, alios autem amicos, alios autem patres. Nam ſi de corporeis Stellis hoc intellexeris, non inuenies, qui eas fecit Deum, vnicuique proprium impoſuiſſe nomen, præter commune: poſtea enim hominum ſapientia, aliam quidem vocauit Sagittarium: aliam vero Dociam, aliam verò Preſtera, aliam Tiponem, aliam Lampadiam, aliam Pogoniam, & aliam aliter appellauit.

Pſal. 126. 4.

7 De his Eccleſiæ Stellis intelliges & quod in octauo Pſalmo dictum eſt ad Chriſtum, *Lunam & Stellas, quæ tu fundaſti.* Quòd ſi cum eodem Anaſtaſio petas, *Cur*

Pſal. 8. 4.

Anaſt. ibid

Idem ibid. *non dixit & Solem?* Responde cum eodem, *Quoniam vera & certa Christi figura est Sol: Christus autem non fuit fundatus, nec stetit in firmamento Cæli, sed supra Cælos in Throno Cherubico*: nam de ipso
Psal. 8. 2. dictus est totus Psalmus, *Quoniam eleuata est magnificentia tua super Cælos.*

8 Sed rursus petit idem Sinaita, si Deus statuit in sæculum sæculi vt essent Cæli, & Sol, & Luna, & Stellæ, quomodo rursus dicit, per
Idem ibid. eumdem Prophetam, *Cæli peribūt*: & ipsemet Christus asserit, *Cælum, & terra transibunt*? Respondet ipse & benè, *Quòd transibunt tamquàm figura, firmum autem Cælum fidei non transibit: & Cælum, quod cernitur, extinguetur tamquàm figura. Sol autem nempe Christus, quē Sol præfigurauit, is manet in sæculū sæculi. Similiter etiam typica Luna peribit, vera autem Luna Ecclesia, quam prius prædicauit & annunciauit natura, non veterascet. Et Sancta Stella, nempe ratione præditi chori Sanctorum æterni permanent: horum autem figura, nempe Stellæ temporales, cadent tamquàm folia, quando Iusti fulgebunt vt Sol.*

9 Damnabilis quidem fuit Gētilium error, qui mortuos Heroes in Stellas transformari, & in astra conuerti, errore decepti, ausi sunt affirmare: at qui ad Iustos voluerit hoc transferre, non erit insipiens, Iusti enim, etsi vulnerati, etsi contriti, etsi mortui pro Christi fide, in mysticas transformantur Stellas, & in gloriam illorum
Ps. 146. 3. canitur, *Qui sanat contritos corde & alligat contritiones eorum: qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Vbi connexio vulneratorum & contritorum cum numero Stellarum & nominibus earum, quasi causæ ponuntur & effectus. Beati enim, qui hic conteruntur pro Christo, vel martyrium patiuntur & mortem, vel per veram poenitentiam peccatorum contritiones alligant, illi & plenè sanantur, & in Stellas mutantur, & ex illis vel cicatrices præteritæ disparent, vel si in eis apparent, splendent gloriosæ: non enim vulneratos numerat, sed eos numerat, qui in Stellas sūt commutati. Non est mea interpretatio, sed Hieronymi, dicentis,
Numerat multitudinem Stellarum quādo sanat contritos corde & alligat contritiones eorum: illos qui ante contriti fuerant, & postea sanati, vertit in Stellas. Multi enim fuerūt, qui peccauerant, multi sunt qui curati sunt: qui numerat multitudinē Stellarum, non numerat vulneratos, sed eos numerat, qui iam in Stellas versi sunt, non numerat Deus, nisi qui numero eius digni sunt. Hieronym. in ps. 146.

10 O metamorphoses oppositas! O salutares mutationes! Vbi enim impij mutantur in belluas, Iusti conuertuntur in Stellas. Ecclesiastes æqualem proferens sententiam de mortalibus, & de eis asserens, *Nihil habet homo iumento amplius, & omnia pergunt ad vnum locum*: maximam excitauit quæstionem. Quomodo enim homo diuinam imaginem gerens, ratione prǽditus, & animam habens immortalem, dici potest Nihil habere iumento ampliùs, cùm iumentorum corpus & anima eodem ictu falcis perimantur? Scio Pagninum & Montanum, *Hoc intelligere tantum de morte corporis, quia sicut moritur hominum corpus, sic moritur & iumentorum.* Scio, Caietanū existimasse, explicari cōuenientiam in communibus euētibus inter homines, & pecudes. Vt enim Augustinus docet, *Commune habemus cum bestijs gigni, nutriri alimento corporeo, viuere ad tempus, crescere, ante exitum miseras matres onerare, in exitu more viperarum easdem lacerare, sentire, moueri, videre, & cetera, quæ sequūtur ex communibus sensibus.* Et scio Nyssenum agnoscere, *Affectiones communes, vt irasci, timere, odisse, amare & cetera.* Sed cōmunior est interpretatio, Hieronymi, Thaumaturgi, Olympiodori, & aliorum; *Quòd de morte loquatur hominum & iumentorum, Pallida enim more æquo pulsat pede pauperum tabernas, regum turres, & bel-*

Eccle. 3. 19.

Pagnin. & Mont. hic.

Caiet. hic.

Aug. lib. de lib. arbit. c. 8.

Nyssen. lib. de mundi opific. c. 8.

Hieronym. Thaumat. Olympiod. in c. 3. Eccle.

belluarum cauernas. Chaldæus autem apertius distinxit inter mortem & mortem, dicens, *Et ecce, quemadmodum moritur iumentum, sic moritur & is, qui non conuertitur ad pœnitentiam ante mortem suam.* Quasi dicat, Peccatores nil habere iumento amplius, quia tã iumentum, quàm ipsi morti subiacent, & multo peius ipsi, quam iumenta, nam, Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos æterno tempore: & vbi in iudicio apparebunt comparati iumentis insipientibus a sinistris, videbunt Iustos similes Stellis a dextris Solis iustitiæ, de quo prædixerat Ecclesiastes, *Tempus omnis rei tunc erit.* Et ex his, quæ Olympiodorus asserebat, *Describitur vniuersalis Iudicij tempus, cum personarum distinctione, de qua prædixerat, Vidi sub Sole locum iudicij, impios: & locum Iusti, & ibi pius.* Ita Olympiodorus legit, & ita sententiãm expendit. *Vidi sub iustitia Sole Dominũ Iesum Christum, qui scilicet venturus est iudicare viuos & mortuos. Vidi, inquam, locum impij a sinistris, videlicet, constitutum: & Iusti, item, vidi locũ, qui est a dextris eius: & dixi in corde meo, quòd Deus omnes ad iudicium conuocabit, pro dignitate vnicuique distribuens: illud tempus definiens ac decernens, in quo nostra omnis actio & operatio districto examine perpendetur.* O varios situs! O sortes toto cælo diuersas! Tũc, tunc clare patebit quali interuallo ab homine distet iumentum, quanto discrimine a Iusto separetur iniustus, & tunc dicetur, *Conuertimini, & videbitis quid sit inter Iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.*

Chaldæus.

Ecclef. 3. 17

Eccle. 3. 16. ex Olymp. in enar. cap. 3. super Ecclesiasten Salomonis.

Malachiæ 3. 18.



CIRCVLVS IV.

Noscet Dominus Iustos ad dexteram collocatos, non autem iniustos in sinistra locandos.

11 LAurentius Episcopus Nouariensis, non minus curiosum, quàm vtile proposuit dubium circa verba iam latæ a Domino legis, Si *oculus tuus dexter scandalizat te, abscinde eum & proijce abs te.* Inquit, enim, *Quid iubet exuere, oculum, an peccatum? Nam si per cuncta peccata, vel scandala, non animi cupiditas reprimenda est, sed effodiendus oculus, quia vidit? nullus iam habiturus oculos est, quia non est inter mortales qui non concupiscit, aut scandalizatur, aut peccat.* Respondet autem, & benè, *Ideò dictum esse, si oculus tuus dexter te scandalizat, quia omne quod bonum est, dextrum dicitur: similiter malum, appellatur sinistrum. Et est pars dextra, & est pars sinistra. Dextra suos retinet probatos, sinistra suos æque reprobatos. Ad dexteros, quid dicit Christus? Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab origine mundi. Quid ad sinistros? Discedite a me maledicti in ignem æternum. Vides quanta dissensio est in sinistros & dextros? Quid igitur, si oculus tuus dexter scandalizat? Disce quid est, quod quando committis peccatum, oculo tibi ministrante, dulce tibi & dextrum videtur. Et dextrum hoc, tunc corrigitur in sinistrum, quando residente Domino, & discutiente peccata, caperis inter multos alios & ipse audire, Discedite a me maledicti peccatores iniusti in ignem æternum.*

Matt. 5. 30.

Laur. Episc. hom. de pæ. nit. ex Bibl. Parisiensi 1579. tom. 9. col. 1546. c.

12 Ad hanc ergo sinistram euitandam, & dextram obtinendam, meritò, ne dum externa bona sunt relinquenda, sed etiam membra corporis abscindenda. Sed quo-

modo abſcindenda? Idem Laurẽtius Epiſcopus docet modum, vt non oculus, manus, vel pes dexter abſcindatur: ſed vt concupiſcentiã animi, quæ a dextra Iudicis te expellit, præcidas. Sic enim præcipit, *Scandalizauit te oculus, ſubripuit, deliquid, per viſum te implicauit? erue eum. Quid iubet eruere, oculum, an peccatum? Numquid oculus peccauit, quia vidit, an magis animus deliquit, quia concupiuit? Noli oculum inculpare quia cernit, ſed inculpa quę cernit, ſed inculpa tibi ipſi, quia concupiſti. Erue, non oculum de capite, ſed errorem de corde euelle, non aſpectum corporeũ, ſed concupiſcentiæ crimen: non eſt iuſſum oculum delere, ſed crimen euellere. Dexter fuit oculus, quando tibi obduxit ſcandalum, hoc eſt quod dicit, quando te inquinauit & polluit: ſed erue eum contraria fortitudine. Noli te vulnerare, ſed ad vincendum te pracinge. Bſio armiger pœnitentia, & protinus euertes peccatum. Dulce fuit vitium, cùm delectauit animam, ſed fiat tibi nunc dulcior pœnitudo, quæ non ſolum delectet, verùm etiam nutriat animam. Concupiſti malum, vicit te cupiditas, perpetraſti nephas. Erit animis tuis dexter oculus, id eſt, dulcedo peccati. Erue oculum iſtum ſiniſtro conſpectu conſertum, qui te non illuminat, ſed contenebrat, & de dextero transfert te in ſiniſtrum.* Proh nephas! Vnico oculi ictu, momentaneo cordis affectu, hominem a dextera in ſiniſtram detrudi, & a ſummo Cælo ad profundum intrudi: ſed oculum crue, affectum euelle, pænitentiã age, & a ſiniſtra, a profundo, ad dexteram pertrãſibis, tranſibis in Cælum.

Idem ibid.

13. Doctrina hæc Epiſcopi Nouarum ex his illuſtrari poteſt, quæ Origenes docet. Diſtinguit Adamantius in eodem homine duos homines, internum ſcilicet, atque externum: Spiritus, & carnis, & aſſerit, quòd niſi hic deſtuatur, ille non reſurgit. *Eſt oculus corporis, quo terrena iſta conſpicimus, oculus ſecundum ſenſum carnis, de quo Scriptura dicit, Fruſtra incedis inflatus ſenſu carnis. Cui habemus alium contrarium meliorem, & diuina ſapientiæ, qui quia cæcus in nobis erat, venit Ieſus, vt faceret eum videre, vt qui non videbant, viderent: qui autem videbant, cæci fierent. Iuxta hunc ergo ſenſum, & hoc quod nunc habemus in manibus, eſt intelligendum, Ecce iſte poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael. Habeo aliquid in me, quod male ſtat, & peccati ſuperbia ſe erigit: hoc cadat, hoc ſubruatur. Quod ſi ceciderit, quod ante ruerat, ſurgens ſtabit. Interior homo meus quondam iacebat eliſus, & exterior ſtabat erectus. Antequam crederem in Ieſum, bonum in me iacebat, malum ſtabat. Poſtquam ille venit, tunc quod in malum me fuit, corruit, & expletum eſt illud, Semper mortificationem Ieſu in corpore circumferentes: & illud, Mortificate membra veſtra ſuper terram fornicationem, immunditiam, luxuriam, idololatriam, veneficia, & cetera. Horum omnium vilis ruina facta eſt.*

Orig. hom. 17. in cap. 2. Lucæ.

14 Clarius autem idem Origenes explicat hanc ſenſuum & mẽbrorum, ſiue duplicitatem, ſiue differentiam, conſtituens in vno eademque homine duos homines, eoſque magis diuerſos, quàm lux a tenebris, & a nocte dies. Alter.n. dicitur Exterior, Interior alter. Vnus ſecundũ carnem, alter ſecundum Spiritum: vnus de limo terræ, ad Dei imaginem alter: inter quos datur amicum commercium, quo, modo ab exteriori ad interiorem tranſitus fit, modo ab interiori ad exteriorem: vnde interiori oculo circumciſo, exteriorem erui conſequens eſt. Sed ipsũ audiamus, *Quoniam frequens eſt Apoſtoli iſte tractatus, quo per ſingula quaque, binos homines eſſe deſignat, quorum alterum exteriorem nominare, alterum interiorem ſolet: eorũque alterum ſecundum carnem eſſe, alterum ſecundum Spiritum dicit: opinor ex illis inſtitutis, quę in Geneſi ſcripta ſunt, vbi alius ad imaginem Dei factus, alius de limo terra factus refertur: & hos ipſos nunc*

Idem lib. 3. in epiſt. ad Romanos.

alium

alium in manifesto, alium in occulto Iudaum vocat. Sciendum est, quod horum vterque in quibusdam dissonis, in nonnullis verò communibus vtitur institutis. Nam sunt quadam qua ab interiore homine initium sumunt, & vsque ad exteriorem perueniunt. Alia verò ab exteriore homine incboata, perueniunt vsque ad interiorem. Quod autem dico tale est. Si castitas ab interiore homine sumat exordium, peruenit vsque ad exteriorem. Neque enim fieri potest, vt si ante quis non mochetur in corde, mochari possit in corpore: Sed non continuò si quis ab exterioris hominis incipiat castitate, peruenit etiam ad interiorem continentiam seruandam. Hac ergo circumcisio interioris hominis allegoricis legibus intelligatur, cùm iam neque ille concupiscit in corde, neque exterior iste concupiscentiam ministrat in corpore: vt circumcisus dicatur in carne ille, quem Apostolus dicit iam non esse in carne, sed in spiritu, & qui actus carnis per spiritum mortificat.

15 Sed esto, quòd de interno oculo præceptum iam præmonstratum intelligatur, quis non videt difficile, immo impossibile proponi, vt internum quis sibi oculum eruat? Hanc impossibilitatem his verbis explicat idem Nouarũ Episcopus, *Sed dices, malum hoc quod hoc asseris à me extirpandum, oculus iste nefandus, intus est: non videtur in pectore, habetur in corde conscientia fixus. Quali arte valebo eum eruere, qui nec manu contingi potest, nec digito erui aut euelli?* Subdit autem ipsemet modum, & artem pandit, vnde impossibile, possibile euadat & fiat, dicens, *Vis ostendam tibi manum, & digitum, & artem, qua possit euelli? Quando percussisti pugnis humilem, induxisti in te peccati oculum. Quando porrexisti manum tuam ad subleuandũ humilem, ad satiandum inopem: eruisti de corde tuo oculum nequitia, qui te scandalizauit. Vides quali manu, digitoque, & arte, noxius ille euellitur oculus, qui te de dextero dirigit in sinistrum? Dulcia sunt vitia dum in actu sunt, sed fiunt protinus amara post actum, Mel, inquit, stillat ex labijs meretricis: & hoc dulce, ad tēpus quidem vngit gulam, impinguat fauces: nouissime verò conuertitur in amaritudinem fellis: & quod fuit dulce ad tempus, fit amarum in fine. Festina igitur, & ne tardus existas ad corrigendum te de sinistro in dextrum. Cecidisti per oculum? contaminauit te aspectu suo? Abluat te aqua sua. Induxit in te laqueum? Eruat te de laqueo. Habes enim in te magnum lacrymarum auxilium. Impulit te obscanis sordescere actibus, turpique mucrone caput abscidit, id est, auaritia, aut libidine? Age tu, exurge te cōtra talem oculum, erige te contra aspectum tuum, agita venas cordis tui, qua tendunt ad oculum.*

Laur. Epis. Nou. hom. de pænit.

Idem ibid.

16 Statutum ciuile est, vt in loco, in quo perpetratũ crimē est, pæna luatur: si ergo oculus fuit locus, in quo deliquit homo, in oculo luatur & pæna, oculisque dicatur, Oculi flete, & comitamini cor, quod pro vestris excessibus, sustinet pænas. Sic cum oculo vt loquaris, te Laurentius docet, *Dic illi, Ocule, ad te recurro, tibi imputo. Exue quod implicasti: Tu me vulnerasti, tu me sana: tu me polluisti, tu me purifica: ablue, quod inquinasti: erige, quod elisisti: corrige, quod euertisti: absolue, quod per scandalum obligasti. Tu vidisti, ego concupiui: tu inspexisti, & ego peccaui. Vidisti aurum, vidisti possessiones aliorum, & pradia, cęcauit ambitio, capi velle quod meum non erat, capi auferre aut argumento inuadere aliena. Tali me scandalo obcacasti. Quid dicā de feminea specie, quantùm intuendo eam collapsa est anima? Effeminata sunt viscera, & quasi concupiscentia sagitta percussus, de quodam pracipitio corruit. Da modo liquorem tuum, & dele peccatum meum. Irriga me imbribus tuis, deriuent aqua tua, & obruant crimina mea. Hac loquere cum oculo tuo, qui te scandalizauit.*

Idem ibid.

17 O miram diuinæ pietatis institutionem! En ex eadem vena, vnde oritur culpa, voluit vt egrederetur & medicina: vnde venenum nascitur, & antidotum deri-

uc

uetur, vt quem oculus fœdauit cõcupiſcendo, oculus purget & flendo. Hinc idem Epiſcopus & malũ & remedium ex oculis deriuatum ſic demonſtrat, *Punge venam cordis tui pœnitentiæ ſtimulis, & de imo corde, atque de intima mente, educas aquam viuam in capite profluentem. Fiat caput tuum fons remiſſionis, & fluuius indulgentiæ: & exinde non ſolùm per dextrum oculum, ſed & per ſiniſtrum gemini riui corruant, fluantque tibi ambo oculi pariter ſanitatis rorem, ac indulgentiæ imbrem*. Vult enim indulgentiſſimus cognitor, vt fletus purget, quod viſus polluit: & quod fœdauit cupiditas, reformet compunctio: vt eruas de corde peſtiferum oculum, plangens & ingemiſcens & dolens. Sicut dolens Ieremias Propheta, cùm populum plangeret tranſmigrantem, ſic dicebat, *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis mei fontem lacrymarum? Et ille quidem populum deplorauit captiuum: Tu autem ingemiſce pro anima, quam cupiditas violauit, & oculus dexter fecit degenerem. Sic eruendus eſt oculus, ſic abſcindenda eſt manus; vel noxia membra.* Nam *vbi auaritia, ibi manus dextra, dentibus venenantis armata, vt percutiat, vt affligat, vt auferat aliena. Vbi libido, ibi dexter oculus noxio aſpectu armatus, qui modicum delectat, & multum nocet. Qui viderit, inquit, mulierem, ad concupiſcendum, iam adulterauit eam in corde ſuo. Vidit oculus, concupiuit caro, peccauit anima. Fleuit iterum oculus, abluta eſt caro, abſoluta eſt anima.*

Idem ibid.

Ierem. 9. 1.

Abſoluta & tandem eſt, fauente DEO, & VIRGINE adiuuante, tam Partis Orientalis ac Occidentalis, quàm Cæli Dauidici in Primum Pſalmum omnis Verſio.

FINIS.

TABVLA PRIMA
EX SACRA SCRIPTVRA.

Vbi Præf. significat Præfationem: Præp. Præparationem: Cor. ſt. Coronam Stelliferam: Verſ. Verſiones. Et in Verſionibus primus numerus affixus, Verſionis nnmerus eſt: ſecundus autem eiuſdem verſionis denotat varios numeros. Fol. paginæ numerum notat, & numerus additus, marginalem demonſtrat.



Ex Geneſi.

Ex

Ex quarto Regum.

Ex libro Esther.

Ex libro Iob.

27. 25. *Aedificauit sicut tinea domum suam. uers.67.3*
Iob 28. 15. *Nescit homo pretiū eius. uers. 26.n.2. & uers.37.10.*
28. 18. *Trahitur sapientia de occultis. uers.27. 8.*
Iob 31. 18. *Ab infantia mea creuit mecū miseratio, & de utero &c. uers.43.21.*
31.19. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, &c. vers.9.6.*
31.24. *Si putaui aurū robur meum. vers. 63.1.*
Iob 35.10. *Dedit carmina in nocte. vers. 32.11.*
Iob 37.3. *Lumen illius super terminos terræ. cor. stell. 262.*
Iob 38.7. *Cum me laudarent astra matutina. in præfat. n.13.*
Iob 38. 15. *Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul. vers. 12. n. 3.*
38.36. *Quis dedit gallo intelligentiam? cor. stell. nu.160.*
Iob 41.2. *Quis antè dedit mihi, & retribuam ei? vers 44. 25.*
41.14. *Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. cor. stellis. nu. 235.*
41.21. *Sub eo erunt radij Solis. vers. 41.15.*

Ex Libro Psalmorum.

Psalm.1.1. *Beatus vir. vers.7.1.*
Ps.1.6. *Iter impiorum peribit. vers. 42, n. 1.*
Ps.2.7. *Hodie genui te, &c. & dabo tibi gentes hereditatem tuam. vers.22.10.*
Ps.4.7. *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? signatum est &c. vers.5.n.6. & vers.39.n.3. & vers.65.n.9.*
Ps.5.11. *Sepulchrum patēs est guttur eorū. vers.23.n.13.*
Ps.6. 3. *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum, &c. vers.45.13.*
Ps. 6. 6. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui &c. vers.65.3.*
Ps.6. 7. *Lachrymis meis stratum meum rigabo. vers.38. nu.8.*
Ps.7.10. *Consumetur nequitia peccatorū, & diriges iustum. vers.15.7.*
Ps.7.12. *Deus iudex iustus, fortis, & patiens, &c. vers.68. n.3.*
Ps.8.2. *Eleuata est magnificentia tua super cælos. vers.83.7.*
Ps.8.4. *Quoniam videbo Cælos tuos, Lunā & stellas, quæ tu fundasti. vers.83 6.*
Ps.9.1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo. cor. st. n.63.*
Ps.9.26. *Polluuntur viæ eius in omni tempore. vers.14.7.*
Ps.9.32. *Insidiatur, vt rapiat pauperem, vers.23. 12.*
Ps.10. 1. *Transmigra in montem sicut passer. vers.63. 5.*
Ps.10.7. *Palpebræ eius interrogant filios hominum, cor. st. n.267. fol.144.*
Ps.10.7. *Dominus interrogat iustum, & impium, &c. pluet super peccatores &c. cor. st.197. & vers.62. nu.4.*
Ps.13.1. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. vers.12.2. & 75. 3.*
Ps.13.2. *Dominus de Cælo prospexit super filios hominum, &c. vers. 62. nu.12. & 13.*
Ps.13.3. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, &c. cor. st.193. f.104.*
Ps.15. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerūt. vers.65.4*
Ps.16.5. *Perfice gressus meos, vt non moueantur vestigia mea. vers.31.8*
Ps.17.28. *Cum sancto sanctus eris, & cū viro innocente innocens eris, &c. vers. 14.4.*
Ps. 18.1. *Cæli enarrant gloriam Dei, &c. vers.6.n.4. & vers.32.2.*
Ps.18.6. *In sole posuit tabernaculum suū: & ipse tamquam sponsus, &c. vers.43 n.16.*
Ps.18.13. *Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce seruo tuo. vers.18.10.*
Ps.21.10. *In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus. vers.3.n.9.*
Ps.22.1. *Dominus regit me, &c. vers.81. num.5. & 6.*

spectu tuo. uers. 41. 3

Ps. 56. 1. *Paratum cor meum Deus: paratum cor meum. uers.* 32. 18

Ps. 57. 4. *Alienati sunt peccatores ab utero &c. cor. st.* 166.

Ps. 58. 12. *Ne occidas eos: ne quando obliuiscantur populi mei. cor. stel.* 176.

Ps. 61. 11. *Rapinas nolite concupiscere. vers.* 23. 14

Ps. 63. 6. *Sagittæ paruulorum facta sunt plagæ eorum. vers.* 66. *n.* 12.

Ps. 64. 4. *Verba iniquorum praualuerūt super nos. vers.* 18. 9.

Ps. 67. 7. *Qui educit vinctos in fortitudine. uers.* 23. 12.

Ps. 67. 37. *Qui ascendit super cęlum cæli. vers* 75. 15

Ps. 68. 2. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. cor. st. n.* 182.

Ps. 69. 4. *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge, ver.* 10. 3.

Ps. 72. 5. *In labore hominum non sunt. etc. cor. stell. n.* 107.

Ps. 72. 9. *Posuerunt in Cælum os suum, etc. vers.* 49. 2.

Ps. 72. 18. *Deiecisti eos, dum alleuarentur, cor. st. n.* 177. & 184. & *vers.* 47. *n.* 4.

Ps. 72. 19. *Quomodo facti sunt in desolationem? etc. cor. st. n.* 184.

Ps. 73. 12. *Operatus est salutem in medio terræ, vers.* 37. *n.* 6.

Ps. 74. 3. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo. vers.* 61, 12.

Ps. 74. 9. *Verumtamen fex eius non est exinanita, &c. vers.* 68. 5

Ps. 77. 6. *Viri diuitiarum, &c. vers.* 63. 2.

Ps. 75. 11. *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. uers.* 41. 15.

Ps. 76. 3. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, &c. uers.* 56. 4.

Ps. 76. 7. *Et meditatus sum nocte cum corde meo. vers.* 33. *nu.* 3.

Ps. 77. 25. *Panem* Angelorum *manducauit homo, uers.* 44. 13. 22. & 23

Ps. 79. 2. *Qui sedes super Cherubim. uers.* 36. 7.

ps. 76. 6. *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura. uers.* 41. *n.* 13.

ps. 80. 11. *Dilata os tuū, et adimplebo illud uers.* 44. *n* 14. *et* 15.

psal. 82. 13. *Deus meus pone illos ut rotā. uers.* 66. 2.

ps. 83. 6. *Beatus uir, cuius est auxilium abs te. uers.* 33. 6.

ps. 83. 7. *Ibunt de uirtute in uirtutem. uer.* 2. 8.

Ps. 83. 8. *Etenim benedictionem dabit legislator. uers.* 31. *nu.* 6.

Ps. 84. 1. *Benedixisti Domine terram tuam. uers.* 43. 2.

Ps. 84. 13. *Terra nostra dabit fructum suum uers.* 43. *n.* 2.

Ps. 88. 12. *Quoniam gloria uirtutis eorū tu es. uers.* 6. *n.* 6.

Ps. 88. 17. *Beatus populus qui scit iubilationem, uers.* 31. 10. *Et in lumine uultus tui ambulabunt. ibid.*

Ps. 89. 11. *Quis nouit potestatem iræ tuæ? & præ timore tuo, &c. uers.* 68. 2

Ps. 90. 1. *Qui babitat in adiutorio Altissimi, &c. uers.* 47. 12.

ps. 90. 3. *Quoniam ipse liberauit me de laqueo uenantium, uers.* 18. 2. *et cor. stel.* 229.

Ps. 90. 7. *Cadent à latere tuo mille, etc. uers.* 78. 1.

Ps. 90. 15. *Cum ipso sum in tribulatione, uers.* 58. 10.

Ps. 91. 21. *Iustus ut palma florebit. uers.* 52. 3.

Ps. 94. 2. *Præoccupemus faciem eius in confessione, etc. cor. st. nu.* 201. *et vers.* 68. 5.

Ps. 95. 10. *Correxit orbem terræ, qui non commouebitur. vers.* 59. 4

Ps. 101. *Filij seruorum tuorum habitabūt uers.* 42. *n.* 4. *et uers.* 61. *n.* 1.

Ps. 102. 5. *Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua, uers.* 9. 2.

Ps. 102. 18. *Potentes uirtute, qui facitis uerbum eius. uers.* 46. 1.

Ps. 108. 18. *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. uers.* 15. 3

Ps. 111. 1. *Beatus uir qui timet Dominū, in mandatis eius cupit nimis, uers.* 26. 4.

Ps. 113.

Pro-

Prouerbiorum.

PRouerb.1.2. Vt eruaris à via mala: ab homine, qui peruersè loquitur. cor.ſt.26.

Prou.1.8. Audi fili mi diſciplinam Patris tui: & ne dimittas legẽ matris tuæ, &c. verſ.57.6.

Prou.1.9. Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. verſ. 34. 12. & 13. & verſ.42.8.

Prou.1. 10. Fili, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. &c. verſ. 10. 3.

Prou.1.15. Probibe pedem tuum a ſemitis eorum. ibid.n.10.

Prou.1.17. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. verſ.51.n.1.

Prou.2.14 lætantur cũ male fecerint, &c. cor.ſt.25.

Prou.3.18. Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, corona ſtell. num. 100.

Prou.4. 8. Arripe illam, & exaltabit te, cor.ſt.n.3.

Prou.4.14. Ne Delecteris in ſemitis impiorum: nec tibi placeat malorum via, verſ.31.3.

Prou. 4. 18. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendeſcens. cor. ſt. 143. procedit & creſcit. ibid. & verſ.17.1.

Prouerb. 4. 19. Via peccatorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant. ibid.

Prou 4.27. Vias, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus: peruerſæ autem quæ ſunt à ſiniſtris ſunt, verſ.78.7.

Prou.5.9. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. verſ. 9.3.

Prou. 5. 22. Funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. ver. 142.

Prou. 6. 6. Vade ad formicam ò piger, & docebit te. verſ. 31. 8. & verſ.48. 22.

Prou.6. 9. Vade ad apem, & diſce quomodo ſit operoſa. cor.ſt.57. & verſ.61. 17.

Prou.6.23. Et lex lux. &c. verſ.24. 2. & verſ.36. 6.

Prou.7.3. Liga eam in digitis tuis: ſcribe eam in tabulis cordis tui. verſ.30. 7.

Prouer. 8. 20. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij &c. cor. ſt. 257.

Prou. 8. 30. Ludens in orbe terrarum. verſ.21.9.

Prou.8.31. Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. verſ.31.1

Prou.8.35. Qui me inuenerit inueniet vitam &c. verſ.28.11.12. & 13.

Prou.9.8. Longe fac ab ea viam tuam: & ne appropinques foribus eius. verſ. 9. 3.

Prou.10. 7. Memoria iuſti cũ laudibus. verſ.6.5.

Prou.10.10. Stultus labijs verberabitur. verſ.74. 15.

Prou.11.13. Qui ambulat fraudulenter, reuelat ſecretum: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum. verſ.21.2.

Prou.11.22. Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua. cor. ſtel. 16.

Prou.11. 30. Fructus iuſti lignum vitæ. cor.ſt.160.

Prou.12.12. Deſiderium impij nutrimẽtum eſt peſſimum. verſ.46.n.41.

Prou. 12. 21. Non contriſtabit iuſtum, quidquid acciderit ei. &c. cor. ſt. 203. & verſ.32.2.

Prou.13.4. Vult, & non vult piger, &c. verſ.81.8.

Prou.13.7. Eſt quaſi diues, cùm nihil habeat: & eſt quaſi pauper cùm in multis diuitijs ſit. cor.ſt.258

Prou.13.11. Subſtantia feſtinata minuetur. cor.ſt.167

Prou.14.12. Eſt via quæ videtur homini iuſta: nouiſſima autem illius ducunt ad mortem. verſ.80.2.

Prou.14.17. Via vitæ cuſtodienti diſciplinam. verſ.8.2.

Prou.14.18. Expectabunt aſtuti ſcientiã. verſ.34.14.

Prou.14.19. Iacebunt mali antè bonos: & impij ante portas iuſtorum. verſ. 69.

10.& 75.4.& 5.

*Prou.*16.27.*In labijs illius ignis exardescet.vers.*21.2.

*Prou.*16.33.*Sortes mittuntur in sinum &c.cor.st.*256.

*Prou.*17.22.*Animus gaudens ætatem floridam facit.vers.*45.4.

*Prou.*18.3.*Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnet. vers.* 15.6.& *vers.*66.1.

*Prou.*18.4.*Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ.vers.* 1.n.6.

Prou. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini.&c.cor.st.*263.

*Prou.*20 6.*Virum fidelem quis inueniet? vers.*8 .3.

*Prou.*22.6.*Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea vers.* 25.21.

*Prou.*22.13.*Dicit piger,Leo est foris,in medio platearum occidendus sum. cor. st.*246.

*Prou.*23. 31. *Ne intuearis vinum cum flauescit, ingreditur blandè &c. vers.* 10.3.& *vers.*23.7.

Prou. 23. 33. *Oculi tui videbunt extraneas: & cor tuum loquetur peruersa. vers.*9.7.

*Prou.*24.7. *Excelsa est stulto sapientia, in porta non aperiet os suum. cor. stel.* 195.

*Prou.*24.16.*Septies in die cadit iustus, & resurget.vers.*2. 1. & *vers.* 51. 9. & 53.4.& *ex Hebr.cadet, & germinabit.vers.ead.n.*10. & *vers.* 65. *nu.* 3.

*Prouer.*26.15. *Abscondit piger manum suam sub ascella, & laborat si ad os conuertat illam. fol.* 21. *num.* 14. *cor. stelliferæ.*

Prou. 30. 15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes affer, affer: Sept. sanguisugæ filiæ tres.vers.*13.10.

Prou. 30.19. *Viam viri in adolescentia sua.vers.*15.1

*Prou.*30.28.*Stellio manibus nititur, & moratur.&c.vers.*59.10.

Prou. 30. 31. *Gallus succinctus lumbos suos.cor.st.* 160

*Prou.*31.10. *Mulierem fortem quis inueniet?&c.vers.*7 4.

*Prouer.*31. 18.*Gustauit & vidit quoniã bona est negotiatio eius. vers.* 44. *n.* 8.

*Prou.*31.19. *Manum suam misit ad fortia,&c.vers* 46.6.

*Prou.*31.29. *Multæ filiæ congregauerũt diuitias: tu supergressa es uniuersas.* 43.4.

*Prou.*31. *Fallax gratia,& vana est pulchritudo,mulier timẽs Deum,&c.vers.* 6.*n.* 6.& *vers.*35.9.

Ecclesiastes.

*Eccle.*1.1.*Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas.vers.*63.1.

*Eccl.*1.7.*Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur,vt iterum fluant. cor. stel.* 138.

*Eccl.*1.12.*Quid est homo, vt possit sequi factorem suum? vers.*62.19.

*Eccl.*1. 13. *Dedi cor meum, ut quærerẽ, & inuestigarem in sapientia de omnibus,quæ facta sunt sub sole.uers.* 55.4.

Eccl. 1.15.*Stultorum infinitus est numerus.vers.*62.9.

*Eccl.*2.2. *Risum reputaui errorem, &c. vers.*45.16.

*Eccl.*3.3.*Tempus destruendi, & tempus ædificandi.cor.st.*264 & 265.

*Eccl.*3.4.*Tẽpus flendi,et tẽpus ridẽdi &c. vers.*45.16.

*Eccl.*3.8. *Tempus tacendi, & tempus loquendi. vers.*77. 5.

*Eccl.*3.19. *Nihil habet homo iumento amplius.vers.*83.10.

*Eccl.*3.27.*Qui amat periculum, peribit in illo.vers.*20.2.

*Eccl.*5.10.*Quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? uers.* 63.9.& 10.

Eccl 5.11.*Dulcis est somnus operanti,siue parum, siue multum comedat. Saturitas diuitis.&c.uer.*13.8. & *uers.* 31. 2.& *uers.*63.3.

Eccl. 8. 5. *Tempus iudicij cognoscit cor*

Sa-

Ex libro Sapientiæ.

terram. verſ.14.3

Sap.7.29.Eſt enim hæc ſpecioſior ſole.etc. verſ.27.3.& verſ.33.3.

Sap.9.9. Mitte ſapiētiam de cælis ſanctis tuis,&c.verſ.25.4.

Sap.10.7.Incerto tempore fructus ferentes arbores.verſ.64.10.

Sap. 10. 10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.&c.verſ.42. 7.

Sap.11.21.Omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti.verſ.62.9.

Sap.11.25.Diligis omnia,& nihil odiſti eorum,quæ feciſti.cor.ſt.249.

Sap.13.1.Vani autem ſunt omnes homines,in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. verſ.12.1.

Sap.14.9.Similiter odio ſunt Deo impius,& impietas eius.cor.ſtel.24.9

Sap.16. 17. Quod enim mirabile erat,in aqua,quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.verſ.39.2.

Sap.18.22.Proferens ſeruitutis ſuæ ſcutū orationem,reſtitit iræ.verſ.49.17.

Sap. 19. 17. Quaſi in Organo, qualitatis,&c.de varijs verſionibus.n.1.

Ex libro Eccleſiaſtici.

Eccli. 1.5.Fons ſapiētiæ verbum Dei in Excelſis. cor. ſt.69.

Eccli.1.16.Initium ſapientiæ timor Domini verſ.60.12.

Eccl.5.5.De propitiato peccato noli eſſe ſine metu .uerſ. 41.3.

Eccl.6. 4. Anima enim nequam diſperdet, qui ſe habet &c.cor.ſt.256.

Eccli.6.18.Fili,à iuuentute tua excipe doctrinam,& vſque ad canos inuenies ſapientiam.verſ.3.7.

Eccl.6.19.Quaſi is,qui arat, & qui ſeminat, accede ad eam,cor.ſt.123.

Eccl.6.20. Exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.verſ.1. 7. & 52.1.

Eccl.6.21.Quaſi Lapidis virtus probatio erit in illis,& non demorabuntur proijcere illam.verſ.4.4.

Eccl.7.3. Noli quærere ab homine ducatum:neque à Rege cathedram honoris. verſ.22.7.

Eccli.9.4. Cum Saltatrice ne aſſiduus fueris.&c.verſ.45. 16.

Eccl.9. 10.Meretrix vt ſtercus in via ab omnibus concu'cabitur.verſ.23.6.

Eccl. 10. 10. Nihil eſt iniquius,quàm amare pecuniam &c.verſ.23.4.

Eccli. 10. 12. Languor prolixus grauat medicum.verſ.16.5

Eccli.13.9.Humiliare Domino,& expecta manus eius.ſol. 35.nu. 51.in cor. ſtell.

Eccli.17.16. Omnia opera eorum velut ſol in conſpectu Dei,&c.verſ.81.1.

Eccl.10.27. Non eſt maior illo, qui timet Deum.verſ.50.1.

Eccl.20.12.Eſt,qui multa redimat modico pretio:& reſtituens ea in ſeptuplum. verſ.2.num.3

Eccl.20.21. Homo Acharis, quaſi fabula vana. cor.ſt.223.

Eccl.22.17. Super plumbum quid grauabitur: & quod illi aliud nomen quàm fatuus? verſ.16.7.

Eccl.22.27. In myſterij reuelatione effugiet amicus.verſ.21.4.

Eccl.23.37.Nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Dei.verſ.27.6.

Eccl.24.18. Quaſi palma exaltata ſum in cades.verſ.43 13.

Eccl.24. 21. Quaſi Libanus non inciſus euaporaui habitationē meam.verſ.38.

Eccl. 24. 23. Flores mei fructus honoris, &c. verſ.43.17.

Eccl.24.26. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.&c.verſ.38.n. 2.

Eccl. 24. 29. Qui edunt me, adhuc eſurient.&c.verſ. 35. 5.

Eccl.24.30. Qui operantur in me, non peccabunt:& qui elucidant me, vitam æternam habebunt.verſ.34.5.

Eccl.24.41.Ego quaſi fluuius Dyorix,& ſicut aquæductus, exiui de paradiſo,&c.verſ.38.6.

Eccl.25.23.Commorari Leoni, & Draconi placebit,quàm habitare cum muliere nequam.verſ.9.6.

Isa. 30. 19. *Ad vocem clamoris tui, statim, vt audierit, respondebit tibi. vers.* 12. 10.

Isa. 30. 20. *Expectat Dominus, &c. cor. st.* 95.

Isa. 30. 31. *A voce Domini pauebit Assur virga percussus, &c. vers.* 16. 3.

Isa. 33. 16. *Panis ei datus est: aqua eius, &c. vers.* 35. 5.

Isa. 34. 4. *Complicabuntur sicut liber Cæli. De varijs. vers.* 2.

Isa. 35. 10. *Lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium, & exultationem obtinebunt. vers.* 6. 1.

Isa. 35. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, &c. vers.* 38. 3.

Isa. 38. 13. *Quasi Leo sic contriuit omnia ossa mea. vers.* 68. 6.

Isa. 40. 2. *Suscepit de manu Domini duplicia. vers.* 62. 2.

Isa. 41. 16. *ventus tollet eos, & turbo disperget illos. cor. st.* 193.

Isa. 42. 14. *Tacui semper, silui, patiens fui. cor. st.* 164.

Isa. 43. 19. *Ecce noua facio omnia. vers.* 42. 4.

Isa. 43. 21. *Populum istum formaui mihi, laudes meas narrabit. vers.* 49. 6.

Isa. 44. 14. *Plantauit pinum, quam pluuia nutriuit. vers.* 43. 11.

Isa. 45. 8. Rorate Cæli desuper. *vers.* 43. 14.

Isa. 45. 15. *Verè tu es Deus absconditus. vers.* 43. 9.

Isa. 48. 9. *Laude mea infrenabo te, ne fertè intereas. vers.* 16. 3.

Isa. 48. 10. *Elegi te in camino paupertatis. vers.* 23. 9.

Isa. 48. 16. *Ego depinxi muros tuos. vers.* 24. 1.

Is. 49. 15. *Nũquid potest obliuisci mulier infantem suum? &c. vers.* 44. 30.

Isa. 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignẽ, accincti flammis, ambulate &c. vers.* 68. 8.

Isa. 51. 21. *Audi paupercula, & ebria non à vino. vers.* 72. 7.

Isa. 53. 8. *Generationem eius quis enarrabit? vers.* 7. 2.

Isa. 55. 4. *Ecce dedi eum præceptorem, ac ducem gentibus. vers.* 24. 9.

Isa. 57. 11. *Ego tacens, & quasi non videns. vers.* 71. 1.

Isa. 58. 3. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra: numquid tale est ieiunium? &c. vers.* 11. 6.

Isa. 58. 9. *Qui desierit extẽdere digitum. cor. st.* 34.

Isa. 58. 11. *Anteibit faciem tuam iustitia tua, &c. uers.* 31. 9.

Isa. 59. 12. *Peccata nostra responderunt nobis, & scelera nostra nobiscum. uers.* 67. 9.

Isa. 60. 16. *Mammilla regum lactaberis. vers.* 10. 4.

Isa. 61. *Induit me vestimentis salutis. vers.* 44. 20.

Is. 62. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini, &c. vers.* 25. 11.

Isa. 64. 5. *Occurristi lætanti, & facienti iustitiam, in vijs tuis recordabuntur tui. vers.* 57. 5.

Isa. 65. 25. *Lupus, & agnus pascentur simul. vers.* 49. 28.

Ex Ieremia Propheta.

I*Erem.* 1. 14. *Ab aquilone pandetur malum. vers.* 15. 6.

Ier. 2. 26. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas? cor. st.* 247.

Ier. 3. 4. *Amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. cor. st.* 6.

Ier. 5. 21. *Audi popule stulte, qui non habes cor. vers.* 12. 9.

Ier. 6. 13. *Cum scorpionibus habitas. vers.* 79. 5.

Ier. 6. 16. *Ambulate in via bona, & inuenietis refrigerium animabus vestris. cor. st.* 18.

Ier. 12. 9. *Numquid auis discolor hereditas mea mihi: numquid auis tincta per totum? vers.* 35. 9.

Ier. 13. 29. *Nõne verba mea quasi ignis, & sicut malleus cõterens petram? vers.* 15. 6.

Ex Daniel Propheta.

D*An.3.50. Angelus Domini descendit in fornacem, & excussit flammam, &c.* uers. 80.8. et seq.

Dan.7.11. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius. vers. 40.9.

Dan.12.3. Fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos. &c. vers. 6.4. & vers. 34.2.

Dan.13.44. Exaudiuit Dominus vocem eius. vers. 49.5.

Dan.13.51. Mentitus es in caput tuum: ecce Angelus Domini scindet te medium. vers. 35.15.

Ex Osea Propheta.

O*Se.1.6. Voca nomen eius absque misericordia.* vers. 68.14. & vers. 81.3.

Ose.1.9. Voca nomen eius non populus. vers. 81.2.

Ose.2.14. Ego lactabo eam, vers. 44.35.

Ose.10.12. Seminate vobis in iustitia: vindemiate in fructu vitæ: illuminate vobis lumen scientiæ. cor. st. 113.

Os.11.3. Ego quasi nutricius Ephrahim, & declinaui ad eos, vt vescerētur. vers. 44.34.

Os.11.7. Populus meus pendebit ad reditum meum. vers. 52.10.

Ose.12.6. Directus est cum Angelo. vers. 37.5.

Os.12.7. Chanaan, in manu eius statera dolosa cor. st. 194.

Os.12.6. Diues effectus sum, nō inueni idolum mihi. vers. 80.3.

Ex Ioele Propheta.

I*Oel.1.5. Expergiscimini ebrij, & flete.* vers. 72.7.

Ioel.2.13. Scindite corda vestra, &c. vers. 45.5.

Ex Amos Propheta.

A*Mos.3.2. Tantūmodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* cor. st. 241.

Amos.5.12. Cognoui multos scelera vestra, & fortia peccata vestra, hostes iusti. vers. 15.5

Amos.6.12. Conuertistis in amaritudinē iudicium, & fructum iustitiæ in absynthium vers. 45.9.

Amos.6.13. Qui lætamini in nihilo. vers. 62.6.

Amos.9.9. Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, &c. cor. st. 270.

Ex Michæa Propheta.

M*Ichæas.2.7. Non ne verba mea recta sunt cum eo, qui rectè graditur, &c.* vers. 34.10.

Mich.2.12. Tumultuabitur à multitudine hominum, &c. cor. st. 146.

Mich.2.13. Ascendet pandens iter ante eos. &c. vers. 11.3.

Mich.3.11. Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant. cor. st. 35.

Mich.7.2. Non est botrus ad comedendū, præcoquas ficus concupiuit anima mea. vers. 45.8.

Mich.7.19. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccata reliquiarum hæreditatis tuæ? vers. 16.3.

Ex Nahum Propheta.

N*Ah.1.3. Nebula puluis pedum eius.* cor. st. 184.

Nah.1.10. Non consurget duplex tribulatio. vers. 62.4. & vers. 71.2.

Nah.3.8. Cuius diuitiæ mare. vers. 13.10.

Ex

Ex Habacuc Propheta.

HAbac.1.14. *Facies homines sicut pisces maris: & cibus eius electus. vers.64.5.*

Habac.3.3. Deus ab austro veniet. vers. 69.1.

Habac.3.7. Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopia: pelles terra Madian. vers. 23.12.

Ex Sophonia Propheta.

SOph.1.14. *Iuxta est dies Domini magnus: iuxta est velox nimis. vers.74.14.*

Soph.2.1. Dies ira dies illa, dies tribulationis, & angustia; &c. vers.74.16.

Ex Aggæo.

AGge.1.9. *Aspexistis ad amplius, & ecce factum est minus. vers. 22.2.*

Agge.2.24. Ponam te sicut signaculum, quia te elegi. vers.19.3.

Ex Zacharia Propheta.

ZAch.3.7. *Si in vijs meis ambulaueris, & custodieris custodiam meam. cor. st. 64.*

Zach.3.9. Et super lapidem vnum, septẽ oculi. vers.51.2.

Zach.5.8. Proiecit eam in media amphora, & misit massam plumbeam in os eius. vers.66.4.

Zach.9.11. Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, vbi nõ erat aqua. vers.40.2.

Zach.9.16. Lapides sancti eleuabuntur super terram. vers.16.6.

Ex Malachia Propheta.

MAlach.3.3. *Et tamquam aurum purgabit eos. vers.26.4.*

Malach.3.14. Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumẽtum? &c. cor. st.12.

Malach.3.16. Scriptus est liber monumenti coram, &c. cor. st.211.

Malac.3.17. Erunt mihi in die, in qua faciam, in peculium. cor. st.270.

Malac.4.1. Ecce dies veniet succensa quasi caminus. cor st.270.

Malac.4.2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitia, & sanitas in pennis eius. cor. st.270.

Ex libro primo Machabæorum.

1. MAchab.6.8. *Incidit in languorem prè tristitia, & arbitratus est se mori. vers.22.5.*

Ex secundo Machabæorum.

2. MAch.7.21. *Fortiter repleta sapientia, & feminea cogitationi masculinum animum inferens. vers. 7.4.*

Ex Euangelio Matthæi.

MAtt.1.7. *Roboam autem genuit Abiam. vers.18.5.*

Matt.2.11. Inuenerunt puerum cum Maria matre eius. vers.22.10.

Matt.3.9. Potens est Deus ex his lapidibus suscitare filios Abraha. vers. 16.6.

Matt.3.12. Emundabit aream suam, & cõgregabit triticum in horreum, paleas autem, &c. vers.64.17.

Matt.4.4. In omni verbo, quod procedit de ore Dei. vers.9.1.

Matt.4.9. Hac omnia tibi dabo, si cadẽs adoraueris me. vers.23.3.

Matt.5.2. Et aperiens os suum docebat eos. vers.27.9.

Matt.5.12. Gaudete, & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in calis. cor. st.143.

Matt.5.15. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bo-

Ex Euangelio Marci.

Ex Euangelio Lucæ.

Ex Euangelio secundum Ioannem.

cens

1. *Ad Cor.* 9. 24. *Omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium. vers.* 20. 9. *& cor. st.* 21. *&* 145.
1. *Ad Corint.* 10. 21. *Non potestis calicē Domini & dæmoniorum. vers.* 44. 19.
1. *Ad Corin.* 11. 19. *Quod si nosmetipsos iudicaremus: non vtiquè indicaremur. cor. st.* 201. *& vers.* 71. 1.
1. *Ad Corin.* 13. 11. *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, &c. vers.* 3. 1.
1. *Ad Cor.* 13. 13. *Nunc autem manent fides, spes, & charitas. vers.* 56. 2. *Maior autem horum est charitas. vers.* 18. 2.
1. *Ad Cor.* 14. 19. *In Ecclesia volo quinque verba in sensu meo loqui. vers.* 49. 11.
1. *Corint.* 15. 10. *Gratia Dei sum id, quod sum, &c. vers.* 42. 7.
1. *Ad Corint.* 15. 42. *Seminatur corpus in corruptione, & resurget in incorruptione. cor. st.* 135.
1. *Ad Corin.* 15. 50. *Sicut portauimus imaginem terreni: portemus & cœlestis. vers.* 79. 4.
1. *Ad Corint.* 15. 52. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. cor. st.* 212.
1. *Ad Corin.* 15. 56. *Stimulus autem peccati mors. vers.* 67. 12.

Ex Epistola secunda ad Corinthios.

2. A*D Corint.* 1. 7. *Si socij passionū estis, eritis & consolationis. vers.* 52. 9.
2. *Ad Corin.* 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium cōscientiæ nostræ. vers.* 59. 20.
2. *Ad Corin.* 3. 18. *Nos autem gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur. vers.* 2. 8. *et vers.* 51. 7.
2. *Ad Corin.* 4. 8. *Pressuram patimur, sed non angustiamur. vers.* 50. 9. *Grat. sed non coarctamur. vers.* 53. 11. 12. *&* 13.
2. *Ad Corin.* 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt recipiat vnusquisque, &c. vers.* 70. 2. *& cor. st.* 210.
2. *Ad Corint.* 6. 7. *in uirtute Dei, per armai ustitiæ à dextris, & a sinistris, &c. uers.* 57. 1.
2. *Ad Cor.* 7. 4. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione. uers.* 8. 9.
2. *Ad Corin.* 8. 9. *Scitis gratiam Iesu Christi Domini nostri: quoniam propter uos egenus factus est, cum esset diues, &c. uers.* 44. 11.
2. *Ad Cor.* 9. 6. *Qui parce seminat, parce & metet. &c. uers.* 61. 6.
2. *Ad Corin.* 12. 9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. uers.* 47. 13.
2. *Ad Corin.* 12. 10. *Cum infirmor, tunc fortior sum. uers.* 75. 17.
2. *Ad Corin.* 12. 18. *Sufficit tibi Paule gratia mea: nam uirtus, &c. cor. stellis.* 106.

Ex Epist. ad Galatas.

A*D Galat.* 2. 20. *Viuo autem, iam non ego: uiuit vero in me Christus. cor. st.* 96.
Ad Galat. 3. 1. *O insensati Galatæ, quis uos fascinauit non obedire ueritati? ante quorum oculos &c. uers.* 59. 8.
Ad Galat. 3. 27. *Quicumque baptizati estis, Christum induistis. uers.* 20. 3.
Ad Galat. 4. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. cor. st.* 158.
Ad Galat. 5. 6. *Fides, quæ per dilectionem operatur. uers.* 42. 1.
Ad Galat. 5. 17. *Caro concupiscit aduersus spiritum. uers.* 64. 12.
Ad Galat. 5. 22. *Fructus autem Spiritus est charitas. vers.* 19. 6. *& cor. st.* 96.
Ad Galat. 6. 1. *Si præoccupatus fuerit ho-*

mo in aliquo delicto,&c.vers. 16. 1.
Ad Galat.6.7. Quæ seminauerit homo, hæc & metet.vers.8.7.
Ad Galat.6.10. Dum tempus habemus operemur bonum.cor.st.133.
Ad Galat.6.16. Quicunque hanc regulã sequuti fuerint, pax super illos. vers. 11.2.

Ex Epistola ad Ephesios.

AD Epes.2.10.Ipsius enim factura sumus, creati in operibus bonis. vers.51.5.
Ad Ephes.2.12.Eratis sine Deo in mundo.vers.12.3.
Ad Eph.3.17.Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.vers.12.8.
Ad Eph.3.17.In Charitate radicati, & fundati,vt possitis comprehendere, &c. vers.36.9.& vers.69. 8.
Ad Eph.5.5.Auarus,quod est idolorum seruitus.vers.13.93.
Ad Ephes.5.14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis.&c. vers. 16.3. & cor.st.214.
Ad Ephes.5.19. Loquentes vobismetipsis in Psalmis,&c.in Præfat.fol.2.nu.6.
Ad Ephes.5.29. Nemo vnquam carnem suam odio habuit.cor.st.3.
Ad Ephes. 6. 1. Filij obedite parentibus vestris in Domino: & patres educate illos in disciplina, & correctione Domini.vers.18.8.
Ad Epes. 6. 12. Et colluctatio est in cælestibus.vers.23.10.

Ex Epistola ad Philippenses.

AD Philip.1.6. Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet.vers.3.7.
Ad Philip.1.29.Vobis donatum est, vt nõ solum in eũ credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. vers. 59.15. & vers. 75.16.
Ad Philip.1.21. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.vers.52.4.& 6. & cor.st.150.
Ad Philip.2.8. Factus obediens vsque ad mortem,&c.vers.11.2.
Ad Philip.2.14.Inter quos lucetis,sicut luminaria in mundo.vers.52.6.& vers. 74.5.
Ad Philip.2.14. Vt simplices filij Dei, in medio nationis prauæ &c. vers. 13. 25.& vers.33.7.
Ad Philip.3.8. Omnia arbitratus sum stercora, vt Christum lucrifacerem. vers.25.6.
Ad Philip. 3. 12. Non quod iam acceperim,aut quod perfectus sim. vers. 3. 5.
Ad Philip.3.17. Imitatores mei estote fratres,& obseruate,&c.vers. 17. 3.
Ad Philip.3.19. Gloria in confusione eorum,qui terrena sapiunt.vers.63.6.
Ad Philip.3.20. Nostra autem conuersatio in Cælis est. vers. 9. 1. & vers. 69.3.& cor.Stel.170.
Ad Philip.3.21.Reformabit corpus humilitatis nostræ,configuratum corpori claritatis suæ.cor.st.233.
Ad Philip.4.4. Gaudete in Domino semper,iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus, &c. vers.58.9.
Ad Philip.4.6 Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.vers.49.12.

Ex Epistola ad Colossenses.

AD Colos.1.20. Pacificans per sanguinem crucis eius,siuè quę in terris,siue quæ in cælis sunt. vers. 39. 11.
Ad Colos.3.5. Auaritia, quæ est simulacrorum seruitus.vers.13.10.
Ad Colos.3.12. Induite viscera misericordiæ: super hæc autem charitatem habete. ibid.

Ex Epistola prima ad Timotheum.

1. AD Tim.1.5.Finis præcepti est charitas,de corde puro, & conscientia non ficta. vers. 56. 2.
1. Ad Timot.4.8.Bona est lex,si quis ea

e gi-

legitimè vtatur: sciens hoc, quod lex iusto non est imposita. cor. st. 77.

1. *Ad Timot. 3. 16. Magnum Sacramentum, quod manifestatum est in carne, apparuit Angelis, prædicatum est & gentibus. vers. 44. 23.*

1. *Ad Timot. 6. 6. Radix omnium malorum est cupiditas. vers. 13. 9.*

1. *Ad Tim. 6. 7. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & desideria multa, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. vers. 13. 6.*

1. *Ad Tim. 1. 9. Iusto lex non est imposita. fol. 46. nu. 77.*

Ex Epistola secunda ad Timotheum.

2. *AD Timot. 2. 16. Prophana, & vaniloquia deuita: multũ n. proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. vers. 15. 7.*

2. *Ad Tim. 19. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, &c. vers. 59. 23.*

2. *Ad Tim. 2. 19. Nouit Dominus qui sunt eius. vers. 59. 22.*

Ex Epist. ad Titum.

AD Titum 2. 5. Te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina. vers. 17. 1.

Ad Titum 3. 4. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, &c. cor. st. 130.

Ex Epistola ad Hebræos.

AD Hebr. 2. 10. Videmus Iesum per passionem mortis, gloria & honore coronatum. vers. 39. 16.

Ad Hebr. 2. 17. Semen Abrahæ apprehendit, et per omnia fratribus assimilatus est. vers. 59. 3.

Ad Hebr. 3. 14. Participes enim Christi sumus, &c. vers. 59. 18.

Ad Hebr. 4. 14. Habentes Pontificem, qui penetrauit cælos, &c. cor. st. 98.

Ad Hebr. 5. 9. Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. vers. 11. 3.

Ad Hebr. 7. 26. Talis decebat nobis vt esset Põtifex, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. cor. st. 41. & vers. 54. 3.

Ad Hebr. 11. 37. Secti sunt, in occisione gladij mortui sunt. cor. st. 263.

Ad Hebr. 11. 38. Quibus dignus non erat mundus. vers. 62. 10.

Ad Hebr. 12. 3. Nondum vsque ad sanguinem restitistis. vers. 30. 5.

Ex Epistola catholica B. Iacobi.

IAcob. 1. 2. Omne gaudium existimate fratres, cum in varios tentationes incideritis. vers. 58. 10.

Iacobi 1. 14. Vnusquisque tentatur à cõcupiscentia sua, &c. vers. 64. 1.

Iacobi 1. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. vers. 4. 2.

Iac. 1. 18. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis. &c. vers. 38. 4.

Iac. 1. 21. Suscipite insitum verbum, &c. vers. 42. 10.

Iac. 1. 23. Non auditores tantum: sed factores iustificantur apud Deum. vers. 11. 6.

Iac. 1. 23. Abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. vers. 35. 18. & 19. Si perspexerit in lege. &c. ibid. 21.

Iac. 1. 25. Factor operis, beatus in facto suo erit. vers. 42. 1.

Iac. 2. 20. Fides sine operibus mortua est. vers. 42. 2.

Iac. 3. 2. Si quis in verbo non offenderit, hic perfectus est vir. cor. st. 141.

Iac. 3. 6. Inflammata à gehenna. Lingua ignis est vniuersitas iniquitatis, vers. 49. 2.

Ex Epistola Prima Petri Apostoli.

1. *PEtri 1. 12. In quem desiderant Angeli prospicere. vers. 29. 3.*

1. Petri 1.18. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis. &c. cor. stel. 158.
1. Petri 2.2. Christus passus est pro nobis nobis relinquens exemplum, &c. uers. 59.8.
1. Petri 4.18. Si iustus vix saluabitur: impius & peccator vbi parebunt? cor. st. 222.
1. Petri. 5.3. Forma facti gregis. uer. 17.3.
1. Pet. 5.8. Aduersarius uester diabolus, tamquam leo rugiens &c. uers. 19.3

Ex secunda Epistola Petri.

2. PEt. 1.10. Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera uestra, &c. uers. 45.15. & uers. 59.15.
2. Pet 1.21. Non enim uoluntate humana fuit allata aliquando prophetia, &c. uers. 35.1.

Ex Epistola Ioan. prima.

1. IOan. 1.7. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, uers. 14.4.
1. Ioa. 2.19. Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis, &c. cor. st. 183.
1. Ioan. 3.9. Qui ex Deo natus est, non potest peccare. verf. 58.5.
1 Ioan. 3.9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semẽ, &c. cor. st. 112.
1 Ioan. 4.16. Deus Charitas est, & qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo. cor. st. 195.
1 Ioa. 4.19. Diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos. verf. 31.1.
1. Ioan. 4.20. Qui non diligit fratrem, quem vidit: Deum, quem non vidēt, quomodo diliget? verf. 19.6.
1. Ioa. 5.17. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis. cor. st. 48.

Ex lib. Apocalypsis.

APoc. 1.8. Ego sum principium & finis. verf. 52.7.
Apoc. 3.1. Et nomen habes quod viuas, & mortuus es. verf. 20.1.
Apocal. 5.1. Vidi librum scriptum intus & foris. fol. 12. n. 4. catena Patrum.
Apoc. 5.5. Vicit Leo de tribu Iuda, aperire librum. verf. 73.1.
Apoc. 6.8. Et ecce equus pallidus, &c. verf. 67.12.
Apoc. 7.9. Vid turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, &c. cor. stell. 25.
Apoc. 8.13. Va, va, va, habitatoribus terra, &c. cor. st. 170.
Apoc. 9.1. Ascendit fumus de puteo, & obscuratus est Sol. verf. 74.5.
Apoc. 10.1. Amictum nube, & iris in capite eius cor. st. 247. & facies eius sicut Sol. ibid.
Apoc. 12.10. Accusabat ante conspectum Domini, die ac nocte. cor. st. 84.
Apoc. 17.15. Aquas, quas vidisti, populi sunt. verf. 14.15.
Apoc. 17.20. Acceperunt characterem bestia. verf. 16.33.
Apoc. 18.10. Va, va, quoniam vna hora venit iudicium. &c. verf. 67.4.
Apoc. 18.21. Hoc impetu mittetur Babylō ciuitas illa magna, & non inuenietur. verf. 71.9.
Apoc. 19.12. Et in capite eius diademata multa. verf. 25.10
Apoc. 19.20. Qui acceperunt characterē bestia, missi sunt in stagnum ignis, & sulphuris. verf. 79.4.
Apoc. 20.13. Mors, & infernus dederunt mortuos suos, &c. verf. 67.13.
Apoc. 20.14. Infernus & mors missi sūt in stagnum ignis. cor. st. 244. & verf. 67.12. & 13.
Apoc. 21.2. Vidi Ciuitatem Ierusalem nouam, descendantem de cœlo à Deo, paratam. verf. 21.9.
Apoc. 21.23. Ciuitas illa non eget Sole. verf. 32.2.
Apoc. 22.18. Si quis addiderit ad hæc: apponet Deus plagas scriptas in libro hoc. &c. cor. st. 186.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS SECVNDVS RERVM NOTABILIVM.



A

est

D

per

Ha-

G

H

L

P

im-

PRO-

Q

R

T

V

F I N I S.

INDEX TERTIVS
IN QVO CONTINETVR ADAGIA.

Homo

F I N I S.

QVARTVS ELENCHVS,

IN QVO COLLIGVNTVR SIMILITVDINES.

ELENCHVS QVINTVS PRO CONCIONIBVS:

A DOMINICA PRIMA ADVENTVS vſque à Dominicam Quinquageſimæ.



DOMINICA PRIMA Aduentus.



Vod de venti generatione à Naturalibus definitur, & quod de infantis parturitione à rerum magiſtra demonſtratur: idipſum videbitur, ſed ſub ſchemate orribiliori, in tremendi Iudicis apparitione, & in ſententiæ contra impios emiſsione. Et quamuis de venti generatione variæ variorum referantur ſententiæ: attamen naturæ Secretarij adhærentes decreto, dicamus & nos, quòd, Ventus eſt, &c. Vide omnia. fol. 85. nu. 164. Et applicat Euangelio, Nunc in vtero miſericordiæ irę ſpiritus cōtinetur, qui nunc illuc, nēpe in cælo vagatur, *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis*: nūc vero huc in terra, *Et in terris preſſura gentium*: nunc illuc in mari, *Præ confuſione ſonitus maris*: nunc huc in paruo mundo, *Areſcentibus hominibus præ timore*: nunc illuc in mūdo maiori, *Et expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi*: & nunc illuc & huc, ob errantium ſiderum ictu, radiorumque flagellato aere, *Nam virtutes calorum commouebuntur*. Sed poſt iræ talem ac tantam in vtre vel in vtero miſericordiæ vagationem, Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus apparebit, *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate*. Et poteſtas emittet turbinem deuaſtātem homines, Areſcentibus hominibus pręe timore: & maieſtas ſpirabit erga Iuſtos roſcidam redemptionis auram, His autem fieri incipientibus, reſpicere, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

Erunt ſigna, ſigna præcedent, vt homines ſeipſos iudicantes, præueniant iudicium, & à Deo non iudicētur. Vide in tabula, Iudicium particulare.

Ioannes vidit Chriſtum amictum nube, coronatum Iride, & eum Soli ſimilē, quia vt Sol iuſtitiæ, emittet à nube fulgura cōtra impios: ſed Iridem oſtendet Iuſtis, &c. Vide fol. 134. nu. 248.

Vt Sol veniet, ſed Sanctis coronatus tamquam ſtellis, vt ex illorum comparatione damnet impios. fol. 321. num. 5. & 6.

Tunc videbunt venientem in nube. quia in nube rapientur electi, reprobi autem relinquentur in terra, & à facie terrę in abyſſum proiicientur. f. 581. 6.

Tunc videbunt. Videbunt Iuſti, vt Agnum: impij, vt Leonē. fol. 598. n. 1. 2.

DOMINICA SECVNDA Aduentus.

Homines omnes, qui laudatores quærunt, merito poſſunt inuidere Baptiſtæ, qui laudatorem babuit, nedum poſt mortem, ſed adhuc viuens, non hominem, non Angelum, ſed hominem Deum, & magni conſilij Angelum, Qui cæpit dicere de Ioanne, &c.

Vi-

Vide fol. 181. nu. 2. vbi hoc totum late tractatur.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis. Vincula & paſsiones quanta gloria dignæ, dum pro Chriſto tolerantur. fol. 496. nu. 8. Tribulatio, duplex gaudium affert Iuſto, & futurum & præſens. f. 501. num 9. Prælibatio eſt beatitudinis, quia Deus eſt cum tribulatis. ibid. num. 10. Tribulatione Iuſtus nutritur, tamquam cibo. ibid. n. 11. & 12. ac ſeqq.

IN FESTO IMMACVLATÆ Conceptionis B. V.

INter omnia B. V. priuilegia, nullum magis diuinum, quàm incorruptio: quia nullum magis ineffabile & occultum, quàm illa. Sicuti de Deo dicit Hugo Victor ſerm. 33, *Et pauca ſcimus, & parua proferimus, quæ enim vel quanta dicere poſſumus de illo quem nemo vidit?* Ita & de myſterio Conceptionis & pauca ſcimus, & proferimus parua, quia cum fidei lumine illud non videmus. Si de his, quæ dicuntur à Prophetis in laudem Dei canebat Dauid, *Tenebroſa aqua in nubibus aeris:* quia, ex codẽ Victorino, *Occulta eſt ſcientia in Prophetis:* de his, quæ de Conceptione Virginis dicũtur, occulta eſt ſcientia in Viatoribus. Si de Conciatoribus, qui ex eodem Hugone, *Pedes ſunt, qui Deum ad audientium corda circumquaque vehunt*, canit Pſalmiſta, *Caligo ſub pedibus eius: quia nõnumquã cæleſtia ſacramenta nobis tam obſcurè loquuntur, vt à nobis vix intelligantur:* Non aliud myſterium de Virgine celebratur, in quo Prædicatores tã obſcurè loquantur, præter hoc, quòd a lumine fidei non accipit lumen. Et ſi Victorinus concludit, quòd, *Sicut Exploratores terræ promiſſionis, ex multis & magnis bonis contemplata terra, vnum tantummodo botrum, & de melogranatis, & de ficis, & vuis ad filios Iſrael attulerunt:* Ita & ego ex hac terra promiſſionis ac benedicta, quæ hodie mihi proponitur celebranda, tres tantum botros affero contemplandos. Prior ex melogranatis coronatis, tales enim sũt Reges, Dauid, Salomon, & reliqui in Virginis geneologia recenſiti. Secũdus ex præcocis ficis, Abrahã, Iſaac, Iacob, & Ioſeph, *Abraham genuit Iſaac*, & c. qui in ea deſcribuntur. Et tertius eſt botrus de quo concluditur, *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Nã Virgo ſupra Reges Coronam portat grãtiæ originalis, tamquam melogranatum. Supra Patriarchas dulcedinem innocẽtiæ, nulla peccati amaritudine vmquam miſta. Et totum haurit a botro & sãguine vuuæ, ob præuenientem redemptionem, qua ſingulariter à Filio eſt præſeruata.

Vide in Indice 2. Verbo, Maria Virgo.

DOMINICA TERTIA Aduentus.

SI mirabile æſtimabatur a Iob opus naturæ, quo Auctor illius, *Fecit ventis pondus:* quanto mirabilior æſtimari debet opus gratiæ, quo gratiæ Largitor, non ventis, ſed Sanctis, pennis virtutum armatis, & ornatis, pondus fecit humilitatis? Quærunt Doctores, quodnam ſit pondus, vel ex Septuaginta, *Libramentum*, quod Deus fecit ventis, vel Ex Hebræo, *Vento?* Et dicunt, præparaſſe illis pondus & libram, qua, ſi quid forte excederent, ſtatim pondere & bilancibus coercerentur. Sed Gregorius Papa lib. 19. mor. cap. 4. altius rem expendens, & putans in ventis animas figurari iuxta illud, Qui ambulat ſuper pennas ventorum, id eſt, qui tranſgreditur virtutes animarum: putat in pondere ſignificari grauitatem, grauitatem ſapientiæ, grauitatem conſilij, grauitatem virtutis, & grauitatem conſtantiæ, ait enim, *Pondus recipiunt animæ, vt ab intentione Dei non iam leui motu diſſiliãt, ſed in eum fixa conſtantiæ grauitate conſiſtant.* Quod autem ſpeculatiue iam vidiſtis, ſi cupitis practice inſpicere, oculos in Euangelium leuate. En Baptiſta, quaſi ventus, tot virtutum pennis apparebat ornatus, vt Meſſias æſtimaretur, & legatione ad eum miſſa ab Ieroſolymis, talis ei dignitas proponeretur. At ipſe ſibi, tamquam vento, pondus, librã, è libramentum ponit, tum confitendo, *Non ſum ego Chriſtus:* tum dicendo, *Non ſum Elias, non ſum Propheta:* tum addendo, *Ego vox:* & tum ſuperpoſito onere procumbendo, de Meſſia concludens, *Cuius ego non ſum dignus, vt procumbens, ſoluam eius corrigiam calceamenti.*

De humilitatis pondere iuxta menſuram

furam dignitatis, à Ioanne assumpto, miro modo Gregorius hom. 7. in Euangelia philosophatur, dicens, *Ex huius nobis lectionis verbis, Ioannis humilitas commendatur, qui cum tanta virtutis esset, vt Christus credi posset, elegit solidè subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se.* Vide in 2. Indice. Humilitas.

DIE XIII. DECEMBRIS.
Festum S. Luciæ.

QVamuis inter diuinæ omnipotentiæ miracula, illud præcipuè celebret in Virginum ac Martyrum solênitatibus Ecclesia, quod etiam in sexu fragili martyrij victoriam contulit: non tamen modum collationis definit. Definiri autem potest, ex his, quæ Ambrosius philosophatur. Et certe, quid arundine fragilius, quæ ab omni vento agitatur? Quid autem illa firmius dum in Christi manu collocatur? Vide fol. 95. nu. 18. Sic de muliere dicitur, Varium & mutabile semper femina: at vbi in manu Dei anima eius est, & in illo firmatur, talis euadit, qualis Lucia euasit, quam tanto pondere fixit Spiritus sanctus, vt Virgo Christi immobilis permaneret. Et hæc dicere potest, Nec flectar, nec frangar. 1. Quia firmatur in Deo tamquam sponsa, ei firmiter adhærendo. 2. Non flectitur, nec promissis, nec minis à rectitudine iustitiæ recedēdo. 3. Continet Deum secū perseueranter in bonum. Et quarto non confunditur cum reprobis, sed honoratur cum Electis & cum Angelis.

Tanto pondere eam fixit Spiritus sanctus. Iusti graues, & in illis laudatur Deus: impij leues ab omni vento rapiuntur, &c. Vide multa, fol. 580. nu. 7. 8. 9. & seqq.

NOVENA, SEV, EXPECTATIO
Partus Virginis.

SI ex Arist. 11. Metaph. Desiderium præcedens comprehensionem rei, magis dicitur dolor, quàm voluptas: iurè optimo, Ioannes depingens mulierem amictam Sole, &c. subiunxit, *In vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret,* Apoc. 12. 2. Sed si Virgo antequam parturiret peperit, & peperit Virgo, ac sine dolore, quomodo potest de illa verificari, quod cruciabatur vt pareret? Methodius relatus ab Andrea Archiepiscopo Cappadociæ. ser. 11. in Apoc. putat hoc non Virgini, sed Ecclesiæ cōuenire. At Bernardinus Sen. in cap. 12. Com. sup. Apocal. accommodat Virgini hoc signum, & inter Stellas, quibus coronatur, enumerat illas, vnde fuit grauida sine grauatione, & puerpera sine dolore. Quomodo autem cruciabatur vt pareret, nō declarat. Idipsum explicat Glosa interlinearis, *In vtero habens* .i. *In Virgine Maria Verbum Dei.* Quod ergo de Ecclesia dicit Lyranus. *In angustia posita clamabat ad Deum, vt cito daret sibi Filium:* & quod Bernardinus Senēsis subiecit, *Cruciabatur, vt pariat, scilicet, desiderans generare:* viam nobis, aperit, vt Virginis clamores & preces dignoscamus, vnde & orabat cito sibi Filium dari, & cruciabatur desiderans generare: nam vt diximus cum Aristotele, Desiderium præcedens comprehensionē rei, magis dicitur dolor, quàm voluptas. Videamus. 1. quomodo in vtero, habebat, vt amans Mater Virgo. 2. quomodo clamabat, orans, vt Dei filium pareret. 3. quomodo cruciabatur desiderans Partum videre natum, adorare, osculari, amplecti, lactare

Mater pulchræ dilectionis in vtero habens Deum amoris, Deum amoris videre desiderabat, eumque amplecti, & sic amans languebat, dicens, Amore langueo. fol. 445. num. 9. 10. & seqq.

Vere beata V. quia si cruciabatur desiderans Partum videre, iam impleuit desiderium suum ex ipso. Vide fol. 445. nu. 3. Desiderium pessimorum, monumentum est, in quo desiderata sepeliuntur: at sanctū Sanctorum, nidus est, vnde oritur Desideratus cunctis Gentibus. fol. 446. nu. 4.

DECEMBRIS XXI. FESTVM
Thomæ Apostoli.

CVr summum Bonum summoperè diligens bona, abominans mala, permittat, etiam ad summam Apostolatus gloriam electos committere mala, maximam apud maximos Doctores excitauit quæstionem. Sed ex multis & varijs variorum & multorum respon-

fionibus, vnicam Apostoli mihi eligã, quia, *Vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia*. Gratia autem abundãs, eum gratia paradisus dicatur, & fit, in quattuor diuiditur flumina, ex Carthusiani doctrina. 1. Quia cautior surgit. 2. Custoditior fit. 3. Humilius pænitet. 4. Ardentius diligit. Sic vbi delictũ infidelitatis Thomæ Apostoli abundauit, quia dicebat, Nisi videro, &c. non credam, & gratia abundauit, nam pro ipsius tantum conuersione Iesus apparuit, eique, quod nemini aliorum permissum est, dicitur, Infer digitum tuum, &c. Et ex fontibus fixurarum, flumina exeunt abundantiora gratiarum. Nam & cautior surgit, Respondit Thomas, tamquam abyssus alta, ac donis repleta. Custoditior fit, & dixit ei, atque dedit abyssus vocem suam. Humilius pænitet, Dominus meus. Et ardentius diligit. Et Deus meus. Vide fol. 77. nu.148.

Iterum erant discipuli intus, & Thomas cum eis. Ex Arca Noè, coruus egressus, & vltra non reuersus, Iudæ signum, qui è cenaculo exiuit, nec vltra redijt. At columba reuersa est, figurans Thomam, &c. Vide fol. 145. nu. 269. Et sicut illa regressa est cum oleæ ramo in ore, & introducta per ostium in Arcam viuam, dum ei dicitur, Affer manum tuã, & mitte in latus meum: & cum oleo in ore apparet, Dominus meus, & Deus me⁹, vt i Theophilactus, relatus a D. Thoma in cat. sup. cap. 20. Ioan. Qui prius infidelis fuerat, post lateris tactum, optimum se Theologum ostendit. Nam duplicem naturam, vnicamque hypostasim Christi edisserit, dicendo enim, Dominus meus, humanam naturam: dicendo vero, Deus meus, diuinam confessus est, & vnum eumdemque Deum & Dominum.

Verificatur in D. Thoma practicè sententia Pauli, Diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum: eum Glosa, etiam peccata. Vide fol. 481. a nu. 1. ad 7. vbi hæc materia late explicatur. Idq. in D. Thoma singulariter impletur, quia cadit in manu Domini, dum ostẽdit ei manus, dicens, infer digitum tuũ, & vide manus meas. fol. 482. nu. 5. & 6. & 7.

Iusti cadunt, & resurgunt, quia cadũt in die fol. 555. num. 3.

Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Apostoli casus, status iudicatur, nam statim surrexit, & gloriosius triumphauit. fol. 158. nu. 2. 3. & seq. Id autem factum est, quia Dominus supposuit manum suam, dicens, Affer digitum tuum, & mitte in manus meas. fol. 159. nu. 4. Etiam Autumnus illius pulcher fuit. num. 5.

DOMINICA QVARTA Aduentus.

NOn minori, sed longe vtiliori magisterio, Sapiens criniculis peccatorum constringi corda peccatorum docuit, quàm mulieres vanæ capillorũ varia forma capita cingant. Crimina ergo crinibus comparantur, vnde & dicitur, Crinieulis peccatorum suorum vnusquisq; constringitur. Vide descriptionem, & applicationem fol. 221. nu. 2. Et applica Euangelio. Si vis crinium, vel criminum multitudinem, en Iudææ caput tantorum crinium pondere aggrauatum, quot criminosi Principes in ea principabantur, vnde dicitur, Anno XV. imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio, &c. Si vis dispersos atque diuisos: en nedum Pilatus in Iudæa, Herodes in Galilæa, Philippus in Iturea Lysanias in Abilina diuisos cernis: sed ꝙ maius est, summũ sacerdotiũ diuisum erat inter Annam & Caipham, vt clarè constaret iam iam esse desolandum: & apertè ostenderet peccatores & a Deo diuisos, & inter se disiunctos, & ad ima tendentes, quia in regione morabantur Iordanis. Sed gratia illos præueniẽte, Venit Ioannes, qui Gratia, interpretatur: Pænitentiæ baptismo lauante, Prædicans baptismum pænitentiæ: Victa purpurea cõstringente in remissione peccatorum: nunc complanantur, Parate viam Domino: nunc dirigũtur, Rectas facite semitas eius: nunc cõfusi, decidunt, Omnis vallis implebitur: nũc humiles deprimuntur, Et omnis mons & collis humiliabitur: nunc intorti rectificantur, Erunt praua in directa: Et nunc asperi emolliuntur, & aspera in vias planas. Vt sic præparati videant Salutare Dei.

Venit Ioannes prædicans baptismũ pænitentiæ in regione Iordanis, cuius

interpretatio est, Fluuius iudicij, adhuc enim fluit iudicium hominis, dum viuit, & prædicatur penitentia: nã dæmonis iudicium terminum iam accepit. fol. 436. num 1. Vult autem fructus dignos pænitentiæ, vt declinet homo a malo, & faciat bonum. ibid. num 2. Digni pænitentiæ fructus tunc fiunt, cum pro qualitate culpæ redduntur, fol 437. num. 3. & 4. Pænitentię fructus Duracino, non Persico debet afsimilari. num. 5. Fructus pęnitentiæ tunc digni, quando seruantur illæsi, nec ad peccata reuertitur, Ibid. num. 6. & 7. Fructus pænitentiæ tunc dulces, quando immaturi, folio 439. num. 8. & 9. & sequentibus. Tempus reddendi fructus pænitentiæ, vel instans est, vel vita præsens. fol. 442. a. num. 16. vsque ad 19.

Parate viam Domino, rectas facite semitas eius, Vulpes, & serpens peccatoris figura fluxuose incedentes: ceruus typus pænitentis, directè currẽs, &c. fol. 222. n. 2. in fine.

IN NATIVITATE DOMINI. Die 25. Decembris.

TRanseamus vsque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum est. Et quidem iure, Verbum factum dicunt, quia sicut Verbum illæsa ingreditur, & egreditur aure: ita Virgo Verbum concepit, Verbumque peperit, dicente Proclo, Ex vtero est egressus, vt per aurem ingressus. Id debebatur ex lege, vt vbi nulla intercessit in conceptu voluptas, ibi nullus dolor esset in partu: id ex Oraculo, quo Arca iustituitur, & statim sanctificatio in ea ponitur: idque ex Patre Verbum dicente, cuius lingua calamus est velociter scribentis. Vide omnia. f. 414. n. 5. 6. & 7. Sic miraculo miraculũ declarat, & altero alterũ occultat. Miraculum est, Deũ hominem fieri sine vlla naturæ alteratione, & miraculum est, quod matrem effecit, eamque Virginem conseruauit. Miraculum est, quòd Deus, qui lux est, sub carnis velo abscondatur: & miraculũ est, quod Virginitatis flos & fructus, sub folijs maternitatis celetur. Vide fol. 415. nu 9. & 10. Sic absconditur Natiuitas æterna sub temporali, lætitia sub lacrymis, diuinitas sub pannis, in quibus inuoluitur: immensitas sub præsepio.

Mirum verè, ac nouum, quod Mulier circumdet virum, & virginitas sub maternitatis pallio abscondatur. Vide multa. fol. 417. nu. 13. 14. Absconditur etiam sub verbis, Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. fol. 418. nu. 15. & 16.

Flores Virginis fructus fuerunt, & fructus pietatis. fol 419. nu. 17. Fons fuit cuius aqua olei vicem suppler. ibid. nu. 18. Vitis aurum generans. ibid. num. 19.

Inuenietis infantem pannis inuolutum, Lucrosa, sed noua Christi negotiatio, qua vos diuites redderet, depauperatus est, vt lætificaret, fleuit, &c. fol. 490. nu. 6. & 7.

IN FESTO S. STEPHANI.

EXimius Pictor & tacitus & loquens Lucas Euangelista, vt Stephani pulchritudinem depingeret, nõ exemplar mortale & corporeum sibi propoluit, sed angelicum ac spirituale, & penicillũ in lumine tingens hac illum forma delineauit, Actu. 6. 25. Viderunt faciem eius quasi faciem Angeli. Ast ego, si venia datur calamo, auderem dicere, Viderunt faciem eius speciosiorem facie Angeli. Quid habet Angelus? Virgo est impatibilis est, & immobilis sic est, vt nec benedictione nec maledictione moueatur. At Stephanus plus quam Angelus admirandus, & amantior, & felicior, & fortior apparebat, Fortior, quia mulieribus ministrabat, & Virginitatẽ seruabat, vnde, Angelus felicior est illo, quàm fortior in hac parte, ideo describitur, Plenus gratia & fortitudine faciens signa & prodigia magna in populo, nam conuersari cum mulieribus, & mulieres non tangere, maius est, quã mortuos resuscitare. Felicior erat quã Angelus, dum pro Christo patiebatur & lapidibus obruebatur, quod Angelis non conceditur. Et amantior muneratur, qui nõ mouetur maledictione, & odio lapidantiũ nõ mouetur, dum reddit amorem pro odio, & pro maledictione orationem, Clamans voce magna, Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

IN FESTO S. IOANNIS Euangelistę.

SI ex Platone in Cratylo, *Nomen rerum subsistentias docendi discernen-*

diquę instrumentum est, sicut pecten & radius tela: & nomen Ioannis idem sonat ac gratia, quodnam poterat nobis præberi à cælo aptius instrumentum, quam ipsius nomen, vt telam stragulatam, ex variis figuris virtutum ei texeremus? O gratia. O textris omnium Ioannis excellentiarum! Gratiam bixinam texit ei Virginis stolam, qua sequitur Agnum quocumque ierit, & quidē tāto propinquior, quāto dilectior. Gratia purpuream addit, ob martyrium, nā ex Damiano. ser. 27. *Quo cæteris Apostolis in carne prolixius mansit, eo durioris martyrij tormenta sustinuit.* Gratia illi sic tradidit sapientiæ & scientiæ claues, vt omnes sacramentorum cælestium thesauros expenderet: vnde in speculanda summæ Diuinitatis essentia præcedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, Apostolos superat, & illucusque mentis aciem tendit, quo vix Angelica valet attingere creatura. Gratia ibi intexit Euangelistæ figuram: & dilecti à Christo formam; Sed cedant omnia singulari, ac sublimi illi imagini, quam gratia pro coronide vel corona, in hac illustri, & varia texit tela, dum ab Auctore gratiæ matris filij Dei, filius factus est, ex eius operatorio sermone, nūc matri dicendo, Ecce filius tuus: & nūc discipulo, Ecce mater tua. O admirabiles figuræ! o mirabilis gratia!! O summa Ioannis Excellentia!

IN FESTO INNOCENTIVM
die 28. Decembris.

QVæ sapiens Rex ænigmata proposuit, dicēs, Pro. 30. 29. Tria sūt, quæ benè gradiuntur, &c. Magnā apud multos excitarūt q̄stionē, & quilibet vel Spinx, vel Oedipus adhibuit, ad votū solutionē. Si autē inter gigātes locus pygmæo non denegatur, dicam & ego, in his quattuor, quattuor festiuitates, quarum nouissima hodierna est figurari. In clara nocte natiuitatis Christus apparuit vt Leo, qui vigilantiæ Hieroglyphicum est, dum enim medium silentium tenerent omnia, de Regalibus sedibus, &c. Et egrediens de regali Virginis sede, æmulator Leonis, qui vt Nazianzenus refert in Poem. de virtute humana, pedum suorum vestigia, cauda delet, sic ipse vestigia egressus ex vtero matris Virginis nulla reliquit, sed transiuit in pace, semita pedibus eius non apparuit.

In festo Martyris Steppani Gallus apparuit, quia Solem Iustitie nuntiauit cantu, quia excitauit dormientes Iudæos à somno suo, & quia in eo verificata est Dauidica prædictio, Psal. 49. 11. secundum Nebiensem, *Gallus Syluester, cuius pedes quiescunt in terra, & eius caput attingit Cælum, cantat coram me*: nam Syluester fuit extra ciuitatem ductus pedes in terra habuit, dum fortiter lapidū ictus sustinuit: sed in Cælo caput erexit, dum cecinit, *Ecce video Cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Arietis autem speciem gerebat Ioannes, si, enim ille dicitur ducere gregem, ipse totius Asię fundauit rexitque Ecclesias. Et isti quidem bene gradiuntur: quartum autem quod incedit feliciter, agmen Innocentium est. Et vere Innocentes feliciter incedunt, dicente Chrysologo 152 *Christus non despexit tuos milites, sed prouexit: quibus dedit ante triumphare, quàm viuere: quos fecit capere sine concertatione victoriam, quos donauit coronis antequam membris, quos voluit virtutibus vitia præterire, ante cælum possidere, quam terram; nec ante humanis inserere, quam diuinis.* Nec fuit, rex, qui resisteret eis: nam Herodes rex, vt Augustinus patur. ser. 10. de Sanctis. *Numquam beatis paruulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio.*

Si vera Plinij Iuniori epist. 2. sententia est, *Pulcherrimā victoriæ genus esse, terrore domare*: qs hodie nō miretur, vidēs Dominum Regem exercituum, terrore domitum, milites in bello relinquere, & in Ægyptum fugere? Si refugium fugit, si timet virtus, si præsidium migrat, quæ vita, quę spes, quæ securitas, quod munimē? Sed respondet Chrysologus, & bene. Vide fol. 504. num. 5.

DOMINICA INFRA OCTAVAM
Natiuitatis.

CReator omnipotens, qui in firmamento Cæli in principio creationis posuit luminaria magna, vt essēt in signa dū in temporum plenitudine apparere disposuit: in Templo, quasi in Cęlo, tria posuit luminaria, nēpe Iesū Mariā, & Ioseph, vnde dicitur, *Erat Ioseph &*

& mater Iesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Si autem quęras, quęnā dicebātur de illo, audi Simeonem Mariæ dicentem, *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Vt enim philosophatur Ambrosius lib. 4. Hexæmerō cap. 2. *Ecclesia tempora sua habet persecutionis & pacis, nam videtur sicut Luna deficere, sed non deficit.* In signum ergo varium positus est Christus: & in quibus deficit, ponitur in ruinam: in quibus autem fulget, ponitur in resurrectionem. Et quidem per ea, quæ Emissenus de hoc particulari signo natiuitatis Christi docet, hoc ipsum varium est, & in ruinam, & in resurrectionem, sic enim ait Dominica 1. post nat. Domini. *Quod enim de Virgine natus est, magnum & inauditum est signum.* Huic autem signo nos credimus, Iudæi contradicunt: his qui contradicunt positus est in ruinā: nobis, qui credimus, positus est in resurrectionem. Sed cum Simeon transeat ex natiuitate ad passionem, & mortem, & dicat Virgini, *Tuam ipsius animam pertrāsibit gladius:* transeamus & nos ex Bethleem vsque ad Caluarium, & ibi videamus Iesum, vt Solem iustitiæ, positum in signum contradictionis. Matrem, vt Lunam in signum defectionis & mæroris. Et pios veluti stellas, in signum positos ad sagittas impiorum.

IN FESTO CIRCVMCISIONIS.

DVm Christus descendens de Cælo omnia innouauit in terra, dicēs, *Ecce omnia facio noua*: iure meritò debent Christiani obedire præcepto Apostoli, *Renouamini spiritu mentis vestræ, & renouari.* Et certe, quis non lætabūdus videt, Sole iustitiæ in Terram descendente, omnia sub Sole fieri noua? Noua fit mater, nouus filius, nouum gaudium, nouum canticum, nouus puer, noua cunabula, noua circumcisio, nouūq. nomen. Has nouitates, his coloribus figurabat Victorinus serm. 49. dicens, *Hæc omnia nouitatem referunt & nouitati congruunt, vt in nouitate vita ambulemus.* Noua mater, mater virgo. Nouus filius, Deus homo. Nouum gaudium, gaudium Angelorum de salute hominum. Nouum canticū, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nouus puer, quia verus, vtpote purus: quia peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Noua cunabula: animalium præsepia. Noua circumcisio: quia in carne sine peccato. Nouum nomen Iesus: eo quod ipse saluum facit populum suum à peccatis eorum: Nouum nomen, eo quòd non sit aliud nomen datum sub Cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Nouum nomen, eo quod in nomine Iesu, omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Nouum quoque nomen Christus à quo Christiani vocantur. Nouum inquam nomen Christus, quia non materiali vnctus est oleo, vt ceteri, sed spiritali oleo lætitiæ præ consortibus suis. Renouamini ergo & vos, & circumcidimini Domino, vt iure nomen Christiani demonstretis in opere.

Postquam consummati sunt dies octo, Quærit Emissenus, cur octaua die circūcisio fiat? Et respondet quia ipsa die mundus cæpit, ipse Christus resurrexit, & ipsa vltima resurrectio fiet, & tunc perfectè circumcidetur omnis homo, quia tunc omnibus vitijs abscissis, mūdus & purus à peccato, qualis in initio creatus est, talis ad vitam ducetur æternam.

Vocatum est nomen eius, Iesus. Nomē in circumcisione cur imponebatur, vide fol. 141. num. 261.

Vt circumcideretur puer. Paulus scribens ad Galatas, dicebat Gal. 5. 2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit:* ego autem vobiscum loquens, audeo dicere, Nisi circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Existimabitis forte impiam sententiam meam, quæ Pauli sententiæ opponitur? Sed pia est si benè intelligatur, nec absque fideiussore à me proponitur, ab Eusebio enim prolata sic fuit, *Magnum aliquid significat circumcisio: & tam magnum aliquid, vt quicumque eo modo circumcisus non fuerit, vt interim de paruulis taceamus, saluari non possit.* Dices quænam hæc est noua circumcisio, Christianis necessaria ad salutem? Respondet idem Emissenus, illam esse, qua Christiani non vnum tantum, sed omnia membra circumcidunt, non pellis incisione, sed totius superfluitatis abie-

ctione. Qui enim non occidit, non mœchatur, vana audire, vel videre, vel cogitare non appetit: iste interius & exterius perfectè circumcisus est, toties enim circumciditur homo, quoties post peccatum, ad pœnitentiam redit: qui si nūquam peccaret, numquam post Baptismum, vel circumcisione, vel penitētia indigeret.

IN EPIPHANI DOMINI.

SI Regi nato, vel Principi inaugurato, ea lege munera offerebantur, dabantur & dona, vt damnentur tamquam rebelles, qui Sauli ad regia fastigia eleuato, munera non obtulere: iure meritò hinc damnantur Herodes & Ierosolyma, qui Regi cælorum iam nato in terris, munera negant: & summis laudibus extolluntur ad astra, Orientales Reges, qui Cæli ductu, Aurum, thus & myrrham ei detulerunt. Hinc Isaias horum fidem & opera sic descripsit, Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes: & Principis regum terræ vix nati nomina pādens, & prædicēs, aiebat, *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius*, Deus, *Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*. Quæ verba expendens Hugo Victorinus dicebat ser. 17. *Admirabilis gloria, Consiliarius sapientia, Deus natura, Fortis potentia, Pater misericordia, Princeps iustitia. Admirabilis gloria, quia & Angeli præ nimia admiratione gloriæ eius, in ipsum prospicientes, deficiunt. Consiliarius sapientia, quia est Angelus magni consilij, qui hominem in inuio iniquitatis errātem, reduxit. Deus natura, quia Deitatem habet per naturam, & alijs tribuit esse deos per gratiam. Fortis potentia, quia Principem huius mundi debellauit* Pater *misericordia, quia paterna pietate ad nos venit, & nos redemit, & iustificauit, & beatificauit: venit per humanitatem, redemit per passionem, iustificauit per gratiam, beatificabit per gloriam*. *Princeps autem, est iustitia, quia regit, vnicuique quod suum est reddit*. Reddidit Herodi pænā, quia tributum negauit: reddit & Magis premium, quia ipsi tributum ei obtulerūt, aurum, thus, & myrrahm. Aurum, ob claritatem fidei: thus, ob confessionem Deitatis: & myrrham, ob protestationē mortalitatis. Sed quia Rex Iudæorum natus in terra, reliquit aurum in cælo, nam Plateæ & muri eius ex auro purissimo: reliquit & incensum, quia data sunt ibi Angelo incensa multa, vt adoleret ea in conspectu Domini: myrrhā sic retinet, vt Virgo Mater asserat, *Fasciculus myrrha Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*: relictis, & nos auro & thure, de myrrhæ munere verba faciamus, hæc enim, ex peregrinitate ac nouitate præualet reliquis. Si myrrha doloris est, ipse Pro nobis dolet. Si myrrha satisfactionis est, ipse Retribuit pro nobis. Si myrrha compassionis est, ipse Passus est pro nobis. Si myrrha mortis & Sepulturæ est, ipse pro nobis Mortuus est & sepultus. Si myrrha incorruptionis, est, ipse Resurrexit propter iustificationē nostram. Et si myrrha boni odoris est, ipse & Magos & Gentes sic traxit, vt omnes dicamus In odorem vnguētorum tuorum curremus.

Christus iam natus, & Nazarenus iā ortus, Bonus odor est, sed similis Rosæ, vnde & dicit, Ego rosa campi, vnde odor eius, Scarabæis, nempe Iudæis est odor in mortem, quia non receperunt eum: Gentibus autem est odor in vitā, quia veniūt ab oriente, dicentes, Vbi est q. natus est Rex Iudæorū? Dicētes, Vidimus Stellā eius in Oriente, & venimus adorare eum. Et secundum Chrysologum, ser. 156. *Non interrogant, sed insultant*: negligentes arguūt, increpant desides, malos produnt, contumaces verberant, seruum Domino non occurrisse causantur. *Venimus adorare eum*. Venerunt & pastores, sed vt viderent: veniunt reges, sed vt adorent, quod opere demonstrant, quia procidentes adorauerunt eum. Cur non vtrique, vt adorent? Forte quia illi pastores erant inculti, isti reges erant aulici. Sed melius dicam, quia tunc traxit pastores ad odorem rosæ albæ: nunc reges trahit in odorem rosæ purpureæ, dum proprio sanguine redemptionis effuso, Deitatis fragantiam spirat, nam Domini est salus. Inde Isaias hanc coccineam rosā odorem salutis & remissionis peccatoris spirantem, ita describit, Isa. 1, 18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*, Tertullianus autē lib. 4. contra Marcionem cap. 10. sic legit,

git,& sic exponit. *Si fuerint delicta vestra tamquam roseum, velut niuem exalbabo*: Per roseum autem sanguinem Christi intelligit, qui sordes eluit, & cādidum reddidit instar niuis, animū à scelere fœdatum, vnde & Beati stolas suas dealbauerunt in roseo Christi sanguine, qui ad redemptionis odorem reges traxit ab Oriente.

Vidimus Stellam, eius, &c. O miram gratiæ victoriam! Dicebat Chrysologus. ser. 157. Hostem proprio mucrone turbare singulare est insigne virtutis: quæ virtus maior, quàm Magos errantes per stellas, per stellas corrigere? Quia stellarum scrutatores errantes per astra, bona malaue hominum de arbitrio luminarium formabant: dispsuit Deus vt per astra noua, corrigerentur errantes Magi, & vitæ beatæ inuenirent Authorem. Vide fol. 531. num. 12. quod de Psalmo dicitur, de Euangelio dicatur.

DOMINICA INFRA OCTAVAM Epiphaniæ.

QVærens Virgo sapiens, & prima inter sapientes, incarnatam Sapientiam, inuitat nos ad Sapientiam eo modo quærendam, quo thesaurum effodientes inquirunt. Et quidem iure, Interpretes sacrorum librorum, in quibus diuina sapienria latet, comparantur thesaurum effodientibus, &c. Vide fol. 345. num. 3. 4. & 5. Sic diuide 1. Thesaurus hic in Scriptura latet, quæ in agro pacis seruatur. Remansit puer Iesus in Ierusalem. Nō quæritur in lecto, quia non inuenerūt inter cognatos & notos. Non inuenitur in terra suauiter viuentium, ideo Virgo & Ioseph dolentes inquirunt. In templo Ecclesiæ catholicæ reperitur, inuenerunt eum in templo, &c.

DOMINICA SECVNDA Post Epiphaniam.

EA lege naturæ, qua lumen maius occupat minus, eadem Auctor gratiæ & naturæ, maiori lumine mirabiliū notiuitatū in suo ortu ostēso, omnia mirabilia Ægypti occupauit. Hinc idē Deus per os Isaiæ nobis præcipiebat. cap. 43. 18. *Antiqua ne intueamini: Ecce ego facio noua*. Vbi Oleaster quærit, in annotat. secunda, *Quid hoc noui est Domine, quod tanti facis?* Respondet autem ei Dominus, *Decreui homo fieri, & carnem induere, vt vero consolemini, nunc oritur*. Et ecce nunc exorto Sole iustitiæ, hoc nouum factum est super terram, dum Virgo peperit virum. Cur autem, vbi nos legimus, *Ego facio noua*, Pagninus vertit, *Ego facio nouum*? Quia ex hac noua nariuitate, omnia vetera recesserunt, & per ea, quæ inductione probat Victorinus serm. 49. omnia apparent noua. *Nouum signum, noui adoratores, noua munera, noui citharedi, noua progenies, nouus Princeps, noua Respublica, noua pugna, noua victoria, noua pax, iustitia noua, nouum sacrificium, nouum testamentum, noua hereditas, nouus populus, nouus ritus, nouus annus, nouus thalamus, nouus Sponsus, noua Sponsa, noue nuptiæ, nouū miraculū, noui Paranymphi, noui conuiuæ. Et quidem, nouum signum, noua stella. Noui adoratores, magi Gentiles. Noua munera, Aurum thus, & myrrha. Noui citharedi, Prophetæ. Noua progenies, anima spiritualis. Nouus Princeps, Princeps pacis. Noua Respublica, Cælum & terra. Noua pugna, quia Noua bella elegit Dominus. Noua Victoria, quia Rector tenebrarum eiectus est foras. Noua iustitia, & noua pax, quia Orta est in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Nouum sacrificium, passio Christi. Nouum testamentum, Verbum Euangelij. Noua hereditas, Regnum Calorum. Nouus populus, Populus Christianus. Nouus ritus, Christianismus. Nouus annus, Annus benignitatis diuinæ, tempus videlicet gratiæ. Nouus thalamus, Virginis vterus. Nouus sponsus, Christus, qui vocatus est hodie simul cum Matre Virgine ad nuptias noua sponsa, nempe Ecclesia. Et nouum miraculum, aqua vinum facta, signum fuit vini conuertendi in sanguinem. Et noui conuiuæ nempe Apostoli, omnes fideles figurabant, qui in conuiuio Sacramenti accumbere debebāt in mensa Altaris, vbi Christus manifestat gloriam suam.*

Aquam mutari in vinum initium fuit signorum Christi, idque semel tātum vidit Sol: at aquam timoris mutari in vinum amoris, signum & maius est, & cotidianum. Vide fol. 517. nu. 7.

DO-

DOMINICA TERTIA
post Epiphaniam.

QVod promiserat Isaias de prompta & prodiga liberalitate Dei, dicēs, *Ad vocem clamoris tui, statim eū acciderit, respondebit tibi*: nullibi, ni fallor, apertius, quam in theatro Euangelij hodierni videtur impletum. Si illo dicendi modo Propheta describebat Dei responsiones ad petentium vota, similes Echo: & de Echo legitur. Sap. 17. 18. Resonans de altissimis montibus Echo: en hodie Iesus mons, de monte descendens, ad Leprosi vocem respondet, tamquam Echo. Si ille dicit, *Domine, si vis*: Volo, Iesus respondet. Si ille repetit, *Potes me mundare*: *Mundare*, Christus concludit. Sed cum hoc discrimine, quod vbi Echo resoluitur in auras, & euanescit: Auctoris salutis responsio efficax, operatur, quod dicit, & virtutē eius probauit euentus, *Et confestim mundata est lepra eius*. Mira orationis virtus, ad cuius mensuram & vocem, commensurantur, sed cum additamento cælestia dona.

Adorabat eum dicens. De orationis virtute, &c. Vide in Indice 2. Oratio.

DOMINICA QVARTA
Post Epiphaniam.

MIratur terra, & stupet Cælū, quod Cæli ac terræ Creatore ascendēte in nauiculam, motus magnus in mari fiat, venti audeant nauiculam inuadere, & fluctus præsumant illam operire: dum ille, de quo canitur, Non dormitabit, neque dormiet, o nouum & insuetum, dormiebat. Et ecce innouantur signa, & immutātur mirabilia, nam ille excitatus precibus, surgit, timorem à discipulis pellit, imperat vētis, & mari, fit, vsque ad stuporem, tranquillitas magna. Sed vera in hoc cernitur Pontificia doctrina. Greg. Papę hom. 17. in Eua. *Quod Saluator noster aliquando nos verbis, aliquando operibus admonet. Has ergo maris turbatio*, vt Chrysostom⁹ docet, *typus erat futurarum tentationum*. Mare ergo typus est sæculi, nauicula animæ, ascensus Christi fides, motus magnus tentatio, fluctus persecutio, Christi dormitio non subita subuentio, excitatio oratio. Increpat ventis, eum tētationes abigit, increpat mari dum persecutores corripit, tranquillitas fit dum cōsolatio succedit, & succedit admiratio, & dicitur, qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

Ipse dormiebat. O nouum! Nonne de eo dicitur, Non dormitabit, neque dormiet? quomodo ergo nunc dormit? Respondet Origenes relatus à D. Th. in cat. sup. cap. 8. Matt. Dormiebat quidem corpore, sed vigilabat deitate. Corpore itaque dormiebat, vt Apostolos faceret vigilare, & ne omnes nos vmquam animo dormiamus.

Domine salua nos, perimus. Sed optimè eos redarguit Christus, Quid timidi estis modicæ fidei? Si enim Cæsar timentibus nautis dixit, Fortunam Cæsaris vehitis, & timetis? Iure Apostolis Origenes redixit, Saluatorem vobiscum habetis, & de periculo timetis? Vita vobiscum est, & de morte soliciti estis?

DOMINICA QVINTA
Post Epiphaniam.

SIcut in eodem corpore naturali, & viuunt membra, & mali reperiuntur humores, qui dum eijciuntur, tunc dignoscetur non fuisse ex corpore: ita in eodem agro Ecclesiæ, & triticum viuit, & zizania crescunt: sed separatio demonstrabit zizania ad Ecclesiæ agrū non spectasse. Augustinus explicans verba Ioannis, *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*: illud declarat ex similitudine humorum in corpore cum membris existentium. Vide fol. 98. nu. 183. Idipsum & in Ecclesiæ corpore vel agro apparet. Ager bonus, sator optimus, semen bonum, sub clara luce seminat in hoc agro. Sed inimicus homo, id est, diabolus, negligenter dormientibus hominibus, zizania superseminat in medio tritici. Crescunt vtraque, sed messis diuidet hoc ab illis, his enim alligatis ad combureudum in inferno, triticum congregabitur in cælo.

Simile est &c. Ecclesiam agro comparari, opera semini &c. latè probatur. fol. 147. nu. 271. Videre ergo debet quilibet quid semines, vbi semines, &c. ibid.

Iusti horto similes, impij pulueri. fol. 595. 1.

Iusti in hac vita misti cum iniustis. fol.620.nu.4.5.& seqq.

Colligite primum zizania ad comburendum. Infernum non proprio exprimit nomine, quia nomẽ non habet. fol.571.nu.1.& seqq. Duplici elemento infernus componitur. ibid. nu.2.

Colligite primùm zizania &c. vide fol.588.nu.4.& 607. num. 17. Combustio zizaniarum æterna erit, quia ignis dum erogat reparat.ibid.

DOMINICA SEXTA. Post Epiphaniam.

Mirabatur naturæ Mystes, lib. 17. cap.10. naturæ miracula, quæ ex paruis feminibus, magnas & inuictas producit plantas, vnde & dicebat, *Quid simile originis sua habent malorum proceramque femina? his principijs respuentes secures materiam nasci, indomita ponderibus immensis prala, arbores velis, turribus murisque impellendis arietes. Hec est natura vis, hec potentia.* Sed nouum hodie Author fidei,& naturæ Creator proponit femen, idque finapis, quod minimum est omnibus feminibus, tale enim est, vt Hieronymus docet, *Euangelium, & notitia scripturarum, praedicatio namque Euangelij minima est omnibus disciplinis, Deum mortuum, & scandalum Crucis pradicans*. Vel fecundum Chrysostomum, *Minimum est semen Euangelij, quia Discipuli vniuersis erant imbecilliores, sed tamen quia magna erat virtus in eis, expansa est eorum pra dicatio vbique terrarum.* Ita ex hoc minimo femine fato, facta est arbor, quæ per totum orbem expandit ramos, quia prædicatum est Euangelium in toto mundo. In ramis eius, vt inquit Hilarius, *Gentes in spem vita aduolarunt, & aurarum turbine, id est, diaboli spiritu flatuquè vexata, tamquam in ramis arboris conquiescunt*. Ex ea facti sunt inuicti Martyres respuentes tyrannorum ictus. Ex ea, prælа martyrum fanguine redundantia Ex ea, arborum velæ, quæ nauẽ institoris per omnes mũdi oras direxerunt, portantem panem fuum, qui de cælo descendit. Et ex ea, aries Crucis de qua Chryfologus ferm.123.ita fatur, „ *Hinc est, quod arietem sua Crucis portas aggressurus infernum, vt conterat & confringat ipsas tartari ianuas are munitas & ferro*. O minimi feminis mirabilem virtutem!

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Pater familias proindè dat pro spectaculis spectacula, & vbi pater mendacij hodie conuocat homines ad spectacula vana, vt perimat: ipse exit primo mane conducere operarios in vineam suam, vt faluet. De vanis spectaculis dixit Augustinus, Damus pro spectaculis spectacula, nam tamquam Clauis claui, spectacula profana per spectacula facra pel luntur. fol. 263. Sic in Euangelio hodier no spectacula mira proponuntur, dum vocantur operarij, in vineam mittũtur, & par merces datur non pariter laborãtibus, & ex multis vocatis, pauci eliguntur.

Spectacula vana theatrorum Christianum adire, idem delictum est, quo Iudæi congregati in concilio, Christum crucifixere. fol. 257. nu. 1. In illis assistẽtes, Christiani nomine priuãtur. ibid. Ob periculum, quod amat spectacula adiẽs, mortaliter peccat, & perit. fol. 258. nu. 2. In spectaculis est quædam fidei apostasia. fol 259. nu 1. Christianus in spectaculis non Christianus. ibid. n.3. Sagittæ ibi emittuntur, exitiales, quæ per aures, & per oculos perimunt cor. ibi denumero 4. In his theatricis spectaculis totus homo polluitur. fol. 260. n. 5. Detestabilius hoc crimen in Christiano, quàm in Pagano. ibid. Theatrum, emporium est publicum obscænitatum omnium. ibid. Theatralis mulier libidinis est fimulacrum. ibid. In theatro idem est crimen agentium, & aspicientium. fol. 260. n.6. Chrysostomus ab Ecclesiæ ingressu arcebat spectaculorum sectatores. fol. 262. num. 7. Dauid, vt pędagogus fidelium, illos instruit, vt spectacula fugiant. ibid. nu. 8. Quanto digniora sint spectacula spiritualia, quam carnalia. fol. 263. per totum circulum 9.

In libris legis diuinæ omnia spectacula inueniuntur. fol. 335. nu. 12. & 13.

Multi sunt vocati pauci vero electi, Dubium an plures fint electi, quam reprobi, largè tractatur. fol. 93. nu. 175.

Numerus bonorum rarus, malorum multiplex. fol. 537. nu. 8. & seqq.

DO-

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

SI in satione materiali multa sunt obseruanda, vt inde fructus sperari possit, & colligi: multo magis id requiritur in spirituali. Plinius lib. 13. cap. 24. disciplinam seminandi tradit tum in ferendo, tum in semine, tale est enim granum, quod rubet: tum in loci electione, tum in æquali sparsione, tum vt manus congruat cum gradu, semperque cum dextro pede, &c. In satione autem spirituali, qui seminat, Christianus est, granum rubens & semen, Verbum Dei est, &c. fol. 147. num. 271. Et applica.

Exijt qui seminat, seminare semen suum. Statuta a Naturalibus sunt ferè di tempora: at Fidelibus omne tempus opportunum est ad serendum, immo omni die, & mane & vespere serere debet, & bene operari. fol. 521. a n. 3. ad 6.

Theophylactus in eo, qui exiit, Christum agnoscit, qui exiuit a paternis finibus. In semine suo, non Moysen non Prophetas, sed Euangelium suum, quod prædicauit. Secus viam cadit, cũ in cor infidele cadit, Via enim est Christus. Aliud cadit in animum petrosũ: eos dico, qui facile suscipiunt, & deinde abijciunt. Qui petrosi sunt, ad paruũ tempus similes facti petræ Christo, in hoc quod sermonem susceperunt: dissimiles autem facti, eo quod ad tempus breue susceperunt, & deinde abiecerunt. Et aliud in animam cecidit multis curis obnoxiam, spinæ enim curæ sunt. Denique quartum in terram bonam cecidit. Proinde vide quomodo rara sint bona, & pauci qui seruentur: nam quartum tantum semen inuenitur seruatum.

Hi radicem non habent. Radix fidei caritas est, quam nõ habentes, ab omni vento mouentur, &c. fol. 582. num. 7. & seqq. Vide ibi multa etiam in 4. Circulo. Radices hæ in terra corporis Christi sunt figendæ. fol. 583. num. 8. Fundamentum etiam domus spiritualis in illo est eleuandum. ibid. num. 9.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

CElebrabat Plutachus Romanorũ instituta, qui in Cõuiuijs, Superiorum opera carmine comprehensa pangebant: sed multo magis laudandũ Ecclesiæ institutum, quæ inter conuiuia huius temporis, Christi canit opera, Christi pangit & passionem. Et quidem dignum fuit antiquum illud institutũ, & magnorum Heroum parens. Vide fol. 300. num. 12. & 13. Sed non potest cum hoc Ecclesiæ comparari instituto, quo inter conuiuia, vel Eucharistiæ, vel virtutum, vel mẽsarum carnisuilij, Domini exercituuum bella, & victorias per passionem & mortem consecutas pangit & legit, *Occident eum, & tertia die resurget.*

F I N I S.

ELENCHI QVINTI PRO CONCIONIBVS SECTIO SECVNDA.

A FERIA QVARTA CINERVM, vsque ad secundam Paschæ.

C*Vm ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes.* Serui nequã pęnã referens Matthæus. cap. 24. sic dicit, *Diuidet eum, par temque eius ponet cum hypocritis.* Et licet talis diuisio secundum Caietanum, fiat per mortem: secundum Theophylactũ, per doni spoliationem: secundum Glosam interlinearem, a consortio fidei: secundum Lyranum, separando animã à corpore: aptius tamen diuisio hęc, ex Hieronymo, fit, dum à Sanctorum consortio hypocritam separat. En hodie separantur hypocrite à Sanctis. Illi ieiunant, isti ieiunant. Sed illi tristes: hi oleo lætitiæ caput vngant. Illi exterminant faciem: isti lauant. Illi vt videantur ab hominibus: isti non vt videantur ab ho minibus, sed à Deo. Illi pro mercede hominum: isti vt merces eis reddatur à Dño. Illi thesaurizant in terra: isti in cęlo. Illi cor ponunt in thesauro vanę laudis haman: isti in præceptis Altissimi.

Cum ieiunatis. De ieiunio. Vide in 2. Elencho Ieiunium.

Nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes, Vide multa in Ver. 35. n. 8. toto circ. 4. hi enim fructum dant non suum, fallũt & falluntur, sunt foris Helena, intus Hecuba, fidem negant, Iudæęmulatores sunt: similantur hydropicis. Hypocrita similis polypo, cornici, mulieri deformi se vanè ornanti, & hosti ficto. fol. 353. n. 9. 10. 11. & 12.

Tu autem cum ieiunas, Primo mala vitanda, deinde implenda proponit bona, nam corruptio vnius alterius est generatio, & principium profectus est, discessus à malo. fol. 290 per totum circulum. 3. Sic in scala Iacob, primus ascẽsus, à terris separat. ibid. nu. 6. & 7.

Vnge caput tuum. Sic præcipit Salomon, *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Proponitur dubium, & soluitur, nimis ad propositum pro hoc loco. fol. 522. nu. 8. & 9. Intentio pura requiritur in operibus bonis, vt nedum bonum fiat, sed bene fiat. fol. 525. per totum circulum. 7. Præcipit Christus, vt quilibet ieiunans, Theologum agat, dum ita iubet Vnge caput tuum: nam si caput Christi est Deus, qui caput vngit, virtutum fragrantiam offert diuinitati. Sic Theophilactus in cap. 26. Matt. *Si non solum illum hominem esse docueris, sed dixeris & Deum: tunc caput suum, hoc est, diuinitatem, fragranti vnguento perfundes, hoc est, Theologum ages.*

Conuertimini ad me in toto corde vestro, & scindite corda vestra. Statuit Salomon tẽpus destruẽdi, & tẽpus ædificãdi, ac tẽpus occidẽdi, & tẽpus sanãdi, vtrũque nũc adueĩt, vt destruas, & occidas peccatum, & ædifices & sanes cor ac virtutẽ. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, en ædificatur & sanatur cor. Scindite corda vestra, en destruitur, & occiditur. Vide fol. 143. nu. 264. & nu. 265.

Discrimen inter sacrificium Abelis & Caini fuit, quòd hic post aliquot dies fructus inanimes: ille statim, & animatos, &c. Vide fol. 443. nu. 19. Eadem differentia erit inter eos, qui hodie cor offerunt: & eos, qui differunt sacrificium pænitentiæ.

Quomodo Ioel ad conuersionẽ inuitat, dicens, *Quis scit, si ignoscat Deus?* cum Iob se scire asserat, quod Deus nõ ignoscat delinquenti? Vide dubium, & solutionem. fol. 474. nu. 5.

Conuersio in toto corde præcipitur. Non enim integri Christiani sunt, qui quędam bona faciunt, quædam mala, sed semichristiani dicendi sunt. fol. 492. num. 1.

Memento homo quia puluis es. Vide descriptionem puluеris in aere elati, & inde à ventis proiecti. fol. 98. num. 184. Pulueri & vento superbiæ opponẽdus est puluis mortis & ventus humilitatis. fol. 103. nu. 191. & 192. Si Dominus iudicat extremæ terræ, dum terram capiti imponit, vult vt imponas terminum an-

teactæ vitæ,& primogenitum asini, mutes oue. fol. 141. nu. 262.

Memento homo, quod nemo potest bene mori, qui male vixerit, &c. fol. 442. nu. 18.

FERIA QVINTA CINERVM.

IVstum, quem Hugo Victorinus generice, & in abstracto comparabat arbori, si quis vellet in concreto cernere & in indiuiduo, vix in alio id videre potest, quàm in Centurione. Si in Iusto dicebat Hugo. *Radicem esse fidé, &c.* Vide fol. 66. num. 126. dicamus & nos pro gloria Centurionis, *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Si tempus quæris, Ver est, quo Sol Iustitiæ ad eum reuersus est, *Cum introisset Iesus Capharnaū*. Si flores bonæ famæ, *Cum audisset de Iesu*. Si spei stipitem, *Accessit ad eum Centurio*. Si corticem conuersationis bonæ, *Misit ad eum seniores Iudæorum*. Si folia verborum, *Rogans eum*. Si ramos caritatis, *Diligit gentem nostram: & Domine, puer meus iacet in domo paralyticus*. Si intentionis medullam, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectū meum*. Si humilitaris terram, in qua plantatur, *Nam & ego homo sum*. Si fidei radicem, *Non inueni tantam fidem in Israel*. Si fructuum coronam, *Sanatus est puer in illa hora*. Et si arboris celsitudinem & gloriam, *Veniet & recumbet in regno cælorum*.

Cū introisset Iesus Capharnaū. Deus in se immobilis manens, modo dicitur stare, modo sedere, modo ambulare, &c. fol. 643. nu. 1. & seqq. *Cum audisset de Iesu, accessit ad eum Centurio.* Ex auditu cognitionem Dei obtinuit, ideo ad eū accessit, cognitio enim Dei omnium est parens bonorum. vers. 12. 1.

Audit per fidē accedit per præceptorū obseruationem, qui enim his non vacat, Deum negat. vers. 12. 8. Datur accessus ad Deum, & recessus ab eo. cor. stel. 13.

Rogans eum: De orationis virtute, vide in 2. Elencho. Oratio. *Domine, puer meus, &c.* Iure dicitur, quod accessit ad eum, dum plus accessit, nam Deo per pietatem agglutinatur homo. cor. st. 12.

Nam & ego homo sum. Homo ex duplici substantia constās, dum ob animæ dignitatem eleuatur: ob terræ vilitatem humiliatur. fol. 517. n. 4. Vide in 2. Elencho. Humilitas.

Non inueni tantam fidem. Fides planta est, quæ ex fructibus operum cognoscitur. fol. 404. num. 1. per totum circulum. Nec fructus operum sine fide, nec fides valet sine fructibus operum. fol. 406. num. 1. 2. & seqq. Iure dixit Diadocus, *Leui mili credit, in quo pondus gloriæ caritatis non operatur*: Sicut .n. leuitatis pondus ignem eleuat in cælum: ita caritatis pondus, &c. fol. 409. nu. 11. Hinc Christus, post verba, *Non inueni tantam fidē, &c.* Subdit pondus operans caritatis, *Multi venient, &c.* Vocem & faciē petebat Sponsus, id est, fidem & opera, ibid. num. 12. Vtrumque in Centurione, de quo dicitur, Diligit gentem nostram, &c. Et accessit ad eum, vt faciem videret: & rogat eum, vt vocem fidei demonstraret.

Fides Christiani qualis esse debet. f. 492. num. 1. & 2.

FERIA SEXTA Cinerum.

VErba Mosis de Abram sic loquētis, *Tulit Saram, & animas, quas fecerant in Aram*: magnam apud magnos Doctores excitauit quæstionem, quomodo enim steriles genuerunt, & genuerunt animas? Sufficiat pro plena responsione Chaldaicæ Paraphrasis trāslatio, *Et omnes animas, quas subiecerant legi in Aram.* Vide fol. 43. num. 67. Si igitur idem est animas legi subijcere, atque eas de nō esse, ad esse reuocare, & de nouo formare: en hodie, Legifer noster, inimicum odio habentem, qui in morte manet, dum antiquum statutum seruat, *Odio habebis inimicum tuum*: nam, *Qui non diligit, manet in morte*: ad vitam per legem sic vocat, *Ego autem dico vobis, Diligit inimicos vestros*. De nouo format manus. *Benefacite his, qui oderunt vos*. Reformat & os, *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Nouum dat nomen amoris, *Vt sitis filij Patris vestri*, Filius enim cum ab amore dicatur, & Deus caritas sit, amoris in eo viuam effigiem format. Nomini autem bene respondet perfectionis effectus, *Estote ergo perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Respondet etiā

belle merces, & premium, *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Quasi dicat, si diligitis eos, qui vos non diligunt, mercedem magnam habebitis in cælo.

1. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.* Celebris est Hieronymi sententia; in epist. 14. *Nihil est imperiosius caritate.* Imperator ab imperando est dictus, sed imperabat Martyri, vt Christum odio, haberet, ac negaret, & Ioue diligeret, Ioui sacrificaret, id autem frustra. Nam in corpore ius habens, in corde ius nullum habebat. At Legifer, & Imperator noster, qui caritas est, & caritas ipsa, tale habet imperium; vt nil reperiatur imperiosus ipsius caritate: iubet enim vt diligatur inimicus, & efficit vt ametur ab his, qui Deum amant, subdit enim Hieronymus, *Et qui perfecte amatur, totam sibi amantis vindicat voluntatem.* Ideo nihil est imperiosius caritate. Videatur pro hac materia versio 19. tota, & in tabula, Dilectio inimicorum.

Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est. Vtrique in cælis vbi coronas varias ex varijs componit Stellis, vt legis obseruatores coronet. Ita leges coronabantur, & ideo coronam gestat Deus in manu. fol. 500. num. 10. & 11.

SABBATO CINERVM.

NVmquam marina Ostrea margaritis grauida, os aperiens, tot radios aureos lucidosque emittit: quot, os orantis gemmeum, fulget virtutibus, si enim oratio, ex Isaacio Lib. 1. de contemptu mundi cap. 22. est clypeus in prælio: en præliantes Discipuli cum tempestate, ad clypeum accurrentes, *Exclamauerunt*: Si illa est portus liberans a tempestate: en ascendit ad orantes, *Et cessauit ventus*: Si illa est confidentiæ thesaurus: en his dicitur, *Confidite, ego sum, nolite timere*. Si illa est lumen his, qui in tenebris sunt: en *Continuo cognouerunt eum*. Si illa refugium est auxilij, & fons salutis, en, *Deprecabantur eum, vt infirmi vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quotquot tangebat eum, salui fiebant.* Vide has omnes margaritas f. 464. a num. 11. vsque ad 19.

Erat ventus, cur iusti in hac vita tribulationū & persecutionū vētis subiaceāt, vide in Elen. 2. Iusti, Tribulatio. *Volebat præterire eos. At vbi illi exclamauerunt, & ascendit ad illos.* O quā vera est Climaci sententia, *Oratio piè Deo vim infert.* Vide fol. 456. num. 17. Et vide in 2. Elencho, Oratio. *Confidite, &c.* Spes alit exules, & qui spem non habet, homo non est. Vide in 2. Elencho. Spes.

DOMINICA PRIMA Quadragesimæ.

QVod Plato docet de intelligibili primo, in quo ideæ: & de secundo, in quo continētur figuræ; fol. 503. num. 1. potest a nobis aptari incarnatæ sapientiæ, quæ omnium virtutum est idea: & fidelibus, qui ex tali idea debent eligere formas, iuxta illud, *Omnia facies secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Si in Christo, quasi in exēplari, vides, quod postquam in baptismo declaratus est Filius Dei, ducitur a spiritu in desertum; fac etiam tu similem in te formam, & qui in baptismo declaratus es filius Dei, noli duci a spiritu huius mūdi ad spectacula vana, sed in desertum fuge. Si ille vt tentaretur: & tu præpara animam tuam ad tentationem. Si ille ieiunat: ieiuna & tu. Si ille Clypeo scripturæ armatus omnia tela ignea nequissimi extinguit, sume & tu Scripturæ arma, vt in omnibus victor, de omnibus triumphes.

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, vt tentaretur. Tentatio & tribulatio probat Dei filios & iustos. Vide in 2. Elencho, Tentatio, Tribulatio.

Ductus a Spiritu: nam a gratia stabiliri debet cor, vt possit resistere diabolo. fol. 593. num. 9.

Ductus est, &c. Lyranus moraliter explicans consilium, & auxilium præstitum à Ionata Dauidi, dum inimicum Saul & illius persecutionem, vel effugere vel vincere tentabat: sic ait, 1. Reg. 20. *Potest dici, quòd per Ionatham, qui Columba donum interpretatur, Spiritus sanctus, qui in columba specie apparuit in baptismo Christi, significetur: ad cuius auxilium & consilium debemus recurrere in angustijs: & ipse paratus est iuuare, quia proprium est Diuinitatis succurrere.* Hoc autem quadrat nimiū ad propositum, quia Christus, *Tunc du-*

Eius est a Spiritu, vt tentaretur à Diabolo: quando Spiritus in Baptismo in Colũbæ specie visus est super caput eius.

Accedens tentator. Quomodo diabolus modo tentat homines, si ex Christi victoria & sententia missus est foras. Vide fol. 549. nu. 45.

Scriptum est, De scripturæ sacræ armis & virtute. Vide in Elencho 2. in verbo, Scriptura sacra.

Non in solo pane viuit homo. Diabolus, vbi concupiscentiam non habet adiutricem, vires non habet. fol. 552. n. 12. Vide in Elencho Concupiscentia.

FERIA SECVNDA
Dominicæ Primæ.

INter varia nomina a sãctis Patribus & sacris Doctoribus excogitata ad describendum finale iudicium, illud commercij, si male non iudico, magis id exprimit, quod Emissenus hom. de Vidua, ei tribuit, dicens, *In tempore illo erit quoddam commercium dandi & accipiendi inter Deum & homines*. Si commercium Græcè ἐμπορία, idem est ac libera commeandi, contrahendique facultas, tale in iudicio erit commerciũ inter Deum & homines, tum cõmeandi, nam Deus descendet de cælo, *Cum venerit filius hominis*: homines ascendẽt in cælũ, Ibunt iusti in vitam æternam: tum etiam commercium contrahendi, nã homo affert, quod laborauit, Deus restituit quod promisit. Vide hoc commercium expressum ex eodem Eusebio, fol. 61. nu. 114. cor. stell. & quæ ibidem adduntur ex Chrysologo.

Cum venerit, &c. Iudicium finale tãquam Pædagogus datur filijs Dei, vt instruatur eorum vita. vers. 20. 8. & vers. 73. 4.

Congregabuntur ante eum omnes gentes. Tam boni pij, quam impij in Iudicio congregandi. fol. 585. n. 3. Omnium peccata reuelanda. ibid.

Separabit eos ab inuicem. Hinc Christus dicitur habere ventilabrum in manu sua, vnde purgabit aream, & Iustos, vt granum graue colliget pro semine: & impios, vt puluerem & quisquilias, proijciet à facie terræ in igne inextinguibili. Vide fol. 89. nu. 160. Iusti, vt cæli, nec à vento mouentur, nec væ timent: timent autem impij, qui terra sunt, & iũ terra habitant. fol. 90. nu. 170.

Iusti vt gigantes resurgunt in iudicio: impij, vt pygmæi. fol. 105. nu. 195.

Impij, & iudicati sunt re: & sententia Iudicis iterũ iudicantur. fol. 106. num. 196.

Separatio hæc fiet à varia sepulchrorum terra, Adagium enim est, Non omnis fert omnia tellus: sepultura Iustorũ feret carnem floridam, rosis, vel lilijs coronatam: tellus autem sepulturæ impiorum, carnem horridam proferet spinis ac tribulis vndique circumdatam. fol. 116. nu. 212.

Separatio hæc figurata fuit in separatione aquarum ab aquis. fol. 117. n. 213. & in separatione lucis à tenebris, &c. fol. 119. nu. 217.

Separatio ouium ab hædis, patefaciet peculium Dei, quod totum pecoribus constat. fol. 119. nu. 217.

In creatione, homines Deus separauit ad libitum, in resurrectione iuxta meritum. fol. 127. nu. 234.

Separatio fiet sicut tritici à quisquilijs. fol. 147. num. 271. & fol. 582. num. 7. & 8.

Duæ partes sunt, Iustorum, & reproborum. fol. 586. nu. 5.

Id in vltimo Iudicio faciet Deus, quod in creationis principio, seperans Iustorum lucem, ab impiorum tenebris. fol. 601. nu. 1. & seqq.

In hac vita simul viuunt pij & impij, tunc separabuntur: fol. 620. a num. 4. vsque ad 8.

Statuet oues à dextris, hædos à sinistris. Hoc figuratè prædixit Salomon, Cor sapiẽtis, id est, labores & opera eius bona, ad hoc tendunt, vt locetur à dextris: è contra, stultus. Vide fol. 500. nu. 9. & 10.

Venite benedicti, &c. Verificabitur tunc oraculum Isaiæ, nam cælum premij, palmo metietur, vltra condignum: terram autem pænæ, pugno clauso, & citra condignum. Vide fol. 115. num. 210.

Iudex modulator orbis, superbos, quasi altas voces, deprimet: Iustos, quasi depressas, eleuabit. fol. 128. nu. 237.

Hereditatem æternam, non Iosue, sed Iesus, ex meritis distribuit. fol. 141. num. 260. In iudicio statera & bilances erunt, illis mala, his autem etiã bona & iustitiæ examinãtur. f. 525. a n. 12. ad 14.

Di-

Discedite, &c. Non aliud eis obijcitur, quam misericordiæ neglectus, & cur, fol. 600. num. 6.

Ibunt hi in ignem æternum, Tunc implebitur Oraculum, *Turbo disperget eos*. Qui enim montes erant immobiles, turbo disperget, vt quisquilias. fol. 104. n. 191. Sic fulmina diuinæ sententiæ, nõ in alium locum, nisi in peccatorum capita ferentur. fol. 127. 235.

Vox Iudicis sicut rugitus leonis, horribilis impijs. fol. 586. nu. 4.

In momento ad inferna descendent. fol. 611. num. 8. & 9.

FERIA TERTIA Dominicæ Primæ.

OLim Sponsa, antequam Verbum, quod lux vera est, in incarnatione inclinaret vmbram, & de sinu Patris descenderet in gremium matris, iuxta Gabrielis promissionem, *Spiritus sanctus obumbrabit tibi*; inter lilia pascebatur, & solo alebatur odore: at illo Ierosolymam ingresso, & in carne apparente, & visu nutritur, & gestu delectatur & tactu, & admirabunda ac laudans interrogat, *Quis est hic?* De Astomorum gente Plinius refert, afflatu tantum viuere: & de Rachele Moyses asserit, ad odorem Mandragoræ concepisse: Mandragoræ enim radices imaginem hominis representant: vbi vero, Verbum habitu inuentum est, vt homo: ibi non tantum odore, sed visu, tactu, & gustu delectatur. Vide fol. 76. nu. 147. per totum numerum: & præcipuè Cypriani allegoriam. Et ex eodē, Rachelem interpretari Visus principium: nam Verbum, quod erat in principio apud Deum, mihi non patet, sed quibusdam nominibus eum inuoco, & dico, Iustitia, Veritas, Sanctificatio, Caritas, &c. Vbi autē Verbum caro factū est, facilius video, & hoc sensui meo, quasi esu incorporo. Sic ergo, cum Iesus assumpta carne Ierosolymam intrat, pacemq. intimat, Ciuitas mundialis cōmouetur, & quærit. Quis est hic? Et populi respōdent ac nouis eum nominibus appellant. 1. *Hic est Iesus*. 2. *Propheta*. 3. *A Nazareth Galilea*. 4. *Hosanna filio Dauid*. 5. Miraculis se demonstrat Saluatorem. *Accesserunt ad eum caci & claui, & sanauit eos*. 6. Ex ore infātium & lactantiū fundat laudē.

Quis est hic? Dei cognitio omnia parit bona, ideo inquirere debemus quis sit. vers. 12. 1.

FERIA QVARTA Dominicæ Primæ.

CVm lex tota in duobus tantum versatur Polis, nempe, Velle, & Nolle: sed Velle, quod Deus vult, Nolle, quod noluit sicut Pharisæi totam destruunt legem, dicentes, *Volumus*, ita Christiani qui nolunt, quod Deus non vult, & volunt quod vult, & faciunt voluntatem Patris, legem totam implent. Et certe, quod lex, quasi cælum, ex his duobus pendeat polis, nempe, velle & nolle, aperte probatur. fol. 292. à nu. 11. vsque ad 15. Destruūt ergo legem Pharisæi, dicentes, *Volumus a te signum videre*: & destruuntur à lege, vt generatio mala & adultera. Mors illis prædicitur, dum signum datur Ionæ Prophetæ. In iudicio damnantur à Niniuitis & à Regina Austri. A dæmonibus possidētur, *Cum immundus spiritus, &c.* E contra, per velle quod cælestis Pater vult, nouam acquirit homo generationem, atque diuinam, fit enim frater soror & mater Christi.

Conditor omnium omnibus legem posuit. Differt autem lex reliquis creaturis posita, à lege homini imposita, quia illius in natura posita est obseruatio, huius vero in voluntate. fol. 310. num. 1. & 2.

Iure Christum appellant magistrum, nam ad legis obseruantiam, vltra volūtatem requiritur doctrina. fol. 311. n. 3. Ideo premia promittuntur obseruatoribus legis, pænæ trāsgressoribus, quia ex libera voluntate vtrumque procedit. ibid. num. 4.

Hac ratione Creator, hominem solū in creatione non laudauit. fol. 312. n. 5.

Voluntas variatur secundum variam doctrinam. fol. 313. nu. 7.

Voluntas est lapis lydius, in quo probatur obsequium Dei. ibid. nu. 8. & 9.

Voluntatis thesaurus in diuina lege conseruandus. ibid. nu. 10.

Qui fecerit voluntatem. Velle bona, dum posse non datur, idem est ac bona fecisse. fol. 295. nu. 16.

Ille meus frater. Qui verba Dei audit & seruat, Deus per gratiam eū adit. fol.

318.a num. 18. vſque in finem circuli. Redditur & ſponſa cum corona. fol. 325.nu.2.

FERIA QVINTA
Poſt Dominicam Primam.

EGreſſus Ieſus, &c. Videns Ieſus venientem Chananæã, poterat choro Apoſtolico illud repetere, *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* Vide fol.3.num.7. Et pendens verba Ruperti Abbatis, *Laudando chori, præliantur: præliando caſtra, laudant*: dic Chananæam laudando, canendo, orando Dominum, cum dæmonio præliari: & dũ pro illa Chorum muſicum ducit, contra hunc caſtra bellica mouet. Si Chorus armonicus cõſtat ex varijs vocibus; Chananæa chorum ducit variarum cãtatricum, & bellum & caſtra mouet. Et ſi muſica ex Rhodigino li. 9. *Numinis eſt afflatus*: en ipſa vt Chorum muſicum orationis ducat, à Numine afflatur, quia *Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis, & ecce mulier à finibus illis egreſſa clamabat*: & clamabat, chorum ducens, *Dicens*. Prima ex cantatricibus in Chorum ingrediens; Pietas eſt ad omnia vtilis, *Miſerere mei Domine, fili Dauid*. 2. Amor. *Filia mea, malè à Dæmonio vexatur*. 3. Sanctorum voces; *Dimitte eam, quia clamat poſt nos*. 4. Perſeuerantia; *At illa venit, & adorauit eum, dicens, Domine adiuua me*. 5. Humilitas, Etiam *Domine, nam & Catelli edunt de micis*. 6. Fides. *O mulier magna eſt fides tua*. Inde chorus conuertitur in Caſtra, & Coronam victoriæ obtinet, *Fiat tibi ſicut vis*: Et dæmonium à filia expellit, *Et ſanata eſt filia eius, ex illa hora*.

1. A *finibus illis egreſſa, clamabat*. Qui in inſtrumento muſico vocem accõmodant, debent vocem cum citharæ ſono concordare: Ita Chananæa; vt vocem reddat conſonantem, organum corporis prius concordat, & fides illius à finibus infidelium transfert, &c. fol. 46 nu.78.cor.ſt.

Chananæa repetere poteſt Dauidis verba, In die tribulationis meæ, &c. vide fol.493.num.3.& 4.

Theophylactus ex hac hiſtoria vtile nimiũ te docet myſterium; ſic enim te monet, *Diſce igitur & tu hoc loco vtilem doctrinam. Etenim vnuſquiſque noſtrum quando peccat, mulier eſt, hoc eſt, infirma anima. Syrophæniſſa autem, tamquam rubrum & ſanguinarium ac cruentum peccatum habens. Filiam autem habet talis mulier, malum opus, quod habet dæmoniũ. Mala enim opera, dæmonum ſunt. Peccatores itaque cùm ſimus, canes nominamur, immunditia pleni, propter quod & indigni ſumus, qui accipiamus panem Dei, hoc eſt communicemus immaculatis myſterijs. Quòd ſi per humilitatem noſmetipſos agnouerimus, & confeſſi fuerimus nos eſſe canes, enarrauerimuſque peccata noſtra, tunc ſanabitur filia noſtra, hoc eſt, opus diabolicum.* Hæc ille in cap. 7. Marci.

Miſerere mihi Domine, fili Dauid. Dauid memorat, & filium illius Chriſtum appellat; quia filij tenentur perficere parentũ opera. Sicut ergo Dauid cithara dæmonem expellebat à Saul, ſic ipſe à filia pellet. Vide fol.7. nu.1.

Sanata eſt filia eius ex illa hora. Nec mirum quod orationis baculus, dæmonẽ, tamquam canem eiecerit de domo. Vide fol.464.n.10. Et adde verba Marci 7.29. Propter hunc ſermonem, vade; exijt dæmoniũ à filia tua. Mirũ nõ eſt ꝙ oratio dæmonem expugnet, quæ cum Domino exercituum pugnat. ibid. n. 11.

FERIA SEXTA
Dominicæ Primæ.

LAnguidus hic qui iacebat, peccatorem inſtruit, vt poſt primum lapſum quieſcat, nec noua addat crimina. Sic de equis Græcorum legitur, quod ſi labuntur, quieti ſeruant diſciplinam, expectantes auxilium. Sic Caino dixit Deus, Peccaſti, quieſce. Vide fol. 234. num.2.& 3. vbi prolixe hoc exponitur: & applicari poteſt languido, qui auxiliũ diuini Equitis expectauit.

Erat quidam homo ibi, &c. Paralyſis pœna eſt nimium proportionata peccato, & eſt character exprimens videntibus peccatorem tremere, peccati mulctam. Vide mira ad hoc propoſitum. fol.96.num.181.& fol.97.num.182.

Sanabatur vnus. Pauci iuſti in veteri ſanabantur lege, innumeri in Euangelio fol.25.num.25.

Vis ſanus fieri? Fructus ſalutis, inſitus eſt ex gratia & libero arbitrio. fol. 408. num.10.11. Duæ voluntates in vno ſta-

dio

dio cordis contendunt, nam vult, & non vult piget fol.642.n.8,& 9.

Tolle lectum tuum. Languidus poteſt lecti onus tollere, peccati autem onus ſolus Deus fortis tollere poteſt. f. 234. n.3.& fol.235.n.4.& 5.

Noli amplius peccare, &c. Recidiuationis malum, Deum quodammodo mutabilem reddit,&c.fol.418.num. 6. & 7. Et in Elēcho 2. Vide, Recidiuatio.

SABBATO DOMINICÆ Primæ.

SI vera eſt, vti & eſt Platonis ſententia, terrena bona cæleſtium eſſe tantum vmbras bonorum: vera erit & mea, qua audeo dicere, Bonitatem omnem tam hominum, quam Angelorum, vmbras tantum eſſe, ſi luci comparentur bonitatis Reginæ hominum & Angelorum. Probat Ficinus Platonis effatum, dicens cæleſtia bona Ideam eſſe bonorum, &c. Vide fol.78.num. 149. Idipſum aſſeram ego, Mariam, tamquam bonorum omnium atq. virtutũ ideã, adeo ſplēdere, vt reliquorum virtutes vmbræ potius æſtimentur, quàm virtutes. Hinc Chriſtus in monte hoc myſtico, nempe in Maria, quę mons est præparatus ſuper omnes montes, lucida omnia oſtendit. Si transfiguratur, in lucis figuram transformatur. Si reſplenduit facies eius ſicut Sol, in fontem conuertitur lucis. Si veſtimenta facta ſunt alba ſicut nix, albedo oritur ex participatione lucis. Si nubes apparet, en lucida obũbrat eos. Si vox Patris intonuit, ſermo Domini lucidus dicitur. Si Moſes adeſt, illius vultus propter claritatem non poterat aſpici: ſi Elias, de eo dicitur, *Elias*, propheta, quaſi ignis. Et Virgo, quaſi Mons, inter tot lumina, tota lucida ſplendet, & quaſi virtutum Idea ſic colitur, vt reliquorum virtutes, illi comparatæ, vel vmbræ iudicentur, vel vmbræ ſint.

Duxit illos in montem, &c. Vtinam & nos in hunc myſticum ducamur montem, vt Virginis poſſimus aſpicere lucem, &c. Vide in 2. Elencho, Maria V.

DOMINICA SECVNDA Quadrageſimæ.

RESplenduit facies eius ſicut Sol. Beatitudinis iuſtorum ſymbolum demonſtrare volens Chriſtus in ſe, tã quam in capite, iure demonſtrat in ſymbolo Solis. Sicut enim Solis lux & lux integra eſt, quamuis aliquid interiaceat: ita iuſti inter preſſuras, carceres, martyria, & mortes, ſemper in regno, quod intra illos eſt, beati ſunt. Vide mira ad propoſitum, fol. 18. num 8. cor. ſt. En Dominus inter ſudores, ex aſcenſu in montem excelſum: inter lacrymas prolixæ orationis: inter exceſſum paſſionis, crucis, mortis, de qua loquebatur cum Moyſe, & Elia: vt Sol apparet, in regno ſuo: quia etſi exterius obducatur nubibus calamitatum, ſemper interius eſt beatus.

Vide in 2. Elencho, Iuſtus.

FERIA SECVNDA Dominicæ ſecundæ.

DIfferentia, quam inter arbores cõmunes efferunt Naturales, poſſet & inter arbores inuerſas afferre Theologus. De illis Plinius refert, q Cornus fructus fert primo candidos, poſtea ſanguineos, & in autumno acerbos & inguſtabiles: at pinus ſemper fructibus coronatur. Idem de hominibus dicatur. Vide omnia fol. 67. 117. Eadē differentiã in agro Euangelij hodierni diſcernere licet inter plantas inuerſas, Hinc, quaſi cornus, ſurgunt peccatores, qui in Solſtitio, fide mundati, & in ſacro fonte dealbati, fructus candidos generarunt. At Sole iuſtitiæ recedente, qui dicit, *Ego vado*, ſanguineos fructus pariunt, vnde eis dicitur, in peccato veſtro moriemini. Et hi in autumno mortis acerbas producent baccas, Moriemini in peccato veſtro: & inguſtabiles erunt, Moriemini in peccatis veſtris, quia de deorſum ſunt, & de mũdo hoc ſunt. At Caput iuſtorum, quaſi Pinus ſęper apparet cũ fructuũ Corona, dicit enim, Quæ placita ſunt ei, facio ſemper: de ſupernis ſum, non ſum de hoc mundo, & cùm exaltaueritis Filium hominus, tunc cognoſcetis, quia ego ſum.

In

In peccato vestro moriemini. Peccatores, tamquam statuæ, a morte mouentur veniente super illos, & in infernum descendunt viuentes. Declaratur hoc paradoxum fol. 569. num. 12 & 13. Apparebunt peccata ante oculos eorum, & turbabuntur, fol. 598. num. 2. & seqq.

Pænitentiam procrastinantes damnantur. fol. 120. num. 219.

Theophylactus in c. 24. Matt. Interpretans verba, Rogate ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato: in hieme sterilitatem præteritę vitæ: in Sabbato ocium mortis agnoscit. Periculosa .n. res est. Vnde Theophylactus, *Oportet precari ne fiat fuga nostra ex hac vita, hoc est, mors in Sabbato, otiosis nobis a bonis operibus, neque in hieme, in sterilitate bonorum, sed in serenitate animæ, quæ non turbatur.*

Vbi ego sum, vos non potestis venire. Motus & terminus idem sunt, & qui in tenebris mouetur, ad tenebras tēdit, qui in lumine ad lumen. f. 132. n. 249. Mundi amatores cæci: oculos statuerūt declinare in terram cæli amantes oculis vndique pleni, cælestia intuentes, laqueos, omnes vitant. fol. 474. num. 1. 2. & 3.

Multa habeo de vobis loqui, & iudicare. In transitu Iordanis i. in Ritu iudicij, qui Sibbolet, id est, Spicam operibus vacuam pronunciant, iugulātur: qui vero Schibbolet, id est, Spicam plenam operibus bonis profert, saluatur. fol 137. num. 154. In porta mortis Angeli adstabunt cum statera, vt opera ponderent, vbi opera vel laudant, vel damnant morientes. fol. 524. num. 10. & 11. Oratio Sophronij ad Angelos pro illa hora. Ibid. *Multa habet loqui, & iudicare*, quia non solas iniustitias & mala, sed etiam iustitias iudicabit & bona, an bene sint facta. fol. 525. a nu. 12. ad 14.

In iudicio aperientur cordium libri, & ex his quæ ibi scripta sunt iudicabūtur homines f. 595. n. 2. 3. & 4. & seq.

Tempora statuta sunt, in hoc Iudex tacet, tunc loquetur, &c. fol. 619. n. 1.

Multa habeo de vobis loqui, & iudicare. De futuro loquitur, Et dat tibi in pśenti locū preuētionis, nā si te ipsū iudicas, â Deo non iudicaberis. Vide in 2. Elencho Iudicium.

FERIA TERTIA
post Dominicam secundam.

S*Vper cathedram Moysi, &c. Vos autem non sic.* Scalam vidit Iacob, & per eam ascendentes & descendentes, & ex Ruperto intelligitur, exaltatione descendere, & humilitate ascendere: & a Bernardo duodecim constituuntur gradus per quos descendūt superbi, humiles ascendūnt, Vide fol. 18. num. 1. cor. stell. Hoc autem Euangelium in illa figurabatur scala, per quam superbi Scribæ & Pharysei, ascendendo per varios gradus, quorum primus est, 1. *Super cathedram Moysi sederunt.* 2. *Dicunt, & non faciunt.* 3. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* 4. *Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* 5. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Apostolis autem per sex gradus descendere præcipit Magister humilitatis, dum illos enumerat Discipulis, dicens, 1. *Nolite vocari Rabbi.* 2. *Omnes vos fratres estis.* 3. *Patrem nolite vocare super terrā.* 4. *Nec vocemini magistri.* 5. *Omnia quæ dixerint vobis, seruate & facite.* 6. *Qui maior est vestrũ, erit minister vester.* Sic istis descendentibus, & ascendentibus illis: termini mutantur motus, & clarè videntur, Exaltatione descendere, & humilitate ascendere, ita æterno Iudice concludente, *Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.*

1 *Super cathedram Moysi, &c.* Doctores, qui dicunt, & non faciunt, in Cathedra pestilentiæ sedent, fol. 239. nu. 1. Doctoribus duo libri proponuntur, vitæ vnus, doctrinæ alter: hic materiæ locum tenet, ille formæ: fol. 240. nu. 1. Doctor & Episcopus debent esse liber viuus, virtutibus figuratus. ibid. num. 2. Qui characterem bestiæ, id est, sectæ Mahomaticæ assumunt, semidoctores, & semichristiani sunt. fol. 240. num. 3. Hi a sacerdotio sunt arcendi. fol. 141. n. 4. Serpentibus comparantur, qui pedes non habent ad ambulandum in lege, sed tantum linguam. Ibid. Sunt dimidiati domini, & malo eorum exemplo corrumpunt subditos. Ibid. nu. 5. Sicut ab aere bono, vel pestifero contrahitur

sanitas vel pestis, ita ab exemplo Doctoris boni vel mali. fol. 242. nu. 5. & 6. Et exemplar lingua formatum facile destruitur, non autem quod manu cælatum est. ibid.

Dicunt & non faciunt. Nesciũt, quod plus ex moribus, quàm ex verbis trahimur: & quod sermo efficax exemplum est operis. Vide multa. fol. 21. num. 14. cor. stell. Opponuntur Creatori & Redemptori, qui primo fecit, & postea loquutus est: at ipsi numquam faciunt, loquuntur tantum. fol. 48. num. 87. Folia verborum vana si operum fructus desunt. fol. 446. nu. 5. & 6.

Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Sicut folijs natura operit fructus, vt seruet: ita gratia, humilitate opera velat, vt Deo reuelet. fol. 447. nu. 1. 2. & 4. Quomodo iustitia & opera nõ debent fieri, vt videantur ab hominibus, si lex operum debet coram hominibus lucere. ibid. nu. 3.

Qui se exaltat humiliabitur. Hinc gigantes interpretãtur, Cadentes. Nam quanto proceriores sunt, tanto magis proijciuntur, &c. fol. 92. n. 177. Et merito, quia de hac radice superbiæ regulus egreditur, id est, Dei contemptus. fol. 84. num. 178. Humilitas altiuolum reddit, superbia plumbeum. fol. 448. nu 4. 5. 6. vsque ad 14.

FERIA QVARTA
Dominicæ secundæ.

MIrum non est, si Dauid cathedrã pestilentiæ ambitionem appellat, nam sicut morbus pestis omnibus est communis, ita & ambitionis pestis commmunis est, ex Augustino, Glos. &c. fol 266. nu. 1. per totum. Sed quid egemus testibus, vbi etiam in Apostolis exemplo & doctrina Christi in scho la humilitatis eruditis, ambitio locum inuenit, dum petunt filij Zebedæi dexteram & sinistram? Eadem autem remedia, quæ contra pestem Auicennas disponit, & Christus statuit contra ambitionem. Si pro peste optima est euentatio facta cum flabellis: en ambitio pellitur spiritu flante, *Nescitis quid petatis*. Si illa curatur vsu aceti in cibo & potu: hæc ex calicis propinatione, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*? Si illa ex sessione in lectis altis: hæc ex Crucis lecto, in quo suspensus iacuit Christus in aere, *Calicem meum bibetis*. Si illam expellunt odores boni cõtrarij complexionis aeris: hanc pellunt tũ odorifera verba Christi contraria ambitioni, dum dicit, *Quicumque voluerit inter vos esse maior, sit vester minister*: tum etiam exempla ipsius, *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*: & tum floridus humilitatis, & mortis, per quam Nazarenus floridus, odorem dedit suauitatis, *Et dare animã meam in redemptionem pro multis*.

Dic vt sedeant, &c. Pro ambitionis materia multa habes in V. 22. per totã versionem, vbi ambitio æquatur pesti, quæ omnes inficit, sed iumentorum more viuentes præcipuè torquet, & vide in 2. Elencho. Ver. Ambitio.

Nescitis quid petatis. O cæca ignorantia! quietem quærũt, vbi labor est, & onerosa cura. fol. 271. nu. 4. Asino comparantur rudi, & officio, qui crucem in dorso portat. ibid. Sirenis similes, qui naufragium inueniunt, vbi portũ quærunt, ibid. Honorem quærentes Recto rem tenebrarum adorant. fol. 274. nu. 8. Dominandi ambitio, seruitutis est professio. ibid.

Calicem quidem meum bibetis. Despõsat sibi in fide animas illorum dum panem atque calicem communem reddit. fol. 501. nu. 12. ad 14. Et iure bibunt calicem, quem Christus biberat, vt reddant ei calicem pro calice, mortem pro morte. fol. 506. nu. 11. 12. Pro cælo calicem dat, in quo præliabantur deliciæ cæli. fol. 507. nu. 13. 14. Calix in Croco figuratur, in quo Arcus cælestis apparet. fol. 508. num. 15. Calix, æternę Ciuitatis dignitate exaltat bibentes. fol. 509. nu. 16.

Calix martyrij contendit cum gloria cæli. Vide multa. fol. 612. a num. 10. vsque ad 18. Immo est gloriæ incremẽtum. fol. 613. nu. 15. & 16.

Sicut Filius hominis non venit ministrari. Nam vbi à Magis adoratur, cum Virgine reperitur, ob verecũdiam: vbi vero vir, fugit regnum. fol. 175. n. 9. 10. & 11.

FERIA QVINTA
Dominicæ secundæ.

HOmo quidam erat diues. Inuentio de speculo; Cuique suum, huic enim comparatur Deus, qui talẽ se hominibus exhibet, quales se illi homines. Ver. 48. nu. 26. & 27.

Erat diues. Diues enim auro coniugium cõtrahit in quo non sponsus, sed tyranni seruus euadit, Vide multa per totam Ver. 63. fol. 542. & adde in hoc coniugio legem seruari, quod soluatur mortuo viro. Ita enim hic, mortuus est diues, & ita solutum est coniugium cum auro, Vt nec guttam possit emere aquæ, nec relicta sit ei testa ad aquam de fouea hauriendam.

Erat diues, &c. Diuitiæ informes res sunt, datur autem eis forma ad libitum, vt Epulo formam purpuræ, bissi, epularum. fol. 560. nu. 7.

Lazarus iacebat ad ianuã eius. Quomodo id fit, si Salomon prædixit, Iacebunt impij ante portas Iustorum? Vide multa. fol. 610. à nu. 4. ad 8.

Mortuus est diues, & sepultus est in inferno. Factum est autem, vt moreretur mendicus, &c. Dic ex Chrysologo serm. 124. Immutatio quanta rerum! & pro hisce immutationibus vide multa, in vers. 32. à num. 13. vsque in finem.

In Epulonis sepulchro quadrat inscriptio sepulturæ Sardanapalis, cum omnibus ponderationibus Theodoreti. fol. 225. nu. 8.

Diuitiæ & paupertas laruatæ in vita, in morte apparent cum propria effigie. fol. 486. num. 19. & 20.

Diuitis gloria non descẽdit cum eo, quia domus erat, & nõ hominis: at gloria Lazari cum illo ascendit, quia illam gerebat in conscientia. fol. 543. num. 4. & seqq. Diuitis gloria in corpore & in domo, non in anima & in corde; illa paulo momento perseuerat cum funerali pompa defuncti: at anima, sicut inglória fuit viuẽs, ita & moriens. fol. 543. num. 8. Sed quia diues diuitiarũ nõ fuit possessor, vel fuit tantum oculis possidens, & diues titularis, cum illo moriẽte, moriuntur omnia, ideo formaliter loquitur Euangelista, dicens, Mortuus est diues, fol. 545. nu. 9. 10. & 11.

Sicut naues à diuersis ventis diuersos terminos habẽt, hæc à malis mergitur, illa in portum ducitur: ita Epulo & Lazarus vel à spiritibus malis, vel à bonis deducti. fol. 580. nu. 2. & 3.

Diuersum funus amborum ibid. n. 4. In carcere inferni Epulo positus, quia numquam soluet debitum, numquam euadet pœnam. fol. 581 nu. 5.

Dum esset in tormentis. Infernus nomẽ non habet, quo definiatur, quia infinita sunt illius tormenta. fol. 571. nu. 1. 2. & seqq. Flagella huius vitæ imbecilla, alterius ira & potestate plena. Ibid. n. 2. hæc vestes, illa corpus & animam flagellant. fol. 572. nu. 3. ibi distillatæ sunt omnes amaritudines tormentorum. ibid. num. 4. Fæx illa numquam exinanitur, fol. 573. num. 5. ex vngue præsentiũ, pœna inferni describitur. ibid. nu 6. Pœna damni omnes sensibiles superat pœnas. ibid. nu. 7. Grauissima pœna à dãnatis accensa. fol. 574. num. 9 & seqq.

Memoria facinorum Epulonis, sicut Triũphantium, descripta est nõ in tabulis, sed in domo ipsius. fol. 575. num. 11. Epulo in inferno extasim patitur. ibid. num. 12. Spes perdita, maximum tormentum damnatorum. fol 576. nu. 13. & 14. Pœna inferni, perpetuum miraculum, ibid. nu. 15. & seqq.

Mitte Lazarum, &c. Errauit confidẽs in homine. & aquam petens in extremo digiti, vbi sanguinem Christi copiosum petere debebat. fol. 391. nu. 1. 2. 3. 4 & 5.

FERIA SEXTA
Post secundam Dominicam.

HOmo quidam plantauit vineam. Deus qui immutabilis est, mutat se se in varias formas, iuxta hominum exigentiam, vnde Theophylac. in cap. 22. Matt. Non apparet Deus vt est, sed qualem decet, vt nobis se videndum exhibeat. Nam, quando vti homines moriemur obnoxij humanis peccatis, vt homo nobis apparet Deus. Quando autem, vt dij ambulamus, tunc stat Deus in synagoga deorũ: sicut & quando ferarum naturas assumimus, fit & ille nobis Panthera, & Vrsus, & Leo. Sic hodie in varijs theatri euãgelici scenis, varius apparet. Nunc hominis formam induit in hominis adiutorium, vnde vineam plantat, & agricolis locat. Nũc Deus sustinens in multa patientia vasa

irae,

iræ, dum serui missi ad accipiendos fructus, vel cæduntur, vel occiduntur, vel lapidantur, & Filius crucifigitur. Nunc Cameli, qui non plus instituto onere recipit, ait enim, *Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Venit autem onere expleto. Nunc Leonis, qui fugit antequam capiat prædam, *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei.* Et nunc Rhinocerotis, qui Hebræû populum, post longas moras, sic extulit quasi Vrum, vt confringeret & contereret eum: dum vel ipse cecidit super lapidem, vel lapis cecidit super eum.

Si vera est Angelica doctrina in Ps. 1. Tria consideranti in vineæ constructione, hæc autem sunt, Plantatio, fructificatio, & conseruatio: plantatio in terra humectata ab aquis gratiarum: fructificatio donorum Spiritus: & conseruatio in tempore suo; quis non damnabit Hebræos, qui vineæ à Deo plantatæ & ipsis locatæ, nec fructus reddiderunt, nec eos, vt in tempore redderent, custodierunt? Et quidem plantatio vineæ facta à Deo, quot gratiarum fluentis ditata cernitur, dum sepe legis circumdat, turrim templi ædificat, torcular sacramentorum extruit, vnde & dicit, Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Fructificatio autem, quæ ab agricolis expectabatur, quàm sterilis fuit? Expectatur tempus fructuum, ne præpropera videretur exactio: mittuntur serui, mittitur & Filius: sed loco fructuum, & verbera, & spinas, mortemque reportât. Vbi ergo deest fructificatio, & conseruatio deest, iure decernitur, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Plantauit vineam. Bernardus, Bona vinea Iusti, immo bona vinea Iustus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis. Vide fol. 74. num. 141.

Cum tempus fructuum appropinquasset. De hoc tempore iubet Paulus, Dum tempus habemus operemur bonum. Si autem tempus quod habemus, non est nisi instans, in omni instanti bonum operari debemus. Vide hoc late expositum. fol. 70. num. 133. Fructus bonorum operum Authori reddere tenemur. fol. 409. num. 13. Sicut flumina, vt refluant, illuc reuertuntur, vnde fluũt: sic dona à Deo collata, Deo reddenda, vt alia reddantur. fol. 410. num. 14. Gratiæ reddendæ Deo, vt dona descendant à Deo. ibid. nu. 15. & 16. 17. & 18.

SABBATO POST SECVNDAM Dominicam.

Sicut tabula cedit picturæ ex l qua ratione §. litteræ quoque. ff. de acqu. rer. dom. & ex pictura sic cognoscitur Pictor, vti & Protogenes ex linea signata in tabula, nouit Apellem: mirum non est, si anima, quæ est sicut tabula rasa, ex varijs picturis, vel virtutis, vel vitij, vel Deum virtutum demonstret, vel hominem authorem. Vide fol. 87. nu. 166. Et dic de patre horum duorum filiorum repeti posse, quod de Patre futuri sæculi dixit Chrysologus, Vidit opus suum, vt despiceret opera peccatoris. Opus peccatoris fuit dum in tabula animæ, sua manu primò depinxit audacem linguam, dicentem patri, *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* 2. grauis oneris gestamen, *Cõgregatis omnibus, peregrè profectus est.* 3. distantia, *Profectus est in regionem longinquam.* 4. Profusas manus. *Vbi dissipauit substantiam suam.* 5. Macie confectũ ob famem, *Facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.* 6. Recuruũ in pastura porcorum. Talis ergo est peccatoris pictura. At Dei qualis? En 1. Erectum depingit, *In se autem reuersus.* 2. Os reformat, *Ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui, &c.* 3. Accurrit super collum illius, & ex Chrysologo, ser 3. *Clausit amplexu, ne nudaret Pater filij crimina.* 4. Osculatus est eum: nam, ex codẽ, *Pater peccata filij redimit osculo.* 5. Induit illũ. *Sustulit enim filii crimina, qui non sustulit nuditatem.* 6. Dat annulũ, *Vt pristinum restituat honorem.* 7. Dat calceamenta, *Ne in pede maneret deformitas nuditatis.*

Dissipauit substantiam suam. Sic Prouerb. 13. *Substantia festinata minuetur.* Similis est hæc profusio sorbo vninersa folia simul emittenti, vel lacti in igne positi, & diffusi. Vide multa fol. 88. nu. 167.

Adhæsit vni ex ciuibus regionis illius. Contra præceptum Salomonis. *Ne des alienis honorum tuum.* Alieni sunt diaboli, sunt mulieres, vtrisque is adhæsit.

vide multa fol. 195. num. 3. & per totam version. 9.

Misit illum in vineam suam, vt pasceret porcos. Diabolus enim criminosos etiam facit vitiorum duces, atque magistros, &c. fol. 40. num. 38. Sunt enim exactores diaboli, qui cogunt ad mala. ibid.

Vt pasceret porcos. Instabilis enim cupiditas varios pascit affectus, & variis mouetur desideriorū ventis, ambulans post peccata sua. Vide fol. 99. num. 185. Hinc dicitur inconstantia, vel rotatio concupiscentiæ. ibidem.

Surgens, venit ad patrem. Surgit plus de venia, quàm corruerat de statu: mutat primogenituram asini, oue, &c. f. 160. num. 6. & 7.

Prodigus cum pænitentiæ velo, clarior filio innocente. fol. 163. n. 11.

DOMINICA TERTIA
Quadragesimæ.

EIecto dæmonio locutum esse mutum, & recte locutum, aperte docet pænitentem, & monet, vt post eiectum peccatum, quod dæmonium est, immo dæmonio peius, dialoquatur, operetur ita, vt vltra non teneatur de nouo illud per confessionis ianuas expellere. Hinc Ecclesiasticus præcipiebat, *Ne iteres verbum in oratione tua*. Propone dubium, & solue, vt fol. 467. num. 21. Eijcit demonium & peccatum Christus, etiam a mutis, quia audit & exaudit vocem cordis: eijciunt & Sacerdotes, vnde dicit, *Filij vestri, in quo eijciunt*? sed nonnisi a confitentibus proprio ore, quia spontanea debet esse cōfessio. Debet vniuersa vala distribuera, quia integra peccatorum requiritur confessio. Et non debet vltra admittere vt dæmonium & peccatum reuertatur, vnde exiuit, ne fiant, nouissima peiora prioribus.

Spontanea debet esse oris confessio ante iudices sacerdotes. Dic differentiā inter latronis & pœnitentis confessionem in foro fori, vel in foro poli, vt habes, fol 468. num. 22.

Fiūt nouissima peiora prioribus, vbi peccatū post cōfessionem iteratur, vera existente regula medicorum, & præcipuè Auicennæ, lib. 4. Canon. Fen. 1. Trac. 4. cap. 20. *Recidiuatio est deterior sua radice, nam secundum plurimum est saua*. Vide fol. 467. per totum circulum. 3. & f. 561. num. 9. & 10.

Peccatum iteratum, vt Echo Cynici, septem inuitat peccata, & abyssus abyssum inuocat. fol. 562. num. 11. Diabolus vt gigas bellum gerit cum recidiuāte. ibid. num. 12. vide in Elencho 2. Recidiuatio.

FERIA SECVNDA
Post Dominicam Tertiam.

VErba incarnati Verbi, quibus se ipsum his floridis depingit coloribus, his claris effingit luminibus, Ego flos campi, & lilium conuallium, magnum examen excitauit quæstionum. Si humilis flos agri est, quomodo excelsum lilium couuallis erit? Si tanquam flos agri egreditur & conteritur: quomodo vt regius flos odoriferus adoratur? Si flos bellici campi est, quomodo vt pacificum lilium conuallium fulget? Et si vnum lilium est: quomodo nō in vna, sed in multis vallibus vernat? Vmbræ sunt ergo & flos & liliū, quibus hodie a pictore Luca additur colores, & luminā. Flos humilis in florido agro Nazareth æstimatur, dum ibi dicitur? *Nonne hic est filius Ioseph*? Flos agri, dum in patria non admittitur, *Nemo Propheta acceptus est in patria sua*. Flos campi bellici, dū contra eū militat, *Et eiecerunt eum extra ciuitatem*: & dum, *Duxerunt ad supercilium mōtis, vt præcipitarent eum*. Vnde & ipse transiens, ex flore Iudæorum fit lilium conuallium, id est, Gentium, quas sub typo Naaman ad se trahit, a lepra idolatriæ liberat, in aqua baptismi purificat: & a Vidua, quæ figura erat Ecclesiæ gentilis, recipitur. O mirum! Iudæa incredula, volebat videre, quæ audierat: Gentilitas fidelis, credit, quæ non videt. Illa superba despicit humilem florem: ista humilis recipit excelsum lilium.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic. Increduli non cognoscunt fidem esse ex auditu, & non ex visu. Vide in 2. Elencho ver. Fides.

FERIA TERTIA
Dominicæ Tertiæ.

Sicut Anaxagoras dicebat, audita filij morte, Sciebam hominem me genuisse mortalem: sic tu audita fratris tui spirituali morte peccati, dic, Sciebam hominem natum fuisse peccatorem. Cognita autem morte, remedium adhibe. Vtrumque docet Paulus, dicens; si præoccupatus fuerit homo, &c. Vide fol. 233. nu. 1.

FERIA QVARTA
Dominicæ Tertiæ.

SI vera est sententia hodie a Christo prolata, *Non quod intrat per os coinquinat hominem*: cur præceptum est a Mose, Deut. 14. 3. *Ne comedatis quæ immunda sunt, non Ixionem, non coruum, nō noctuam, non Cygnum, non piscē sine pennulis, non camelum?* Respondet Lyranus, in cap. 11. Leuit. *Quod hæc animalia immunda mysticè figurant aliqua vitiosa, quæ sunt a nobis euitanda.* Si vis camelū, ideo immundum, secundum Glosam ord. in c. 14. Deut. quia Iudæum significet, qui liquat culicem, & glutit camelum, en camelos Scribas & Pharisæos, qui & culicem excolant, *Quare discipuli non lauant manus, cum panem mãducant?* & Camelum glutiunt, *Quare & vos transgredimini mandatum Domini?* Si pisces absque pinnulis, quia saltus non dant supra aquas: filium videte, qui in argenteis aquis natat, & alas non eleuat, vt parentes adiuuet, *Et non honorificabit patrem suum, & matrem suam.* Si cygnum quæris album deforis atque canorum, intus vero nigrum: vide Hypocritas, quibus improperat Christus, *Hypocritæ, bene de vobis, &c.* Si noctuã, quæ in nocte acutè videt, non in die, i. ex Glosa Ord, *De scientia legis gloriantur, & non vident legis lumen*: en tales erant Scribæ, de quibus Dominus subdit, *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Si coruos, qui oculos effodiunt, *Cæci sunt, & duces cæcorum, &c.* Et si Ixionem vultis, i. albã auem, quæ pascitur cadaueribus, quæque significat ex Lyrano, hypocrisim, *Quæ propter laudem humanam, prætendit exterius albedinem sanctitatis, & interius pascitur cadaueribus iniquitatis*: en Iudæi lotis manibus exterius mundi, corde autē pleno cogitationibus, & actibus peccatorum, quasi cadaueribus iniquitatis vescuntur immundi. Vide fol. 19. num. 9. cor. stell.

Quare & vos transgredimini mandatum Domini? Mãdata Dei transgrediēs, margaritas conculcat. fol. 210. num. 6. Est lupa & Leæna præcepti Authorem inuadens. fol. 211. num. 7. Est idololatra & Atheus. ibid. num. 8. Cor non habet, quia diabolus sic illud abstulit, sicut lapidarij Draconidem & cordiam Draconi auferunt. fol. 212. num. 9. Quod miro modo aptatur verbis Christi, *Cor eorum longe est a me.* Qui toto corde Deum non inuocat, Deum non inuenit. fol. 312. num. 10.

Parentes qualiter se gerere debent in filiorum educatione. ver. 18. per totã, fol. 244. a num. 1. Peccata filiorum communia sunt cum parentibus. Ibidem. Puniuntur parentes in filijs. fol. 245. nu. 1. 2. 3. & 11. Noscuntur & in filijs. f. 246. num. 3. & 4. Liberi sunt libri & specula patrum. fol. 247. num. 5.

Miraculo tribuitur si ex malis parētibus boni nascuntur filij. ibid. n. 6.

Parentes qua arte debent filios, quasi agros excolere, qualem doctrinam serere. &c. fol. 248. num. 7.

Parentes post Deum honorãdi, quia Deum referunt omnium parentem. f. 248. n. 8.

Eo nexu, quo tres Gratiæ manus extendebãt, eo Pater alteram Deo; alteram filio extendere debet manum. fol. 248. num. 9. Bene natis turpe est male agere. ibid.

Patres debent alere filios virtute, sic vt eorum mēsa sit virtutis schola. fol. 249. num. 10. Impossibile est filios non imbui parentum vitijs. Ibid.

Qualis institutio filijs dari debetur fol. 250. num. 11. Præcipuè sunt instruendi, vt thesauros suos ponant in præceptis Altissimi. fol. 250. num. 12.

In pueritia & in biuio erudiri debēt, vt ponant pedes in via virtutis fol. 296. num. 2. Vide Filij. Vide Iuuenis.

De corde exeunt cogitationes malæ. Inter cogitationem & mentem, idem seruandum, quod inter carbonem ignitũ & manum vstulat lenim, & inquinat. si statim non pellitur. fol. 16. n. 2. cor. st.

FERIA QVINTA
Dominicæ Tertiæ.

QVamuis insipientes antiqui sapiẽtes, Esculapium & Deum, & medicæ artis peritissimũ æstimarint, tamẽ in manu eius medicinam sub symbolo pulchrę mulieris depinxerunt, quæ alatis pennis humeros armabat, laurea corona tempora ornabat, sceptrum in dextra gerebat, in quo serpens inuolutus apparebat, & varia medicamentorũ vasa circumcirca habebat. At cælestis, Medicus, & verus Deus, medicinam in manu gestat, alijs tamen & pennis vtitur, vt celerem infirmis afferat vel solo tactu, vel solo nutu salutẽ, salutẽ, inquã, à Malachia promissam, *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & salietis.* Malachiæ 4.2. En hodie timentibus nomen Domini, tales enim erant habitatores domus Petri, Sol iustitiæ Christus oritur, nã, *Surgens Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis*. Sanitatem autem portat in pennis, & medicinam in manu: penna enim erat lingua, qua imperauit febri, & medicina erat in manu, qua tetigit manum eius & sanitatem scripsit, dum imperauit febri, & dimisit illam. Vnde, & in signum salutis egreditur ex lecto, & salit, *Continuo surgens, ministrabat illis*. Et medicinam gestabat in manibus, ac pennis scribebat salutem, quando, *Qui habebãt infirmos, ducebant illos ad eũ: at ille singulis manus imponens curabat eos*.

Et continuò surgens, ministrabat illis. Ars medicinæ docet, quod, *Quæ applicata iuuant, continuata sanant*, At Medicus cælestis salutem portat in pennis, & pennas tribuit infirmis, vt statim & salutem consequantur & vires, hoc notante Theophylacto in cap. 4. Lucæ, *Non simpliciter autem curat illam a morbo, sed & bonam valetudinem, & robur ad ministrandum ei suppeditat. Et nos quoque si illum exceperimus, extinguet nostram febrim iræ & concupiscentiæ, & eriget. & corroborabit nos, ita vt ei ministrare valeamus, hoc est, facere quæ ei placent*.

FERIA SEXTA.
Dominicæ Tertiæ.

F*Atigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*. Adagium est, *Felix amicus nullius infelicibus*: hoc tamen cum ceteris hominum, non tamen cum Deo homine verificatur: nam Christus pro nobis infelicibus, ita omnes subijt labores, vt Chrysologus dicat, *Nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio*. Cumque homo ad labores ita sit uocatus, vt si nõ laborat, homo nõ sit: ipse, vt se hominẽm ostendat, laborat. Laborat in itineribus, *Fatigatus ex itinere*. Laborat in siti, vnde petit, *Mulier da mihi bibere*. Laborat in verbo, Samaritanam docens, & conuertens. Laboratq; in fame, vt perficiat opus eius. Laborat in serendo & metendo, *vt qui seminat simul gaudeat, & qui metit*. Laborum fructus colligit, quia, *Multo plures crediderunt in eum, propter sermonem eius*. Et laborat, Carne carnem liberans, nostra suscipiens, & sua nobis reddens, vt & nos dicamus, *Quia hic est verè Saluator mundi*.

Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum. Aquæ terrenæ, vel honorum, vel diuitiarum, vel delectationum, non satiant, quia vanæ sunt. fol. 542. num. 1. Vanitas vanitatum sunt, externæ sunt, nec cor implent. ibid. & per totam versionem 63. præcipuè in circulo 2.

Quinque viros habuisti: Emissenus hic in quinque viris, quinque agnoscit libros Moysis, quibus Iudæa coniuncta, quasi vxor à maritis regebatur: à quibus tamẽ diuisa erat, quia Deo inobediens erat, sæpe enim alios amatores sequuta, & cum Idolis fornicata, hos viros legitimos fugiens, errori consensit. Hic igitur est, de quo hic dicitur, Et quem habes non est tuus vir. Error est, non maritus: deceptor est, non amator.

SABBATO POST TERTIAM
Dominicam.

QVod de Persico referunt naturales, mutatione loci, mutare naturam, id dicere fas erit de immutabili Verbo, transplatato de sinu Patris in gremiũ Virginis Matris, mutauit enim cum soli mutatione, vltionem in pie-

ta-

tatem,& vindictam in misericordiam, Et certè mirabilis est persici mutatio ex soli mutatione, Vide fol. 68. n. 130. En Verbi transplantationes, *Perrexit Iesus in montem Oliueti, & diluculo iterũ venit in templum,* Virgo enim templũ est, de quo canimus, suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. O quàm rigidus Deus erat in lege scripta, *Moyses praecepit adulteram lapidare.* Sed ò qualiter per transplantationem inclinauit cælos vultuum, in terram miserationum, *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* En quomodo subuenit cordi Adulteræ, dicens accusatoribus, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* En quomodo infirmam sanat, *Nec ego te condemnabo, Vade, & iam amplius noli peccare.*

Statuunt eam in medio, Beda putat Iouem in medio Saturni, & Martis positum, vt frigore illius, huius ardor temperaretur. Sic mulier in medio Moisis & Christi, ab huius enim misericordia temperatur illius iustitia vindicatiua. Vide fol. 134. num. 247.

Hac mulier modo in adulterio deprehensa est. Adulterium maximum malum octo vitijs grauidum vers. 20. num. 7. *Digito scribebat in terra.* Digitus, id est, Spiritus Dei alio modo legem scribit in cordibus iustorum, alio in peccatorum. fol. 308. num. 4. Iudæus ad legis lapidẽ pedem offendit. fol. 320. num. 2. Lex ignea in sapphiro sculpta amorem excitat, & timorem. fol. 221. num. 4. & 5.

Nemo te condemnauit, nec ego. Quid mirum si pietatem exercet, qui ex mõte venerat Oliuarum, ex visceribus B. V. quæ mons est, oleo pietatis abundãs? vide fol. 419. num. 17. 18. Vterus Mariæ thesaurus misericordiæ, fol. 420. nu. 19. In affectum caritatis transierunt viscera eius. Ibid. nu. 20.

Affectus Virginis vltro se offert indigentibus. fol. 421. n. 21. 22. 23.

DOMINICA QVARTA Quadragesimæ.

PRodigam diuinæ manus largitatẽ, quàm theoricè his encomijs celebrabat regius Propheta, Aperis tu manũ tuam, & imples omne animal benedictione: in monte, quasi in theatro gloriæ, practice apparuit hac die, dũ Christus panem distribuit & satiat turbas. De hac liberali manu Dei sic Cellensis loquitur, Plena est manus Dei, &c. Vide fol. 172. n. 3.

Quot panes habetis? Theophylactus hic quærit cur Christus panem non creauit ex nihilo, sed multiplicauit? Et respondet hoc factum esse, vt confunderet Manichæos putantes creaturas productas a malo Deo, ideo n. voluit pane vti in materiam miraculi. Sic ergo ait, *Nam Dominus etiam ex nihilo potuisset panes facere, qui turbæ sufficerent: attamen ne videretur creatura non esse ex ipsius sapientia, ipsa creatura vsus est in materiam miraculorum; & acceptis quinque panibus, vti materia quadam, praclarum illud miraculum fecit. Confundantur Manichai dicentes, quod panis & omnis creatura facta sint à malo Deo. Nam si mala fuisset creatura, beatus Deus illam non multiplicasset.*

Modum autem huius multiplicationis, breuiter quidem, sed exactè describit Chrysologus, dicens, Furtiuo fluere incremento. Eo modo quo ex occulta vena succedit aqua aquæ, vnda vndæ: codẽ ex manu Christi, quæ vena est vitæ, fragmen fragmini, & panis ita succedebat pani, vt furtiuè, id est, occulta & non visibili forma, ex aere panis fieret, mutareturque circumstans aer in panis fragmenta, quasi in successiuos fluctus, donec satiaretur turba, & duodecim fragmentorum cophini colligerentur.

Facite homines discumbere. Æmilius, vt Plutarchus lib. 5. Sympos. q. 1. refert, dicebat, *Eiusdem viri esse & armatam aciem quàm maximè terribilem, & conuiuium, quàm iucundissimum instruere.* Dominus ergo exercituũ, qui armata acie, & terribiliter ordinata, signa iam fecit, dæmones & infirmitates expellẽs: nunc iucundissimum conuiuium ordinat; nam ex D. Marco c. 6. 40. *Discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos.* Ideò enim satiantur, quia sequestrati, & ordinati discubuerunt. Non satiatur, qui non iuxta redditus expensas mensurat. Non saturatur ignobilis, qui vt nobilis, Baro, qui vt Comes, viuere vult: sed cuilibet eorũ improperari põt, Plus fecit, quã potuit, idcirco perierũt:

Impleuerunt duodecim cophinos, ex his, quæ superfuerũt, &c. Plutarchus lib. 5. Sympos. q. 6. dicit, *Duos conuiuium habet dissimiles Præfectos, ac duces: initio famem, deinceps Liberum patrem*: quod si liberum panem dixisset, nil aptius poterat excogitari. Nam ex Emisseno in Dom. 4. quadr. *Certamen hodie fit inter panes & homines: vincunt panes, superant homines: illi sufficiunt, isti deficiunt: nisi enim manducare homines cessassent, fortasse in infinitum panes creuissent.* Vt autem Liberi panis victoria dignoscatur, valde plures reliquiæ panis sunt, quàm panes fuerint, quinque enim panes antequam manducarentur, in vno cophino poni potuissent: nũc autem duodecim sunt cophini reliquiarum.

FERIA SECVNDA Post Dominicam Quartam.

QVod Iesus bis expulerit uendentes de templo, primò in prædicationis initio, secundo in fine vitæ, id voluit, si Hugoni Cardinali credimus, demõstrare, obstinatos puniri & in præsenti vita, & in futura. Est autem inter vtramque animaduersionem differentia, nam in prima exprimitur modus expulsionis, & dicitur, *Cum fecisset quasi flagellum*: quia præsentia mala possunt exprimi: & in secunda reticetur, inquit Hugo, *Et genus flagelli non exprimitur, ad significandum, quod non potest exprimi.* Præterea, primum flagellum ex funiculis fecit, quæ partem significant cuique contingentem: at secundum non fit ex funiculis, nec datur punitio ex parte, sed ita flagellat, vt omnis dolor irruat super damnatos. Duplici ergo impij puniuntur flagello, & hic & ibi. Flagellum præsens, habet, quasi futurum non potest exprimi.

Flagellum impiorum, & duplex dici potest, & vnum: quia in hac vita incipit, & in alia consummatur, fol. 533. a nu. 1. ad 5.

Cum fecisset quasi flagellum, &c. Tribulatio præsens, quasi flagellum est, & virga, quæ non relinquitur super iustos. fol. 90. num. 191.

Flagellum præsens potius est ad correctionem & terrorem, vt Hugo Cardinalis docet sed qui hoc non terretur, & corrigitur, sequens flagellum sustinebit, quod erit fundatum, & ad vindictam.

Flagella huius vitæ imbecilla, futuræ autem ira & potestate plena. fol. 571 num. 2. & seqq. In inferno stillata sunt ex omnibus tormentorum amaritudinibus, tormenta, fol. 572. num. 4. Ibi fęx tormentorum numquam exinanitur, fol. 573. num. 5. Ex vngue describitur infernus, tamquam leo. ibid. n. 6.

Cathedra vendẽtium columbas euertit. Verè in cathedra pestilentiæ sedit, qui gratiam, in columba significatam, vendit. fol. 22. num. 18. Qui autem talis est, pœnas infidelis dispensatoris luet.

Omnes eiecit de templo. In vltima eiectione nulla mentio fit flagelli, quia inferni pœnæ vix possunt, nisi reticendo dici. Et sicut Ioannes vtitur particula, Sic, vt adumbret, quod colorari non potest; *Sedebat sic, sic Deus dilexit mundũ*: ita, & Dauid, vt explicet inexplicabilia impiorum tormenta, inquit, Non sic impij. Vide fol. 536. n. 6. & 7.

Domus mea, &c. Latronum, Lugebat Isaias directam ciuitatem, in qua feræ, loco hominum habitabant: multo magis anima Christiani est lugenda, quæ ex domo Dei, spelunca latronum euasit, &c. Vide fol. 561. nu. 9. & 10.

FERIA TERTIA Dominicæ Quartæ.

MIra fuit inuentio artis humanæ, quæ oculorum corporis consulens debilitati, specilla adiuuenit, vt nihil alicuius momenti sine illis videat, nihil adoriatur sine illis: sed multo admirabilior ars diuina, quę legem homini dedit ad sic eleuandos debiles oculos mentis, vt per illam videat, faciatque per illam, quæ nec videre, nec facere posset sine illa. Hinc Oleaster in Annot. 2. sup. cap. 6. Deuteronomij, *Sicut solet homo, qui specilla ad videndum habet, nihil alicuius momenti sine specillis operari, & videre: Sic vult Dominus nos nihil videre, aut operari sine prauia lege eius.* Vnde & Dominus præcipiebat, Deuter. 6. 6. *Erunt verba hæc in corde tuo, & mouebuntur ante oculos tuos*: Vel ex eodem Oleastro, *Erunt specilla seu ocularia inter oculos tuos.* En duo specilla nobis largiuntur à cælo, vnum legis per manum Moysis, *Nonne Moyses dedit*

dit

dit vobis legem? alterum doctrinæ, per manum Christi, qui, *Ascendit in templū & docebat*. En specillum à Patre datum, *Mea doctrina, non est mea, sed eius, qui misit me*. En oculos eleuat voluntatis. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit*. En affectum subleuat à propria, ad Dei gloriam, *Qui quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est*. En intellectum illustrat, vt intus legat, *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudiciū iudicate*: id est, ex Bernardo ser. 5. in Quadragesima, *Iudicium fidei, quoniam Iustus ex fide viuit: ergo iudicium fidei sequere, & non experimentum tuum, quoniam fides quidem vera, & experimentum fallax*. En excæcantur populi ex horum specillorum defectu. *Hunc scimus vnde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit*. Et en illuminatur turba ex illorum vsu, dicente enim Christo, *Et me scitis, & vnde sim scitis: de turba multi crediderunt in eum*.

1. *Ascendit, & docebat*. Concionator debet opere ascendere, & verbo docere, sic enim instar miraculi proponitur auditoribus. ver. 34. nu. 2.

2. Concionatorum victoriæ & Coronæ. ver. 34. per totam.

Qui quærit gloriam eius, qui misit illum hic verax est. Fructum non suū dant Hypocritæ, qui gloriæ vanę pretio illum vendunt. fol. 353. num. 8. & seqq. Anima velut nauis his fructib' onusta, suburra humilitatis debet firmari. ibid. nu. 14. Debet auctorem Deum cognoscere operum bonorum, vt illius gloriā quærat. 656. nu. 15. Quomodo intelligatur, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. fol. 357. nu. 17.

Nonne Moyses dedit vobis legem? Lex diuina assimulatur speculis mulierum, in quibus anima debet ornari. fol. 357. nu. 18. & seqq.

FERIA QVARTA
Dominicæ quartæ.

VIdit Cæcum à natiuitate, ac si genus humanum in illo vidisset, quod cæcum nascitur, lumine gratiæ orbatū, & vitiorum tenebris à natura matertera inuolutum: vnde Paulus, Eramus & nos natura filij iræ, &c. Vide catenam Patrum in hæc verba. fol. 223. num. 4. Oculos ergo ei reddit, docens nos, Christiani vitam puram esse debere, vt pupillam oculi. Si oculi sunt vallo muniti: oculos cæci muniuit Christus, dum luto liniuit oculos eius. Si illi lacte sunt loti: isti dicitur, *Vade & lauare in natatoria Siloe*. Si illi sunt liberi ad intuendum: iste libere confitetur, *Abij, laui, & video*. Si illi in summa corporis parte, tamquam in arce, sunt constituti, Cęcus videns, in summa dignitate per fidem locatur, & tamquam in arce, contra Pharisæos Christū tuetur, primus enim ex numero Sanctorum fuit, Qui per fidem vicit regna, fortis factus est in bello, &c.

Præteriens Iesus, vidit hominem cæcum. Et verè præteriēs à cælo in terram descendens, hæc mala vidit, vnde & dicebat se velle inuestigare mala facta sub Sole, nam supra Solem non reperiūtur. fol. 490. nu. 4. & 5.

Cæcitas mentis maximum malum. fol. 555. nu. 4. 5.

Fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos Cæci. O nouum medēdi genus! Primùm quod in oculorum custodia & medela præcipit Auicennas lib. 3. Canon. Fen. 3. tract. 1. cap. 5. est, *Vt tueatur illum à puluere*: quid ergo diceret, si videret, luto iam superposito in oculo Cæci, Cęcum curari? Sed talis est vis in manu Creatoris, vt ex luto reddat, quod ex luto formauit: ita dicēte Chrysologo serm. 176. *Christus componit lutum: & collyrio materiali fingit, facit, procurat oculos, non recurat: vt creante, non medicante manu inde homini supplerer lumina, vnde hominem fecerat totum*.

Eiecerunt eum foras. Socij criminū vnanimes armantur contra Iustum, & dum hostes Iusti sunt, fortia reddunt peccata. fol. 230. nu. 5.

Audiuit Iesus, quod eiecerunt eum foras, & cùm inuenisset eum, &c. Sic implet oraculum, *Occurristi lætanti, &c.* vide locum, mirabilis enim est ad propositū. fol 495. nu. 4. 5. & seqq.

FERIA QVINTA
Post Dominicam Quartam.

CVm appropinquaret Iesus portæ ciuitatis, Ecce defunctus efferebatur. Porta eligitur, tamquam stadium, in quo Auctor vitæ cum mortis Auctore

contendit,& vbi, Vnum contra vnum, & contra mortem vitam. Hinc Chrysologus, serm. 112. tāquam Anagotheta, concertatores disponens, ait, *Ecce vnū, & vnum: Adam & Christus. Per illum peccatum regnauit in mortem: per istum gratia regnauit in vitam. Denique duo hæc principia vitæ, & mortis: absolutionis, & pœnæ: desiderata libertatis, & donationis extrema, sermo Apostoli aperit & declarat, Sicut per vnius delictum, &c.* Per *vnum & vnum, aut mors regnat, aut vita conceditur.* Ecce, per vnum mors, *Defunctus efferebatur: & per vnum vita, Qui portabant steterunt.* Per lignum mors, *Nam efferebatur in loculo*: per lignum vita, *Quia tetigit loculum*, & ex Ambrosio lib. 5. in Lucam, *Tetigit loculum, vt esset indicio, salutem populo per Crucis patibulum refundendam.* Per vnū mors infusa verbo serpentis: per vnum vita, *Audito enim verbo steterant acerbi illi funeris portitores*: & audito verbo, *Adolescens, tibi dico, Surge, resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui.* Per vnum lacrymæ: per vnum lacrymarum abstersio, *Noli flere.* Per vnum mors, per vnum resurrectio, nam ad Christi imperium, *Adolescens, tibi dico, Surge: resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui.*

Ecce defunctus efferebatur. Omnes mortales ad sepulchrum efferuntur à ventis. Sed alij ab aquilonari, alij ab occidentali: nam impios, aquilonē, ex quo omne malum, vt puluerem proijcit in infernum. Iustos autem ad Orientem, mors enim eorum vitalis est, & pretiosa. Vide fol. 91. nu. 172.

Ecce defunctus efferebatur. Dantur tria genera mortis, peccati, mystica, & media &c. fol. 564. nu. 2. Mors domesticus hostis in domo peccatorum, inopinatē necat: at in Sanctorum domo, cum rubis & vexillis accedens, paratos inuenit, & superatur. ibid nu. 3. In vanum tunc impij quærent salutis rosam, cùm opportunitas transierit. ibid. nu. 4. Tantalum imitabūtur, & qui modo nolunt pœnitentiæ oblatam aquam, tunc fugiētem quærent, sed frustra fol. 566. nu. 5. Pœnitentiam agent in inferno, sed sterilem ibid. num. 6. Nam sero sapient. ibid.

Ecce defunctus efferebatur. Mors effert impium ante conspectum dæmonum & peccatorum, fol. 567. per totum circa 2. num. 7. Vellent impij mori morte Iustorum, sed non viuere vita Iustorum. ibid. nu. 8. Exequiæ peccatorum diuersæ a funere Iustorum. ibid. Mors non est vltima linea rerum, &c. Vide in 2. Elencho, Mors.

FERIA SEXTA. Dominicæ Quartæ.

CElebris & communis nedum profanorum, sed etiam sacrorum opinio, quòd somnus germanus sit mortis mortisque imago, firmatur hodie ex ore Veritatis incarnatæ, dum mortem somni nomine, & somnum mortis nomine vocat absque discrimine, modo dicens, *Lazarus dormit*: & modo, *Lazarus mortuus est.* O mortem imaginem somni! O somnum mortis germanum! Verè, quòd mortem somnus referat, & somnus mortem, ex vtriusque effectibus, viuis coloribus, claris luminibus, pallentibúsque vmbris, & arte mira ita describitur à Nysseno, *Ille nempe somnus, &c.* Vide fol. 117. num. 214. Ecce ergo sub nigro vexillo mortis, & somni captus est Lazarus, Lazarus dormit, Lazarus mortuus est. Ecce amor mortem inuadit, inuadit & somnum, dicūt enim astantes, *Ecce quomodo diligebat eum?* En locum adit, vt bellum inferat morti ac somno, *Venit ergo ad monumentū.* En mortuus & dormiēs iacet in monumēto, tamquam in lecto, *Erat autem spelūca, & lapis superpositus erat ei.* Ecce prolixus somnus referens prolixam mortē, *Quatriduanus est.* Ecce mortuum excitat, quasi dormientem, *Voce magna clamauit, Lazare, veni foras.* Ecce excitatur mortuus, quasi dormiens, *Et statim prodijt, qui fuerat mortuus.* Ecce si ligatur mortuus, ligatur dormiens, ligatus surgit, *Ligatus manus & pedes institis.* Et ecce, si soluitur dormiens, soluitur mortuus, *Soluite eum, & sinite abire.*

Quatriduanus est. Verba hæc, ex Beda, non sunt desperationis, sed admirationis: admirabatur enim, quod quatriduanum reuocaret ad vitam. Sic magnæ admirationis est, dum Deus quatriduanum conuertit peccatorem; nam ex Alcuino, 1. dies est peccatum latens in corde. 2. consensus. 3. factum. 4. consuetudo. Consuetudinarium autem cōuertere est, Lazarum resuscitare. Vide

mul-

multa in 2. Elẽcho. Verbo. Cõsuetudo.

Lapis consuetudinis plumbo grauatur, & immobilis fit. fol. 236. nu. 7. & 8. Plumbeos reddit consuetudo peccatores ibid. Reddit immutabiles. fol. 237. nu. 9. Consuetudo radix malorum, ibid. nu. 10.

Quatriduanus. In morali partu peccati idem euenit, ac in partu naturali, & vltimum malorum est, cum excusatur culpa, & lacte consuetudinis nutritur. fol. 548. nu. 2. & 3.

Consuetudo peccandi Cynici Echo similis, fol. 562. num. 11. Per eam diabolus, vt gigas bellum gerit. ibid. nu. 12.

Quatriduanus dicitur peccator, quia, vt Bonauentura super Psalm. 18. philosophatur, *Quatuor leges transgreditur, scilicet legem naturæ, legem Moysi, legem gratiæ, & pactum Dei in Adam & in Leuitico.*

Infremuit spiritu, lacrymatus est, clamauit voce magna. Vt ex his demõstret quantæ molis sit peccatorem ex consuetudine inueteratum conuertere. ver. 66. 13.

Tollite lapidem. Lapis consuetudinis, & induratæ mentis, dum superpositus est in sepulchro peccatoris, nonnisi miraculose tollitur. fol. 563. n. 13. Ideo Christus antequam Lazarum resuscitaret, infremuit, turbatus est, fleuit, &c. vt difficultatem operis demonstraret. ibid.

SABBATO DOMINICÆ Quartæ.

CVm vera sit Philosophorum sententia, motum & terminum idem realiter esse, mirum non est, si Iusti qui lucem sequuntur, & mouentur in luce, in luce perpetua terminẽt felicẽ motũ: & è contra impij, qui in tenebris mouẽtur, in tenebris ruant. Vide fol. 132. nu. 143. Vbi hoc totum latè explicatur.

Ego sum lux mundi. Sicut varia dãtur lumina in cælo: ita varia in triumphãte, vel militante Ecclesia, &c. Vide f. 171. nu. 2. & 3.

Hactenus lucerna legis illuxit in veteri testamento, Christo autem apparente, lux apparuit in nouo, nam si lex lux, Sol iustitiæ dicit, Ego sum lux mundi. fol. 228. nu. 2. per totum circ. 2.

Moses in schola legis, vt discipulus repetitor: Christus in schola Euangelii, vt summus Doctor. fol. 291. nu. 9. Lex antiqua parua lux, solam Iudæorum dirigebat nauem: lex euangelica lux Solis, quæ illuminat totum mundum. fol. 292. nu. 10.

Qui sequitur me. Sequi debemus Christum, numquam à via perfectionis recedentes, sed semper vltra progredientes. Pro hac materia vide multa per totam quartam Versionem, vbi de perfectione late tractatur.

Regula medicorum, Contraria contrariis curantur; à cælesti medico sic seruatur, vt vbi Idolatræ ex vitiis inaniũ deorum, quasi ex Ponti floribus exitiale mel meditabantur, vt placens necaret, &c. ita è contra, &c. Vide fol. 210. nu. 5. Ipse verus Deus & virtutum Dominus, ex floribus exemplorum virtutis in ipso vernantium, mel salutare imitationis ducit, vt vitam det æternã comedentibus. Ideo, postquam dixit, Ego sum lux mundi: omni virtute ornatus: subdit, Qui sequitur me, habebit lumen vitæ.

Via cæli & arcta est, & lata. fol. 323. num. 9.

In Christi sequela lumen obtinetur gloriæ, &c. fol. 338. nu. 7. & 339. nu. 11.

Non ambulat in tenebris. Vbi Iustus, semper lux splendet, & dies est, quia legem secum habet, & iustitiæ Solem. fol. 339. n. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Iustorum opera in luce legis facta, tenebras eliminãt. fol. 341. 7. & 8. Theatrum sunt, sed luminibus cælestibus splendens. ibid. nu. 9. 10. 11. & 12.

DOMINICA PASSIONIS.

SI de Christianis asserere potuit Paulus, Ipsius enim factura, vel ex Greco, Poema sumus, creati in Christo Iesu: & si verum est Philosophicum axioma, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: quis neget Christi innocentem vitam Poema fuisse, cui assimilari debet, quantum possibile est, omnis Christiani perfecti perfecta vita? Si poema ordine vocum, numero, & mensura terminatur, ex Plut. lib. de Homero: Poema fuit Christi vita, tali ordine vocum, numero virtutum, & mensura actionum terminata, vt iure dicat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Si Poesi nõ

admodum curę, veritas est: Poema Christi, ipsa veritas est, vnde subdit, *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Si eadem Musa, quæ Poetæ mentem eleuauit dum Poema composuit, debet eleuare auditorum animos, vt audiant: en subdit Christus, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Si non eleuati, non audiunt: en concluditur, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Si poema requirit deos non otiosos: hic verus Dei Filius & dicit de se, *Ego honorifico Patrem meum* et dicit de Patre, *Est Pater meus, qui glorificat me*. Si Poema Heroicum res Heroum gestas recenset: in hoc diuino Poemate res gestæ Iustorum narrantur, & sic munerantur, *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*. Si de Poemate concludit Plutarchus, *Visu potiùs, quàm auditu percipi*: en hoc Poema diuinum visu perceptum, *Exultauit Abraham, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est*. Et si poema bona, & mala continet. Christus omnia bona continet in se, *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Mala autē malis relinquit, dum exit de templo, & se abscondit, *Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo*.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Theophylactus in cap. 1. Matth. expendens verba Præcursoris, *Cuius calceamenti corrigiam, vt procumbens soluam, non sum idoneus*: Inquit, *Intelligitur autem & hoc; Omnes qui veniebant, & baptizabantur per pœnitentiam, à vinculo peccatorum soluebantur, dum credebant in Christum. Omnium igitur aliorum soluebat Ioannes corrigias & vincula peccatorum: Iesu autem corrigiam soluere non potuit, eò quòd non inuenit corrigiam, hoc est peccatum in ipso*.

Quis ex vobis arguet me de peccato? De Apibus argumentosis cecinit Virgilius, *Pulchram petunt per vulnera mortem*: nam in aliorum plagis vitam amittunt. De morte dices, quòd vbi innocentem Christum momordit, aculeum peccati amittēs, mortē non inuenit. Vide f. 18. n. 7. cor. ft. Ideo dicitur segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, magisque separatus ab alijs, quàm Cæli à terra: fol. 32. num. 4. Summus Sacerdos debebat etiam à fortuitu inquinamento seruari immunis, ideo inuoluntarij homicidæ in Ciuitates refugij damnabantur vsque ad mortem illius, ne illi occurrerent. fol. 124. nu. 227.

Christus solus, & Virgo, non venit in via peccatorum. fol. 223. nu. 3.

In Christo non poterat esse peccatū, cùm sit viua lex. fol. 296. à num. 1. per totam Versionem 25. Bene omnia egit, & innocentiæ regulam seruauit semper. fol. 487. per totam vers. 54.

Christus, nedum iustus, sed rectitudo in abstracto est. fol. 488. nu. 4. & 5. Idea est rectitudinis. ibid. fol. 6.

Christiani debent imitari hoc exemplar Christi, vt nedum non peccent, sed nec possint peccare. fol. 497. per totam. Vers. 58.

FERIA SECVNDA
Dominicæ Passionis.

INuitatio Isaiæ ad aquas bibendas, nunc gratis illas proponens, nunc pretiò emendas, dicens cap. 55. 1. *Omnes sitientes, &c.* maximam excitauit quæstionem. Si enim gratis datur, quo modo emitur? & si emitur, quomodo gratis datur? Respondet 1. Ambrosius, *Quòd non aqua emitur, sed bibens emendus est, &c.* Vide fol. 359. num. 22. Respondet Nazianzenus, quòd venalis est aqua, pretium autem in voluntate consistit, cupiditatem ipsam ingentis pretij loco Deus habet. fol. 360. num. 22. Donat ergo Deus aquam, & vendit, vendit pretio sitis, *Si quis sitit*. Vēdit & pretio itineris, *Veniat ad me*. Vendit & pretio fidei, *Qui credit in me, &c.*

Si quis sitit, veniat ad me. Iustus, vt arbor inuersa, non in terrenis aquis, sed in cælestibus & diuinis figit radices, ideo Christus dicit, Veniat ad me. fol. 375. nu. 1. & 2.

Sitim, aquę terrestres non extingunt, quia vmbræ sunt, externę sunt, nec implent cor. Vide fol. 542. a num. 5. per totam. vers. 63.

Flumina de ventre, &c. Iure in aqua, Spiritus datur, à quo flumina manant, quę ducunt in cælum. Nazianzen. inter Gentilium Numina numerat aquam, &c. fol. 362. nu. 1. Per hanc aquam cor Iusti fit cælum. ibid. nu. 2. & 3. Spiritus, qui caritas & digitus Dei est, picturam caritatis in animæ tabula depingit. fol.

463. nu. 4. Colores varij, quibus depingitur anima ibid. nu. 5.

FERIA TERTIA Dominicæ Passionis.

ILlud discrimen, quod cernitur inter noctis initium, & Auroræ vel diei ortum: illud ipsum dignoscitur inter Iustos & peccatores. Vide fol. 79. num. 151. Sic hodie Iesus ambulans in Galilæā, quæ, Volubilis interpretatur, hanc temporum volubilem figurabat vicissitudinem. Vespera infidelitatis erat pro Christi fratribus, *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Aurora fidei pro Discipulis, *Vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.* Tempus meridianum nondum pro Christo aduenerat, adhuc enim erat matutinum, *Tempus meum nondum aduenit.* Tempus vespertinum iam erat pro infidelibus paratum, *Tempus autem vestrum semper est paratum.* Dies festus mundi incipiēs à vespera datur mundi amatoribus, sed inde transeunt ad nocturnos æternosque luctus. Dies autem festus Iustorum, in Aurora vitæ incipiens, trāsit ad perfectum & æternum diem beatorum. Ideo hic illis dicit, *Vos ascendite ad diem festum istum &c.* Illi palam festa celebrant, *Vt autem ascenderunt ad diem festum.* Iusti imitantes caput Iustorum, *Ascendunt ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto.* Iusti dicunt, *Bonus est,* qui Deo seruit quia ab Aurora præsentis beatitudinis transeunt ad diem æternæ fælicitatis. Impij autem, dum blasphemantes, dicunt, quòd *bonus non est,* à vespera momentaneæ fælicitatis, ad noctem transeunt perpetuæ damnationis.

Tempus Christi erit in Iudicio, tunc enim loquetur, &c. fol. 619. nu. 1.

Pro Iustis nunc tempus belli est, postea pacis: oppositum erit pro iniustis. Vide multa. fol. 619. a nu. 1. & seqq.

Iusti, etiam in hoc belli Theatro, festum pacis habent. fol. 435. n. 7. & seqq.

Vos ascendite &c. Peccatores diem festum & pacem extrinsecus habent, sed bellum & infernum intrinsecus. fol. 111. nu. 204.

Ascendit ad diem festum, sed quasi in occulto. De occulto die festo Iustorū, & de eorum duplici beatitudine, Vide multa. fol. 178. per totum Circulum. 4.

Alij dicebant quia bonus est, alij non. Lingua Æthnę comparatur, mala ex ea nascentia describuntur. fol. 266. nu. 2. In ore, duo sunt ianitores, Deus, & diabolus. fol. 256. num. 2. in fine. Detractores nundinatores sunt. fol. 267. num. 3. De linguæ malis, vide fol. 460. num. 1. per totam Vers. 49.

FERIA QVARTA Domenicæ Passionis.

PRomissio iam facta Abrahæ, de semine illius multiplicando sicut puluerem terræ, & sicut Stellas cæli, difficilem apud multos excitauit quæstionem. Et licet variæ à varijs reddantur solutiones, animum tamen meum magis implet illa, quæ redditur à R. Salomone, Quod posteri Abrahæ, si boni, stellæ: si mali, puluis sunt. Vide fol. 96. nu. 18. Si cæcum puluerem vis videre, aspice reprobos infideles, quibus Christus dicit, *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Si cupis aspicere stellas: respice cælici. Pastoris oues, de quibus ipse subdit, *Oues meæ vocem meam audiunt.* Sed ambiges, quid stellis cum ouibus est commune? Senesius respondet, Stellas esse oues, ita canens, *Astorum greges semper pascit.* O oues! o stellas! De stellis dicit Baruch, *Vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus:* & de Ouibus repetit Christus, *Oues meæ vocem meam audiūt.* Stellas Deus agnoscit, numerat, & omnibus eis nomina vocat: & de ouibus Christus subdit, *Ego cognosco eas.* Stellæ & sphæræ mouentur, vt sequantur primum Motorem: & de ouibus adijcit Pastor bonus, *Sequūtur me.* Stellæ lucēt in perpetuas æternitates: & ouibus promittit vitæ Auctor, *Et ego vitam æternā do eis.* Stellas nulla vis potest eripere à cælo: & de ouibus concludit Saluator. *Et non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Vos non creditis, quia non estis de ouibus meis. Christus Pastor & Pictor ne dū oues, sed hædos: ne dum albo colore innocentiæ Prædestinatorum, sed etiā subnigro præscitorum vtitur ad depingendam variam Ecclesiæ telā. fol. 527. nu. 1. & seqq.

Cur Deus creauit dæmones, quos p̄-

FERIA QVINTA Dominicæ Passionis.

gratissima Deo. ibid.num. 3. Exitus lacrymarum assimilatur pompatico filii regis baptismo. ibid. Lacryma mollis emollit durum cor.fol.398. nu.4. Peccator mortuus, si iuxta lacrymarum aquas sit, sperat vitam.ibid. num.5. Lacrymarum inundatio etiam oculos secum trahit,fol. 399. num. 7. Lacrymæ ignem extingunt,& ferrum retundunt, vt liberum ingressum habeant in porta Paradisi ibid.n.8. Lacryma est Vicaria passionis Christi.fol. 400. num. 8. Si aqua pluuiæ magis proficit, lacrymandum est pro amisso paradiso.ibid. Mortuo peccato, lacrymis petatur a Deo, ne iterũ reuiuiscat. ibid. nu. 10. Lacrymæ Paradisum efficiunt deliciarum. f. 401. a num. 11. vsque ad 14. inclusiuè Lacrymæ ad mensuram dantur vel delictorum,vel deliciarum.ibid.num.13. Sicut folium in fonte cadens, transformatur in auem: ita pænitens in lacrymarum fonte,fol. 401.14. Lacrymæ sũt congelatæ margaritæ.ibid. Diem festũ faciunt Deo. ibid. In fluuio lacrymarũ læti nauigant Angeli.ibid.

Vides hanc mulierem? Magdalena, quæ peccatrix intrauit, in mulierem mutata est, implens præceptum, Primogenitum asini mutabis oue: & surgit plus de venia, quàm corruerat de reatu,&c. fol. 160.n.6.& 7. Peccatrix & adultera in virginem est conuersa. fol. 161.n.9.

Fides tua te saluam fecit. Recepit inoculationem fidei planta hæc inuersa, quia non sicca, sed secus decursus aquarum plantata fol.406.nu. 6. Vnde & dicitur, Vt cognouit.

FERIA SEXTA
Dominicæ Passionis.

Atheus, insipiens corde iure describitur: sed Iudæus multo insipientior hodie in pleno concilio iudicatur. Insipientem Atheum sic deflet Psalmographus, *Dixit insipiens, &c.* Vide multa fol. 207.num. 1.2.& 3.sed quis neget insipientiorem Iudæum, qui nõ in corde, sed in publico concilio dicit, *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Vbi enim ex multis signis fateri cogebatur esse Deum, hominem illum vocat, Deum negat? dicens, *Quid facimus, quia hic homo.*

Negandi prouidẽtiã, occasionẽ sumpserunt impij ex eo, quod vident in hoc mundo æquè accidere cuncta bonis,& malis. Vide multa.116.a num. 1. vsque ad 5. Schola in qua terrigenæ apprehendunt hanc falsitatem, non est alia, nisi corruptio morum, & vitæ. fol. 617.num. 3.

Cum esset Pontifex. &c. Beatus dicitur, qui in cathedra pestilentiæ non sedit:& qui abstulerit a se suffragium. Ex vtroque capite Caiphas est damnatus. f.28. n.34.& f.29.n.35.

SABBATO DOMINICÆ
Passionis.

Nisi granum frumenti,&c. Vide in festo S.Laurentij.

DOMINICA PALMARVM.

Sicut Arnoldus, in tractatu de verbo, *Hodie mecum eris in Paradiso,* dicebat, *Nouus Rex, noua lex, Nouus Dux noua lex:* nam venit Christus mutans legem in gratiam, terrorem in mãsuetudinem, asperitatem in lænitatem, vmbram in veritatem, & iudicium in misericordiam: ita hodie tamquam nouus Rex ingrediens Ierosolymam, noua facit omnia,& nouam legem triumphandi inducit. Alij reges vel curru vehuntur vel equo: nouus Rex, noua lege, vt Theophylactus notat asello vili vectus est. Alij Reges legibus ligant populos, nouus Rex, noua lege soluit peccatores, dicente eodem Theophylacto, *Ligati erant asina & pullus catenis suorum peccatorum, duo missi sunt ad soluendum.* Alij quidem reges, vt idem Antistes subdit, *Et præcipuè Reges Iudæorum fuerunt rapaces, & iniusti:* Christus autem mansuetus. Alij reges aureis ornamentis,& gemmis vel curtus, vel equos equitant exornatos: at nouus Rex super vestes Piscatorum insidet, nam nisi anima nostra ornata fuerit Apostolicis virtutibus, non equitabit eam Dominus. Alij reges ab his tantum comitantur, qui eorum tempore viuunt: at nouus Rex ab omnibus excipitur, vt enim idem Archiepiscopus philosophatur, *Præcedentes sunt prophetæ, qui ante incarnatum Christum fuere: sequentes autem martyres, & doctores, qui*

ve-

vestimenta sua sternunt Christo, hoc est, carnem subijciunt spiritui. Vestimenta enim & tegumenta animæ corpus. Strauerunt igitur in via, hoc est in Christo, Ego enim sum via, inquit. Si enim quis carnē suam non strauerit, hoc est, humiliauerit, in via, hoc est, in Christo manens, non insidebit in eo Dominus. Alij reges ab armatis comitantur & armis: at nouus Rex victor mortis, populos habet comites cum ramis oliuarum & palmis, dicente Eusebio, Rami palmarum victoriam significant, quā Dñus illis diebus de hoste triumphans suscepturus erat. Alij reges, sibi veniunt & diuitias quęrunt: at nouus Rex, & pauper aduenit, & tibi venit, tuam salutem quærens, vnde ei canitur hymnus, Hosanna, id est, salua, obsecro.

FERIA SEXTA, In Parasceue.

IMpletur hodie oraculorum Salomonis, Prou. 31. Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suū: si enim ex Hugone, Nauis est Ecclesia: institor, seu negociator vel mercator Christus: merces autem sunt tristitia, agonia, laquei, flagella, spinæ, Crux, mors: hæ de longe asportantur, quia, vt faceret opus suum, alienum est opus eius, &c. Vide fol. 385. num. 7. & 8. Explica formam huius negociationis, vt fol. 490. num. 6. & 7. Et applica singula.

Signaculum diuinæ similitudinis a diabolo fractum in Creatione, restauratum est, & cum fænore in Passione. fol. 489. num. 1. 2. & 3.

IN DIE SANTO PASCHÆ.

COnsilium sanum Apostoli, vel salutare ipsius præceptum, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est*: Is plenè adimplet, q in inuersā arborē se trāsformat. Est vere homo iustus arbor inuersa, ramos habēs in terra, in cælo radices. Vide fol. 53. n. 98. vbi hæc arbor describitur latè. Et adde, hac die aperiri radicibus nostrarum cogitationum aditum, vt vel in cælo plantentur, dum transplantantur a terra, & dicitur, *Si consurrexistis cum Christo*: & vel in cælo transferantur, dum subditur, *Quæ sursum sūt quærite*: vel in terra viuentium firmentur, nempe in Christi humanitate, de qua concluditur, *Vbi Christus est in dextera Dei sedens*. Sic enim in terra mortalium morientes, *Mortui enim estis*: in terra immortali radicantur, *Et vita vestra abscondita est in Deo.* Ex tali .n. morte vitali, vita florebit, *Cum enim apparuerit Christus vita vestra*: & gloriæ fructus orietur, *Tunc & vos apparebitis cum Christo in gloria.* Si autem, vt hic legatur vitæ fructus, nutriri debent radices aromatibus deuotionis, *Mulieres emerunt aromata.* Si vnctione caritatis, *Vt venientes vngerent Iesum.* Si humore fidei, *Et valde mane, vna Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam Sole.* Si inuicto spei labore, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? erat quippe magnus valde.* Si gratię adiutorio, *Et aspicientes viderunt reuolutum lapidē.* Si lacrymarum imbre, *Mulier quid ploras?* Sic enim inueniūtur & Angeli cōsolatores, qui dicunt, *Surrexit, nō est hic.* Et inuenitur Refrigerium animarum, *Et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum.*

FERIA SECVNDA Post Pascha.

I*Ncipiens a Moyse & Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Iulianus Episcopus Toletanus comparabat Scripturam sacram libro figuris varijs depicto, in quo illiteratus figuras aspicit, litteras nō cognoscit: doctus autem, per ea quæ foris videt, profunda mysteria rimatur, vide fol. 11. num. 3. Et adde, en Sapientia incarnata, in sacræ Scripturæ figuris figurata, demonstrat omnia, quæ de ipsa erant, *Incipiens à Moyse.* Omnia enim in figura contingebant illis. In Paradiso terrestri, Ecclesia: in Adam primo, secūdus: in Heua, Aue: in Abel innocēte occiso, innocētis Agni crucifixio. Et sic de reliquis. Cur autem aliunde quęro, quod in hodierno Scripturæ libro reperio? Figuras aspicite, mysteria cōsiderate. *Duo ex discipulis*: en figuram; illam autem Theophylactus interpretatur apud D. Thomam in catena super cap. 24. Lucę, dicens, *Quidam alteri*

borum duorum Lucam inquiunt esse, & ob hoc suum nomen occultasse. 2. *Ibant in castellum*: en figuram, quam aperit Augustinus in lib. de consensu Euangelistarum, aiens, *Ipsa est Nicopolis ciuitas insignis Palestinæ.* 3. *Erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem*, En figuram, quam idem Augustinus ibidem interpretatur, *Sexaginta stadia septem millia passuum & quinquaginta significat, quod spatium itineris eis, qui de morte & sepultura Domini certi gradiebantur, de resurrectione Domini dubij. Nam resurrectionem quæ post septimam sabbati facta est, octauo numero contineri nullus ambigit. Discipuli ergo, qui de Domino loquentes incedunt, sextum miliarium incapti itineris compleuerant, quia illum sine querela viuentem vsque ad mortem, quam in sexta sabbati subijt, peruenisse dolebant. Compleuerant, & septimam, quia hunc in sepulchro non dubitabant quieuisse. Sed de octauo dimidium tantum peregerant, quia gloriam iam celebratæ resurrectionis nõ credebant perfectè.* 4. *Et factū est dum fabularentur*: en fabulæ figuram, quam reuelat Lyranus, *Quia non dicitur hic fabulari a fabula, sed a forfaris quia non loquebantur de vanis, sed de operibus Iesu.* 5. *Iesus appropinquans ibat cum illis*: en figuram non prodit, sed celat, vt Theophylactus hic notat ex Marco. *Quia sub alia forma eis videbatur, in qua non concedebatur eis eius cognitio.* 6 *Tu solus peregrinus es, in Ierusalem?* En figuram, cuius Beda reuelat formam, *Nam vere peregrinus erat eis, a quorum natura fragilitate percepta iam resurrectionis gloria, longe distabat: a quorum fide, vt pote, resurrectionis eius nescia, manebat extraneus.* 7. *Quæ?* En figuram ignorantiæ apparentis, quam illuminat Caietanus, dicens, *Iesus omnium omnia sciens interrogat, vt ex proprio ore argumenta contra seipsos proferant, & instruantur.* 8. *Incipiens a Moyse*, &c. en figuras innumeras, quas reuelat Theophylactus, *Hæc enim res dominicas præfigurabant.* 9. *Finxit se longius ire.* En fictam figuram, inquit Augustinus, in quæst. Euangelicis, *Quæ mendacium non est, sed figura veritatis, ad aliquid significandum.* 10. *Accepit panem* &c. En figuram panis sub qua latet, Christi caro, eamque nobis Theophylactus reuelat, *Facta est permissio ne agnosceretur vsque ad sacramentum panis, vt veritate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum vt Christus possit agnosci.*

Appropinquans, ibat cum illis, oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Plinius dixit, *Salutis securitates nullæ sunt*: id autem de æterna salute verum est, qua nescit homo, licet salutis Authorē secū babeat, verū sit dignus amore vel odio. Vide multa. fol. 140. n. 257.

Incipiens a Moyse, lingua Christi calamus est duos habens apices, nempe nouum ac vetus testamentum, f. 197. num. 6. & 9. & infra de denario inuento in ore primi piscis. n. 7. de scala Iacob. &c. n. 8. & seq. Interpretatur scripturā, sicut thesaurum effodiens fol. 345. nu. 3. 4. & 5.

Mulieres terruerunt nos, &c. Cur Christus mulieribus se manifestauit primò. Quia secreta tegere nasciunt. Quam difficile sit tegere secreta, & qua arte id obtineri posit. Vide multa, fol. 258. n. 1. & 267 n. 5. 6. & 7.

Nonne opportuit pati Christū? etc. f. 386 num. 9. Lignum enim crucis Virgam regiam produxit, & sic intrauit in gloriam suam. Ibid. num. 10. 11.

FERIA TERTIA
Post Pascha.

SI consilium, & quidem sanum, Sapiens tibi præbuit, dicens, Prou. 4. 23. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit*: liceat & mihi consiliū innouare & cum Chrysologo repetere. ser 53. *Custodiēda pra omnibus virtutibus pax est, quoniā Deus semper in pace est.* Variū custodiæ modum in corde seruando adhibendum, varij afferūt. Rodulphus legens, Præ omni custodia serua cor tuum, putat cordis custodiā aliarum rerum custodiam longo interuallo superare debere. Iansenius, pro omni custodia, summam interpretatur custodiam. Caietanus addit, omni custodia, id est, ex omni custodia serua cor tuum. Bernardus in custodia excubias noscens, præcipit, vt per omnes vigilias noctis cordi tuo asseruando inuigiles. Aquila, & Theodotion, legētes, Et omni custodia: vidētur consulere nullam prætermittēdum custodiæ genus, quo

in corde asseruando non debeat homo insudare, & hoc ideo quoniam ex ipso vita procedit. Dum ergo talis ac tanta custodia cordi est adhibenda, quia ex ipso temporalis procedit vita: quanto magis seruanda est Pax, qua seruata, Deum pacis seruamus in nobis? Dicat ergo Chrysologus, *Custodienda præ omnibus virtutibus pax est; quoniam Deus semper in pace est*. Centrum in circumferentia, thesaurus in arca, & margarita seruatur in corona: si ergo Pax, & margarita est, & thesaurus, & centrum omniũ bonorum, primò seruetur, vt cẽtrũ, in circumferentia caritatis, nam ideo Christus, qui est Pax nostra, hodie stetit in medio. 2. Seruetur, vt thesaurus in arca aperta à claue lanceæ in latere Christi, qui ideo vbi hunc thesaurum Apostolis donauit, dicens eis, *Pax vobis*: arcam proposuit vbi seruatur, *Ostendit eis manus & latus*. 3. Seruetur vt margarita in Corona Pœnitentiæ; nam præcipit prædicari in nomine ipsius, qui est Princeps pacis, pœnitentiam in remissionem peccatorum.

F I N I S.



ELENCHI QVINTI SECTIO TERTIA.

Pro Dominicis,& Festis mobilibus infra annum. A Dominica in Albis vsque ad Primam Dominicam Aduentus.



DOMINICA IN ALBIS.

Vide in Festo D.Thomę Apostoli die 21. Decembris.

DOMINICA SECVNDA. Post Pascha.

Ego sum Pastor bonus. Pastores & Reges,& boni dantur,& mali: bonus, Deus est: diabolus, malus: hic ducit ad mortem, ille ad vitam: ille dux est viæ inferni,hic,autem cęli:ille mors est, & mortalibus pascuis pascit:iste vita est, & cibis vitalibus nutrit,&c.vide fol.641 nu.5.6.&7. Vide fer.4. Dominicæ Passionis.

DOMINICA TERTIA Post Pascha.

Quod in laudem eius,qui tempora nunc frenat,nunc vrget,canit Ecclesia, Et temporum das tempora, vt alleues fastidium: verissimum quidem est,sed diminutum pro impijs, non enim mutatio temporum, fastidiū alleuat, sed aggrauat & nimis: alleuiatur tamen, & nimium pro Iustis, quibus promittitur, Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ezechieli præceptū fuit, vt modo in sinistro, modo in dextero latere dormiret: & mathematici docent, Lineas intersecantes dum vniuntur in puncto, sic mutari, vt dextera sinistra,sinistra dextera euadat,&c. Vide hæc oīa fol.177.n.3.&applica Euāgelio.

Modicum, & iam non videbitis me. Tota vita Iustorum stamine vario cōtexta est tribulationis & consolationis. Vide fol.331. per totam Vers.32.

Mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini,sed tristitia,&c. Iusti in hac vita positi sunt in signum ad sagittas impiorum: at in iudicio oppositum fiet. fol.612.num.10.& 11. Iusti iudiciū nō expectant,nam in tribulatione gaudent,& premia habent. fol.613. num.12 13.14. Vide in 2.Elencho. Tribulatio. Iusti.

DOMINICA QVARTA Post Pascha.

Cum in causis mistis detur præuentio:& cùm iudicium, causa mista sit, quia non iudicamur à Deo, si nosmetipsos diiudicamus: prouide operatur, qui dum venturū Spiritum,vēturū audit,vt iudicet, ipse se iudicat. Nouū iudicij genus excogitauit Cellensis,quo facta de dextera, & de sinistra,statera: sinistræ tollitur, quod sustulerat dexteræ, vt à sinistra transire posśit ad dexteram. Vide multa f.633.à nu.1.& seqq.

Vide in 2.Elencho Iudicium.

DOMINICA QVINTA Post Pascha.

Sicut ex fumo ignis,& ex fructu cognoscitur planta: ita & prompta Christi voluntas in petitis conceden-

dis, ex eo dignoſcitur, quia ipſe modũ docet petendi dona: dicente Chryſolõgo, ſer. 67. *In reſpondendo quam facit moram, qui in dictatis precibus, vota ſupplicum ſic preuenit?* O felices Chriſtiani, qui in Schola incarnatæ Sapiẽtię orandi ſapientiam apprehendunt, docẽte eos cæleſti magiſtro, 1. Vt petãt. 2. Vt a Patre petãt, *Si quid petieritis Patrẽ.* 3. Vt in dilecti Filij nomine petãt; *In nomine meo.* 4. Quid petere debeant, *Vt gaudium plenum ſit.* Vbi Emiſſenus, *Illud gaudium plenum eſt, quod perfectũ & integrum eſt, quod numquam finitur, & æternum eſt. Hoc igitur petendum eſt, vt ad tale gaudium perueniatur. Quæ vero ab illo gaudio hominem ſeparant, ea petenda non ſunt. Sic igitur temporalia quæramus, vt noſtrum deſiderium ab æterno gaudio non ſeparetur: ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.*

In illo die in nomine meo petetis. Superius dixerat, in illo die me non rogabitis quidquam: nunc autem dicit, in illo die in nomine meo petetis, quod vtique contrarium eſſet, ſi de eodem die intelligeretur. Hic igitur dies huius ſæculi eſt, ille verò alterius ſæculi: hic ante iudicium, ille poſt iudicium.

Et non dico vobis, &c. Gratiarum theſaurarius amor eſt. Quibus ergo Pater in cælo amoris clauem præbet, omnia præbet. Vnde ſubdit Euſebius, & ſic Chriſtum introducit loquentem. *Poſtquam cælos aſcendero, non dico me rogare Patrem de vobis, ſed vos ipſi rogate in nomine meo, & quod volueritis dabit vobis. Diligit enim vos, quia vos me amaſtis & credidiſtis quia a Deo exiui.*

1. *Vſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo.* Ambigit Euſebius, quomodo in nomine Ieſu non petierunt quidquam, ſi ipſi fatentur, Etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo? Et idem Emiſſenus clauem præbet ad aperiẽdum myſterium. Et talis eſt particula, *Patrem.* Quia olim non à Patre, ſed à Filio tantum petierant.

IN ASCENSIONE Domini.

QVamquam in Chriſto aliquid ſit genitum & non factum, vt Verbum eſt a Patre procedens: & aliquid factum ſit, vt caro a Virgine Matre naſcens, attamen vtrobique vita eſt: hodie tamen vtraque vnitur vita, dum caro illuc aſcendit, vnde Verbum deſcendit. Et certè, quod Verbum a Patre genitum vita ſit, quis neget? At quod Verbum caro factum, vita ſit, quis alius eloquentiori ſtylo probare poterit, quam Ambroſius? Is ergo ita fatur, *Quod factum eſt in ipſo, vita erat, Caro facta eſt in ipſo vita eſt.* Vide fol. 80. num. 155. Hæc autem vita, quæ tamquam forma fluẽs in toto motu & curſu vitæ Saluatoris apparuit, hodie perfectum vitæ terminum eſt adepta, dum aſcendit in Cælum, ſedetque ad dexteram Patris, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Viuit, dum vitæ terminum aſcendendo obtinet. Viuit, dum pro nobis interpellat. Viuit dum Spiritum ſanctum, quo viuimus, ad nos mittit. Et viuit, iterum venturus cũ gloria, vt iuſtos ducat ad vitam.

Increpauit incredulitatẽ eorũ. Mira res! cũ caritas oĩa credat, Diſcipuli ob nimium amorem non credebant. Rationem Euſe bius hanc reddit, *Et fortaſſe hæc tanta illorum dubitatio ex immenſo amore procedebat.* Non enim facilè credimus quod multum deſideramus. Sicut è contrà, quod timemus, leuiter poſſe accidere credimus. *Præcepit eis, vt ab Ieroſolymis non diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris.* Ieroſolyma interpretatur pacis viſio, in ea ergo expectandus eſt Habitator quietis, nẽpe Spiritus ſanctus, vnde Euſebius, ſic te docet, & monet, *Quicumque es, &c.* Qui ſancti Spiritus promiſſionem expectas, noli ab Ieroſolymis diſcedere, noli Eccleſiam relinquere, noli Sanctorũ conſortium deſerere: ibi expecta, ibi mane, quia nulli, extra Eccleſiã datur Spiritus ſanctus, & eos etiam qui habẽt, ſi ab ea ſe ſeparauerint, derelinquit. Hæc ille.

DOMINICA INFRA OCTAVAM Aſcenſionis.

VEgetius inter vocalia ſigna, tubæ enumerat ſonum, quæ dum arma ſonat, armantur milites, dum, &c. Vide f. 570. n. 13. Et hodie duplicis tubæ prædicitur ſonus, alter Spiritus paracleti, qui de cælo intonuit: alter Spiritus huius mundi, qui de inferno venit. Ille

inuitat ad arma, & induit Apostolos virtute ex alto; vt testimonium perhibeant de Christo. Iste inuitat ad arma, vt absque synagogis Discipulos faciãt, vt eos interficiant; vtque cæci in illos ferruant. Christus autem, tamquã Anagoteta, suos milites verbis armat, vt cũ venerit hora eorum, reminiscantur, quia prædicta sunt eis, & hoc præscientiæ potecti clypeo, ad certamen descendant inuicti.

Cum venerit Paraclytus, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis. Scriptum est enim; Inter duos stet omne verbum. O magnam Apostolorum gloriam; qui cum Spiritu sancto æquantur in testimonio de Christo perhibendo, numerari enim cum illo, quamdã æqualitatis importat dignitatem. Immo vtrumque testimonium vnum est, nã Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit eis. Et per ea quę Eusebius dicit. *Quia ignis iste linguarum speciem habebat, ipsum, qui in sanctis loquitur se ostẽdebat esse, & linguis quodãmodo linguas tangebat, & sic ad loquendum Apostolos instruebat.* Qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur.

Hac loquutus sum vobis, &c. De clypei tutela quidam dixit; Dum premererque solo, dum premererque salo: & sermo Dei clypeus est ignitus. Hoc ergo armantur milites Christi, vt tela ignea persecutionum possint extinguere, quasi diceret eis Dominus, vt Eusebius docet, *Totus contra vos mundus armabitur. Sed vt in ipsis tribulationibus & angustijs constantius, firmiusque pugnetis, me omnia præscisse & prædixisse scitote.* In quo verificatur. Pontificium decretum Gregorij. hom. 35. in Euangelia; *Minus enim iacula feriunt, quæ præuidentur; & nos tolerabilius mundi mala suscepimus, si contra hæc per præscientia clypeum munimur.*

Vide in 2. Elencho, Tribulatio. Iusti.

DOMINICA PENTECOSTES.

QVæ de Iano dicuntur, & de Agno in Leonem verso, ac septem oculis ornato scribuntur, fol. 598. n. 1. possunt huic festiuitati appropriari. Ipse vt Leo mortẽ vicit, quam vt Agnus, gustauit. Ipse septem habet cornua, nempe electos ad regnum designatos. Ipse septem aperit oculos, ob septem dona Spiritus ad Apostolos missos. Ipse claues habet cæli, vnde illum mittit, & mittit sub Symbolis soni, venti, & linguarum ignis.

Cùm complerentur dies Pentecostes. Et merito quidem, inquit Emissenus, in Dominica post Ascẽsionem, *Die quinquagesimo venit Spiritus Sanctus, quia ipse est remissio omnium peccatorum.*

FERIA SECVNDA Pentecostes.

EAdem differentia, quæ hinc cernitur inter cæcas & stolidas aues, & inde inter aquilas prudentes & oculatas, discernitur inter iustos & iniustos. Hi statuerunt oculos declinare in terra, vnde vel cæci sunt, vel oculos non habent ad retia vitanda, & ad contemplandum Solem: illi & oculati, & aligeri, semper retia vitant, & solarium radiorum sunt spectatores. Vide f. 474. num. 1. Sic hodie Deus dat iustis pennas caritatis, vt redament amantem, quia, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filiũ suum vnigenitum daret.* Dat pennas fidei, *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Dat spei alas, *Sed habeat vitam æternam.* Dat oculos amoris, quibus præcaueant insidias inimici accusatoris in iudicio, *Qui credit in eum, non iudicatur* Fiduciam dat, vnde, *Faciens veritatem, veniat ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.*

Vide in 2. Elencho. Amor.

FERIA TERTIA Pentecostes.

DIuinus Pastor duas assumpsit virgas, duosque assumpsit panes, vt pasceret gregem, & gregẽ ingredientẽ & egredientem pascua dispoluit inuenire. Nemo est, qui nesciat virgas æterni Pastoris ex nomine notas, cum altera dicatur Funiculus, altera Decor. Sed panes forte non ita quilibet nouit: illos autem sic Cellensis appellat, vt alterum Durum nominet, alterum Vnctum. Vide fol. 82. num. 117. Ostiũ ergo, vnde in ouile intratur, fides est, pascua & panes, caritas, opera & virtutes. Fures autem Philosophi sunt, qui virtutes quærebant, non tamen per fi-

dei oſtium intrabant.

Qui non intrat per oſtiũ,&c. Vide f. 452. num. 1. & 2. Fides pretium eſt redemptionis. fol. 453. num. 3. Gentiles virtutibus ornati, pulchri vultu,ſed corpore incurui. ibid. num. 4. & 5. Erant oues errantes ſine Paſtore. num. 6. Similes Icaro. fol. 454. num. 7.

Fides non ſufficit, niſi caritas adſit, amoris enim nutrimentum ſic neceſſarium eſt radici fidei, vt flores virtutũ producat & fructus, vti aqua plantæ. fol. 454. num. 8. & 9. & ſeqq. Vide in 2. Elencho. Fides.

DOMINICA PRIMA
Poſt Pentecoſtes.

PEregrina inuentio, qua duæ citharę concordes vnum corpus formabant, cum addita forma, *Pulſis alijs reſonabant*: & miro modo, & harmonico ſono, in duobus Euangelijs hodiernis aptatur, in quibus duo Seraphim clamant alter ad alterum. Si in primo intonatur, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*: & Aureoris vox poteſtatem deſcribit hom. 4 in Epiſt. ad Philippenſes, *Principatus proprium eſt miſereri*: in ſecundo autem, vox conſona reſpondet, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*. Si in primo auditur, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* nam ex Seuero, apud D. Thom. in Cat. ſuper cap. 28. Matt. *Omnes gentes poteſtas vna recreat ad ſalutem, quas creauit ad vitam*: et in ſecundo reſonat, *Dimittite, & dimittemini*: nam ex Auguſtino, ſer. 15. de Verbis Domini, *Dimittite*, ad ignoſcendum pertinet. Si ibi meritum quæritur, Docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis: hic premium promittitur, *Menſuram bonam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*: Theophylacto interpretante, *Supereffluentem menſuram dicit, quia millies benefiet ei*. Et ſi ibi vox clara demonſtrat exemplar, *Ecce ego vobiſcum ſum, &c.* hic vox aperta præcipit imitationem, *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum ſuum, &c.* id eſt, vt Beda docet, *Si magiſter Chriſtus, qui quaſi Deus potuit ſuas vlciſci iniurias, maluit perſecutores patiendo reddere mitiores: eamdem neceſſe eſt, quod Diſcipuli qui puri homines ſunt, regulã perfectionis ſequantur.*

IN FESTO SANCTISSIMI
Corporis Chriſti.

SI nobilis ille Spiritus, qui roſas & lilia, vilibus ac non odoratis circũdans herbis, addens verba, Per oppoſita; hinc locaſſet hoſtiæ roſam, & calicis lilium, & inde arborem ſcientiæ boni & mali, nil aptius poterat in tali emblemate ſubſcribere, quam, Per oppoſita: nam duo ſunt & duo, vnum contra vnum. O quam congruè in gloriam Eccleſię exultantis hac die, poterit Spõſus repetere verba, Sub arbore malo, &c. Vide fol. 322. num. 1. & 2. Vbi inter has arbores, earumque fructus multas arthiteſes inuenies. Sed quia Spõſa in vmbra ſedens, fructu Euchariſtiæ veſcitur: & Plutarchus lib. 7. Symp. q. 7. dicit, inuitatum ad conuiuium poſſe ſecum alios, tamquam vmbras ducere, ducamus & nos lucidas virtutum vmbras ad hoc conuiuium. Sit 1. fides 2. caritas, humilitas. 3.

Fides in ſacramento requiritur, vbi quod alijs negatur ſenſibus, ſuppleat auditus reddens, quod Heua abſtulit, fol. 423. n. 2. & 3. vſque ad 12.

DOMINICÆ SECVNDA
Poſt Pentecoſtes.

INter omnia Conuiuia, quæ vel in ſacris vel in profanis litteris ſunt relata, hodiernum conuiuium meretur palmam. Et certe, ſi Plutarchus lib. 7. Sympoſ. q. 6. verum aſſerit, dicens, *Conuiuiũ eſt communio ſeriorum, iocorum, actionũ, & ſermonum: itaque non quiuis ad frequentare debet*: quis non videt hæc omnia in hoc conuiuio reperiri, & clare deſcribi? Beatum, aſſerit Dauid virum, qui implet ſcholam ſuam ex deſiderijs, Vbi Auguſtinus duas erigit ſcholas, duos magiſtros, diſcipulos diuerſos, doctrinas oppoſitas. Vide fol. 445. num. 3. & 4. & applica Euangelio. Schola Dei, cæna magna eſt: Magiſter ſummus, Deus: diſcipuli, quos vocat ad pęnitentiam & ad prandium, compelluntur intrare abſque mora. At in ſchola mũdi, amor docet otioſos, retinet in viſione vineę, in boum probatione, in nuptijs, &c.

Qui procraſtinant pænitentiam excluduntur a cæna.

Tria vitia, vt notat Eusebius, in triplici figurantur excusatione. In eo, qui villam emit, auaritia: in illo, qui vxorē duxit, lasciuia: & in quinque iugis boum, falsa religio Hebræorum; quinque enim libros legis emerunt, circumcisionis sanguine, &c. Sed non probatos habent, quia illos nondum intelligunt: *Bene autem non per quinque boues, sed per quinque iuga boum hi quinque libri significantur, quia dupliciter intellecti, id est, secundum litteram, & secundum spiritalem intelligentiam, quinque iuga faciūt. Qui vero sic eos continuerit, confidenter in agro dominico laborare, & arare potest; quorum quidem labor inutilis est, si ad inuicem separati fuerint.*

DOMINICA TERTIA Post Pentecosten.

SI vera vnquam apparuit philosophica doctrina, Priuatio facit cognoscere habitum: in præsenti Euangelio verissima cernitur. En Pastorem, cum mulierem, nec cementes; fortè, ouem & drachmam dum ab eis pacifice possidebantur, tunc agnoscunt illas, dum illis priuantur, tunc illas optant, tunc illas quærunt, illasque inuenientes, lætitia perfunduntur, qui ex priuatione illarum pretia norunt. Hinc Chrysologus ser. 168. Est iucundius nobis inuenisse perdita, quam non perdidisse seruata. Applica Euangelio.

Hic peccatores recipit, & manducat cū illis. Quomodo Magister cum peccatoribus manducat, & Discipulus præcipit, cum huiusmodi nec cibum sumere? Respondet Eusebius, *Dominus quidē vt conuertat, Apostolus vt terreat: ille terret suos; ille vocat extraneos: Errant igitur Pharisæi, peccatores penitus abominantes, non enim abominandi, sed vocandi sunt, vocat eos Dominus blandiendo & manducando cum illis; vocat eos Apostolus terrendo, nolens cibum sumere cum illis.* Sic pisces fluminis, alij esca alliciuntur, alij tunsionibus ad recte trahuntur.

Gaudium est in cælo super vno peccatore pænitentiā agente. Gaudium est nedum Angelis *Dei*, sed etiam Deo, qui delectatur, luce in chaos peccati introducta. fol. 231. n. 3.

DOMINICA SEXTA Pentecostes.

CElebris est admonitio Augustini Trac. 24. in Io. *Interrogemus miracula, quid nobis loquantur de Christo, habent enim, si intelligantur, linguam suam.* Hanc linguam clarè Beda intellexit, dicens; *Hoc miraculo designatur, quod viam præsentis sæculi aliter transire nequimus, nisi alimento verbi sui Christus nos reficiat.* Huius cōuiuij, & mensā, & Dominum, & ministros, & conuiuas, & epulas, &c. vide f. 306. n. 1.

Deliciæ huius mensæ, & sacræ Scripturæ sunt ineffabiles. fol. 304. n. 7. f. 307. n. 2. & 3. Habet dulcedinem mellis. fol. 308. n. 4. Dulcis iustis, peccatoribus amara: ibid. n. 6. & seqq.

Scriptura sacra similis mensæ solis, & iidem ritus vtrobique seruantur. f. 350. n. 1. & 2. Hæc mensa qualis sit, & à quibus parata. f. 351. n. 3.

Cibos huius mensæ varios explicat Theophyl. in cap. 22. Matt. dicens, *Tauri, & altilia vetus est, & nouum testamentum; vetus, enim signatur per tauros animalium enim mactationem continebat: nouum autem per altilia, Panes enim offerimus nunc in altari, qui propriè dicti sunt Sytista, vtpote ex frugibus confecti. Vocat igitur nos Deus vt comedamus & veteris testamenti bona ac noui. Et tu quando videris aliquem manifestè interpretātem diuina eloquia; scias eum altilia & è frugibus confectos cibos dare: ac quasi frugibus alere, & cibis farcire simpliciores manifestè docendo.*

DOMINICA SEPTIMA Post Pentecostes.

IAm videor videre differentiam inter iustos & hypochritas, quæ cerni solet inter plantam nobilem, & fæcundam a natura productam; & plantam magisterio humano & arte formatam. Vide fol. 72. num. 136. Sicut arbor naturalis a principio intrinseco ornamenta mutuatur extrinseca, artificialis autem tantum extrinseco gloriatur applausu. Ita iusti a radice caritatis ornantur virtutibus, hypochritæ vero extrinseca tātur ornamenta requirunt, vnde dicitur,

Attendite a falsis Prophetis, &c. intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Iusti fructibus coronantur, qui a corde oriuntur: hypocritæ fructibus ab extrinsecus additis, nã cum spinæ ac tribuli sint, vuas & ficus producere fingunt. *Numquid colligunt, &c.* Iusti floribus coronãtur, qui fructus parturiunt: at hypocritæ folijs tantum verborum exornantur, vnde sicut his dicitur, *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnũ cælorum:* ita illis promittitur, *Sed qui facit voluntatem Patris mei, intrabit in regnum cælorum.*

Hypocrita non dat fructum suum, sed alienum fol. 353. num. 8. Est similis polypo, & varias mutat formas. Est similis cornici, quæ furtiuis induitur pennis. ibid. num. 9. Est similis mulieri deformi se ambitiosè ornanti. fol. 354. n. 10. Est veritati diuinæ inuisa hypocrisis, quia mendax ibid. num. 11. Est hostis fictus, & perniciosior manifesto. f. 355. num. 12. Conuenit in re & in nomine cum infirmitate hydropisis. ibidem n. 13.

Ex fructibus operum cognoscuntur inuersæ plantæ. fol. 404. n. 1. Hypocritæ & iusti plantæ sunt, sed nimium diuersæ. fol. 554. n. 1. & 2.

Non omnis, qui dicit mihi Domine, &c. Non qui se dicit seruum Dei, sed qui opera seruorum habet, intrabit in regnum Dei, fol. 405. num. 4. Nec fructus operum sine fide, nec fidei planta sine fructibus operum, valent, fol. 406. nu. 5. 6.

DOMINICA OCTAVA
Pentecostes.

SI Cælum dum in duobus immobilibus mouetur polis, in hoc mundo producit varios effectus: o quam salutares effectus generarentur in paruo mundo, si anima eius, quæ cælum est, in his duobus polis perpetua consideratione rotaretur, nempe in antartico, *Redde rationem villicationis tuæ:* & in artico, *Iam enim non poteris amplius villicare.* In ratione reddenda ante iudices terrenos, valet indulgentia. De minimis non curat Prætor: at Christiani vitam adeo puram requirit Christus, vt etiam de minimo verbo otioso, rationem reddere teneatur. Dum homo viuit, quia ex Theophylac. in c. 6. Io. Homo animal est suapte natura vertibile: potest errata corrigere, & per pœnitentiam emendere: at morte præoccupatus, non potest vltra villicare, sed vbi ceciderit ibi erit.

Redde rationem. Seuera ratio requiretur a iustis, nam etiam de minimis peccatis, & verbis otiosis hoc fiet. Vide fol. 474. num. 1. per totum circulum. 2. Vbi hæc materia copiose tractatur.

Facite vobis amicos de Mammona, &c. Theophylactus interpretans verba Marci 10. *Difficile est hominem diuitem, saluari* dicit, difficile, hoc loco poni pro impossibili, idque declarat exemplo a Christo allato. Facilius est camelũ per foramen acus ingredi, quam diuitẽ in regnum Dei. Vnde concludit, *Impossibile enim est hominem, quatenus diues est, saluari. Etenim apud Deum hoc possibile est, dixit enim Christus, Facite vobis amicos ex mammona iniustitia. Vides quod si Deum audiuerimus, quomodo possibile fiat? Apud homines autem impossibile, hoc est, quando humana sapimus.*

Iam enim non poteritis amplius villicare. Quia ex Theophylacto, in cap. 16. Lucæ, *Non erit tunc operandi tempus.* Vnde idem in cap. 22. Matthæi, quærẽs cur Rex ita damnauit non vestitum veste nuptiali, quia nisi quis vitam habeat puram, nihil ei prodest nuda fides, cur inquit damnauit, ligatis manibus, & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores? Respondet. *In præsenti sæculo operari possumus, in futuro autem ligantur omnes virtutes animæ operatiuæ, & non potest fieri aliquid boni in ablutionem peccatorum: & stridor dentium est pœnitentia, quæ tunc stultè & inutiliter fit.*

DOMINICA NONA
Pentecostes.

SI Lugebat Isaias dirutam ciuitatẽ, in qua non vltra principes, nec homines habitabant, sed omnia genera bestiarum: multo magis luctu, & lacrymis digna erat Ierosolyma, & anima, in qua non vltra Deus & Angeli, sed dæmones habitant & peccata. Vide fol. 561. num. 9. & 10. Ideo Christus primò

flet Ciuitatem sic miserabiliter perdẽdam, deinde eijcit eos, qui domum Dei verterunt in speluncam latronum.

Videns Ciuitatem, &c. Difficilis æquè ac pulchra visa est omnibus propositio Cellensis, qui de lacrymis loquens, asserit, Aqua hæc, vel facit, vel inuenit Paradisum: sed hac die, clare patet lacrymas paradisum inuenisse, dum Iesus videns ciuitatem, fleuit super eam. Quis enim inficiabitur tunc primùm lacrymas paradisum inuenisse, cum ex oculis Christi, qui Paradisus est, egredi cæperunt? Nunc verè impletur oraculum, De loco voluptatis fluuius egrediebatur ad irrigãdum paradisum. vide fol. 401. per totũ circulum. 5. & per totam. Vers. XLII.

Fleuit super eam. Vide in 2. Elencho. Lacrymæ.

DOMINICA DECIMA Pentecostes.

AEnigma absconditũ & obscurum, potius quam Prouerbiũ clarũ & notũ videtur propositũ à pacifico Rege dicẽre, *Est quasi diues, cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit.* A quo enim hæ figuræ connectentur, cũm ex diametro opponantur? Oedipus nodum soluens Augustinus est: qui dicit, *In caritate, pauper est diues: sine caritate, diues est pauper.* Sicut lapidem philosophicum habens, etsi pauper, diues est, &c. Vide fol. 140. num. 257. Quod autem speculatiuè hucusque philosophati sumus, id totum practicè in Euangelio videmus. Aspicite diuitem nomine, nempe Pharisæum: si enim idem significat, Pharisæus, ac Diuisus: diuitiæ diuisionis fontes sunt. Aspicite diuitem re, *Pharisæus stans*: stat enim diues, at pauper vbique iacet. Aspicite diuitias, quas exaltat, & a ceteris diuisus, enarrat, *Domine gratias tibi ago, quia nõ sum sicut cæteri hominũ, &c.* Aspicite diuitias, quas enumerat, *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* & sententiam proferte, quod in multis diuitijs sit. Oculos autem conuertite in Publicanum, censu diuitem, spiritu autem pauperem; *Qui a longe stat.* Quia peccatorem se esse, sciens; nõ audet accedere. Spiritu pauperem, *Qui nolebat nec oculos ad cælum leuare.* Spiritu pauperem, *Qui percutiebat pectus suum.* Quia ibi peccauerat, ibi erant fons, fouea, & origo peccati. Spiritu pauperem, quia humilis dicebat, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Omnibus iniquior ego sum, & nisi per misericordiam tuam saluari non possum, ideoque propitius esto mihi peccatori. Sententiam autem ab incorrupto Iudice audire, & scitote, quod diues ille, pauper est: & pauper iste diues est, *Descendit enim hic iustificatus in domum suam ab illo*: id est, ex Caiet. *Effectus iustus, magis quam ille.* Quare hoc? Quia Publicanus caritatem habuit, quæ non inflatur: & Pharisæus falsam iustitiam, qua inflabatur: & quia, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur*: ideo vt inquit Emissenus, *Sicut Publicanus se humiliando, exaltatus est: ita Pharisæus se exaltando, humiliatus est.* Radix enim omnium malorum superbia, custos omnium virtutum humilitas, quæ primam omnium seruat caritatem.

Vide in 2. Elencho, Humilitas, Superbia.

Qui se exaltat, &c. Superbia plũbeũ reddit, humilitas altiuolum, fol. 448. n. 4. 5. 6. vsque ad 14. Vbi multa habes de Pharisæo & Publicano.

DOMINICA VNDECIMA Pentecostes.

AMicum certamen aggrediuntur hodie, obedientia hinc, inde gratitudo. etsi virtutes, & sub eodem vexillo, belligeræ tamen, & inter se prẽliãtes. Et licet scriptum sit, Vir obediẽs loquetur victorias: in hoc nouo Theatro, apparet inuicta gratitudo victrix, quæ etiam obedientiæ aufert victoriæ palmã. En, vbi Saluator surdum sanat, & mutum, obedientiæ illum committit, & illis imponit, atque astantibus iubet, *Ne cui dicerent.* Obedientiæ autem bellum gratitudo indicit. *Et quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabãt, Bene omnia fecit, & surdos fecit audire; & mutos loqui.* Petes, Hæccine est retributio debita Curatori, vt præcepta eius non seruentur? Vtique, nam obedientia contendens cum gratitudine, gratitudini palmam cedit, vnde Theophylactus, *Illi non vt inobedientes, sed vt grati, diuulgauerunt.* Moue dubium, vt fol. 411. n. 18.

Gratitudo magna virtus, & vtilis nimis, nã quod grati reddimus Authori bonorum, ab Authore bonorum nobis redduntur. Vide multa fol.409.per totum circulum.4.

Nonne decē, &c. Nisi hic alienigena. Christianorũ ingratitudo & iniquitas, tanto magis flenda, quanto eorum gloria maior. fol.516.nu.6.& seqq.

Bene omnia fecit. Omnia opera Christi bona, & directa.f.477.n.1.& seqq.

DOMINICA DVODECIMA Pentecostes.

MIrabilis est qualitas diuinæ legis, quæ quanto magis impletur, & tota impletur, tanto magis adimplendi desiderium accendit. Hinc illam Dauid super aurum & topazion diligebat, topazion enim, omne significat, & acquisitionis auri non est finis. Vide fol.305. num.9. Sic hodie lex proponitur amoris, & præcipitur, *Hoc fac, & viues*: & postea additur, V*ade, & tu fac similiter, in prima topazion, in secunda aurum apparens: in prima facit, in secunda insatiabilis, appetit plus.*

Caritas, & præceptorum obseruatio idem est.fol.365.num.9. Et scientiæ lumen parit.ibid.& fol. 454. num. 8. 9. & 10.

Præceptum amandi duplex est, nẽpe Deũ, & proximũ, & figuratur in duplici vbere Sponsæ, fol.455.num.12. In vestibus spõsæ. ibid.n.13. Et in fructu Insito. f.456.n.14.& 15.

Descendens ab Ierusalem in Iericho peccatorem significat, &c. fol. 568. nu.10.

DOMINICA DECIMATERZA Pentecostes.

NOn minus in cursu naturali, quam in morali vera dignoscitur Salomonis sententia, *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertitur, vt iterum fluant.* Quis enim nesciat flumina e fonte vasto maris egressa, tunc iterum fluere, cum refluo cursu, reuertũtur ad mare? Et quis ignorat gratiarum flumina a superpleno, gratiarum pelago hominibus collata, tunc iterum fluere, cum per gratiarum actionem, ad omnium bonorũ reuertuntur fontem, si dum ingrati non refluunt, arescunt? Nam ex Bernardo, ser, 1. in cap. Ieiunij, *Gratiarum cessat discursus, vbi recursus non fuerit*: Nec modo nil augetur ingrato, sed & quod accipit, vertitur ei in perniciem: fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliori. Vide fol. 72. n. 138. Id autem, quod theoricè diximus, practice in hodierno Euangelio cernimus. Si vultis gratiarum mare, en dicitur, *Dum iret Iesus in Ierusalem.* Si arentia flumina, *Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Si exeuntes aquas, *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Si puros latices, *Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Si refluum flumen, *Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, reuersus est, magnificans Deum.* Si iterũ fluentes aquas, *Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit,* Si, gratiarum cessantes discursus, vbi recursus non fuerit, *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Nullibi sunt, quia socij facti sunt eius, qui non est: qui enim ex dono gratiæ non habent esse, nihil sunt, & ad nihilum redacti sunt.

Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Peccator est, & non est. f. 643. num.2. & 3. Nihil est.fol. 87. num. 166. & fol.97. num. 182. Vide in 2. Elencho. Peccator.

DOMINICA QVARTADECIMA Post Pentecosten.

MOralis philosophus incorruptos rerum æstimatores quærens, dicebat in epist.95. F*alleris, & pluris quadam, quam sunt putas. Hos nescit, nisi constitutionem ipsam, qua res inter se æstimantur, inspexeris.* Et ita homines falli agnoscens Oseas, cap. 12. dicebat, *Chanaam, in manu eius statera dolosa. calumniam dilexit.* Idque ex Ruperto hic, *Propter malitiosam terrena cupiditatis duplicitatem.* En hodie ponit in statera duplices Dominos, Deum hinc, Mammona, id est, diuitias, inde: & videns non posse vtrique obsequi, deceptus æstimat potius Mammonæ seruire, quam Deo. Vnde & falsum iudicium profert, dicens, ex Ose. ibid. *Diues effectus sum, inueni idolum mihi*: id est, ex eodem Ruperto, *Siue iusta, siue dolosa in manu mea statera fuerit, diues effectus sum, inueni idolum mihi.* Sic ergo auarus pro Deo aurum eligit, & seruit idolis.

Auaritia mater est idolatriæ,&c. fol. 213.n.1. Idolatra vanum Numen,auarus efficiatum colit nummum. ibid. n. 2.Cor auari templum est, in quo colit anguium globos. ibid. vide in 2. Elencho. in verbo: Auaritia.

Nulla seruitus peior,quàm auaritiæ. fol. 215.n.8.& 279. num. 3. Idololatria peior auaritia fol. 219. num. 10. & seq.

Auari furto possident diuitias,ab ini quo Mammona collatas.fol.278.nū. 2. 3.& 4.

Diuitiæ mortem imitantur, mors sūt malis,vita bonis fol. 279.n.5.

Diuitiæ meretricibus assimilantur. fol.270 n.6. & 7.

Qui seruit auro, deos colit, eorumque imitatur mores fol.286. 17.

Ideo Deus auaritiam,odit, quia ipsa odientem amat.fol.287.num. 18.

Seruitus peccati quantum damnabilis.fol.499.n. 8.

Auarus coniugium contrahens cum auro,auri non spōsus euadit,sed seruus, & seruitus hæc tyrannica est.f.542.n. 1. 2.3.& seqq.

Seruis suis seruit Dominus in terra, seruit in cælo.fol.557.n.9.

DOMINICA QVINTADECIMA Pentecostes.

QVamuis mortalium vita varijs ex causis horologio comparetur, præcipuè tamen id fit, quia sicut hoc a ponderibus recipit motum, ita & illa a spe atque timore. Vide descriptionē fol. 515. num. 3. Sic huius adolescentis vita a spe dirigitur ac timore, *Cùm appropinquaret Iesus portæ ciuitatis*, en spem. *Ecce defunctus efferebatur*, en timorem, *Filius vnicus matris suæ*: en timorem, *Quam, cum vidisset Dominus*, dixit illi *Noli flere* en spem. *Tetigit loculum* en spem. *Hi autem portabant, steterunt*,en timorem, *Et ait, Adolescens, tibi dico, Surge*,en morti ineunti timorem. *Et resedit qui erat mortuus*, en spem transactam in rem. *Et accepit omnes timor*,en pondus timoris. Et dicebant, *Propheta magnus surrexit in nobis*. &c. en spem. Nam Dominus mortificat,dū Defunctus effertur,& viuificat,dum loculum tangit. Deducit ad inferos,dum portitores, nempe vel elementa ad sepulchrum,vel peccata ducunt in infernum:Et reducit dum dicens, *Surge*, & surgit,& traditur Ecclesiæ matri suæ.

Pondera timoris & spei debent mortalium ordinare vitā. vide multa. ibid. fol.516.a n.4 ad 12.

DOMINICA SEXTADECIMA Pentecostes.

QVamuis Hydropicus multorum sit hieroglypicum vitiorum, attamen specialis est auari nota. Hinc Augustinus relatus a D. Thoma in catena sup. cap. 14. Lucæ, dicebat, *Hydropicum rectè comparamus diuiti auaro: sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitit: sic & iste quāto est copiosior diuitijs, quibus non bene vtitur, tanto ardentius talia concupiscit*. Sed antequam illum Christus curet, Pharisæum sanat, qui, ex Gregorio Papa lib. 14. mor. Languebat ægritudine cordis & mentis: hæc autem ægritudo mentis ambitio erat. Videamus hanc duplicem infirmitatem, auaritiæ & ambitionis. Et sanitatem duplicem, corporis,& cordis.

Auaritia & ambitio communes habent affectus, detectus pares. Vide fol. 277. n. 1. Agitantur, vt naues varijs fluctibus; sunt vipera & aspis, sanguisugis assimilantur. ibid.

Auaris conuenit Iniquorum nomē, fol.278.n.2.Vide in 2.Elencho, ver. Auaritia,& Ambitio.

Auaritiæ morbus insanabilis, f. 286. num.8.Furijs incenditur auarus.ibid.

Nauis est, quæ per orbem totum væsana bacchatur,& nullibi satiatur, crescit semper, senescere nescit. fol. 285. 15. 16.

DOMINICA DECIMASEPTIMA Pentecostes.

CVr lex in sapphiro, & non in alio pretioso lapide fuerit scripta, magnā excitauit quæstionem. Sed sapphiri cōsiderando qualitates, soluitur omnis quæstio. Sapphirus cælestem habet colorem,& lex non a terra lata, sed a cęlo est data. Sapphirus aureis guttis collucet,& lex aureis punctis. Notate puncta. Primum ex Pharisæis, qui tentantes petunt, *Quod est mandatum magnum in lege*. 2. Dei amor, *Diliges Dominum Deum tuum*, 3. amor proximi, *Et pro-*

ximum tuum, sicut teipsum, 4. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est?* Et male soluentibus punctum, responderur, *Si Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* Vide fol. 321. n. 5.

Quod promiserat Sponsus Ecclesiæ, Cant. 1. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento:* vel ex Hæbræo, *Cum notis & punctis argenti*: hodie impletur, dum tot puncta in sacro Euangelio proponunrur.

DOMINICA DECIMAOCTAVA Pentecostes.

SI verum est, quod viæ per quas Dominus venit ad nos, misericordia & veritas sunt: & viæ per quas nos imus ad Deum, timor & spes sunt. Vide fol. 517. num. 7. & 8. En hinnulum se demonstrat, dum, *Transfrauit, & venit in Ciuitatem suam.* En caprea, dum *Videns fidem illorum, dicit Paralytico, Confide fili.* En hinnulus, dum a peccaris saluat, *Remittuntur tibi peccata tua.* En caprea, dum iudicat, *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* En hynnulus, dum sanat, *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* En capra, dum timorem incutir salutarem, *Videntes autem turba timuerunt.*

Misericordia Christi & veritas fontes sunt, vnde manant in nobis spes & timor. Vide fol. 517. a n. 9. ad 12.

Proijcite illum in tenebras exteriores. Impius ex tenebris transit ad tenebras, nam pœna illius duplex est, in vita enim incipit, & in morte consummatur. fol. 533. num. 1. ad 6.

DOMINICA DECIMANONA. Post Pentecosten.

SI Incarnatum Verbum insitum est, & ex Clemente Alexandrino, est omnia infanri, & Pater, & Mater, & Pædagogus & Altor. Vide fol. 22. nu. 18. cor. ftel. En hodie insitum apparet, dum Parer nuptias illi fecit vniens illi humam naturam. Et omnia nobis est, ait enim, *Omnia esse parata.* Patrem se pandit & matrem, dum, *Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* Altorē se ostendir, dicens, *Ecce prandium meū paraui. &c.* Pædagogum & iudicem se demonstrat, dum pro cuiusque opere, vel pœnia clargitur, vel ponas retribuit.

Quomodo huc intrasti non habens vestē nuptialem? Qui nocte ad spectacula, mana ad Ecclesiam accedit. fol. 23. nu. 19. Ingressus ad nuptias, inquit Theophyl. hic, sine disputatione fit, Gratia enim sola omnes vocati sumus tam boni, quam mali. At vita eorum, qui ingressi fuerunt, posthac non indisquisita erit: sed examen valde magnum faciet Rex eorum, qui post ingressum sordido habitu inuenientur.

DOMINICA XXII. Pentecostes.

SI depositi fidem homini negare & inciuile est, & fidem frangere: quanto magis damnabile erit depositum negare Deo? Depositum ex l. 1. ff. Depos. vel contra, *Est quod custodiendum alicui datur, Et totum fidei est commissum.* Cum ergo Deus animæ tuæ suam imaginem, depositum tam insigne commendauerir, repetet suo tempore, & dicet, *Reddite quæ sunt Dei, Deo*, &c. vide f. 317. n. 7.

DOMINICA VIGESIMATERTIA Pentecostes.

INter varios colores, quibus beatum virum Sacer & loquens Pictor descripsit, viridis ille relucet, quo folium eius non decidere dixit. Et certè, si verum, est quod Plin. lib. 16. cap. 22. refert, *Folia non decidere his, quorum succus pinguior sit.* Iure non deciduns folia verborum, tum Principis, tum mulieris, succus enim fidei in caritate radicaræ, pinguior erat. Hinc excipirur a Christo folium prius illius, & statim surgens, sequebatur eum. Excipitur & ipsius, etsi non ore prolatum, dum ei dicit, *Fides tua te saluam fecit.*

Filia mea modo defuncta est. Mors, quæ æqualiter inuadit iustos & peccatores, peccatoribus ansam præbet, putandi omnia casu accidere in mundo, & prouidētiam negandi. Vide multa. fol. 616. a. n. 1. ad 5.

An furtum fuerit, quod mulier fecit tangens Christi fimbriam. fol. 462. n. 4. quomodo tacite orans auditur. ibid. nu. 5.

DOMINICA XXIV.

IVdicij tempus nunc a Salamone dicitur cognosci, nunc autem nesciri: quia scitur affuturum, sed quando, nescitur, &c. vide fol. 605. num. 12. At Verus Salomon hodie decernit nesciri, & sciri: nesciri modo & per signa praenosci, &c. Tunc enim erit, ***Cùm abominationis statua, stabit in templo: cum tribulatio magna erit, qualis numquam fuit, cum Sol obscurabitur.***

Erit in tribulatio magna. Dies iudicij magnus dicitur, nam super magnam basim Iudex apparebit, &c. fol. 605. nu. 13. Magnus dies describitur a Sophonia, & iuxta, & velox nimis. fol. 606. nu. 14.

Describit vocem Dei amaram, per quam fortis tribulabitur. ibid. n. 15.


Eamdem vocem in varias voces distinguit Psaltes ibid. n. 16.

Dies Iudicij sex coloribus a Sophonia adumbratur. ibid. Non addit septimum, quia pro damnatis nulla Sabbati mentio fit. fol. 607. num. 17.

Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilae: Nam Iusti, tamquã Aquilae, in aera eleuabuntur obuiam Christo: impij autem, non valebunt attolere caput fol. 609. n. 1. & seqq.

Iusti leuabunt caput, impij demisso capite iacebunt ante portas eorum. fol. 610. nu. 4. & 5. Immo ibi obstupescent. ibid. n. 6. Colent eorum portas. fol. 611. num. 7.

F I N I S.



ELEN-

ELENCHI QVINTI QVARTA SECTIO.

Concionum pro Sanctis.

CONCIONES SANCTORVM, Quorum solemnia celebrantur in Mensibus Februarij, Martij, & Aprilis, nuper à nobis & largè in lucem datæ sūt in sacris Aureolis, vbi reperies. 1. Festum Vigintitrium Crucifixorum. 2. Matthiæ Apostoli. 3. D. Thomæ Aquinatis. 4. B. Ioannis Dei. 5. B. Franciscæ Romanæ. 6. B. Gregorij Papæ. 7. B. Ioseph. 8. B. Ioachim. 9. B. Benedicti. 10. Annuntiationis B. Virginis. 11. B. Francisci à Paula. De reliquis Sanctis hic tractanda addemus.



FESTVM APOSTOLORVM Philippi & Iacobi die 1. Maij.



STulta fuit & impia illorū sententia, qui omnes putabant futuros pares in gloria: illāque destruūt funditus summi Iudicis verba, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*: & glosa ab Augustino his verbis addita Inter impares autem sedes primatus datur ex Apostoli decreto, Apostolis, *Nam posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos.* Hinc dicuntur vocati Iusti, in partem sortis Sanctorum: & de premijs diuersis verificatur Adagium, *Non Cbius, sed Cbous.* Vide fol. 114. nu. 208.

Ego sum via. Incarnata veritas via est, sed varia à varijs specilis affectuum representatur. fol. 633. num. 2. & seqq. Sicut dicitur via Romæ, via Ierosolymæ ita Filius via, quia Patris est via. Vnde Eusebius. *Sed quare via? Quia nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

MA[redacted]II DIE TERTIO, Festum S. Crucis.

IVbebat Ezechieli Deus, Ostende Filijs Israel templum à crepidine minori, vsque ad crepidinem maiorem. Et maximam excitauit quæstionem circa crepidinum harum interpretationem. Si tamen nos Glosam sequamur, quæ per explanationem Septuaginta nos ducit, dicere poterimus, eumdem Christum esse Propitiatorium minus, & maius, sic enim asserit. *Propitiatoriū minus, quando se exinaniuit: Propitiatoriū maius, quando recepit gloriam, &c.* Vide fol. 79. num. 153. Vide Propitiatorium maius, *Cùm in forma Dei esset, &c.* Sed aspice minus, *Semetipsum exinaniuit,*

for-

formam serui accipiens, &c. Respice & Propitiatorii minus. *Humiliauit semetipsum factus obediens, &c.* Conspice, & maius, *Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Inspice Propitiatorium minus, *Filius hominis descendit de cælo:* intuere & maius. *Qui est in cælo, & ascendit in cælum.* Obserua Propitiatorium minus, *Exaltari oportet Filium hominis:* serua & maius, *Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternã.* Mira ergo inuentio Crucis, dum ex Propitiatorio minori in ea exaltato: maior apparet, tum ob propitiationem mundo allatam, & tum ob fructus gloriæ ortæ ex ignominia, remissionis ex damnatione, & vitæ ex morte.

Lignum Crucis, lignum dicitur in lucem & in flammam conuersum. fol. 383. n. 1.

Et plantatum fuit iuxta fonticulos aquarum, tales enim erant Mariæ flentes iuxta Crucem. Ibid. num. 2. Lacrymæ earum supplebant olei vicem. fol. 384. n. 3.

Lignum Crucis in ignem conuersum, corda accendit amoris flamma. Ibid. n. 4.

Crucifixus caritatis simulacrum est. ibid. n. 5. Maluit aliquid dissimulare de iure, quàm de caritate deponere, explicatur exemplo Agesilai. fol. 385. num. 6.

Crucifigi, opus alienum fuit a diuinitate, non tamen a caritate. ibid. nu. 7. & 8.

Crux, legis Apex. fol. 386. n. 9.

Lignum crucis regiam Virgam produxit. fol. 386. num. 10. 11. 12. In hac virga & sceptro omnes continentur sceptrorum qualitates. ibid. Flores nomine Regis inscripti, nati sunt ex hac virga. fol. 386. nu. 11. Columba residet in tali Sceptro, quia Crux pacificauit omnia. ibid. Crux scala. ibid. Crux etiam verbo, cruciatus ostendit. fol. 388. n. 12. Cur cornua Crucis in manibus Christi dicantur, & non e contra. ibid. n. 12. & 13. Crux malum punicum coronas producens. fol. 388. n. 14. 15. & 16. Paulus cur nefas putabat gloriari nisi in Cruce? fol. 389. n. 17. & 18.

DIE XXIV. IVNII
Pro Natiuitate S. Io. Baptistæ.

QVod Psaltes figurate celebrabat, comparans iustum columbæ: id corpus hodie recepit in Baptista. Ipse, vt Victorinus, ser. 97. philosophatur, inter medios Cleros dormit, & virtute & tempore, *Quia inter Prophetas, & Apostolos extitit, Lex enim & Prophetæ vsq. ad Ioannem.* Ipse columba fuit, felle peccati caruit ex vtero. Meliora grana elegit, adhuc iacentem in Virginali agro, saltibus elegit Christum, qui granum frumenti est. Gemitum pro cantu habuit, vnde de eo dicebat Dominus, Lamentauimus vobis. In petra nidificat, Messiam omnibus prædicans. Alienos nutrit pullos, dicẽs Iudæis, Genimina viperarum, &c. Super aquas sedet, Venit in omnem regionem Iordanis, &c. Deargentatas pennas habet, quia eloquia Domini intonat, Ego vox, &c. Et dorsum colorabit in pallore auri, quia amputato capite, obdormiet in Domino.

IN FESTO SANCTORVM
Petri & Pauli Apostolorum
Die 29. Iunij.

PEtrus, qui Christum, antequam crucifigeretur, a Cruce auertebat: post Magistri crucifixionẽ, crucifigi voluit resupinus, & cur. fol. 505. n. 7. 8.

Exemplum Crucifixi maximè imitandum. fol. 506. a n. 9. ad 16.

Mira res! Christus mittit suos, sicut oues in medio luporum, non tamen cautos reddit, vt fugiant a lupis, sed dicit, Cauete autem ab hominibus: quia peiores sunt homines mali, quàm lupi, dum illi decipiunt, non hi, &c. fol. 602. nu. 6.

FESTVM VISITATIONIS
B. V. Die 2. Iulij.

EXultauit infas in vtero meo, Olim dicebatur, A linea, vel a carcerib' incipere: at hodie dici potest Ioannem ab vtero cæpisse: quia. n. de eo dicetur, Amicus spõsi gaudet: modo cæpit exultare. vide fol. 170. n. 9. & 10.

FESTVM B. MARIÆ Magdalenæ, Die 22. Iulij.

MAgna lis olim fuit an innocentiæ cedat pænitentia, an pænitentiæ innocentia, sed vbi Magdalena pænitentium apparuit antesignana, in fauorem pænitentiæ sententia est lata. Duas Veneris statuas Praxiteles fecit, velatam alteram, alteram absque velo, &c. Vide f. 164. n. 12. & 13.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Lacrymæ peccata deaurant, ibid. num. 14. Vide in 2. Elencho, Lacrymæ. Per lacrymarum organum paradisum in terra vel inuenit Magdalena vel fecit. f. 180. num. 8. & 9.

Mulier quæ erat, in ciuitate peccatrix: in scala vel Platonica, vel Iacob, figuratur pænitentia Magdalenæ. Ibi mutabantur figuræ, ascendentiū & descendentiū: vtrumque in Magdalena, descendit primum in centrum malorum, dum mulier erat, id est, secundum Origenē, *Caput peccati, arma diaboli, expulsio è paradiso, mater delicti, corruptio legis antiquæ.* Et erat in ciuitate peccatrix: id est, ex Chrysologo, ser. 93. *Iam non peccatrix solum, sed ipsius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatū.* Hæc autē informes formas, in descensu mutat. Sed ascēdētem aspicite. *Vt cognouit,* &c. vide f. 161. n. 8. & 9. & 10.

Mulier hæc tamquam miraculum demonstratur, & vere miraculum, sed amoris, qui debiles reddit fortes, imbelles armat, &c. fol. 180. n. 4.

Picturam caritatis, quam Cellensis depinxit in abstracto: dignoscitur in Magdalena, vere in concreto. fol. 163. n. 4. Colores autem vere & ipsa sic sumpsit, vt & Cellensis descripsit. ibid. n. 5. vide ibi, quā miro modo figurari potest pulchra Magdalenę imago, *Vbi addi possunt lumine legis,* ipsa enim fuit caritas, quæ etiam Apostolos docuit. fol. 164 in circulo 4. 5. & 6. vsque ad 11.

Dimittuntur ei peccata multa, quoniā dilexit multum. Onus peccati quod miserat Magdalenam in profundum, amoris onere eleuatur in Cælum, &c. fol. 163. n. 1.

DIE XXV. IVLII FESTVM S. Iacobi Apostoli.

SEntentia a summo Iudice hac die prolata: *Sedere ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis:* examen excitauit quæstionum. si enim idem Rex promisit Apostolis: *Ego dispono vobis regnum:* quomodo asserit non esse sui muneris dare regnum? Iure autem vtrumque asserit, erat enim suū dare, quatenus Rex est regum: non autem suum, quatenus iustus iudex premia præliantibus, iuxta merita distribuens. Fideiussorem adhibeo Bulgariæ Antistitem, sic dubio satisfacientem, in cap. 10. Marci: *Non est, meū hoc est, iudicis iusti, dare vobis ad gratiam dignitatem istam, non enim iustus essem: sed his, qui laborauerint, preparata est dignitas illa. Quemadmodum si iustus Rex præsideret certamini cuipiam, & deinde accedant ad illum quidam amici eius, & dixerint, da nobis coronas; diceret vtique: Non est meum dare, sed si quis certauerit & vicerit, illi preparata est corona. Et ita etiam vos, o filij Zebedæi, martyres quidem eritis propter me; si autem quis inuentus fuerit cum martyrio omnes alias virtutes possidere amplius quā vos, ille vos præcedet.* Et oraculum probauit euentus, nam Paulus surrexit, qui vti gloriatur, *Plus omnibus laboraui,* ita, excepto Petro, plus omnibus exaltatur. At Iacobus, & calicem bibit, & coronā regni obtinuit, & regnat in cælo.

DIE VI. AVGVSTI. Transfiguratio Domini.

INuitat hodie fideles filios lætabūda & laudans mater Ecclesia, vt si Christum transfiguratum quærunt, oculos in altum montem Thabor tollant, nā illic licebit videre signum cælestis gloriæ. Sicut in cera signata omnia apparēt stemmata, arma, emblemata, quæ in regio aureo sigillo sunt sculpta: ita in monte signantur omnia cælestis regis stemmata gloriosa, sic enim obseruat Rex gloriæ, quod promiserat, *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo:* Vel ex Marco, donec viderint regnum Dei venisse. O transfigu-

ra-

rationem.o signum regni Dei. Hoc signum cum signato his verbis Theophylactus conferebat in cap. 10. Marci, obseruans tempus, locum, & circumstantias transfigurationis, & dicens, *Post consummationem mundi, qui sex diebus est conditus, & nos ascendere faciet Dominus, si quidem discipuli eius fuerimus, in montem excelsum, cælum dico, & ostendet nobis semetipsum fulgidiorem. Nunc quidem quasi in ignobilitate apparuit, crucifixus, & fabri filius: tunc autem videbimus Vnigeniti illius gloriam, videbimus etiam legem & Prophetas cum ipso colloquentes, id est, ea quæ de ipso dicta sunt tam a Mose, quam à cæteris Prophetis; & tunc comperiemus ac videbimus, quod cum suis operibus consonent, ac tūc audiemus re vera paternam vocem, quæ reuelat nobis Patris Filium, & docet, Hic est Filius meus. Quomodo docebit nos? Nube obumbrante, id est, Spiritu sancto, qui est fons sapientiæ.*

DIE SEPTIMA AVGVSTI.
B. Caietani festiua solemnitas.

QVærebat Origenes cur Dauid virum beatum dixerit, & non mulierem? Et respondet quia dum ad prælia hortatur, præcipiens; Quæ habes vendito, & da pauperibus: actiones sunt Athletarum viribus conuenientes. Additque Oleaster, vbi nos legimus de Leuitis, *Vt ministrent in tabernaculo fœderis*: legi in Hebræo, ad militandum militiam: milites enim, & plusquam milites, immo & Martyres esse oportet eos, qui ad ministeria diuina accedunt. Vide fol. 33. num. 45. Talis fuit Caietanus. 1. Beatus. 2. Vir. 3. Athleta. 4. Plusquam miles. 5. Martyr. 6. Dux Leuitarum, id est, Clericorum regularium, quos ad seruiendum, vel militandum in castris nouæ Religionis congregauit.

Quod pro impossibili Christus proposuit, nempe Camelum intrare per foramen acus, Caietanus reddit possibile: nam custodiens verba diuina, *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*: relinquens omnia, per angustam paupertatis intrauit portam, per quam nemo olim intrauerat. fol. 227. n. 1.

Suspendium, quod Iob elegit, elegit & Caietanus. illud describitur ab Vuetrico. Vide fol. 480. n. 10. Et applica. Nã Caietanus pendet inter cælum, & terram, dum cælestia viuens apprehendere non valens, quærit tamen primum regnum Dei: non tamen vult tangere terrena: & si cogitur tangere, extremis articulis tangit, non petens, non possidens, sed certo fidens, quod quæ ad victum & vestitum pertinent illi adijcientur.

FESTVM S. LAVRENTII
die decimo Augusti.

COnsilium verum Sapiētis, & verè sanum, sapienter sequutus est Leuita Laurentius, & operoritēr compleuit, vt nihil vltra possit desiderari; Si Ecclesiasticus cap. 6. 19. præcipit, vt homo ad sapientiam accedat: en ipse ad incarnatam Sapientiam accessit, dicēs; *Adhæsit anima mea post te.* Si modum docet, vt accedat, *Quasi qui arat*: en ipse in craticulæ sulcis apparet, & dicit, *In articulo te Deum non negaui*, Si ille subdit, Et quasi qui seminat: en ipse & seminat aurum & argentum, quia *Dispersit, dedit pauperibus*: & triticum seminauit, quia, *Nisi granum frumenti, &c.* Si illic addit, In opere eius, &c. hic concluditur, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eã.* vide fol. 477. n. 1.

Nisi granum frumenti, &c. Vide descriptionem Zenonis, de grano frumēti mortuo, & renato fol. 477. n. 2. Et de Phœnice mortua & resurgente. ibid. num. 3. & 4. De planetis & stellis, quæ norunt occasum, norunt & ortum. fol. 778. a. num. 5. ad 11.

Tunc vincit Laurentius, cum vincitur: tunc triumphat, cum perit. fol. 615. n. 17. & 18.

Laurentius in igne similis tribus pueris, ignem in rorem conuersum videt. fol. 635. n. 8. Ignis diuini amoris intus existens, prohibebat & obstruebat externum ignem. ibid. n. 9. & seqq. Intus existebat Christus, & fides, fol. 636. nu. 11.

Laurentius Lauro coronatus, ab igne non tangitur. ibid. n. 12.

In Craticula, quasi in igneo curru triumphabat, nam Deus patitur cum

ipso in supplicio numerari, dicens ei, *Si transieris per ignem, tecum ero.* fol. 636. num. 13. Christus miles & Dux cũ ipso erat fol. 637. nu. 14. & 15. Christus non in auro lucet, sed in flamma ostẽditur. ibid. n. 16.

Qui parcè seminat, &c. Laurẽtius large seminat facultates Ecclesiæ, ideo large metit benedictiones. fol. 522. nu. 6. & 7.

DIE XV. AVGVSTI.
Assumptio gloriosæ. V. M.

INter varios hymnos, quos hodie intonat Cælum, intonat & terrra in sublimi triumpho inuictæ Virginis ascendentis in cælum: ille suauiori sono aerem commouet, & fragrantiori odore mortales recreat, quo canimus, *Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.* Flores sunt in varijs creaturis virtutes variæ, ex omnibus autem circumdatur & coronatur B. Virgo, quæ, ex Hugonis Victorini ser. 34. sententia, *Est aurora veræ lucis præuentione, flos pulchritudine, fauus dulcedine, viola humilitate, rosa caritate vel compassione, suauitate lilium, vitis fructificatione, quodlibet aroma bona opinione. Castrum securitate, murus vel turris fortitudine, Clypeus aut propugnaculum defensione, columna rectitudine. Sponsa fide, amica dilectione, Mater fecunditate. Virgo integritate, Domina dignitate. Regina maiestate. Ouis innocentia, Agna munditia, Columba simplicitate. Turtur castitate, munda & mansueta conuersatione. Nubes protectione, Stella cuiuslibet virtutis aut boni operis inchoatione. Luna eiusdem augmentatione, Sol consummatione, cælestis denique, Paradisus cælestis boni plenitudine.* His ergo floribus rosarum, & lilijs conuallium circumdata ascendit de terra: sed aurea duodecim Stellarũ Corona ornata fulget in cælo.

IN FESTO S. BARTHOLOMEI
Apostoli. Die 24. vel 25. Augusti.

CVm dies factus esset, vocauit discipulos suos, quia Discipuli Solis iustitiæ, semper in die versantur, & noctẽ ignorant. Vide fol. 339. per totam vers. 31. Apostoli, 12. Luminaria sunt, & 12. signa, quæ licet in terra splenduerint, eorum tamen theatrum est cælum. fol. 341. num. 9. & seqq.

DIE VIII. SEPTEMBRIS.
Natiuitas B. Virginis Mariæ.

ECclesia, quę Nauis instituitur est, & in mari huius sæculi, per totã noctem legis naturæ & scriptæ inter obscuras tenebras mœsta errauit: hodie nascente Virgine, quæ Stella maris est, & cum filij lumine, tamquam nouo duce, & cum illius fulgore, ac noua luce, & lætabunda & laudans ad portum tendit. O nauem! O maris stellam! Et certè, quod nauis sit Ecclesia, & omnia habeat ad nauem necessaria, clarè demonstrat Hugo Victor. serm. 4. dicens, illam esse, *Nauem per fidem, & habere malum per spem, velum per caritatem, galiscum per probationem spirituum, chordas per exercitationem virtutum, remos per exhibitionem bonorum operum, gubernaculum per discretionem, anchorã per humilitatem, escam per Scripturarum meditationem & lectionem, rete per prædicationem: ubi celeuma debemus cantare per laudes Dei iubilationem.* Celeuma autem est, *Mundo noua lux orta est, gaudium honor, atque tripudium.* Noua lux oritur, quia ab omni peccato libera: gaudium, quia natiuitas eius gaudium annunciauit vniuerso mundo. Honor, quia ex regijs est orta parentibus. Tripudium, quia de ea natus est Iesus.

FESTVM S. MATTHÆI APOST.
Die 21. Septembris.

MIra potentia artis, qua lapides maximi oneris in altis angulorũ capitibus eleuantur: quid autem cum omnipotenti Verbo Christi, quo sedens in telonio, graui auaritiæ onere oppressus, eleuatur in cælum? Expendit Chrysologus serm. 29. iure præmicti Leui sedere ad telonium, vt nosceretur onus auri, quo opprimebatur, &c. fol. 282. num. 9. At verbum Domini, Zach. 9. 1. dicitur, Onus: vel ex Septuaginta, Assumptio: dum enim dixit ei, *Sequere me,* Assumpsit illum a graui sessione, ad volatum: a sequela auri, ad Pauperis sequelam: à laqueo diaboli, tales enim

sunt diuitiæ, ad libertatem Filiorũ Dei, *Et statim, relictis omnibus, sequutus est eum.* A tribunali iustitiæ ad solium misericordiæ, *Misericordiam volo non sacrificium.* Et à peccato ad pænitentiam, *Veni vocare peccatores ad pænitentiam.* Hæc autem omnia præteriens agit Iesus.

Præteriens Iesus, vidit hominem sedentem in telonio. Sedebat nimio aggrauatus pondere auri. Vide in 2. Elencho, Aurum.

Sedebat, auaritiæ vinculo indissolubili ligatus. fol. 283. nu. 10. & 11.

Sepulchrum erat ore proferens cædes, vt rapinas. fol. 284. num. 13. & 14.

Auari cupiditas nauis est, quæ per orbem totum vætana bacchatur, & varijs malorum fluctuat vndis. fol. 285. nu. 15.

Dixit ei sequere me. Dux viæ in cælum Christus est, dux autem viæ inferni diabolus, &c. fol. 640. nu. 4.

Statim relictis omnibus, sequutus est eum. Auarum hunc saluasse, ac vincula aurea soluisse, inter miracula maximũ. fol. 283. num. 12.

Miraculosa conuersio, per quam, qui terram furabatur, furatur cælum. f. 285. n. 14. Et qui sedebat in nouissimo loco, in primum ascendit; nam posuit Deus in Ecclesia, primũ Apostolos, & per ea quæ docet Petrus Damianus serm. 1. de S. Matthæo, Inter omnes Sanctos quẽdam obtinet primatum, & nemo post Christum est, cui magis debeat Ecclesia, cum ipse primus Euangelium scripserit, & fidelibus fidei speculum procurauit. Praxiteli datur premium inuẽtionis speculorum, quibus corpora ornantur: at Mattheo debetur premium inuentionis speculi Euangelici, quo animæ & ornantur & viuunt.

FESTVM MICHAELIS Archangeli, die 29. Septembris.

SI Phidias ille, sculptorum facile Princeps, non minus in magnis, quã in paruis magnificus celebratur; mirũ non est Creatorem æquè in magnis Angelis, ac in paruulis hominibus magnificum apparere, &c. Vide fol. 166. n. 2. & applica, nam in Euangelio, quasi in scuto, vtrosque effingit, nunc de Angelis, nunc de paruulis loquens.

Naues à varijs vẽtis varios terminos habent motus. illæ in spiritu vehementi conteruntur Tharsis: illæ ab aura suaui ducuntur in portum volũtatis eorum. Naues variæ, varij homines, impij à spiritibus malignis truduntur in infernũ; pij à spiritibus bonis ducuntur in cælũ. fol. 480. nu. 2. & seqq.

Duo Cherub in lateribus Propitiatorij, duo Angelorum ministeria figurabant, nempe, vt defendant nos à malo, & conseruent in bono. fol. 290. num. 6.

Michael contra Luciferum, lancea sic vsus, vt in hastiludio vili homine vtuntur equites, quem impenetrabili torace, & galea armatum pro signo ponunt. fol. 604. nu. 10. & 11.

In hora mortis, qualibus verbis Angeli, vt subueniant, sunt inuocandi. vers. 61. 11.

Sinite paruulos venire ad me. De qualibus paruulis intelligatur. Vide fol. 166. nu. 1. 2. & seq.

DIE QVARTO OCTOBRIS. In festo S. Francisci.

QVuod Philo de sanctis antiquæ legis Patribus summa cum laude commemorat in lib. de Abrahamo, *Leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factaque narrantur*: id ipse mutuatis & mutatis in parte verbis asseram de Seraphico Patriarcha Francisco, is enim est lex Euangelica scripta, & facta dictaque illius, nouæ legis & Euangelij commentaria plena sunt. In lege quid scriptum est? *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regno cælorum*: in Francisco quomodo legis? *Filius honorabilis, & puer delicatus.* In lege quid scriptum est? *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: In Francisco quomodo legis? *Franciscus hic humilis.* In lege quid scriptũ est? *Beati pauperes*: in Frãcisco quõ legis? *Frãciscus hic pauper.* In lege qd scriptũ est? *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt*: in Frãcisco quomodo legis, *Stigmata Domini mei Iesu Christi in corpore meo porto.* In lege quid scriptum est? *Vni dedit quinque talenta*: In Francisco quomodo legis? *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum*, talia enim sũt stigmata quinque. Et sic quælibet virtus in lege scripta, in Francisco

ita legitur exarata, vt si inter eos esset fieret vestium commutatio, quę inter Dauid & Ionatam facta fuit, anceps penderet oculus, iudicium anceps, an Christus Franciscus esset, an Fräciscus Christus.

Difficultas magna est inter Doctores, quomodo intelligenda sit sententia Christi, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Præualet autē Hieronymi interpretatio, violentiam hanc fieri per virtutem. Vide fol. 538. num. 11. Franciscus virtute humilitatis armatus, vim infert cælo, & virtute caritatis munitus rapit stellas cæli, dum quinque plagis ornat proprij corporis animatum cælum.

Non fuit surdus auditor verborum Christi, hoc enim dicente, Venite ad me: ille arctam viam inuenit, & per eā ingressus ambulauit. Vide fol. 539. n. 16 17. & præcipue num. 18. Ex quo dices Franciscum esse lapidem pretiosum, floribus stigmatum interspersum, & sublucentem in orbe, quasi nouum cælum. Vide totam Basilij auctoritatem in hoc nu. 18. relatam, quia miro modo appropriatur Francisco.

Alexanderius Ciuitatis Corinthi libens accepit, quem illi commendabat, & raritas, & eum Herculę societas: & Franciscus libens accipit plagas, quas illi caritas commendat, & societas cum Christo. fol. 541 nu. 19.

DIE PRIMO NOVEMBRIS
Festum omnium Sanctorum.

B*Eati pauperes spiritu, &c.* Cum idē sit Beatus ac bene acutus, vt Isidorus docet, cumque ex Senecæ sententia, *Semina in corporibus humanis dispersa sint, quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt*, mirum non est, quod recipiens beatitatis diuinum semen, & bonus illius cultor existens, similia origini diuinæ producat gemina, cælorūque possideat felicia regna. Vide fol. 17 n. 3. corollel. Adde, semina beatitudinis grauida in octo beatis virtutibus contineri. Beati pauperes, &c. Horum autem cultor, beatitatis est sator; beatitatis est messor, nam Deus ad eum venit, ipse ad Deum vadit, quia semina hæc non in corporibus humanis dispersa sunt, sed in cordibus hominum a Deo sunt sata, semen enim est Verbum Dei.

Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sicut diminutionis prountuntur ante coronam: ita initiatis ad certamina cum paupertate, vel lacrymis, &c. præmia promittuntur. f. 22. n. 17. cor. 5. Merces est virtutum nutrimentum. ibid.

D. Bonauentura vertens in gloriam iustorum poeticum carmen, O terque quaterque beati, sic dicebat, in expos. Psal. 13. id est, in corpore, & in anima. Anima enim rationabilis, concupiscibilis, irascibilis. Corpus ex quattuor elementis. Beati sunt in parte rationali, cuius sanitas est cognitio veritatis, nam Beati mundo corde quoniam ipsi Deū videbunt. Beati in concupiscentia, nā, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Beati in irascibili, quam superant per patientiam, & beatos se æstimant, dum persequuntur eos homines. Beati in elementis corporis, tum in aere, quia ex Spiritu viuunt, Beati pauperes Spiritu, &c. Tum in aqua, Beati qui lugent. Tum in igne, Beati misericordes, qui ob miseriam alterius vruntur. Tum in terra, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Vide fol. 78. nu. 150. Sed vbi reliqueram Beatitudinem pacificorum? Hæc coniungit beatitates iustorum: tales illos reddens in corpore & in anima, in vita & in morte, & in terra & in cælo. vide ibidem, & fol. 79. n. 151.

Finxit Homerus Iouem è cælo extendisse catenam, cuius annulos, cùm omnes terrestes Dei apprehendissent, ipse per eos traxit illos in cælum. Hodie Rex cælorum catenam beatitudinis auream extendit, & in ea octo annulos ita connectit, vt per illos trahat iustos in Paradisum; octo enim annuli sunt paupertas, mansuetudo, lacrymæ, &c. Quadrat ad hoc miro modo sententia Nazianzeni. Vide relatam. f. 175. nu. 8. vbi etiam habes sententiam Senecæ.

Caput Sponsi varium, varium demonstrat premium Sanctorum. fol. 180. num. 8.

Sancti, multo melius quam cæli, enarrant gloriam Dei. fol. 182. 4.

Stellæ variæ variorum Sanctorum figuræ. f. 649. n. 6. 7. & seqq.

Beati pauperes. Paupertas, vnica, pro morbo auaritiæ, medela. f. 582. n. 9. vide in 2. Elencho. Beatitudo, Beatus,

Beati eritis, cum vobis maledixerint homines, &c. Seneca comparabat iustum Soli, qui etiam si exterius appareat nubibus obductus vi̇n propria tamẽ sphęra lucet semper, &c. vide fol. 18. nu. 8. & cons. Lex in sapphiro scripta cum punctis aureis, Sanctorum demonstrat exẽpla, per quæ inobedientes damnantur. fol. ... n. 9.

Merces vestra copiosa est in cælis. Ex Varrone, *Merces, est premium, quod datur pro labore.* Sed Sanctorum merces, longe laborem superat, vide fol. 75. num. 153.

DIE DECIMA NOVEMBRIS,
Festum B. Andreæ Auellini.

Sicut ex folijs non decidentibus, arboris dignoscitur virtus: ita B. Andreæ sanctitas noscitur, ex eo, quod numquam verbum dixit otiosum. fol. 74. n. 141. & fol. 75. n. 144. Verba ipsius palmæ folia erant. f. 75. n. 145. Nec verba tamquam folia, decidebant in hieme tribulationum. f. 81. nu. 157.

Dignitas summa iustorum non posse peccare: in B. Andrea apparuit manifesta. vide f. 497. per totam. vers. 58.

DIE TRIGESIMA NOVEMBRIS,
Festum S. Andreę Apostoli.

Vide in festo Apostolorum Petri, & Pauli, die 29. Augusti.

O bona Crux. dum Andreas Christo in Cruce conformatur, Paradisi gaudia prælibatur. fol. 507. n. 13.

Vide in 2. Elencho. Crux.

COMMVNE APOSTOLORVM.

Apostoli nutrices regij, omnes nutricis habẽt cõditiones. f. 202. n. 5.

COMMVNE MARTYRVM.

Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Tria sunt, quæ Deus remunerat in homine. fol. 407. num. 8. Remunerat 1. Bonam voluntatem; Qui vult venire post me. 2. Iustitiam, Abneget semetipsum. 3. Humilitatem; Tollat crucem suam, & sequatur me.

Tria hæc triplici munerantur corona ibid. nu. 9.

Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Maximum dubium est, quomodo Dauid asserat, Ambulabam in latitudine: & Christus dicat, Arcta est via. &c. Vide fol. 323. num. 9 & applica martyrum tormentis, quæ arctã reddebant viam, dum seipsos negabant, quasi non ipsis esset cura de seipsis. Sed in latitudine ambulabant, dum caritate pleni, Deum, qui caritas est, sequebãtur. Vnde in angusto ore dilatabatur cor.

Nec mirum si sequens Christum, corde dilatatur, cum eum gloria antecedat, & splẽdoribus impleat animam. fol. 328. nu. 9. & 339. nu. 11.

Martyres in tormentis gloriabantur, quasi in cælo. fol. 613. num. 12. Gaudebant rebus aduersis. ibid. num. 13. Gloriabantur vulneribus. ibid. nu. 14. Multum eis Iesus contulit, dum ad martyria destinauit. fol. 614. nu. 15. 16. & 17.

COMMVNE DOCTORVM.

Coronis florum marcescibilium munerabantur labores pro terrenis honoribus exãtlati: at Doctores, qui pro cælo laborant verbo & opere, cælestibus coronãtur stellis. Hinc Daniel, qui ad iustitiam, &c. vide fol. 343 nu. 2. Pacifici hi sunt, & Dei filij euadunt. ibid. Maius est peccatorem conuertere, quàm mortuum suscitare. ibid. Thesauros effodiunt. fol. 345. nu. 3.

Non veni soluere legem, sed adimplere, Et iure, nam quæ in lege erant, erant vacua elementa: & sicut auro vel argẽto typus & forma impletur, ita lex in carne assumpta à Verbo, est enim Sapientia in carne lex viua. Vide fol. 296. à nu. 1. & seq. per totam vers. 25.

Qui fecerit, & docuerit, &c Ideo pręcipitur, vt lex ligetur in digitis, & in corde scribatur, &c. fol. 322. nu. 7. & 8. Etiam Seneca dicebat, Non est beatus qui scit ista sed qui facit. fol. 349. nu. 15. Vt homo fit magnus, debet tacere & docere, quæ Christus docet. ibid. Scire legem, & opera facere propositiones sunt conuertibiles. fol. 364. nu. 6.

COMMVNE VIRGINVM.

Virginitas Martyres fecit. Vide multa in vers. 9. à f. 195. n. 4. & 5.

Si-

Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærẽti bonas margaritas. Margaritæ mandata sunt: fol. 510. nu. 6. Pretiosam inuenit margaritam, qui Virginitatem inuenit, & vendit omnia, vt comparet eam.

Simile est regnum cælorum decem Virginibus, &c. Lampas est anima, lumine ornatur per bona opera, & per hæc introducitur in regnum. fol. 520. num. 2.

PRO HABITV, Vel Professione Monialium.

ASsimilari potest monasterium fornaci Babylonis, & quæ in illud ingreditur Tribus pueris, & obedientia, martyrio, &c. vide. fol. 206. num. 7. & 8.

Non vacat mysterio, quòd Sponsa de malo punico singulariter solicita, his verbis inuitet sponsum, Mane descendamus ad vineas, videamus si floruerũt mala punica: Id autem ideo, quia ex Plinio, Punicæ omni genere inseruntur. Vide fol. 408. nu. 10. Sic & tu Christi sponsa, malo punico, in hac florenti Monasterij vinea dñi plantaris, in te hodie omnes virtutes inseruutur, & omnibus coronis adornaris. Inseritur in te pyrus paupertatis, malus candidus virginitatis, nux clausuræ, palma obedientiæ, rosa martyrij, lilium vitę Angelicæ, & florentes coronæ malipunici, sic enim & tu incedis cum corona, tamquam Regis regum beata sponsa.

Si in hoc opere tenuis meus calamus in aliquo deliquit, totum sanctæ Matri Ecclesiæ subijcio, & eruditorum correptioni submitto. Si autem aliquid in eo dignum apparet, illud vltrò, & diuinæ gratiæ, & Deiparæ adiutrici, & B. Caietano Protoparenti optimo, destino & consacro.

FINIS.

NOs infrascripti, iussu Admodum Reuerendi Patris N. P. D. Philippi Mariæ Guadagni Religionis nostræ Clericorum Regularium Præpositi Generalis perlegimus diligenter opus sub titulo Cæli Dauidici Variarum Versiones, à Patre Don Vincentio Giliberto Clerico Regulari compositum, nihilque in eo reperimus, quod Catholicæ fidei aduersetur, vel bonis moribus contradicat. Quare illud in lucem edi posse, & cum maximo legentium fructu, censemus. In cuius rei fidem præsens testimonium dedimus manu nostra subscriptum. Neapoli in Domo SS. Apostolorum die 20. Decembris 1637.

D. Franciscus Boluitus Clericus Regularis.

D. Thomas de Aquino Cleric. Reg.

D. Philippus Maria Guadagnus Congregationis Cleric. Regul. Præpositus Generalis.

HOc opus, cuius inscriptio Cælum Dauidicum, à P. D. Vincentio Giliberto S. T. P. compositum, & iuxta præfixam assertionem nostrorum Theologorum, quibus id commisimus recognitum, & approbatum. Vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscriptas, & solito nostro sigillo munitas. Damus Romæ apud Sanctum Siluestrum Mont. Quir. Kalendis Ianuarij M. DC. XXXVIII.

D. Philippus Maria Guadagnus Præpos. Gen. Cler. Reg.

D. Franciscus Barilius Secretarius.

IMPRIMATVR.

Felix Tamburellus Vic. Gen.

M. F. Dominicus Grauina Ord. Pręd. Cur. Arch. Theol. Dep. vid.

D. Thomas de Aquino Cler. Reg. Dep. vid.

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sfff Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz.

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee.

Omnes sunt Duerniones.



N E A P O L I.

Ex Typographia Viduæ Lazari Scorigij, M. DC. XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.



